Horatius Flaccus (Q.)

Q. HORATII
FLACCI
OPERA,

CUM

SCHOLIIS VETERIBUS CASTIGAVIT,

ET

NOTIS ILLUSTRAVIT

GULIELMUS BAXTERUS.

VARIAS LECTIONES ET OBSERVATIONES

ADDIDIT

JO. MATTHIAS GESNERUS;

QUIBUS

ET SUAS ADSPERSIT

JO. CAROLUS ZEUNIUS,

PROF. GR. LITT. VITEBERG.

EDITIO NOVA, PRIORE EMENDATIOR.

GLASGUÆ:

IN ÆDIBUS ACADEMICIS,

EXCUDEBAT JACOBUS MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

LONDINI:

PROSTANT APUD G. G. & J. ROBINSON, ET T. PAYNE:

CANTABRIGIÆ, APUD W. H. LUNN;—EDINBURGI, APUD J. MUNDELL & SOC.

1796.

BRITISH MUSEUM

JO. CAR. ZEUNII

PRÆFATIO.

Cum exemplaribus editionis ſecundæ divenditis, novam adornare inſtituiſſet Redemtor, et a me petiiſſet, ut, ſi quid haberem, adderem: opellæ qualiſcunque a me hic adhibitæ paucis reddenda eſſe videtur ratio. Obſervationibus quidem Baxteri et Geſneri, quas, ſi a paucis Baxterianis receſſeris, ſervandas eſſe duxi omnes, paſſim addere auſus ſum meas, ſi quas rei intelligentia deſiderare videbatur. Textum nonnullis in locis, ſed caute et parce, ad fidem librorum mutavi, cauſaſque rei commemoravi. Geſneri varietati lectionis meam quoque inſerendam eſſe exiſtimavi, quam vel ex Bentleiana editione, nondum a Geſnero notatam, vel Venetiana de anno 1559; vel Glareana, quæ Friburgi a. 1536 prodiit in lucem, vel Chabotiana a. 1615, vel Lambini Wecheliana a. 1596 collegeram. Præterea cum ſingulari Titii Profeſſoris Phyſices longe Celeberrimi et Collegæ mei conjunctiſſimi liberalitate exemplar editionis Glareanæ manu Cruſii olim Profeſſoris Vitebergenſis ad meos uſus accepiſſem: inde codicum Berſmanni varietatem et paucas Cruſii conjecturas in hanc editionem transferendas putavi. Quoniam argumentorum enarratio ad rei intelligentiam non parum facere exiſtimatur; omni, qua potui, diligentia, inprimis Sermonibus Epiſtoliſque illa præpoſui. Pro indice prioris editionis valde jejuno et imperfecto, qui nec nomina nec latini-

tatem satis exhibebat, confeci indicem Nominum cum brevi explicatione, præsertim cum in notis huic rei non ubique satisfactum esse videretur. Omnino autem hic, inprimis in personarum ratione, quantum fieri potuit, Jani doctissimi, qui Horatii Carmina elegantissime edidit, et Wielandii Viri ingenio et doctrina Clarissimi, qui Sermones et Epistolas, additis observationibus lectu dignissimis, germanice reddidit, opera me usum esse gratus profiteor. Quare si quid in hac editione a me præstitum fuerit, quod juventuti scholasticæ ad facilius et rectius Horatium intelligendum prosit; vehementer lætabor.

J. M. GESNERI

PRÆFATIO.

Adeo ab omnibus inde ſæculis ſategerunt circa Horatii Flacci Eclogas Librarii, Interpretes, Critici, ut poſſit homo diligens, cui Bibliothecæ pateant, facile librum mediocrem vel ſola hujus Poetæ enarranda hiſtoria literaria implere.

Et tamen, quod ſine injuria cujuſquam hominis ſimpliciterque dictum volumus, deſideratur a multis inde annis editio quæ primum verba Auctoris, quantum poteſt, integra atque emendata repræſentet, neque ſuperioris barbariei vitiis horrida, neque eadem corrupta et interpolata a Criticis.

Quod ut judicari melius poſſit, adjici optabam varietatem lectionis, ſive ab antiquis librariis ea profecta ſit, ſive a recentiorum hominum invecta ingeniis, non omnem illam quidem, quod infinitum eſt, et in libro, qualem hic deſcribimus, non neceſſarium; ſed eam, quæ vel ſententiam Poetæ, vel veterem Orthographiam mutet, vel aliud memorabile habeat, quod non ignorare velit aliquis mediocriter horum ſtudiorum curioſus. Nam qui plane ſe illis dedidere, his nihil nimium eſt. Hoc igitur alterum erat, quod requirebam.

Denique cum plurimi, quin plerique ſint Horatianæ elegantiæ ſtudioſi, qui vel per ætatem, vel per quaſcunque alias vitæ ſuæ rationes, non poſſint ſatis intelligere poetam, novatorem in verbis nonnunquam, multa e Græco fonte licentius derivantem, ſæpe ad Fabulas, Hiſtorias, Geographiam, Genealogias, Perſonas ſua ætate nobiles, poſt paullo ignorantiæ quadam nocte ſepultas, alludentem; quibus neque vacet, neque alias integrum ſit ad alios libros tranſire, magnos commentarios volvere, qui præſertim deſtituant ſæpe, ubi minime opus erat, ſtudioſos: hac ergo conditione cum et major et nobilior pars ſit lectorum Horatii: optabile ſane erat talium exemplarium exſtare copiam, quæ breves, ne onerent et velut obruant ipſum Poetam, ſed quantum præſtari poteſt, bonas interpretationes eorum locorum habeant.

Spectabant hoc prudentes viri qui Delphino tum ſuo, et per hunc ſtudioſis reliquis parari jubebant eorum, qui claſſici vocantur, latinorum ſcriptorum editiones: ſed quantum, h. e. quam parum quidam, quam nihil plerique profecerint, ſæpe jam homines eruditi conqueſti ſunt.

Horatio illud commode præter pleroſque accidit, quod inventi ſunt mature Grammatici, qui vel nomina Horatiana libris explicarent, vel ſcholia et Annotationes ſcriberent, quibus ea loca declararent, quæ obſcuritatem aliquam ab iis, quas commemoravi modo, cauſis contraxerant: qui præſtarent Horatio, quod ſuo Boilavio noſtra memoria præſtitit, ab ipſo adjutus auctore, Broſſettus: cujus abſque commentario eſſet, quotuſquiſque Gallorum ipſorum hodie intelligeret Boilavium? Antiquiſſimi ergo eorum, quos hodie Scholiaſtas vulgato nomine appellamus, diſcere multa ex ſenibus, vel ex libris poterant, quorum poſtea memoria intercidit.

Horum ſi hodie ſinceri exſtarent commentarii, ad eum modum, ut Aſconii Pediani quædam Ciceronis orationum interpretamenta habemus, mire inde adjuvaretur jucundiſſimi poetæ intelligentia. Sed dolendum eſt, ita a poſterioribus priorum labores eſſe corruptos, truncatos, interpolatos, uti nunc opus ſit homine ſubacti multo uſu et longa conſuetudine judicii, qui veteris purpuræ lacinias, interdum vix filamenta, eruere ex iſtis centonibus et inde lucem ſuam dare Horatio poſſit. Siquis talis nanciſcatur etiam antiquiſſimorum exemplarium copiam, et adhibeat ad eam rem patientiam ſatis longam, ille forte hinc inde adhuc ultra Baxterum Flacco prodeſſe queat.

Nempe ad hoc nunc veniendum eſt. Gulielmus Baxterus *, vir doctus, Richardi nobilis Theologi fratre genitus, ὀψιμαθὴς ille quidem, ſed idem tamen πολυμαθέστατος, qui in literis antiquariis Britannorum ſuorum, tum Græcorum Romanorumque, et inſtitutione puerorum, et re tenui, conſenuit, auctor *Gloſſarii Antiquitatum Britannicarum*, dedit Londini MDCCI, 8. Q. *Horatii Flacci Eclogas*, cum ſcholiis *præcipue antiquorum Grammaticorum, Helenii* Acronis, Pomponiique Porphyrionis, *quorum reliquias fœdis interpolationibus purgatas ac fere integras reponere* ſe putabat. Utrum ſuo ſolius ingenio et judicio in cenſura illa delectuque verſatus ſit, an adjumenti quidquam ex antiquis libris habuerit, nuſquam, puto, indicat: ſed dum de præſidiis externis tacet, fatetur, credo, nulla ſe habuiſſe.

Cæterum mihi non eſt dubium, quin plerumque certe bene indicarit *vir reconditæ eruditionis*, ut illum appellat ſeverus cenſor Bentleius ad Carm. 1. 3. 20.: qui *docti interpretis* elogium illi non invidet, neque eum reprehendit, ut ad Ser. 2. 3. 28. it. 2. 4. 67. Et ſane eruditus eſt, ac doctri-

* Qui de viri vita et libris editis ineditiſque doceri volunt, adire debent Biographiæ Britannicæ To. I. h. v.

næ melioris aliquid nobis impertit, etiam cum errat, aut nimis indulget ingenio: id quod præcipue circa illas Dilogias i. Allegorias, tantopere amatas viro, contingere obſervo V. G. Carm. 1. 15. et 28. et 34. it. 2. 1. 11. et 3. 3. et 4. 1. atque 6. denique Epodon 13. 12.: in quibus locis parum videtur memor fuiſſe eorum, quæ ſalubri conſilio ipſe monuit ad Car. 2. 12. 5. Ita erraſſe illum puto ad Car. 4. 7. 10. (vid. Addend.) ſed ut ſimul moneret de *tribus horis* ſ. anni tempeſtatibus, quod neſcio an Latinis literis, proditum ſit. Quod poſteriori editioni amarus interdum videtur in Bentleium, forte ab illo contemtum ſe putabat, (vid. ad Car. 4. 14. 10.) forte moroſulum ſenectus fecerat, forte ne deſtinarat quidem typis omnia, quæ illuſerat marginibus libri ſui.

Quæ cum ita ſint, Baxteriana exemplaria Horatii commendare ſolebam junioribus amicis, et nunquam forte de edendo Horatio cogitaturus ipſe fueram, illorum ſi copia fieri ſtudioſis in Germania potuiſſet. Sed cum viſum eſſet librum ita utilem, ita commodum, parabilem etiam facere noſtris: nolebam illum ſine dote aliqua a me dimittere, idque eo minus cum præter ea, quæ quadraginta amplius annorum cum Flacco familiaritas, et uſus aliquis earum rerum, quibus hic opus eſt, ſubjicere poterant, etiam a fortuna offerrentur quædam ornandæ editionis præſidia. Quare ſtatui tribus illis generibus, quæ in ipſo ingreſſu commemoravi, augere pro præſenti copia et voluntate, Baxteri editionem.

Ac primo quidem non tam hoc egi, ut emendarem Horatium, quod munus cumulate, et forte plus, quam opus erat, illi præſtitum arbitror; quam ut ab intempeſtivis emendationibus, h. e. corruptionibus illum tuerer et in ſtatum velut ſuum aſſererem.

Quo plures lectores et ſtudioſos habuit Horatius, eo plures illi etiam manus admovere emendandi cauſſa conati ſunt, non æquo ſucceſſu, diſſimili nimirum ipſi ingenio doctrinaque. Ingenioſi et eruditi viri ſibi placuerunt, ſi quid exſculpere poſſent elegantia Horatii, ut ipſi arbitrabantur, dignius: ſed primum illud ipſum judicium, Quid ſit inſcriptore prope bis mille annorum elegantius? difficile eſt et ita multis ſæpe rationibus involutum, ut merito hoc maxime in genere quo quis eſt doctior, tanto majoris modeſtiæ cauſas habeat.

Et ſi demus viris doctis, (quod cum univerſim negari propter humanæ naturæ et rei ipſius conditionem non poſſit, tamen in hoc vel illo loco propter cauſam modo indicatam concedi vix ac ne vix quidem poteſt) ipſos aliquid inveniſſe accepta lectione melius, pulchrius: an ideo illud potius ſcripſiſſe Horatium, confectum eſt? Licuitne dormitare, halucinari etiam Horatio?

Quid ſcripſerit Flaccus, ea quæſtio hiſtorica eſt: in ea teſtibus, h. e. libris antiquis, conſentientibus præcipue, credendum, quamdiu ipſi ſibi fi-

dem non abrogant, quamdiu non dicunt aperte repugnantia. Sed videntur interdum repugnare, quæ, circumſpecta rite omni circumſtantia, in concordiam poſſunt redigi eo, ut in muſicis, jucundiorem, quod habent aliquid pugnæ admiſtum. Tali ἐξώμωρα non obſervata fraudi fuere nonnunquam Bentleio V. C. Serm. 2. 5. 79. et 103. Si quid autem ſit etiam, quod a vitioſa repugnantia liberare non poſſim, non ideo urere et ſecare licet, non graſſari in libros, ut in diſcipulorum penſa ſolet emendatrix manus præceptoris: ſed niſi ita mollis, ita liquida, ita clara, ita unica ſit emendatio, plane uti dubitare homini rerum perito non liceat, modeſtiæ noſtræ et bonorum librorum integritati potius ita conſulamus, ut in margine, quid nobis videatur, indicemus.

Dici non poteſt, quam facile ſit hic falli, labi, corrumpere quod emendare velis. Cum concedatur ſenibus περιαυτολογίαν, dicam quid mihi uſu venerit. Fuere ab adoleſcentia inde mea amici, eruditi ſane homines et ingenioſi, qui ſubinde accuſarent meam in emendationibus vel alienis vel meis admittendis tarditatem. Sed fateor ingenue, aliquoties tamen cum omni illa, quam ego cautionem appellabam, ipſi timiditatem, aliquoties mihi uſu veniſſe, ut aucto ſcilicet rerum verborumque uſu, retractandæ eſſent emendationes, quæ valde mihi placuerant.

Quominus pœnitet in Horatio cauſam receptarum lectionum ſuſcepiſſe nonnunquam contra ipſum Bentleium, etiam ubi iraſcitur, (ut ad Art. Poet. 441.) quod ſolent non nunquam viri docti, cum putant iniquum eſſe librariis ſemibarbaris plus fidei haberi quam ſuæ rationi, hoc eſt rectæ: quaſi viciſſent vero ſuam rationem hic eſſe rectam. Contra hanc criticorum quorumdam vehementiam armatum pectus habere debet Horatii præſertim editor, et malle cum Philoxeno ire in Lautumias, quam laudare non bonas, cujuſcunque demum ſint; quam recipere pulchras quantumvis, ſed minus neceſſarias, emendationes.

Qui hoc poteſt, ille multo minus movebitur ab iis, qui vel omnium bonarum rerum rudes, vel certe ſuavitatis poeticæ expertes, aut non ſatis familiariter verſati cum ſcriptore, quem contrectare audent, corrigere aliquid et emendare conantur. Talia multa cum non ignorarem, præterii ſciens, ac ſatis habui ipſo ſilentio de illis judicaſſe. Eandem fere rationem tenui circa portentoſos Harduini conatus, qui in Pſeudo-Horatio, parte operum Varior. Amſt. 1733, fol. Lyrica opuſcula omnia, qua ſolebat importunitate et impudentia, veteri Horatio, cujus eſſe fatetur ſermones atque epiſtolas, abjudicata, cohorti impuræ, in cerebro ipſius nidulanti, adſcribit, quæ ſæculo XIII. ea confinxerit et antiquis hominibus per fraudem ſubjecerit, quæ puerili credulitate Ciceroni, Virgilio, cæteris, eruditi omnes, ante quam ipſe exoriretur, tribuerint. Hujus, ſpeciminis cauſa, portenta quædam inſignia deportavi, cæterarum ne mentionem quidem faciendam cenſui,

Nec valde commemorabiles putabam ullas trajectiones, quas Dan. Heinſius, et Boivinus et non ita pridem Aldrichius * commenti ſunt, quod genus emendandi tum demum probabile fit, cum poteſt ratio perturbationis vel folii unius pluriumve trajectione, vel ex verborum eorundem repetitione ita clara demonſtrari, ut oculis cerni et prope manu teneri res poſſit, quomodo curatum a nobis Demoſthenis encomium Lucianeum arbitramur.

An huc referimus etiam illam Sanadonis, ingenioſi ſane atque eruditi hominis, ordinationem Odarum Horatii, quæ, nequid aliud dicamus, repugnat non libris modo omnibus, quorum ad nos memoria pervenit, ſed cum cæteris Grammaticis †, tum Diomedi, qui Priſciano certe et ſexto ſæculo noſtro eſt antiquior, idemque odas omnes poetæ eo ipſo ordine, quo habentur in libris noſtris, recenſet. Poetam quidem ipſum primo libros tres carminum, deinde intervallo longo interpoſito quartum edidiſſe, auctor eſt Suetonius in vita: cui rei plane Sanadoni inſtitutum repugnat.

Sed operæ pretium eſt, h. e. ſtudioſis Horatii, qui Bentleianum exemplar ad manus non habent, accommodatum, poni poſt hanc præfationem locum integrum ex præfatione viri magni, quo tempora librorum Horatii ordinat, de quo hoc certe confirmare poſſum, me, dum recenſeo ſingulas Eclogas, diligenter attendiſſe, ſiquid eſſet Bentleianis temporum rationibus adverſum, nec deprehendiſſe quidquam, quod momentum aliquod ad eam evertendam haberet, licet quibuſdam Eclogis non improbabili ratione forte tempus etiam aliud, recentius præſertim, poſſit adſcribi. De ſæculari carmine ſuo loco ſatis dictum, et laudatum ingenium Sanadoni. Poſſit aliquis drama velut quoddam non abſimile contexere ex iis, quæ in Canidiam ſcripta ſunt, ſi jungat Serm. 1. 8. Epod. 5. et 17. denique Carm. 1. 16. qui ipſe ordo ex argumento elucens pulchre Bentleianam de temporibus hypotheſin confirmat.

Quæ adhuc diſputavi, ea ad illam fere partem conſilii mei pertinent, quod ſtatui conſervare quantum in me eſt, Horatii verba, ordinemque poematum, ut ea ex antiquis libris ad nos pervenere. In varietate lectionis, quam alteram dotem editionis noſtræ volebam eſſe, modum ſervare eum volui equidem, quem optimum mihi videri, ſupra indicavi. Notarum, quibus ea in re uſus ſum, explicationem deinde ponam, et eadem indicabo auxilia hujus editionis, eorumque auctores.

---

* Qui ſerm. 2. 3. plane aliter ordinavit, ad cujus mentem ea ecloga expreſſa eſt in calce Baxterianæ ſecundæ. De Heinſii et Boivini conatibus vid. Bentl. ad Epiſt. 2. 2. 87.

† Excipio ſolum Priſcia. I. 14. p. 997. med. ubi citatur Horat. in 1 *Car. Ludere cum vitulis ſalièto Prægeſtientis*; quod eſt Car. 2. 5. 9. Sed licet ita ſit etiam in editionis Aldinæ et Baſilienſes exemplaribus, non dubito quin ſphalma ſit illi ſimile quod I. 6. p. 689. med. tanquam ex primo citatur verſus Horatii Car. 2. 15. 14. *Nulla decempedes*, &c. quod ipſe Priſcianus emendat, qui I. 8. p. 794. pr. laudat ex *ſecundo*.

dem non abrogant, quamdiu non dicunt aperte repugnantia. Sed videntur interdum repugnare, quæ, circumſpecta rite omni circumſtantia, in concordiam poſſunt redigi eo, ut in muſicis, jucundiorem, quod habent aliquid pugnæ admiſtum. Tali ἐξύμωρα non obſervata fraudi fuere nonnunquam Bentleio V. C. Serm. 2. 5. 79. et 103. Si quid autem ſit etiam, quod a vitioſa repugnantia liberare non poſſim, non ideo urere et ſecare licet, non graſſari in libros, ut in diſcipulorum penſa ſolet emendatrix manus præceptoris: ſed niſi ita mollis, ita liquida, ita clara, ita unica ſit emendatio, plane uti dubitare homini rerum perito non liceat, modeſtiæ noſtræ et bonorum librorum integritati potius ita conſulamus, ut in margine, quid nobis videatur, indicemus.

Dici non poteſt, quam facile ſit hic falli, labi, corrumpere quod emendare velis. Cum concedatur ſenibus περιαυτολογίαν, dicam quid mihi uſu venerit. Fuere ab adoleſcentia inde mea amici, eruditi ſane homines et ingenioſi, qui ſubinde accuſarent meam in emendationibus vel alienis vel meis admittendis tarditatem. Sed fateor ingenue, aliquoties tamen cum omni illa, quam ego cautionem appellabam, ipſi timiditatem, aliquoties mihi uſu veniſſe, ut aucto ſcilicet rerum verborumque uſu, retractandæ eſſent emendationes, quæ valde mihi placuerant.

Quominus pœnitet in Horatio cauſam receptarum lectionum ſuſcepiſſe nonnunquam contra ipſum Bentleium, etiam ubi iraſcitur, (ut ad Art. Poet. 441.) quod ſolent non nunquam viri docti, cum putant iniquum eſſe librariis ſemibarbaris plus fidei haberi quam ſuæ rationi, hoc eſt rectæ: quaſi viciſſent vero ſuam rationem hic eſſe rectam. Contra hanc criticorum quorumdam vehementiam armatum pectus habere debet Horatii præſertim editor, et malle cum Philoxeno ire in Lautumias, quam laudare non bonas, cujuſcunque demum ſint; quam recipere pulchras quantumvis, ſed minus neceſſarias, emendationes.

Qui hoc poteſt, ille multo minus movebitur ab iis, qui vel omnium bonarum rerum rudes, vel certe ſuavitatis poeticæ expertes, aut non ſatis familiariter verſati cum ſcriptore, quem contrectare audent, corrigere aliquid et emendare conantur. Talia multa cum non ignorarem, præterii ſciens, ac ſatis habui ipſo ſilentio de illis judicaſſe. Eandem fere rationem tenui circa portentoſos Harduini conatus, qui in Pſeudo-Horatio, parte operum Varior. Amſt. 1733, fol. Lyrica opuſcula omnia, qua ſolebat importunitate et impudentia, veteri Horatio, cujus eſſe fatetur ſermones atque epiſtolas, abjudicata, cohorti impuræ, in cerebro ipſius nidulanti, adſcribit, quæ ſæculo XIII. ea confinxerit et antiquis hominibus per fraudem ſubjecerit, quæ puerili credulitate Ciceroni, Virgilio, cæteris, eruditi omnes, ante quam ipſe exoriretur, tribuerint. Hujus, ſpeciminis cauſa, portenta quædam inſignia deportavi, cæterarum ne mentionem quidem faciendam cenſui,

Nec valde commemorabiles putabam ullas trajectiones, quas Dan. Heinſius, et Boivinus et non ita pridem Aldrichius * commenti ſunt, quod genus emendandi tum demum probabile fit, cum poteſt ratio perturbationis vel folii unius pluriumve trajectione, vel ex verborum eorundem repetitione ita clara demonſtrari, ut oculis cerni et prope manu teneri res poſſit, quomodo curatum a nobis Demoſthenis encomium Lucianeum arbitramur.

An huc referimus etiam illam Sanadonis, ingenioſi ſane atque eruditi hominis, ordinationem Odarum Horatii, quæ, nequid aliud dicamus, repugnat non libris modo omnibus, quorum ad nos memoria pervenit, ſed cum cæteris Grammaticis †, tum Diomedi, qui Priſciano certe et ſexto ſæculo noſtro eſt antiquior, idemque odas omnes poetæ eo ipſo ordine, quo habentur in libris noſtris, recenſet. Poetam quidem ipſum primo libros tres carminum, deinde intervallo longo interpoſito quartum edidiſſe, auctor eſt Suetonius in vita: cui rei plane Sanadoni inſtitutum repugnat.

Sed operæ pretium eſt, h. e. ſtudioſis Horatii, qui Bentleianum exemplar ad manus non habent, accommodatum, poni poſt hanc præfationem locum integrum ex præfatione viri magni, quo tempora librorum Horatii ordinat, de quo hoc certe confirmare poſſum, me, dum recenſeo ſingulas Eclogas, diligenter attendiſſe, ſiquid eſſet Bentleianis temporum rationibus adverſum, nec deprehendiſſe quidquam, quod momentum aliquod ad eam evertendam haberet, licet quibuſdam Eclogis non improbabili ratione forte tempus etiam aliud, recentius præſertim, poſſit adſcribi. De ſæculari carmine ſuo loco ſatis dictum, et laudatum ingenium Sanadoni. Poſſit aliquis drama velut quoddam non abſimile contexere ex iis, quæ in Canidiam ſcripta ſunt, ſi jungat Serm. 1. 8. Epod. 5. et 17. denique Carm. 1. 16. qui ipſe ordo ex argumento elucens pulchre Bentleianam de temporibus hypotheſin confirmat.

Quæ adhuc diſputavi, ea ad illam fere partem conſilii mei pertinent, quod ſtatui conſervare quantum in me eſt, Horatii verba, ordinemque poematum, ut ea ex antiquis libris ad nos pervenere. In varietate lectionis, quam alteram dotem editionis noſtræ volebam eſſe, modum ſervare eum volui equidem, quem optimum mihi videri, ſupra indicavi. Notarum, quibus ea in re uſus ſum, explicationem deinde ponam, et eadem indicabo auxilia hujus editionis, eorumque auctores.

---

* Qui ſerm. 2. 3. plane aliter ordinavit, ad cujus mentem ea ecloga expreſſa eſt in calce Baxterianæ ſecundæ. De Heinſii et Boivini conatibus vid. Bentl. ad Epiſt. 2. 2. 87.

† Excipio ſolum Priſcia. I. 14. p. 997. med. ubi citatur Horat. in 1 *Car. Ludere cum vitulis ſalicto Prægeſtientis*; quod eſt Car. 2. 5. 9. Sed licet ita ſit etiam in editionis Aldinæ et Baſilienſes exemplaribus, non dubito quin ſphalma ſit illi ſimile quod I. 6. p. 689. med. tanquam ex primo citatur verſus Horatii Car. 2. 15. 14. *Nulla decempedes*, &c. quod ipſe Priſcianus emendat, qui I. 8. p. 794. pr. laudat ex *ſecundo*.

Qualem optarem interpretationem Horatii, id ipſum quoque ſupra oſtendi, eamque rationem pro virili parte ſecutus ſum. Bene dicta ab antiquis ſcholiaſtis et Baxtero non opus habebant mea confirmatione: ſiquid ſecus ſentirem, in iis locis, qui momentum aliquod habere viderentur, indicavi libere: cæterum hic moneo, ſilentio me meo non probare voluiſſe quidquam: ſed uti de meis obſervationibus, ita de Baxterianis integrum lectori relinquere. Itaque iniquus fuerit, ſiquis cogere me velit ad præſtanda omnia, quæ vir doctiſſimus poſuit. Cæterum, quod jam innui, eam ſuis eſt meritis opinionem conſecutus Baxterus, ut neque cum ſine teſte in re antiquaria loquitur, fides illi temere neganda ſit.

In refutandis aliorum interpretationibus rariſſime occupatus fui, ſatis habui in iis locis, quæ non recte tractata arbitror, eam ponere ſententiam, quæ vera mihi videtur vel certe aliis probabilior. Siquid mihi invito exciderit, quo vel religio in deum lædatur, vel humanitas, illud ne dictum volo, et mea primus ſententia ultro damno.

Scrib. Gottingæ XIII. Cal. Octob.
MDCCLI.

DE TEMPORIBUS LIBRORUM
HORATII,
ET
POEMATUM ADEO
RICH. BENTLEII SENTENTIA.

MAGNO quidem ſtudio et acerrima contentione poſt Tanaquilli Fabri operam Clariſſimi Viri Dacerius Maſſonuſque in hanc arenam deſcenderunt; quorum equidem acumen et eruditionem in partibus laudo; in operis vero ſumma totoque conſtituendo rem eos infeliciter admodum geſſiſſe cenſeo. Horum enim rationibus, et Carminibus et Epodis et Sermonibus Epiſtoliſque ſcribendis uno ac eodem tempore vacaviſſe Noſtrum neceſſe eſt; et ſingula quæque Poematia ſeparatim in vulgus edidiſſe: quorum utrumque a vero alienum eſſe mihi pro comperto eſt. Quippe omnibus, qui ejuſmodi Poematia ſcripſerunt, id in more erat, ut non ſparſas Eclogas, ſed integros libellos ſemel ſimulque in lucem ederent. Ita *Catullus* fecit, ut ex Epigrammate I. conſtat, *Cui dono lepidum novum Libellum:* ita *Tibullus;* quem vide Elegia I. libri tertii, v. 7. et 17.: ita *Propertius* Eleg. I. librorum II. III. et IV., ut et Libri II., Elegia X. v. 25., et XIX. v. 39.: ita *Virgilius* Bucolica dedit, uti patet ex ultimo illo, *Extremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem:* ita *Naſo* Amorum et Triſtium et Ponticorum libros, ipſo teſte: ita *Statius* ſilvas ſuas: ita *Martialis* Epigrammata, ut Præfationes eorum fidem faciunt: ita *Perſius* Satiras; *Phædrus* et *Avienus* Fabulas: *Auſonius, Prudentius, Sidonius, Venantiuſque* ſua Carmina; quod ex eorum Prologis abunde patet. Quid quæris? Ipſe quoque Horatius Libellos ſuos junctim editos aperte indicat; primum Carminum librum ex Prologo; ſecundum tertiumque ex Epilogis; Epodos ex illo XIV. *Inceptos olim promiſſum carmen Iambos ad umbilicum adducere;* Sermonum prio-

rem librum ex verſu ultimo, *I puer atque meo citus hæc ſubſcribe* LIBELLO; poſteriorem ex Prologo: priorem vero Epiſtolarum et ex Prologo et ex Epilogo. Quartum vero Carminum et Epiſtolarum ſecundum *longo* poſt cætera *intervallo* emiſſos eſſe, pleniſſimum eſt *Suetonii* teſtimonium, quod qui aut refellere aut eludere conantur, inanem operam inſumunt. His jam poſitis; primum Horatii opus ſtatuo *Sermonum* librum *primum*, quem triennio perfecit intra annos ætatis XXVI. XXVII. XXVIII.; poſtea *ſecundum* triennio itidem, annis XXXI. XXXII. XXXIII.; deinde *Epodos* biennio, XXXIV. et XXXV.; tum *Carminum* librum *primum* triennio, XXXVI. XXXVII. XXXVIII.; *Secundum* biennio, XL. XLI.; *Tertium* pariter biennio, XLII. XLIII.: inde *Epiſtolarum primum* biennio, XLVI. XLVII.: tum *Carminum* lib. *quartum* et *Sæculare* triennio, XLIX. L. LI. Poſtremo *Artem Poeticam et Epiſtolarum* librum *alterum*, annis incertis. Intra hos cancellos omnium Poematum natales eſſe ponendos, et ex argumentis ſingulorum et ex Annalium fide conſtabit. Inde eſt, quod in ſermonibus et Epodis et Carminum primo, *Cæſar* ſemper, nunquam *Auguſtus* dicitur; quippe qui id nomen conſecutus eſt, anno demum Flacci XXXIX.; in ſequentibus vero paſſim *Auguſtus* appellatur *. Inde eſt, quod in Sermonibus et Epodis Juvenem ſe ubique indicat; et quod ſola Satirarum laude inclaruiſſe ſe dicit, ut Bucolicorum tum Virgilium (Serm. I. 10. v. 46.) nulla Lyricorum mentione facta. In cæteris autem ſingulis procedentis ætatis gradus pleniſſimis ſignis indicat; idque tibi ex hac ſerie jam a me demonſtrata jucundum erit animadvertere; cum operibus Juvenilibus multa obſcæna et flagitioſa inſint; quanto annis provectior erat, tanto eum et poetica virtute et argumentorum dignitate gravitateque meliorem caſtioremque ſemper evaſiſſe. Cæterum ubicunque viri doctiſſimi extra limites hic poſitos in adſignandis temporibus evagantur, toties illi in errores prolabuntur. Facile quidem mihi foret id in ſingulis oſtendere; verum unum modo alterumve hic attingam, cætera tuæ induſtriæ relinquens. Libri I. Carmen 21. *Dianam teneræ dicite Virgines*, perperam *Sæculare* vocant, et ad Horatii annum XLIX. referunt; ringente Suetonio, qui tres Carminum libros *longo intervallo* eum annum præceſſiſſe teſtatur. Atqui nihil quicquam hic de *Sæcularibus* ludis proditur; ſed aut ad Dianæ aut Apollinis feſtum ſpectat, quorum illud menſe Auguſto, hoc Julio ſingulis annis celebrabatur. Eodem pertinet Catulli carmen XXXV. *Dianæ ſumus in fide*; quod Sæculare etiam a viris doctis peſſime inſcribitur; cum nihil ibi de Sæculo habeatur, iſque diu diem obierit ante ludos Auguſti Sæcu-

* Si recte annos vitæ Horatii cum Varronianis Urbis Conditæ comparavit Maſſonus, *Auguſti* appellationem ſuſcepit Octavianus (ineunte A. U. C. 727.) anno adhuc Horatii XXXVIII. quem libro primo carminum adhuc attribuit ipſe Bentleius: et ipſe recte retinet veterem titulum *Odæ ſecundæ libri primi* AD AUGUSTUM. Vid. dicta ibi ad v. 29. GESN.

lares. Tum et II. 17. ad Mæcenatem ægrotum, immani parachroniſmo ad Horatii annum LV. ultra libri quarti tempora ablegant; idque levi et futili argumento, quod eo anno continua inſomnia vexari cœperit Mæcenas triennio ante diem fatalem. Quaſi vero non plus ſemel in tam longa vita ægrotaverit, quem Plinius major VII. 51. *perpetua febre* ab adoleſcentia laboraſſe tradidit. Illud vero in ſermone VI. libri 2. *Quid militibus promiſſa Triquetra, Prædia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus?* non, ut volunt, ad pugnam Actiacam annumque Flacci XXXV. referendum erat, nec ad Philippenſem annumve XXIV.: quippe de agrorum diviſione hic agitur, quæ poſt Siculam de Pompeio victoriam et Lepidi deditionem in Campania alibique facta eſt, anno Flacci XXXI., ut diſertis verbis narrat Dio pag. 456. 457. Plutarchus Antonio pag. 941. Paterculus II. 81.; et Appianus p. 1176. Alia omnia pari felicitate refutari poſſent; ſed his fruere et vale.

PRÆSIDIA QUÆDAM

HUJUS EDITIONIS.

I. HABET Bibliotheca Academiæ Gottingenſis Codicem charta bombycina, eleganti manu ſcriptum, literis quales formis ſuis ſculpi curavit Jenſonius: recentioris illum quidem ſed bonæ notæ, quem optimarum plerumque partium eſſe, collatio noſtra docet. Habet in margine argumenta pariter et ſcholia quædam, ſed quæ, rubrica fugiente ſcripta, ſæpe legi non poſſunt, nec in iis obſervavi quidquam, quod non habeant antiqui ſcholiaſtæ, qua editi ſunt.

II. E Bibliotheca Regia Hannoverana duo ab ILL. SCHEIDIO, fautore rerum omnium bonarum, et amico meo veteri, mecum communicata ſunt duo fragmenta codicum Horatii chartæ Pergamenæ, 8 min. Unum charactere ſcriptum Longobardico ſed ſatis tenui et eleganti, nec tamen ſine vocum compendiis continet Serm. I. 1. uſque ad 2. 121. tum 1. 4—4. —2. 4. 50. Porro 2. 6. 14. ad finem libri. Alterum literis minutiſſimis, Longobardicis habet Epiſt. 1. 3. 27.—1. 18. 13. In priori fragmento poſt Sat. 1. 10. 21. inſertus eſt verſus 71. *Sæpe caput ſcaberet vivos et raderet ungues* qui infra ſ. l. repetitur ſine animadverſione antiqua.

III. Donavit mihi, cui alia et majora debeo, plurima debebit olim, ſi deus faveat, literarum res publica, CHRISTOPH. SAXIUS V. C. Syllogen variantium lectionum a ſe deſcriptarum partim de exemplo Cuningamianæ editionis cui alleverat illas B. Cortius e Lipſienſi et Vinarienſi Codicibus, quod exemplum eſt penes *Kappium* V. C. partim ex alio Maittairianæ editionis, quod ipſe poſſidet, cui docta manus IX. Codicum lectiones commiſerat. Hac ſylloge ita uſus ſum, ut ſimpliciter, quæ inde pro conſilio meo enotarem, *Saxianæ collationi* tribuerem; quando ſpes eſt futurum, ut ipſe vir doctus, ſi tanti putet, eam ſyllogen integram Horatio impertiat.

IV. Fuit penes me beneficio viri præclari FREDERICI CHRISTO. SCHMINKII, qui ut in aliis rebus bonis, ita in amicitiis quoque colendis paterna premit veſtigia, exemplum Torrentianæ editionis, cui commiſſa erat colla-

tiò libri antiqui, quem Io. *Brodæi* fuiſſe, pater Schminkius ὁ μαχαιρίτης adſcripſerat. Sed quidni totam illius adnotationem apponimus? *A.* MDCCXII. *menſe Julio Trajecti ad Rhenum contuli libros IV. carminum, Epodon, et carmen ſeculare cum codice papyraceo ex Bibliotheca Ampliſſimi Koolii Senatoris Amersfurtienſis cum viveret. Hic codex minime contemnendus ſpectavit olim teſte ipſius manu ad Brodæum. In fine codicis hæc adſcripta leguntur: A.* 1392. *die* 18. *menſis Febr. complete fuerunt Ode Oratii per A. A. morantem Papiæ hora XIX. pulſante.* Sunt in his lectionibus memorabiles quædam, ut illud 2. 14. 10. *cujuſque*, et 2. 20. 17. *Colchis*, et 3. 5. 54. *reliquerat*, et Epod. 2. 69. *redegit*, it. Epod. 5. 54. *Arcum.*

V. Illuſtriſſimi Viri F. C. AB HARDENBERG liberalitate poſſideo exemplum primæ quæ adhuc innotuit editionis, cujus libro MS. facile comparandum, quæ editio cum nullam editoris, loci, temporis expreſſam mentionem habeat, ne titulum quidem ſ. indicem, conjectura neſcio quam probabili Antonio Zaroto Parmenſi, et Mediolano, et anno circiter 1470 a Maittairio adſignatur. Literæ ſunt ejus formæ, quam Jenſonius adhibuit, ſed paullo minus cultæ et incompoſitæ, ut appareat, neque matrices fuiſſe ita perfectas ut fuere Jenſonianæ, neque ita accuratam verſuum dirigendorum rationem. Porro literæ nullæ initiales, ſæpe ſ. longum in fine vocis poſitum, &c. Volumen conſtat quinternionibus, i. e. quinque plagulis (ſemiplagulas vulgares æquantibus) duplicatis, ut oriantur denorum foliorum libelli, ita conſuti deinde, ut in mediæ plagulæ ſulco adglutinata ſit tenuis virga membranacea, quæ fila contineat, et firmitatem præſtet codici. Folia ipſa non ſignata neque literis neque numeris, cuſtodes nulli, nullum Regiſtrum, literæ ſæpe tranſpoſitæ, infantia denique artis, et operarum ruditas, undique apparet. Voces vel omiſſæ, vel cum ipſius metri pernicie permutatæ, fidem faciunt, non præfuiſſe editioni Grammaticum ſed ſimpliciter exemplum ſuum, i. manuſcriptum Codicem, ſecutos eſſe typographos. Unde illud conſequitur, ut, quæ bonæ ſunt lectiones, eas ab antiquo codice, non ab ingenio correctoris eſſe, intelligamus. Memorabilis admodum mihi viſa eſt lectio, quam ſolus hic liber habet Epiſt. 2. 2. 140. *pretium mentis*, ut ibi admonui.

COMPENDIA NOMINUM

QUIBUS USUS SUM

IN VARIETATE LECTIONIS INDICANDA.

Non est opus ea hic adscribere, quibus *Aldi*, *Bentleii*, *Cruquii*, *Cuningami*, *Ge. Fabricii*, *Lambini*, *Rutgersii*, *Henrici* et *Roberti Stephanorum*, *Talboti*, *Torrentii*, et similia nomina indicantur: sed satis est ponere illa, quæ propria quodam modo huic editioni sunt. Nempe

Birr. quod occurrit modo Car. 2. 2. declaratur ibi ad v. 2.

Bos. *Lamberti Bos Animadversiones ad scriptores quosdam Græcos*, quibus adjecit etiam *Latinas*, *ad Horatium* quidem a p. 26.

B. Br. *Brodæi* Codex MS. de quo modo in Præfidiis n. IV. dictum.

Coll. Sax. vid. Præfid. n. III.

F. Fl. Florentina A. 1482. f. quam possideo carum et gratum munus Illustrissimi Hardenbergii. Est hæc princeps editio Horatii, in qua interpretationes Landini adjunctæ sunt. Subscriptio hæc: *Christophori Landini Florentini in Q. Horatii Flacci opera omnia interpretationum finis divino auxilio felix. Impressum per Antonium Miscominum Florentiæ* An. salutis MCCCCLXXXII. Nonis Augusti. Typi, chartæ, descriptio interpretationum in marginibus, nec hodiernam elegantiam dedeceant. Quaterniones non illi quidem literis Alphabeti signati, sed folia ipsa in angulo dextro paginæ adversa numeris per totum opus continuis distincta, ad quos accommodata est tabula vocabulorum, quæ in commentariis explicantur, non bono consilio post omissa. Quales sint illæ interpretationes, ostendent specimina multa a Baxtero allata. Illud universim tenendum, multa tunc ignorata etiam doctis, quæ in trivialibus libellis habentur; multa melius nunc traduntur in Lexicis vel vivæ interpretationi reservantur, quæ tum in Commentarios referebant merito, &c.

G. Gott. Gottingensis Codex MS. de quo Præsid. n. I.

H. Han. Hannoveranus, de quo n. II.

Loch. Locheri (Jacobi) quam *Loſcheri* vocare ſolet Bentleius: habui e Bibliotheca Regia Hannoverana benignitate laudati *Scheidii*.

Med. Mediolanenſia exemplaria habet Bibliotheca noſtra tria, unum *opera et impenſis Philippi Lavagniæ* civis *Mediolanenſis anno a natali Chriſtiano* MCCCCLXXVII. *tertio Kl. Maii* f. Alterum habet hanc ſubſcriptionem: *In officina egregii librarii Antonii Zarotti Parmenſis impendio Alexandri Minutiani Appuli de Sancto Severo hæc opera Mediolani impreſſa ſunt. Anno a ſalutifero Virginis partu ſexto et octogeſimo ſupra milleſimum et quadringenteſimum. Quinto idus Martias.* fol. Memorabilis eſt præfatio Alexandri Minutiani ad Bartholomæum Chalcum, Ducalium ſecretorum Magiſtrum, unde quædam hic excerpemus. Scripta eſt *in diali arce* (an hoc eſt in palatio Epiſcopali?) *pridie idus Martias Anno a nato Domino MCCCCLXXXVI. Poſtulaverunt a me quidam ſuperiori anno, ut Flacci libros: quos impreſſuri erant cum Acrone et Porphyrione accuratiſſimis interpretibus caſtigarem; quam quidem caſtigationem—non potui—Stephano tuo Cremonenſi—denegare—et quia tibi ob ejus prudentiam ſingulareſque virtutes carus eſt contubernalis.—Præſertim cum vererer ne ſi id penitus detrectaſſem: plurimum de majeſtate Oratiana nobis tolleretur: ob temerarium et veluti ſacrilegum cujuſdam conatum: qui recentiſſimas in Flaccum interpretationes edidit:* (Chriſto. Landinum tangit) *de quibus veriſſime dici poteſt id quod de Rupilio rege noſter inquit Oratius Pus atque venenum tam ſenſuum quam verborum hujus eminentiſſimi vatis: id quod niſi Porphyrionis antidotis repreſſum fuiſſet: brevi totus contabuiſſet Oratius. Quodni dubitarem te maximis curis diſtrictum longiori epiſtola remorari: commemorarem hic multa in quibus egregius ille enarrator honeſtiſſimis dictionibus poetam hunc fraudando penitus inſanivit. Itaque hos libros ſtudioſiſſime quantum ſub unico exemplari: eoque temporum injuria exeſo: librariorumque incuria mendoſiſſimo recognovimus. Cæterum impreſſis libris et recognitione jam publicata* (Eſtne hæc, quam B. Fabricius ita memorat, *per Anto. Zarottum Parmenſem, impenſis Auguſtini Mariæ Conagi*, Mediol. 1485, fol.?) *venit ad manus meas Porphyrio quidam antiquiſſimus: cujus ope: pleraque in quibus intelligendis nec frequens lectio: nec pertinax ſtudium vel minimum conferret: melius corrigi caſtigarique poſſent. Quare ut amantiſſimis mei plenius obſequerer: hos libros meis ſumtibus iterum imprimendos curavi: atque—ita expoſitores in poetæ marginibus collocavi; ut facile cognitu ſit omnibus: quid Acro quid eruditus Porphyrio ſuper eodem ſentiant.* In fine denuo aliquid bilis in Landinum et forte Angelum Politianum eſt: *In qua quidem recognitione non inficior multa ut in exemplari reperiebantur reliquiſſe: ne ſcilicet deraſo aut mutato loco cujus ſenſum ignorarem ejus arguerer impudentiæ: qua plurimos noſtri temporis viros taxari videmus. illi enim dum ſtulta quadam perſuaſione*

tamquam omnia noverint, quod ſibi incognitum eſt deradunt: atque invertunt multis honeſtiſſimis dictionibus linguam latinam defraudant. Non pœnituit iſta deſcribere ex libro ſatis raro, quæ literariæ hiſtoriæ ſtudioſis grata eſſe ſperemus. Tertium exemplar in fronte hæc habet verba: *Horatius ita emendatus, ut ejus interpretes non multum deſideres Lector candidiſſime.* In fine hæc, Mediolani apud *Alex.* Minutianum MDII. Prid. Kal. Decembr. Splendide impreſſum opus, nihil præfationis habet, nihil aliud, quod obſervarim, ſingulare.

S. Sax. Collatio Saxiana, de qua Præſid. n. III.

Z. Zarotti, ut putatur editio, de qua Præſid. n. V.

GULIELMI BAXTERI
PRÆFATIO
EDITIONI SECUNDÆ, LOND. 1725, PRÆMISSA.

Ecce jam altera vice prodit in lucem, poſt plus viginti annorum ſpatium, Horatius meus. In cauſa autem hoc fuerat, quod jam paucorum teratur manibus, et quod paucula erant emendanda, nonnulla permutanda, adjicienda vero plura, præſertim poſtquam Clariſſimus *Bentleius* tanto cum molimine et pompa, collatis omnium temporum Exemplaribus et Auctoritatum Exemplis, Scriptorem iſtum videretur magis oppreſſiſſe quam adornâſſe. Certe nos diverſum ingreſſi ſumus iter; nam pro curta noſtra ſupellectile, contenti fuimus floſculos quoſdam noſtros, quos magna ex parte jam olim vacivis quidem horis collegeramus, in unum quaſi faſciculum congerere, publicoque Eruditorum uſui proponere; quo non tam ſcirent quid nos ipſi ſentiremus, quam quid illuſtrioribus Horatii Interpretibus, tam veteribus quam novis, per omnia tempora viſum fuerit. Atque in his facem nobis prætendunt quæ credimus adhuc in ruderibus exſtare veterum ſcholiorum Helenii Acronis Pomponiique Porphyrionis Excerpta. Hos viros floruiſſe ſtante adhuc deorum cultu vel ex ipſorum ſcriptis legentibus patebit. De nobis vero, et Præſenti noſtro inſtituto, aliorum erit judicare; qui ſi ſtudioſo favebunt labori, erit cur nobis gratulemur; ſin (quod ſane exſpectandum duximus) plures damnaturi ſunt quæ non intelligunt, nos factum noſtrum durato corde feremus. Sicubi vero in hoc opuſculo nimis acri videbimur uſi ſtilo, Criticumque gladium de conſueto more ſtrinxiſſe, illud de jure noſtro nobis vendicandum cenſemus. Genus enim irritabile Criticorum natio. Abeſt tamen odium, ira et æmulatio prava, imo et partium ſtudium a ſtudio Muſico quod ſumus profeſſi

> Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis:
> Vivitur hoc pacto.

Non vidit exemplum hujus editionis Baxterus. Monet lectorem Londinenſis editor, " Enarratorem eruditum huic operi recenſendo per menſes " aliquot incubuiſſe, nec multis, antequam ſatis ceſſit diebus abſolviſſe." G.

EJUSDEM

PRÆFATIO PRIOR,

SIVE

INSTITUTI OPERIS RATIO.

In hoc Commentario Veterum Scholiorum Reliquiæ, quas, tanquam Tabulas e naufragio, ſumma cum diligentia, ex imperitis rudioris ævi compilatoribus collegimus, merito ſuo facem præferunt. Abſque his foret, vel eruditiſſimi in multis fruſtra deſudaverint; quinimo in plurimis plane cæcutire deprehenduntur. Sunt iſta ſane et lacera et fœde interpolata, dum ſplendida Acronis atque Porphyrionis nomina præ ſe ferunt. Forſitan tu quæras, quid ego de his ſentiam: rem omnem paucis expediam. Pomponius Porphyrio, homo doctus atque diligens, incertum quo ævo, ſtante certe deorum cultu, Helenii Acronis, vetuſti Grammatici, forſan etiam aliorum fuſiora Commentaria, in breve compendium redegerat: Magiſtri Librarii ſequioris ævi hunc itidem compilavere; quorum in numero cum Pſeud-Acrone et Pſeudo-Porphyrione, Cruquianus Interpres nominandus venit; etſi hic quidem ſit cæteris multis in rebus et plenior et purgatior. Poſt hos Recentiorum præcipuos adivimus; præſertim vero Lambinum, Cruquium atque Torrentium, tria Horatii lumina. Lambinus πολυμαθία atque diligentia mirus; Cruquius apprime doctus ingenioque præcipuus; Torrentius et probus et judicii plenus, pulcherrimiſque rebus ubique refertus: omnes in conferendis ſcriptis codicibus diligentiſſimi. Cruquium fere per omnia ſequitur in luculenta ſua Paraphraſi Lubinus; hunc iterum excerpſit noſter Bondius. Superiore etiam ſæculo Chriſtophorus Landinus plurima acute protulit. Erat et Antonius Mancinellus homo diligens et multæ lectionis, ut vere de eo Glareanus cenſuit: ſolas tamen Odas, quod quidem ſcimus, hic interpretatus eſt. Antonius Muretus pauca commentatus eſt, ſed plane aurea. Henricus Stephanus feliciter limam ſuam ad-

movit. Cæteri vel hoc uno laudandi, quod tantum ſcriptorem adamaverint, curaque ſua dignum exiſtimaverint. Heinſio non defuit doctrina, ſed Horatianus genius. De Scaligero mallem Andream Dacerium audires: *Ce ſçavant homme à été malheureux*, inquit ille, *dans tous les endroits qu'il a blamé, et de tous ſes Critiques, il n'y a pas une juſte.* Juſtiſſima ſane cenſura, tantoque viro digna. Tanaquillo Fabro cæteri mortales *Acriſia proles* videntur, in ipſius tamen notulis ὐδὲν ὑγιές. De ipſo Dacerio qui Gallice ſciunt melius judicabunt: quare Petrum Rodellium audies, virum non ineruditum de Societate Jeſu, qui nuper pauca, ſed bona in Horatium conſcripſit: *Judicet æquus lector et videat*, inquit ille, *malitne in iſto Interprete fidem an diligentiam deſiderare.* De me ipſo autem, ſiquid et mihi poſt tantos viros humanitus acciderit, quod certe fiet, ignoſcent ingenui, et laudabunt diligentiam, etiam ubi defuiſſe videbitur ſucceſſus. Nihil moror ſciolos, moroſulos et vultuoſos: his enim, ſatis ſcio, placebit nihil, niſi quod diſplicebit; nam ſola rimabuntur vitia: etſi et hoc propemodum humanum vitium ſit:

> Diſcit enim citius meminitque libentius illud,
> Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

Æmulos ætas noſtra multos habet, amicos paucos, invidos plures, qui omnia inanis arrogantiæ cauſa ſibi aſſumunt, et ne parum multa ſcire videantur, ea damnant, quæ penitus ignorant. Jacobus Gutherius de Jure Manium.

Q. HORATII FLACCI

VITA,

A SUETONIO TRANQUILLO CONSCRIPTA.

QUINTUS Horatius Flaccus Venuſinus, patre, ut ipſe quidem tradit, Libertino, et * Exauctionum Coactore, ut vero creditum eſt, Salſamentario; cum illi quidam exprobraſſet, *Quoties ego vidi Patrem tuum brachio ſe immungentem* †*!* Bello Philippenſi, excitus a M. Bruto Imperatore, Tribunus Militum meruit; victiſque partibus, venia impetrata, ‡ Scriptum Quæſtorium comparavit; ac primo Mæcenati, mox Auguſto in gratiam inſinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit ſatis teſtatur illo Epigrammate,

Ni te viſceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum ſodalem,
§ Minno me videas ſtrigoſiorem.

Sed multo magis, extremis Eſquiliis ‖ tali ad Auguſtum ¶ Eclogio;

Horati Flacci ut mei eſto memor.

Auguſtus Epiſtolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Mæcenatem ſcripto ſignificat; *Ante ipſe ſufficiebam ſcribendis Epiſtolis Amicorum; nunc occupatiſſimus et infirmus, Horatium noſtrum te cupio adducere. Veniet igitur*

---

* Ita legendum cenſeo, pro eo quod erat *Exactionum*. Cur non poſſit finita et peracta Auctio dici *Exauctio*, uti *Exædificatio* perfecta ædificatio, et *Exconſul* functus Conſulatu? *Vide ad Sat.* 1. 6. 87.

† *Emungentem* al. G.

‡ Cicero in Verr. clare oſtendit cuivis e Libertinis nonnullis corrogatis Decuriam Scribarum emere licuiſſe.

§ Pro *Hinno* Petrus Nannius edidit *Mimo*, de quo nos fecimus *Minno*: eſt autem *Minnus*, vel *Minus*, ovis ventre glabra, *Feſto* a Græco ἄπτυχος *Apica* dicta. Noſtri dicerent, MORE HAGGER THAN A PEEL'D EWE. BAXT. *Titii Sodalis Ginno* Gronovius, ut ludatur in aliquem vicinum vel notum, *Titium* ſtrigoſo mulo vehi ſolitum. GESN.

‖ *Eſquiliis* nemo alius, quod obſervarim; ſed vel *judiciis*, vel ſimpliciter *extremis*. *Eſquiliis* forte huc irrepſit ex fine hujus Vitæ, de monumento Horatii. GESN.

¶ Pro *Elogio* reponendum duxi *Eclogio*, de qua voce vide Eruditiſſimum Jacobum Gutherium, De Jure Manium.

ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam, et nos in Epiſtolis ſcribendis adjuvabit. Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam, aut amicitiam ingerere deſtitit. Exſtant Epiſtolæ, e quibus, argumenti gratia, pauca ſubjeci. *Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam ſi convictor mihi fueris: quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valitudinem tuam fieri poſſit.* Et rurſus: *Tui qualem habeam memoriam poteris ex * Septimio quoque noſtro audire: nam incidit ut coram illo fieret a me tui mentio. Neque enim ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreviſti, ideo nos quoque ἀντυπερφανῆμεν.* Præterea ſæpe eum inter alios jocos *putiſſimum penem*, et *homuncionem lepidiſſimum* appellat, unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus uſque adeo probavit, manſuraque perpetuo opinatus eſt, ut non modo Sæculare Carmen componendum injunxerit, ſed et Vindelicam Victoriam † Tiberii Druſique Privignorum ſuorum; eumque coëgerit propter hoc, Tribus Carminum Libris ex longo intervallo Quartum addere; poſt Sermones vero lectos quoſdam, nullam ſui mentionem habitam, ita ſit queſtus: *Iratum* ‡ *me tibi ſcito, quod non in pleriſque ejuſmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris ne apud poſteros infame ſit quod videaris familiaris nobis eſſe?* expreſſitque Eclogam § cujus initium eſt;

Cum tot ſuſtineas et tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Cæſar.

Habitu corporis brevis fuit atque obeſus; qualis et a ſemet ipſo in ‖ Satyris deſcribitur, et ab Auguſto hac Epiſtola; *Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ne accuſem brevitatem, quantuluſcunque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui ſint, quam ipſe es. Sed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum non deeſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas, cum* ¶

* De Septimio iſto vide quæ diximus ad Epiſtolam 9.

† Vid. Od. 4. 4. et 14. GESN.

‡ *Iraſci* al.

§ *Elogium* al. male, puto. Eſt autem Ecloga ſ. Epiſtola libri ſecundi prior. GESN.

‖ Hinc conſtat et Epiſtolas fuiſſe olim pro Satyris. BAXT. Reſpicere enim videtur Epiſt. 1. 4. extr. GESN.

¶ Nemo, quod ſciam, neque quærit, neque docet, quid ſit in *ſextariolo ſcribere?* Nam quod jubent correpere cum ſuo aqualiculo poetam intra ſextariolum, tanquam in lecticam lucubratoriam, ſive *Cabinetum*, ut hodie vocamus, et ibi contractis pedibus ſcribere, Angli juvenes, quorum deinde affectatio Bentleii commemorabitur, illos riſum quærere apertum eſt. Cæterum hæc videtur eſſe epiſtolæ ſententia. Humaniſſime accuſat Auguſtus brevitatem libri Horatii, eoque ipſo indicat, ſe lectione illius non ſatiatum. Jocoſe autem impingit Flacco brevitatis illius conſilium, vereri illum, ne ſe ipſo majores ſint libri, quos ederet. Addit, ſi velit poeta volumina facere ſui ſimilia, debere illa non longa quidem eſſe (cogita hic, lector, volumen in bacillo ſuo vel longo vel brevi convolutum), ſed tamen craſſiuſcula. *Itaque licet* pro illo bacillo, cui involvitur charta, adhibere ſextariolum, cylindrum brevem ſed proportione craſſum, (ut ſi axim æquet vel ſuperet adeo diametros, quod in menſuris parvis liquidorum, magis etiam aridorum, ſolenne eſt) QUO (ita legendum pro *cum*, quod ortum videtur ex *quom* in quod *q* *uo* primum forte corrupta eſt) h. e. UT *circuitus tui voluminis* propter illum cui involutum eſt ſextariolum, ſit tumidiſſimus, *ſicut eſt* circuitus *ventriculi tui*. GESN.

circuitus voluminis tui ſit ὀγκωδέστατος, ſicut eſt ventriculi tui *. Vixit plurimum in ſeceſſu Ruris ſui Sabini, aut Tiburtini, domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas et Elegi ſub ejus titulo, et Epiſtola proſa oratione quaſi commendantis ſe Mæcenati; ſed utraque falſa puto. Nam Elegi vulgares; Epiſtola autem obſcura, quo vitio minime tenebatur. Natus eſt VI. Id. Decembris, L. Cotta et L. Torquato Coſſ. Deceſſit V. Kal. Decemb. C. Marcio Cenſorino et C. Aſinio Gallo Coſſ. poſt † nonum et quinquageſimum annum, hærede Auguſto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas Teſtamenti tabulas. Humatus et conditus eſt extremis Eſquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

HORATII VITA

IN ALIO EXEMPLARI BREVIUS DESCRIPTA.

QUINTUS Horatius Flaccus Libertino patre natus in Apulia, cum patre in Sabinos migravit, quem cum pater puerum Romam miſiſſet in ludum literarium, parciſſimis eruditus impenſis anguſtias patris vicit ingenio, coluitque adoleſcens Brutum, ſub quo Tribunus militum civili bello militavit, captuſque a Cæſare, poſt multum tempus beneficio Mæcenatis non ſolum ſervatus, ſed etiam in amicitiam receptus eſt. Quapropter Mæcenati et Auguſto in omnibus Scriptis ſuis venerabiliter aſſurgit. Scripſit Carminum Libros quatuor, Epodon unum, Carmen Sæculare, Sermonum II. Epiſtolarum II. De Arte Poetica I. Commentati ſunt in illum Porphyrion, Modeſtus, Helenius Acron; optime omnium Acron.

* Quæ hic omittuntur a neſcio quo nebulone infarcta ſunt; neque enim ſolum inhoneſta, verum etiam deridicula, et ἀσύστατα videntur. *Dacerius* etiam prudens omiſit.

† Rutgerſius ex Euſebiano Chronico repoſuit *Septimum*; Chronographi diſpiciant.

W. BAXTERI

JUDICIUM DE HORATIO,

ATQUE EJUS SCRIPTIS.

De Horatii gente nihil conſtat, niſi fuiſſe eum quod et ipſe prodit, Libertini generis et patria Venuſinum; crediderim etiam et domo Græcum, quod nuſquam Romano more in Græculos deſæviat, imo quandoque eos collaudet, et vel Romanis ſuis anteferat. De ſcriptis ejus inpræſentiarum hæc habeto. Omnes qui Muſis litare ſtudent, ſua mella e veterum ſcriptis excerpere debent. Maro igitur et Flaccus noſter, qui hoc fecere, pro liberali ſuo ingenio, furta ſua palam profeſſi ſunt, dum imitata ſua poemata Eclogas inſcripſere:

——— Ego apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas, operoſa parvus
Carmina fingo.

Atque hinc factum eſt, quod ex eo tempore quævis brevia poematia, auctore Vetere Interprete, Eclogæ dicerentur: cum proprie Ecloga Ἀνθολογία ſit, ſive florum delectus, pictuſve faſciculus, ut vel ad Tonantium ſignificat Apollinaris:

Vernans per varii carminis Eclogas
Verborum violis multicoloribus.

Quin et Julii Flori Satyrographi, prodente eodem eruditiſſimo Scholiaſte, exſtabant Electæ ex Ennio, Lucilio et Varrone. Denique nova Comœdia, auctore Cruquiano Interprete, Ἐκλεγομένη ὑπωνομάζετο, quod optima quæque (ut puto) e veteri Comœdia in uſum ſuum delegerit *. Illud autem in hoc

* Obſervat F. Urſinus Virgil. illuſtr. p. 3. *Eclogas* dici in vetuſtis Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, quæ alias ſint Satyræ Horatii. V. Commentator Cruq. ad Serm. 2. 1. 1. ——— Ecloga *hæc omnia ſub ſe continet: ſi ad Jovem* Proſodia *dicuntur, ſi ad Apollinem, Dianam, aut Latonam*, Pæanes; *ſi ad Liberum aut Semelem*, Dithyrambi; *ſi ad cæteros Deos* Hymni; *ſi ad homine laudandos, vituperandos, reprehendendos, lugendos*, Odæ *ſunt et* Eclogæ: *ſunt enim brevia Poem*
Gesn.

vate vel præcipue laudandum duco, quod cum ipſe ſit et lingua liber, et ſuperſtitioni maxime adverſus, nuſquam tamen publica ſacra lædat; nuſquam viros illuſtres in os proſcindat; nuſquam ingenuas fœminas in publica traducat facie, quarum et veris nominibus ſemper parcit; nunquam projecte loquatur, niſi apud anum et turpem; excepto quod in Satyra ſecunda Luciliana licentia ex occaſione uſus ſit. In Odis autem Alcæum et Sappho imitatus eſt potiſſimum; in Epodis Archilochum, et in Sermonibus Veterem Comœdiam, magis quam Lucilium. In Odis ſublimi charactere uſus eſt, et nonnunquam florido et amœno; in Epodis humili; et in Sermonibus comico et civili; niſi quod in Epiſtolis, accedente jam ſenectute, omiſſo ut plurimum ludo et joco, ad Philoſophicum vultum, uti decuit, ſeſe compoſuerit. Artem Poeticam comico, hoc eſt, Satyrico ſtilo conſcripſit. Satyra hæc eſt in ſui ſæculi poetas, præcipue vero in Romanum Drama. Eſt autem Horatiana Satyra Comica, Juvenalis Invectiva ſive Tragica, Perſiique mixta. Pompeianarum partium initio fuerat, et, ut videtur, ſecta Stoicus: verum ſub Auguſto, patrocinii et dulcis lucelli gratia, ſententiam ſuam vel immutavit, vel vafre diſſimulavit, Academicum ſe profeſſus, et partium medium, nonnunquam etiam plane Epicureum.

POSUIT BAXTERUS DEINDE
DUORUM VETERUM DE HORATIO JUDICIA.

QUINCTILIANI, IO. I. 96.

Inter Lyricos ſolus fere dignus eſt legi Horatius quoniam et inſurgit aliquando, et plenus eſt jucunditatis et gratiæ, variiſque verbis et figuris feliciſſime audax *.

Fragmentum Hendecaſyllaborum Cilnii Mæcenatis in obitum Horatii, quod apud Iſidorum † eſt, ita reſtituit Janus Douſa.

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaſpios lapillos.

Utinam cætera non deſiderarentur.

* Hunc Horatii charactera non cogitant, qui quoties aliquid offertur, quod ipſi non capiunt, urere et ſecare conantur. Gesn.

† Orig. 19. 32. Sed vid. omnino J. H. Meibomii Mæcen. c. 25. Gesn.

METRA HORATIANA.

CH. WASE AMBROSIO BONWICKE.

S. S.

Amissos tot magni inter Græcos nominis Lyricæ Poesios auctores, unus nobis Horatius facit, ut lenius desideremus. Placuit igitur seculis ingenii felix, numeris curiosus. Horatiana certe metra Diomedes et Marius Victorinus, præter Plocium et Atilium Fortunatianum, ex professo posteris explicata reliquerunt. Specimen eorundem in brevem tabellam conjectum continenti carmine Petronius, quisquis is fuit (nam alios ejusdem nominis alia ætas tulit), in vulgus edidit. Ad istud exemplum magistri, quorum disciplinæ origo mihi tecum communis fuit, quod septimanis mutato titulo, nos tirones ad multijugam Lyræ Latinæ modulationem exercuerunt. Ita velim hoc nomini tuo inscriptum accipias, ita tuearis, non tanquam aliquod magnum aut novum, sed ut indignum quod in desuetudinem abeat, cum in se tantum habeat compendii. Tuum erit vicem *Pasiphaes* substituere, *Daphnen*, *Phaethonta*, *Cadmum*. Quantum argumenti veri aut fabulosi eminet, materiam suppeditabit; modo ne desit afflatus: Ultro rapiet ad se generosam urbanæ juventutis indolem, ni fallor, artifex pagina; quo rectius ad Dithyrambum contendant. *Vale.*

PASIPHAE.

Notæ Marginales.	D. *Dactylus.*	S. *Spondeus.* T. *Trochæus.* I. *Iambus.* J. *Ionicus a minori.*
DS	1	Filia Solis
DD-	2	Æstuat igne novo;
SDS	3	Et per prata juvencum
SDD	4	Mentem perdita quæritat.
SDDS	5	Non illam thalami pudor arcet,
SDSSDS	6	Non regalis honos, nec magni cura mariti.
TST-	7	Optat in formam bovis
SISI	8	Convertier vultus suos:
SISI-	9	Et Prœtidas dicit beatas,
IISII-	10	Ioque laudat, non quod Isis alta est,
SISISI	11	Sed quod juvencæ cornua in fronte erigit.
SD-DD	12	Siquando miseræ copia suppetit
TSDTT	13	Brachiis ambit fera colla Tauri,
SI-DD	14	Floresque vernos cornibus illigat,
DDTT	15	Oraque jungere quærit ori.
SD-D-DD	16	Audaces animos efficiunt tela Cupidinis
DTT	17	Illicitisque gaudet
TSD-DTT	18	Corpus includi stabulis se faciens juvencam.
JJJ	19	Et amoris pudibundi malesuadis
DSSDTTT	20	Obsequitur votis, et procreat, heu nefas! bimembrem.
DD-SISI	21	Cecropides juvenis quem perculit fractum manu,
SISIDD-	22	Filo resolvens Gnossiæ tristia tecta domus.

1. *Adonium, Adonidium;* Plocius adducit in exemplum Ὦ τὸν Ἀδωνιν. Dicitur Epodos quia ſubjicitur Sapphicis, apud Horatium, ternis: Anapæſtis apud Senecam, quotenos res tulerit. Heroici Κόμμα ληκτικὸν vel τελικόν. *Dimetrium ex inferiori parte Hexametri.* Diomedes Metr. Horat. l. 1. O. 10. nominari perhibet *nicen celicon climeteon;* corrupte, quantum auguror, ex ἐπικὴν τελικὴν Διμοιρίαν. *remoto* Hexametri *beſſe, reliquum trientem. Nota.* Verſus certis pedibus alligati, qui *Monoſchematiſti* audiunt, per ſyllabas numerari patiuntur: unde *Sapphicum pentaſyllabum* vocatur. Muſicis Choriambicum monometrum hypercatalectum.

2. *Archilochium heptaſyllabum* conſtat ex *baſi* vel *Dipodia Dactylica* cum ſemipede. Dimetrum Dactylicum hypercatalectum. *Cæſura ex ſuperiori parte Hexametri Penthemimeres.* Subnectitur Hexametro. Carm. l. 4. Ode 7.

3. *Pherecratium* ab inventore. Pherecrates in Coriano.

Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν
Ἐξευρήματι καινῷ
Συμπτύκτοις ἀναπαίστοις.

Plocius *Monoſchematiſtum* vocat: habet enim pedes in eodem ſitu invariabiles; ut qui juxta Grammaticos duobus hinc inde Spondeis Dactylum ſemper interjiciat medium: unde et *Heptaſyllabum* fieri neceſſe eſt. Quod addit idem alios *Symptyčton*, alios *Anapæſticum* dicere, vereor ut alterutri quid ſibi velint, ſatis intellexerint: nec enim Pherecratis verba de *pede Anapæſto* ceperim: cum Hephæſtion *Metricus* Pherecratium *Hephthemimeres Antiſpaſtico* generi vindicet, ita ſcilicet patitur ut Epitritum quartum complicet, cum Epitrito primo cujus ultima deficit. Δικατάληκτον vocat et ἀσυνάρτητον κατὰ ἀντιπάθειαν quia *Trochaicam protomen* claudit *Iambica catalexis:* cum hæ *conjugationes* ſibi mutuo *adverſentur. Seſquiſeptenaria* clauſula dicitur quod tribus diſſyllabis pedibus biſectis accedat ſemipes. Ἀνάπαισις hic id valere videtur quod in Ionicis Ἀνάκλασις. Pes enim ſeptem temporum cum pede quinque temporum ſimul ſumti puncta conficiunt duodecim: ut *Dimetrum*, quamvis ſyllaba deficiat, tamen per hanc *Epiplocen* velut ex repercuſſione juſtos abſolvat numeros. Poſt Aſclepiadea bina ponitur ſequente Glyconio. L. 1. Od. 5. 14. 21. 23. et L. 3. Od. 7. 13.

4. *Glyconium Octaſyllabum*, duobus Dactylis Spondeum præjacit. Locum ſortitur apud Horat. vel ante ſingula Aſclepiadea, vel poſt bina cum Pherecratio, vel denique poſt terna. *Hemiepos* dicitur. Animadvertas licet *Glyconium Pherecratio præmiſſum conficere Priapeium*, quomodo Catullus.

Hunc lucum tibi dedico conſecroque, Priape. VIRGIL.
Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos?

5. *Tetrametrum Dactylicum.* Si deſinit in Spondeum *Archilochium;* ſin in Dactylum, *Alcmanium.* Hexametri Κόμμα ἀρκτικὸν. ex parte ſuperiore

verſus. ἡμισυ ἕπος, Pes Hexametri. *Bucolica tome*, in Tetrametrum Alcmanium Paſtorale carmen Theocrito, quam Virgilio frequentius cæditur. Poſtponitur Hexametro. L. 1. Od. 7. 28. Epod. 12.

6. *Heroicum; Epos.* L. 1. Od. 7. 28.
Præmittitur Tetrametro Heroico Epod. 12. Penthemimeri Dactylico. L. 4. Od. 7. Iambico Dimetro. Epod. 14. 15. Trimetro puro. Epod. 16. Horatiano ſeu Archilochio compoſito ex Iambico Dimetro et Penthemimeri Dactylico. Epod. 13.

7. *Trochaicum* vel Choricum *Dimetrum Catalecticum.* Ἀρχύθιον Euripidium. *Complementum Penthemimeris Iamb. ad Trimetrum.* Præponitur Iambico Trimetro Catalectico. Carm. L. 2. Od. 18.

8. *Dimetrum Iambicum.* Succinitur Trimetris. unde Epodi nomen inprimis. Epod. a. 1. ad 10. idem Hexametris, Epod. 14. 15. Nota *Dimetrum Trochaicum Catalecticum* ſi connectas cum *Dimetro Iambico Acatalecto*, exhibet *Septenarius Trochaicus*, qui eſt verſus *Comicis* perquam familiaris.

9. *Alcaicum. Iambicum Dimetrum Hypercatalectum.* Enneaſyllabum in Alcaico carmine tricolo tetraſtropho tertiam ſedem ſemper obtinet.

10. *Iambicum trimetrum catalecticum Hendecaſyllabum* bis apud Horatium reperitur. L. 1. Od. 4. Subjunctum verſui compoſito ex Bucolico et Ithyphallico: L. 2. Od. 18. Trochaico Dimetro Catalectico pariter ſubjectum.

11. *Archilochium Iambicum Trimetrum Acatalectum.* Iambus per ſe facit canticum ad Canidiam et Palinodiam; alibi Trimeter Dimetro præmittitur, Epod. a. 1. ad 10. aut Heroo purus ſubjungitur, Epod. 16. aut denique prætenditur Horatiano ſeu Archilochio compoſito ex Penthemimeri Dactylico et Iambico Dimetro. Epod. 11.

12. *Aſclepiadeum Dodecaſyllabum;* ipſum cantilenam abſolvit. L. 1. Od. 1. Glyconium ſubſequitur. L. 1. Od. 3. &c. terna præcedunt Glyconium. L. 1. Od. 6. &c. bina ſibi aggregant Pherecratium cum Glyconio. L. 1. Od. 5. et ſæpius.

13. *Sapphicum Hendecaſyllabum:* unius omnino figuræ quarto clauditur Adonio: paſſim.

14. *Alcaicum Hendecaſyllabum:* ubique ſibi par conſtat ex Penthemimere Iambica et baſi dactylica. Prima combinatio eſt ſex ſeptemve temporum. Bina Hendecaſyllaba ducunt. Enneemimeres Iambica ſequitur.

15. *Alcaicum Decaſyllabum* cogit agmen. Hanc carminis complexionem Horatius inprimis celebravit.

16. *Phalæcium Antiſpaſticum Tetrametrum.* Ratio cur hoc nomine inſigniatur eſt ex Canone. Epitritus 4. Antiſpaſt. Antiſpaſt. Diiambus. Nos autem id agimus ut, quod fieri poteſt, intra triſyllabos pedes ſubſiſta-

mus; quare *verſum heccaedecaſyllabum* per duas Cæſuras Penthemimere et Triemimere carpimus, donec in Baſin Dactylicam deponatur. Lib. 1. Od. 11. L. 4. Od. 10.

17. *Alcaicum* vel Anacreontium *Dimetrum Heptaſyllabum*. Quodcunque metrum conſtat ex Dactylis et Trochæis, *Logaœdicon*, id eſt, *Proſometrum* appellatur; eo fortaſſis quod Aſiatici Oratores orbem verborum ditrochæo libenter claudebant: alias ex Choriambo et Bacchio. Lib. 1. Od. 8.

18. *Sapphicum Hephthemimeres* cum ſuprapoſito *Alcaico Dimetro*. Superior verſus cum hoc ſic conjungitur apud Horatium. Verior metiendi ratio eſt per Epitritum, vel Hippium ſecundum, duos Choriambos et Bacchium, *Alcaicum Pentecaedecaſyllabum* dicitur. L. 1. Od. 8.

19. *Ionicum a minori Trirrhythmum Acatalectum* binis trirrhythmis ſubjungitur tetrarrhythmum. L. 3. Od. 12.

20. *Archilochium* compoſitum ex *tome Bucolica* quod eſt *tetrametrum Dactylicum*, et *Trochaico Dimetro Brachycatalecto*, quod *Ithyphallicum* dicitur. Subjectum ſibi habet Iambum trimetrum catalecticum. L. 1. Od. 4.

21. *Archilochium* compoſitum ex Penthemimeri Epico, et Iambico Dimetro. Obſervatu dignum Metra quæ Dactylicis Iambos apponunt, *Encomiologica* dici. Poſtponitur Iambo trimetro. *Elegiambus* appellatus Epod. 11.

22. *Archilochium* compoſitum ex Iambico Dimetro et Penthemimeri Epico. Sequitur Hexametrum. *Iambelegos*. Epod. 13.

Q. HORATII
FLACCI
CARMINUM
LIBER PRIMUS.

ODE I.

AD MÆCENATEM.

Horatius semistoicus, quo novum et leve Carminis genus apud severos excuset, fatetur se cum cæteris mortalibus insanire. (Est autem hæc velut præfatio libri. G.) Alii aliis delectantur studiis; ego vero, si a Mæcenate inter lyricos relatus fuero, h. e. si carmina hæc mea probata fuerint Mæcenati. Z.

METRUM CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

Mæcenas atavis edite regibus,
O et præsidium, et dulce decus meum,
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis 4

VARIETAS LECTIONIS.

1 Regiis *Brod.*—2 O desiderium et d. d. m. *laudat Turnebus Adv. XXVI. 7. ut dubium sit, emendare voluerit, an memoria deceptus sit.* C.—3 Olympium *conj. Cuning.*

1 Erat enim, si Veteri Scholiastæ fides, Porsenæ affinis, adeoque a veteribus Hetruriæ Lucumonibus, sive Regibus, originem suam duxit. *Dicitur contempsisse senatoriam dignitatem, mansisse autem semper in equestri ordine.* Vet. Schol. B. Cf. infra III. Od. 29. 1. Sat. I. 6. 1. Propert. III. 9. 1. Vellei. II. 88. Z.

2 *Præsidium*, quia Patronus; *Decus*, quia Augusti gratia potens. *Insigne mœstis, præsidium reis.* Lib. II. Od. 1.

3 *Curriculum* nunc pro stadio accipiendum, non pro curru, quod nonnulli putant.

4 *Omnis certantium labor in circumagendo ad metam.* Torrentius. Sic et Homerus Iliad. Ψ.

Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die

6 Evehere *conj. Bentl.*—7 Nobilium *Brod. Gott. a manu prima. it. collat. Sax.*—8 Certet *MSS. duo Bersm.* C.—10 Vertitur *MS. Bersm.* C.—13 Demoveas *conj. Lambini.* Z. —15 Icareis *Glarean.*—17 *Pro* rura, tuta *conj. Acidal. ad Vellei. II.* 110. 1. *probant Gronov. et Bentl.*

340. λίθῳ δ' ἁλίεσθαι ἑκατὸν ἐτῶν, Μή ποτε ἵστατό τι πρώονος κατὰ δ' ἄκμονα ἄξῃ.

5 Non opus est plena distinctione ad *palmaque nobilis*, quod putavit vir magnus Janus Rutgersius.

6 *Terrarum dominos* simpliciter Deos hic vocat: de Græcis studiis loquitur, apud quos ad Deorum fastigium evehi sibi et præconibus suis videbantur certaminum sacrorum victores. Conf. mox v. 30. *DIs miscent superis.* G. Igitur perperam Baxterus aliique intelligunt Romanos, quos Virgilius *Rerum dominos* vocat. Z.

7 *Hunc*, intellige *juvat*, vel *ad Deos evehit.* Infinitum et nomen eodem verbo juncta, ut mox v. 20. ut Car. 4. 1. 29. *Me nec femina— nec certare* juvat *mero.* cf. Epist. I. 17. 33. G. Suaviter *turba Quiritium*; siquidem antiqua Quiritium appellatio honoratior; uti nostris hominibus Britannorum.

8 *Tergemini* sunt, ubi tres uno partu eduntur; estque Dativus pro Accusativo; et *Finitus numerus pro infinito.* Vet. Schol. B. Igitur *ter geminis honoribus tollere* est ad multiplices honores extollere et provehere. Neque tamen displicent, qui Ablativum malunt, et *ter geminos honores* volunt esse ædilitatem, præturam et consulatum. G. Sententia poetæ videtur hæc: Hic se putat beatum, si populus Rom. cujus in comitiis favor est inconstans, eum certatim ornat summis et amplissimis honoribus. Z.

9 Vocibus *proprio* et *patrios* inest ἦθος avari hominis. *Gaudentem*; h. e. quod gaudeat; est enim Αἰτιατικόν.

10 *Quidquid*, i. e. omne genus, et quantum, proportione habita, si agri illius æque feraces sint, ac Byzacenus ille, de quo Plin. 17. 5. *Centena quinquagena fruge fertilis campus.* Sic Ser. 2. 3. 87. *Frumenti quantum metit Africa.* G.

11 *Sarculum* Græcis Σκαφίον, et Σκαλίδιον, A Howe; alii Μάκελλον dicunt. B.

12 *Attalicis cond.* h. e. Attali, seu maximis divitiis propositis. Z.

13 Neque ab æneis clavis, neque a nautica materia *trabem Cypriam* nominavit Poeta; sed a Cypriis mercibus: *Ne Cypriæ Tyriæque merces Addant avaro divitias mari*, Lib. II. Od. 29.

14 *Nautam* per Ἐντικισμὸν mercatorem dicit; et *fecet* pro *trajiciat*, quomodo Anacreon meus, τὸ πρῶτα τίμνει. B.

Baxterus respexit forte ad Anacr. 35. 6. τὸ κῦμα τίμνει. G.

16 *Metuens* reduplicative sumendum, quatenus, quam diu metuit. G.

20 Posterius *nec* dicitur pro *et non. Scilicet ut non intermittat, sed continuet lætitiam totius diei.* Vet. Schol. *Vinoque diurno Placari Genius fes-*

Spernit, nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.
Multos caſtra juvant, et lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata. Manet ſub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor;
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dîs miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Leſboum refugit tendere barbiton.
Quod ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera vertice.

24 Permixtus *MSS. Berſm. ſed repugnante conſuetudine Horatii.* Z.—25 Deteſtanda *legit Lactantius ad Statii Theb. III.* 377. C.—30 Diis *vulgo: ſed metrum poſcit ſcripturam MS. Anhalt.* Z.—33 Prohibet *Brod.* neque Polymnia *codd. Aldi, male.* Z.—35 Inſeres *codd. duo Bland. et Carr.* C.

tis impune diebus. De Arte Poet. 209. Hoc ſequentia ſatis probant. Sic et Homerus ſcribit et deos convivatos fuiſſe, πρώτην ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα. B. Eſt igitur ſententia, Et ne parte quidem demta, vel excepta, totum ac ſolidum diem impendere voluptati atque otio. G. Imo ſenſus eſt, ut dudum Lambinus vidit: *Alius delectatur valde vino optimo vetere, et beatum ſe putat, ſi diei integri, quem alii in rebus agendis conſumunt, partem conſumit bibendo.* Ergo, *demere partem de die ſolido*, eſt idem quod infra II. 7. 6. *diem morantem frangere mero.* Z.

23 *Litui acutus eſt ſonus, tubæ gravis: inter lituum et tubam hoc diſtare inveni: Lituus equitum eſt et incurvus; tuba vero peditum et directus.* Vet. Schol.

25 *Manet*, pernoctat.

28 *Plagæ* funes ſunt, quibus retia tenduntur, prodente Servio. B. *Rupit plagas*, alii interpretantur *perruptis plagis evaſit*, alii, *irruit in plagas, ut evaderet.* Z.

29 Quod placet quibuſdam viris doctis, *Te doctarum* cet. ut ad Mæcenatem referatur, nec librorum ſuffragium habet, et exigua laus eſt in Mæcenate poetica facultas, inſuperque falſa. Vid. Meibom. Mæc. c. 23. Sed de ſe paſſim talia prædicat Horatius, præſertim Carm. 3. extr. *Exegi monumentum*, etc. G. Ergo, ſi *me* eſt vera lectio, ſenſus eſt: *Me maximopere delectat corona hederacea, qua frontes poëtarum ornantur, item ſolitudo et nemus opacum, quo quidem loco ſolent eſſe Nymphæ et Satyri ſaltantes; ſi Muſa me compellunt ad Odas faciendas.* Z.

31 *Aſcripſit Liber Satyris Faunisque Poetas.* Ep. 19. Lib. I.

33 Soſipater et antiquiſſimi Cruquii Codd. habent *Polybymnia* non *Polymneia*, quod nonnulli volunt.

34 *Barbiton, Lyra ſeptichordis eburnea.* Vet. Schol. *Leſboum* autem ob imitationem Alcæi atque Sapphus.

35 Longe ſuavius eſt *inſeris* in Præſenti, quam Futurum *inſeres*.

36 Rurſus Dilogia uſus eſt. q. d. et divus fiam et inſaniam; et imitatus eſt Theocritum; Εἰς αἰθέρα θυμὸν ἀλιτῦμαι—*Cæcus amor ſui, et tollens vacuum plus nimis gloria verticem.* Od. 18. Lib. I. B. De magna felicitate Ovid. 1. 210. *Et tetigit ſummos vertice Roma Deos.* G.

ODE II.

AD AUGUSTUM CÆSAREM.

Poeta incertum se dicit, quis Deus sub humana Augusti specie Divi Julii necem vindicaverit. (Non potuit Horatius invocare deum ultorem necis Cæsarianæ, miles ipse Bruti: sed blanditur Augusto post bella civilia reddenti tranquillitatem: et pertinet forte, quod pulchre conjecit Sanadonus, neque Bentleianis rationibus repugnat, ad illud ipsum tempus, quo Augusti nomen, quod habet vetus inscriptio hujus carminis, suscepit. Vid. Dio 53. 20. p. 510. C. et quæ dicentur ad v. 29. G.)

METRUM SAPPHICUM; QUARTUS VERSUS ADONIUS.

Jam satis terris nivis atque diræ
Grandinis misit Pater, et rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ:
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes:
Piscium et summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis:
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.

1 *Pro* terris *Heinf. conj.* tetræ, *quod placet Burm. ad Serv. Æn.* 3. 589. *no.* 97.—4 Orbem *Bred.*—7 Dum *MS. Berfm.* C.

1 *Diræ* dicitur in prodigio, quod ira divina est immissum: erat haud dubie grando multa et magna. Z.

2 *Rubente dex.* h. e. fulmine quod mittit dextra. Z.

3 *Arces.* Summa quæque appellantur Græcis ἄκρα.

5 *Grave* dicimus et oculis et animo: per Tralationem ab eo quod humeris grave est.

6 *Sæculum Pyrrhæ*, uxoris Deucalionis, quæ interfuit eluvioni nobilissimæ. Quas ineptias vocat Seneca Nat. 3. 27. in Ovid. Met. 1. 304. *Nat lupus inter oves*, &c. eas metuo ut satis effugerit hic Flaccus. Vid. tamen Vet. Schol. ad v. 9. G. *Nova* jam dicuntur, nunquam hactenus visa.

7 Virg. Georg. 4. 395. de Proteo: *Immania* Neptuni *armenta pascit.* G. *Pecus* convenienter dixit: erat enim Proteus (juxta Veterem Schol.) *beluarum marinarum pastor.*

9 Hunc locum imitatus est Naso Met. 1. 296. *Hic piscem summa deprendit in ulmo. Leviter in re tam atroci et piscium et palumborum meminit, nisi quod hi Excessus Lyricis concessi sint.* Vet. Schol.

10 *Columbis* locum in arboribus, et hic adeo, negant Critici post Bentleium, et *palumbis* substituunt. At generis nomen est *columba*, quo et *palumbes* et *turtures* comprehendi possunt, quibus in arboribus sedes esse nemo negat. Ita *palma frequentatur columbarum nidis* apud Sueto. Aug. 95. Vet. Scholiastes *palumbes* speciei nomine declarat. Vid. Plin. 10. 34. et 35. Sic Virg. Æn. 6. 203. *columbæ super arbore sidunt.* G.

11 *Superjecto* posuit pro exeunte et terras inundante: *Superjecto, id est, super terras jacto.* Vet. Schol.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Vestæ:
Iliæ dum se nimium querenti
Jactat ultorem; vagus et sinistra
Labitur ripa (Jove non probante) uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet divûm populus ruentis
Imperî rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur,

15 Disjectum *Cun. ex MSS.*—29 Cui dabit parti sc. expiandum *MS. Bersm.* C,

13 Terribiliter proferendum. *Flavum dicit colore limi.* Vet. Schol.

14 *Litus Etruscum* vel maris inferi s. Tyrrheni, cujus fluctus ab Austro commoti exitum non dant defluentibus undis, et sic eas retorquent, vel, quod fere malim propter ea, quæ sequuntur, litus ipsius Tiberis dextrum, quod spectat Etruriam et occidentem: unde *retortis undis, sinistra ripa*, Romam alluente, *labitur*. Nempe paullo supra Romam a sinistra veniens Anio, Iliæ maritus, Tiberi infunditur. Potuit ergo Horatius ipsum quoque Tiberim respectu Iliæ, matris Romuli et Remi, *uxorium amnem* vocare, qui injurias illius et querelas, de interfectis liberis suis, exsequeretur in illis, qui a mutua cæde supererant. G.

15 Ita per Periphrasin nominavit regiam. *Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Vestam habuit regiam.* Vet. Schol. *Nuper me ad regiam pene confecit*, Cicero de eodem loco; teste eodem Schol. *Dicebatur Tiberis per Rostra ante habuisse meatum, quæ templo Vestæ junguntur.* Vet. Schol. *Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ, Tunc erat intonsi regia magna Numæ.* Ovid. Fast. VI. 263.

17 Fabulæ ferunt Iliam nupsisse Anieni flumini, quem et Tiberinum vocabant, hodie Tiverope. *Nimium jactat*, non *nimium querenti*: Querebatur *de morte Cæsaris, hominis suæ originis.* Vet. Schol.

19 Erat urbs Roma in Jovis Capitolini tutela. Est igitur hæc præparatio ad sequentia, *Cui dabit partes*, &c. *Terreni Jupiter jussit populum, non perire.* Vet. Schol. Neque sane erat Jupiter alioquin admodum uxorius. Est igitur emphatica Dilogia in *Uxorius amnis*. B. Jupiter non modo Homericus medium se servat, cujus somno abutuntur alii DI, Iliad. Ξ, sed etiam ille Ciceronianus pro Rosc. Am. c. 45. *nihil perniciei causa, consilio divino*, nocet. G.

21 Etiam bella civilia deorum iræ tribuuntur.

24 Figurate *Juventus* pro posteritas.

28 Ignem Trojanum, quem Æneas Latio secum intulit, et ex quo fatum hujus urbis et imperii pendebat. Divus Julius erat Vestæ sacerdos. *Ne dubita, meus ille fuit, meus ille Sacerdos; Sacrilegæ telis me petiere manus.* Ovid. citante Rodellio. B. Locus est Fast. 3. 699. et mox 706. idem *Pontificale caput* vocatur. Vesta itaque indignabatur cædem Cæsaris: sed non minus graviter ferebat exhauriri cædibus urbem, suæ tutelæ commendatam. G.

29 *Scelus expiare* hic non est punire interfectores Cæsaris; hoc olim factum erat, satisque parentatum illi sanguine tot hominum: sed

Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo.
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat, et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis autor,
Heu nimis longo satiate ludo;
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutata juvenem figura,
Ales, in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris ultor.

31 Candenti *al.* candentis *etiam coll. Sax.*—39 Marsi *conj. Faber et Bentl.*

purgare a scelere, ab impietate bellorum civilium, rempublicam, et pace firmare atque concordia. Hæc res cum humanis viribus major videatur, deorum alicui negotium uti det Jupiter, rogant Romani, ut Apollini, oraculorum omnium patri, Sibyllinorum librorum autori; vel patri gentis suæ, Marti; vel Genetrici Veneri, cujus proprium opus est pacare homines, etc. Denique eo devenit, ut Mercurium (cognatum Romanis per Trojanos numen: fuit enim consobrinus frater Dardani. Vid. Virg. Æn. 8. 134. sqq.) delitescere dicat sub figura Cæsaris Augusti. Nempe Mercurius semper juvenis, internuncius Deorum hominumque, pacificatur, artium omnium præses: quæ hac ipsa fictione ad Augustum Poeta accommodat. *Juvenes* Romæ quadragenarios etiam dici, tralaticium est, a qua ætate adhuc aliquot annis tum aberat Augustus. G.

31 *Melius* candenti nube, *quam* candentes humeros; Vet. Sch. Sic et Lambinus et Torrentius in duobus Codd. legerunt. Modo H pro consona est. *Candidis nubibus velatus, ut qui videri possit; non amicti enim dii nequeunt conspici.* Vet. Schol. Cruq. B. Quin *Nube amicti* DI videri non possunt. *Candentes humeros* nube amictus est Apollo, ne possit videri, ut pulchre ostendit Bentl. G.

32 *Augustus, qui se Apollinis filium volebat videri.* Vet. Schol. Imo se pro Apolline aliquando gessit. Sueton. Hinc Virgilianum illud Ecl. 4. 10. *Tuus jam regnat Apollo.* (Vid. Serv.) Erat etiam Augustus divinandi peritissimus; adeo ut, teste eodem autore, *omnium bellorum eventus præsenserit.*

33 Erat Romæ templum Veneris Erycinæ, Juliæ gentis parentis. Τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε καὶ ἵμερος ἕσπετο καλός. Hesiod. Hanc etiam Od. 12. dicit *Julium Sidus.*

35 Divus Julius etiam Martis nepos dicitur ob amorem Martis et Veneris, uti ego sentio. Etiam Ode sexta Augustum appellat Martem. Credo *neglectum* genus jam dici per Charientismum pro *contemptum.* B. Imo intelligitur Mars ipse, auctor gentis Romanæ. Z.

37 *Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti.* Od. 28. Nam, ut cum Vetere Schol. loquar; *hujus ludus in præliis est.*

39 *Acer*, Figurate pro *ferox*, non pro ἀνδρεῖος, ut Lambinus. *Marsi* pro *Mauri* nulla cum autoritate a doctissimo Bentleio ponitur. Credibile mihi videtur Maurorum, barbaræ gentis nomen fuisse Romanis terribilius quam Marsorum, vicini et socii populi. Quin potius nominaret externam gentem, quam Italici generis in tali materia. B. *Marsi peditis* mentio, præter ea, quæ Bentleius verissime disputavit, etiam eo forte nomine præferenda, quod in proximis bellis civilibus frequens illius usus et mentio fuerat. Non valde me movebat Johnsonus, qui negat hic virtutem *Mauri peditis* prædicari. Sed dubitationem injicit denuo Christii V. C. defensio, qui *Maurum* equo dejectum desperate pugnantem pingi arbitratur. G.

41 Augustus et Apollo, semper juvenes. Sic et Virgilius, *Hic illum vidi juvenem, Melibœe.*

42 *Almæ*, i. e. *sanctæ*, Vet. Schol. Cruq.

43 *Patiens*, non dedignatus. Erat Augustus, ut Mercurius, *Centum puer artium.*

44 *Cæsaris ultor* Epitheton Augusti huic rei

Serus in cœlum redeas, diuque
Lætus interſis populo Quirini:
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat: Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps:
Neu ſinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæſar.

ODE III.

AD NAVEM QUA VEHEBATUR VIRGILIUS ATHENAS PROFICISCENS.

Precatur Virgilio Athenas proficiſcenti proſperum navigium. Exſecratur Tiphyn primæ navis repertorem. Originale hominis peccatum curioſum ingenium.

PRIMUS VERSUS GLYCONICUS; ALTER CHORIAMBICUS ASCLEPIADEUS.

Sic te, diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater,
Obſtrictis aliis, præter Japyga,

46 Quiritum *Br.* Quirino *Cuning. et Heinſ. ad Ovid. Faſt.* 4. 475.—48 Ocyus *Gott.*—51 Nec *Brod.*

ODE III.

2 Fulgida *Cun.*—3 Pater regat *MS. Berſm.* C.—4 Obſtructis *MS. Berſm.* C.

aptum: poſtquam jure ſanguinis et adoptionis Cæſarem ultus eſt, idem pacat orbem.

45 *Suaviter optat Auguſto ut diu vivat.* Vet. Sch.

46 *Lætus* proprie de Deo dicitur. Siquidem iratos et triſtes Deos ludis ſcenicis et ſimilibus placabant.

47 *Iniquum*, iratum, non lætum. *Ocior aura t.* nimis mature avoles in cœlum. Z.

49 *Triumphos* ſcil. ames. Z.

50 Ferunt F. Camillum primum, atque dein M. T. Ciceronem *Patrem patriæ* a ſenatu appellatum. Princeps erat, qui primus ſententiam dixit in ſenatu primoque loco ſedebat. B. *Pater* de communi DIs pæne omnibus appellatione intelligit Maſſonus: cum *pater patriæ* Auguſtus poſt mortem demum Horatii dictus ſit. *Principis* nomen hoc ipſo tempore, in quod Oden hanc conferimus, accepiſſe Auguſtum conſtat. G.

51 Pro Parthis Medos ob vetuſtatem nominavit: Medi etiam Parthorum regno continebantur. Proprie poſuit *equitare*, quod Parthi et Scythæ maxime equeſtri pugna delectarentur. Nove etiam *inultos* pro impunitos. B. *Medos* et *inultos* Harduinus affert, poſt alia etiam nugaciora, unde probet, Odarum libros non eſſe antiqui et veri Horatii. Debebat cogitare, uti *Medis* etiam Virgilium, et quidem in Georgicis, quæ illi relinquit: *inultum* autem pro impunito ſemel iterumque dixiſſe Horatium Satirarum et Epiſtolarum autorem, V. G. Sat. 2. 3. 189. G.

ODE III.

1 *Sic* votum indicat, cui velut conditio aut effectus adeo adjectus eſt felix navigatio Virgilii. G.

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et ſerves animæ dimidium meæ.
Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turbidum, et
Infames ſcopulos, Acroceraunia?

10 Circum *conj. Fabric.* C.—18 Rectis *Bentl. conj.* fixis *conj. Sanad.*—19 Turbidum *etiam Br.* turgidum *al. quod forte mel.* G. *Etiam MS. Berſm. et alii libri multi dant* turbidum: *at* turgidum *edd. Glarean. Lamb. et aliæ.* Z.—20 Acroceraunia *Gott. et Flor.* 1482. *Recepit etiam Bentl. Talbot. rell.*

Potens, domina ſ. regina. Invocatur Venus, quia, inquit Schol. ejus ſidus eſt ſalutare navibus. Z.

2 *Lucida*, læta et hilaria; contra mox dicit *triſtes Hyadas*. Eſtque *figura Epexegeſis*, autore Vet. Schol. B. Conf. Car. 1. 12. 25. ſq. it. 3. 29. extr. G.

4 Male nonnulli *obſtructis*; corrupte etiam *obſtruſis* legitur apud Servium. *Japyges* ſunt Appuli Græci generis. B. *Obſtrictis aliis* alludit ad utrem illum Æoli, in quo is in gratiam Ulyſſis ἀνέμων κατέδησε κίλιτθα, præter Zephyrum, quo opus erat, unde, cum a ſociis apertus eſſet, ſine more modoque proruerunt. Vid. Od. K princ. G.

7 Bene *creditum, debes, reddas. Reddas* autem dicit, eo ſenſu quo *reddere epiſtolam* dicimus.

8 *Suaviter hoc dictum ſecundum illam amicitiæ Diffinitionem qua plurimi utantur*, Φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Vet. Schol. Cruq.

9 *Habet autem hic quiddam Homericum*, χάλκειον δὲ μοὶ ἦτορ. Vet. Schol. Robur, *Duritia ſine ſenſu periculi.* Vet. Schol. B. Gravius loquitur Propertius, qui l. 17. 13. primum nautam exſecratur ſic: *Ah pereat quicunque rates et vela paravit Primus, et invito gurgite fecit iter.* Z.

14 *Hyades*, ipſo nomine triſtis et pluvium cœlum notant. Vid. Colum. 11. 2. 34. et 36. Hæ enim ſunt *Sucula*. G.

15 *Arbiter judex eſt qui totius rei habet arbitrium et facultatem.* Feſtus. Hoc adnotavit Antonius Mancinellus. B.

17 *Gradum*, h. e. genus. Senſus eſt, Ne maxime miſeram quidem et horrendam mortem reformidavit. Z.

18 Equidem non video, cur quis præponat Bentleii *rectis oculis* vulgato *ſiccis oculis*. Certe timentium eſt lacrimare magis quam oculos avertere. Quid quod pro nobis faciant Editi Libri et Membranæ? B. *Rectos oculos* pulcherrime huc convenire, facile effecit Bentleius: ſed non perfecit, ut neceſſe ſit Horatium ita ſcripſiſſe. Metum quoque ſuas habere lacrimas, quis ignorat? fortis ille et audax, cui, quæ ſtuporem aliis afferunt, ne excutiunt quidem lacrimas. *Fixis oculis* diſplicuit Cuningamo qui excogitarat, a Sanadono receptum. G.

19 *Vidit*, nunc poſitum pro *aſpexit*, quo modo Ovidius, *Calumque videre Juſſit*. Eſt autem *turbidum*, quod in Vet. Schol. et Cruquii *MSS.* pro *turgidum* legimus, vox huic loco convenientiſſima atque efficacior altera.

20 Lutatius Placidus legit *Alta Ceraunia*, et

Necquicquam deus abſcidit
  Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
  Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
  Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
  Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætheria domo
  Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors;
  Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum.
  Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
  Perrupit Acheronta Herculeus labor.

30 Subvectum *Cod. Fabric.* C. Sublectum *conj. Cun.* G.—36 Acherunta *ed. Lambin.* Z.

Ceraunia eſt apud Vet. Schol. Sic et Virg. Georgic. primo ut adnotavit H. Stephanus. *Acroceraunia* ex Gloſſemate eſt, quia vulgatius. De *Alta Ceraunia* nihil refert litigare, etſi videatur magis Poeticæ varietatis, quam vulgatum *Acroceraunia*.

22 *Diſſociabilis* nunc Active dicitur, pro eo qui valet diſſociare. Horatianæ Syntaxi magis convenit *diſſociabili*, conſueta huic Scriptori Hypallage, quam eruditiſſimi Viri *diſſociabiles* de proprio ingenio tantum. B. Recte Baxterus. Ne quis offendatur inſolentia, aut plane Harduino credat, eſſe hoc barbarum, et Horatio indignum, ponamus indicem talium adjectivorum, quæ activam ſignificationem habere, ut alia taceam, theſaurus noſter docet. Sunt autem, quæ obſervavimus iſta: *Adjutabilis*, *Agilis*, *Apertibilis*, *Delectabilis*, *Delebilis*, *Exſuperabilis*, *Facilis*, *Fallibilis*, *Fragilis*, *Favorabilis*, *Illacrimabilis*, *Impetibilis*, *Impetrabilis*, *Incogitabilis*, *Indocilis*, *Inflabilis*, *Inſatiabilis*, *Inteſtabilis*, *Intolerabilis*, *Irritabilis*, *Litabilis*, *Offenſibilis*, *Patibilis*, *Penetrabilis*, *Placabilis*, *Reparabilis*, *Suffocabilis*, *Terribilis*, *Vincibilis*, *Vulnerabilis*, et forte plura. Interim nec *diſſociabilis terras* Bentleii, nec *diſſociabile* adverbium Cuningami, damnare auſim. De *Amabilis* mox 1. 5. 10. G.

23 *Impiæ rates*, quia naturam, opus Dei, violant. G.

24 *Tranſiliunt* per contemptum. *Non tangenda*, ſc. ob conſilium Dei. *Vada*, h. e. mare. Z.

25 Qui ardua et difficilia aggrediuntur, multa perpetiuntur. Quid opus eſt Danielis Heinſii Helleniſmo? B. Nempe ait Heinſius, h. l. *perpeti* eſſe *agere*, ut πάσχειν pro ποιεῖν ponatur: quod nec de Græco verum eſſe arbitror. G.

26 *Vetitum nefas*, ideo nefas, quia a natura vetitum. G. *Ruit*, fertur temere, natura et legibus dei neglectis. Z.

27 *Audax Iapeti genus*, Prometheus, poſtquam figmentum ſuum, homines, igne e ſole ſurrepto inſtruxit, eadem fecit, ut mollitis calidiſque cibis ac potionibus, vaporatis item diætis, febres ſibi pararent; metallis tractandis mortifera arma in mutuam perniciem pararent, &c. G.

30 *Maciem*, *tabem* vocat, quæ febrium perpetua fere comes. Mire autem ignem cœlo ſubductum igne febrili puniri dicit.

32 *Ea enim non niſi poſt multa ſæcula venire ſolebat.* Vet. Schol. Cruq. *Neceſſitas* Homero ἦμαρ ἀναγκαῖον. H. Stephanus. B.

Primorum hominum μακροβιότης ex hiſtoria ſacra tranſiit etiam ad fabulas. Et traduntur Americani longioris ipſi quoque ævi fuiſſe ante quam luxu noſtro molleſcerent. G.

33 Torrentius in nullo *MS.* legit *Itli*; ſed in omnibus *leti*.

36 Siquidem hic erat unus ex duodecim Herculis laboribus, Cerberum canem ex Orco educere.

Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitia; neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

ODE IV.

AD L. SEXTIUM, CONSULAREM.

Hortatur L. Sextium, Conſularem virum, et quondam Brutianæ et Pompeianæ factionis aſſeclam, ut vere jam ineunte, dimiſſa Catoniana ſua ſeveritate, ad Epicureiſmum ſe recipiat.

PRIMUS VERSUS EST HEPTAMETER ARCHILOCHIUS, CONSTATQUE EX BUCOLICO, H. E. EX TETRAMETRO HEROICO, CUJUS ULTIMUS PES EST SEMPER DACTYLUS, ET EX TRIBUS TROCHÆIS. ALTER VERSUS EST TRIMETER IAMBICUS CATALECTUS.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonî,
Trahuntque ſiccas machinæ carinas;
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

37 Ardui *Bentl. ex MSS. cui favet collat. Sax. et L. Bos it. Brod.* G. Libri quidam Lambini idem habent. Z.

ODE IV.

5 Nam *pro* Jam *MS. Berſm. et pro* Venus *conj. Cuning.* levis, *h. e. ſaltans.* Z.—8 Viſit *Rutgerſ. e MSS. Berſm. it. Bentl.* Z.

37 *Arduum*, inacceſſum dicit ob ſequentia. Pleniori bucca dici videtur, *nil arduum*, quam *nil ardui*, quod mire placuit doctiſſimo Bentleio. Certe *nihil ardui* Genitivus eſt, qui dicitur Partitionis; ideoque minus eſt quam *nihil arduum*. B. *Nihil* eſt e Græciſmo οὐδὲν, quod non habet adjunctum Genitivum. Z.

40 Bene *ponere fulmina*; reſpexit enim fulminatos gigantes.

ODE IV.

1 *Solvitur hiems* et mox v. 10. *terræ ſolutæ* reſpectum habent ad gelu, quo *adſtringi* dicuntur humida. G.

Ver incipit ſecundum Varronem (De Re Ruſtica I. 28.) VII. Idus Febr. quo etiam die, ut Columella (II. 2. 15.) refert, Favonius (qui et Zephyrus) ſpirare incipit. *Mancinellus.*

2 Jacobus Cruquius putavit *machinas* iſtas *palangas* fuiſſe, navium carinis ſuppoſitas, noſtra vernacula TRUNDLES: crediderim et trochleare machinamentum aliquod fuiſſe inſuper adhibitum.

5 Clara nocte: Erant enim Idus. Ruſtica numina ſaltare non ſolent niſi ad claram Lunam.

6 *Per* Nymphas *mulieres intelligit, per* Gratias *virgines.* Vet. Schol. ſolita Dilogia. *Grata*

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.
Nunc et in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agna, ſive malit hædo.
PALLIDA mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia; quo ſimul meâris,
Nec regna vini ſortiere talis;
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

12 Agnam—hædo *Gott.* Agnam—ædos *Flor.* 1482. It. *Brod.*—13 Pede pulſat *MS. Berſm.* C.—14 Seſti *MS. Berſm. edd. Glarean. Bentl.* Z.—16 Fabulæque et manes *Gott.* Maneſque *Cun.* Fabulæque inanes *conjiciebat Bonfin.*—17 Exilii *conj. Heinſ. et Barth.* Z.

ferunt Nymphæ pro ſalvis dona maritis. Ovid. Her. 1. 27. *Junctæ* ſupple dextras: *decentes* et ad geſtum pertinet, *Sit formoſa, decens.* Juvenal. Sat. 6. 162.

7 *Graves*, h. e. plenas laborum et moleſtiarum. Z.

8 Sudans præ nimio labore æſtuque fornacis. Vulcanum inducit, quia Venerem jam nominavit, ridicule et feſtive. Fecit Vulcanus, quod optimum maritum decebat. Imperiti erat Librarii de *urit*, longiuſcula *r*, reſcribere *uſit*, *uſſit*, atque *viſit*, quod miror potuiſſe placere magno Bentleio. B. *Urit officinas.* Cum dixerit non modo Juvenal. 14. 118. *ardente camino*; ſed Ovid. Faſt. 4. 473. *Antra Cyclopum poſitis exuſta caminis*, quæ *antra* profecto ſunt ipſa *officina*: non video, cur non patiatur Bentleius *officinas uri* a Vulcano. Quod autem *viſit* reponit, eo minus probare poſſum, cum *viſere officinam*, ſit ejus, qui modo per intervalla eo veniat, non qui ita aſſiduus ſit, ut bonus vir Vulcanus. Nec bis idem dicit *ardens urit*: ſed res diverſas diverſis vocibus eloquitur. G. Cæterum Lambinus recte monet, hanc temporis deſcriptionem ſumtam eſſe ab incendio Ætnæ aut inſularum Vulcaniarum. Z.

9 *Nitidum*, h. e. unguentis delibutum. Z.

11 Sacra Fauni, ſeu Panis, circa Idus Febr. erant.

12 Omnes Torrentii MSS. habebant *agna* et *hædo* in Ablativo; ſic et Vet. Schol. et Cruquius legit. *Neſcio quomodo quædam elocutiones per fœmininum genus gratiores fiunt.* Vet. Schol.

14 *Beatus dicitur qui multa habens, ſine malo aliquo degit.* Cicero in Tuſcul. Mancinellus.

15 *Summam pro paucorum annorum numerum poſuit.* Vet. Schol. Dicitur *ſumma*, ut *pars*, pro magna et parva ſumma; quia vox eſt mediæ ſignificationis.

16 Oſtendit ſe plane Epicureum hoc loco. *Dii boni manes dicebantur, nam mane apud antiquos bonus dicebantur.* Vet. Schol. Cruq. B. Poſſe aliquem *fabulas* putare *manes*, et tamen non Epicureum eſſe, vel principium Tuſculanæ primæ ſatis oſtendit. G. *Jam*, mox, opinione citius. *Premet*, opprimet, ex improviſo in te ingruet. *Nox*, mors, Orci tenebræ. Z.

17 *Exilis*, quod et tenuis et umbratilis, Dilogia manifeſta. *Exilis domus eſt ubi non et plura ſuperſunt.* Epiſt. 2. Lib. I. B.

Plutonis appellatio Harduino inter argumenta eſt, non eſſe Odarum libros antiqui illius Horatii; cum tamen Plutonem Ciceroni non ignotum fuiſſe, doceat locus de N. D. 2. c. 26. et Græca amare Horatium, conſtet. Ceterum *domum Plutoniam* intelligo inferos ipſos, *exilem* domum, i. vacuam, inanem. G.

18 Mirifice mihi placet Franciſci Luiſini interpretatio, ab aliis exploſa; neque ſane vera eſt vulgaris. (Qua ſcilicet *talis* eſt talorum jactu, præſertim cum præcedat *ſortiere*. Z.) Omnia enim peraguntur apud Inferos quæ hic; ſed quaſi per ſomnium et imaginem. *Sortiere regna vini*, ſed non *talis* quale hic eſt. Hæc ſublato manu poculo proferenda. Mirari nequeo non placuiſſe erudito Bentleio Luiſini interpretationem ὄνυ τοῦ, *vini talis*, cum jam meminerit Flaccus *Exilis Plutoniæ domus*. Sed gaudere ſolent Eruditi in diverſa diſcedere. B. Haud nego, non valde *συμποτικὸς* homines mihi videri, nec valde poetas, quibus non placet illa Luiſini interpretatio, quæ motum et quaſi vitam

ODE V.

AD PYRRHAM.

Amicæ ſuæ inconſtantiam, quam ficto Pyrrhæ nomine deſignat, pulcherrima Allegoria inſectatur.

DUO PRIORES VERSUS SUNT CHORIAMBICI ASCLEPIADEI, TERTIUS PHERECRATIUS, QUARTUSQUE GLYCONICUS.

Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urguet odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flavam religas comam
Simplex munditiis? Heu quoties fidem
Mutatoſque deos flebit, et aſpera
Nigris æquora ventis
Emirabitur inſolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem

4 Flavas r. comas *MS. Berſm.* C.—5 Quotiens *MSS. tria Berſm.* C.—6 Ut aſpera conj. *Cun.*—8 Ut mirabitur *conj. Bentl.* Heu mirabitur *al. apud Cun.*

addit verſiculo. Vinum ſibi adeſſe, fingit Poeta, Lycidan intereſſe convivio. G.

19 Quid refert *Lycidam* legatur, an Græca Declinatione cum Bentleio *Lycidan?* Verum ille conſueto ſibi more Helleniſmo favet, æque atque Archaiſmo in ſcribendis Latinis vocabulis. B. *Lycidan* cum Bentl. Jano et codd. nonnullis edidi. Nam infra Serm. II. 4. 3. eſt *Pythagoran;* nec abhorret Noſter a Græciſmis. Z.

20 Mire *tepebunt* de virginibus, *calet* de juvenibus. Vet. Schol. Cruq. *frigebunt, marceſcent;* quaſi diceret *lento igne macerabuntur.* An Lycidas Sextii erat pocillator? B. Imo amaſius fuit, ut Jovis iſte Ganymedes. Z. *Tepere* de virginum modeſto amore, *calere* de vehementiore affectu juvenum. G.

ODE V.

1 *Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.* Martialis. B. *Gracilis*, delicatus, tenellus. Schol. Z.

2 *Perfuſus*, largiter unctus, delibatus: *liquidis odoribus*, unguentis, Schol. *urguet*, tenet, amplectitur, Schol. Z.

4 *Cui*, in cujus gratiam, ut placeas.

5 *Munditias ejus laudat, ſed quadam amantis invidia.* Schol. B. *Simplex mund.* ſimpliciter ornata, quia et ſine exquiſito ornatu videris placere ob formæ ſcilicet præſtantiam. Z.

6 *Mutatos deos* pronum eſt intelligere ex propitiis iratos. Nam felicitatem quamcunque DIs aſſignabant: ἐναφρόδιτος, cui Venus favet, felicem generatim notabat, ut in Sullæ cognomine. Sed hic jungitur *Fidem mutatoſque deos. Fidem mutare* eſt reſcindere contractum. Vid. Ter. Phor. 3, 2. 27. *Fidem et deos mutat* puella, cum deos perjurio fallit. G.

7 *Nigros ventos* per metonymiam dicit, qui nubes obſcuras cient, mare turbant. Sic *Auſter nigerrimus*, Virg. Georg. 2. 278. Contra *Albus notus* eſt mox 7. 15. Quid ſi huc tandem redeunt, quæ Huet. Dem. Evang. 4. 8. 14. p. 124. de *nigrè* appellatione rebus ſeptentrionalibus tributa diſputat. G. Cæterum amorem mulierum inconſtantem ſolent poetæ cum mari comparare ſæpe. Z.

8 *Inſolens*, inſuetus, nondum expertus. Z.

9 *Blanda, pulchra, propitia.* Vet. Schol. Cruq.

10 *Vacua* mulier, non occupata ab alio, uni ſoli ſe præbens, ut Tac. An. 13. 44. *vacua* eſt, quæ a marito diſceſſit, quo nubere poſſit alii.

Sperat, neſcius auræ
Fallacis! Miſeri quibus
Intentata nites. Me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris deo.

ODE VI.

AD AGRIPPAM.

Horatius adhuc Semipompeianus callide ſe excuſat M. Agrippæ Auguſti genero poſcenti ut Carmen Heroicum in civile Bellum componat. (Similis eſt argumenti, cujus prima Anacreontis, Θέλω λέγειν Ἀτρείδας. Add. Car. 1. 19. 10. it. 4. 15. G.)

METRUM TRIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM, QUARTO GLYCONICUM.

Scriberis Vario fortis, et hoſtium
Victor, Mæonii carminis aliti,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce geſſerit.

13 Intemptata *MSS. tria Berſm.* C.—14 Humida *MS. Berſm. et ed. Glar. ex gloſſemate haud dubie.* Z.

ODE VI.

1 Ad Agrippam, *plenius Lamb.* Ad M. Vipſanium Agrippam.—2 Alite *vulgo:* alteri *conj. Markland.* æmulo *conj. Joneſ.*—3 Qua *Bentl. e conjectura Mureti:* quum *conjicit Bentl.* Z.

Amabilem etiam active hic accipiendum videtur. Bene Vet. Schol. Vacuam *ſibi ſoli paratam, contemtis aliis;* amabilem, *ſuo amori deſervientem.* Amatoris tormentum amare non amantem. Sic ipſe Magiſter poſuit, *ut ameris, amabilis eſto.* Vid. ad 1. 3. 22. G. *Amabilem* jam poſuit pro aditu facilem.

13 *Intentata*, cujus mores nondum uſu cogniti ſunt. Tropus ductus eſt quoque a mari, quod quis nondum pernavigavit. *Nites*, places, fidelis et amabilis videris. Mare nitet pr. ſi tranquillum eſt. *Me tabula*, &c. Senſus eſt: ego naufragium feci, h. e. inconſtantiam amoris Pyrrhæ expertus ſum. Z.

14 *Madidus extrinſecus, uvidus intrinſecus.* Vet. Schol.

15 *Videmus autem quoſdam hodie quoque pingere in tabulis ſuos caſus, quos in mari paſſi ſint, atque in fanis marinorum deorum ponere. Sunt etiam qui veſtem quoque ibi ſuſpendunt, diis eam conſecrantes.* Vet. Schol. B. Vid. Art. Poet. 20. G.

ODE VI.

2 *Alite, Homerici carminis ſublimitate.* Vet. Schol. Cruq. *Multa Dircæum levat aura Cygnum, Tendit, Antoni, quoties in altos Nubium tractus*, Lib. III. Od. 2. Jure ridet Rodellius Galli Interpretis Gallum Gallinaceum. Fruſtra ſunt etiam qui mutant *alite* in *aliti*: Eſt enim iſta conſtructio ſatis frequens: *Atque ſua cæſum matre queruntur Ityn.* Ovid. B. *Aliti* recte, puto, legendum judicarunt Paſſeratius et Lambinus, ut referatur ad *Vario*, tertio caſu, velut apud noſtrum *bella tibi pugnata*; apud Maronem, *Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum.* Quod Ovidii locum pro Ablativo ſine præpoſi-

Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Peleidæ ſtomachum, cedere neſcii,
Nec curſus duplicis per mare Ulyſſei,
Nec ſævam Pelopis domum,
Conamur, tenues grandia; dum pudor,
Imbelliſque lyræ muſa potens vetat
Laudes egregii Cæſaris et tuas
Culpa deterere ingenî.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne ſcripſerit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydeiden ſuperis parem?
Nos convivia, nos prælia virginum,
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus vacui, ſive quid urimur,
Non præter ſolitum leves.

7 Reducis *conj. Bentl.* duplices *Br. coll. Sax. Gott. Flor. MSS. duo Berſm.* Ulixei *tria MSS. Berſm. Bentl. et alii.* Z.—9 *Poſt* tenues *ponit punctum MS. Berſm.* C.—10 Vetant *MSS. Fabric.* C.—14 Troïo *conj. Heinſ. quod tanquam poëticum recepit Jani.* Z.—17 Convicia *conj. Acidalii ad Vellei.* II. 110. C.—18 Sectos *conj. Gronovius, et* ſtrictis, *i. e. armatis conj.* Bentl. *ſed vulg. melius: nam* præciſos *habere ungues puellas elegantes eſt in promtu.* Z.—19 Quod *edd. Glarean. Lamb. et Baxt.* Z.

tione laudat Baxterus, nihil eſt. Nam ſic habetur Am 2. 14. 30. *Aque ſua caſum matre querentur Ityn.* Deinde conſuetum eſt *cycnos* vocari poetas, qui ſunt alites, *Multa Dircæum levat aura cycnum*, infra 4. 2. 25: *alitem* ponere pro ſublimitate et majeſtate carminis, niſi fallor, inauditum. G.

3 Pro *Quam rem cunque* Bentleius de ingenio ſuo repoſuit, *qua rem cunque* (i. e. ſive terra ſive mari) ſed nihil opus. B.

Quam rem cunque rectum eſſe puto. *Scriberis Vario*, i. Varius de te ſcribet, *quamcunque rem geſſerit miles te duce.* G.

6 Neque Iliada neque Odyſſeida valemus imitari, quod fecit Virgilius. B. *Stomachum*, iram. *Cedere neſcii*, ferocis, inexorabilis. Z.

7 *Duplicis Ulixei* πολυτρόπου, verſuti, qui ſimplicitatem cum præ ſe ferret, aliud ſemper agebat, quam volebat videri. Hæc multo faciliora, quam *duplicis* intelligere Accuſativo plurali ad *curſus*, i. e. itum et reditum (ſeu curſus per mare Mediterraneum et Atlanticum, quæ Voſſii eſt opinio). G.

Quid opus fuerat Bentleium pro *Ulyſſei* reponere *Ulixei*, ſequiori ſcriptura, cum notiſſimum ſit antiquo tempore Literam *X* ſonum habuiſſe duarum *S*? Sic apud Suetonium legimus *ixe* pro *iſſe* vel *ipſe*, in Auguſto.

8 *Pelopis domum* argumentum Tragœdiarum habebant Poetæ: ex hac enim Thyeſtes, Atreus, Agamemnon, Oreſtes, Electra. G. *Fuit autem Q. Varius et ipſe Carminis, Tragœdiarum et Eclogarum auctor, Virgilii Contubernalis.* Vet. Sch. *Thyeſten Tragœdiam Varius ſcripſit.* Idem. Imo Caſſii Parmenſis ſcrinia compilavit. Vide ad Epiſt. 4. B. *Sævam*, cædibus domeſticis famoſam et horribilem. Z.

10 *Imbellis*, ineptæ ad carmen heroicum et tragœdias. *Muſa potens*, facultas, quæ in me eſt, poëtica: in cujus poteſtate ſita eſt lyra imbellis. Z.

11 *Laudes* pro merita ut apud Virgilium, *Sunt hic etiam ſua præmia laudi.* B.

12 *Culpa d. ing.* i. e. imbecillitate ingenii imminuere et extenuare. Z.

13 Homerica argumenta hic ponit, quibus tacite comparat res Auguſti: non autem puto ſpeciatim illum perſonas perſonis comparare voluiſſe: ſed nominare aliquot heroas peculiariter laudatos Homero. V. G. *Tydeiden*, i. Diomedem Tydei F. laudat ab amicitia et ope Palladis, i. prudentia, &c. G. *Martem*, intelligit

ODE VII.

AD MUNATIUM PLANCUM, CONSULAREM.

Munatium Plancum, Conſularem virum et quondam Pompeianum, poſtquam Auguſti gratia excidiſſet, præ animi mœrore voluntarium exſilium minitantem, a conſilio revocare conatur, laudata Tiburtina ejus villa præ omnibus Græciæ civitatibus. (De Planci ingenio, quod merito ſuſpectum eſſe Auguſto poterat, Vell. 2. 83. Rhodon et Mytilenen tunc placuiſſe exſulibus, docet etiam Cic. fam. 4. 7. et 7. 3. fin. G.)

PRIMUS VERSUS HEXAMETER HEROICUS: SECUNDUS TETRAMETER HEROICUS, SEU PHALISCUS.

LAUDABUNT alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſom, bimariſve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe:
Sunt quibus unum opus eſt, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, et

---

1 Mytilenen *Gott. Flor. Locher. et nummi.* Mityl. *al.* G. *Hoc eſt conveniens ſcripturæ gr. et loco infra Epiſt.* 1. 11. 17. Z.—2 Epheſon, *MS. Berſm. et alii, quod ob Græciſmum, quem ſectatur alibi Horatius, magis placuit: vulg.* Epheſum. Z.—5 *Pro* urbem, arcis *ſ.* arces *poſt alios Bentl. et Cun. ex MSS.* G. Arcem *MS. Berſm.* C.

Auguſtum, et Merionem Agrippam, necnon Diomedem Auguſtum.

Adamas non ſolum de lapide dicitur, verum etiam de durato ferro, ex quo loricæ. Ἀδάμαντα τινὲς εἴδηρον. Theocriti Schol. B. Nempe etymologice ponit, pro indomita, impenetrabili. V. 3. 24. 5. G.

18 *Sectis unguibus* ad jocoſa prælia aptius eſt. Severas et ſerias nobis pugnas *ſtrictis unguibus* narrat Bentleius, quas huc vix putem convenire. Conf. mox 9. extr. et 2. 12. extr. G.

19 Oſtendit ſe ſive ex otio, ſive ex amore levitatis uſum jam contraxiſſe. Male doctiſſimi viri reponunt *quid*, cum *vacui* ſit Αἰτιατικὸν. Minuſque arridet Bentleii *quid* quam noſtrum *quod*, quod in medio relinquimus. *Quid* indefinite dici videtur de utroque ſexu, *quod* autem temperatius et minus inhoneſtum. B. *Quid urimur* eſt in MSS. et editis, i. aliquid amamus. Baxteri ratio, illud *vacui* cauſam ſignificare, non probat quod debebat. Cantare ſe ait Horatius, ſive *vacuus* ſit (vid. 5. 10.) ab amore, ſive amet aliquid: αἰτιατικὸν poteſt eſſe utrumque, utrumque conditionem ſignificare. G.

20 Senſus eſt: qui noſtro more ſumus ad amorem proclives. Z.

ODE VII.

1 Futurum Indicativi pro Imperativo. Emphaticum eſt, quaſi dicat, *per me laudabunt, ego nunquam.* B. Conf. Epiſt. 1. 11. pr. G.

Propterea claram quod ſoli ſit expoſita, de qua et Lucilius ſic ait; Carpathium Rhodos in pelagus inclinat apertum. Vet. Schol. Cruq. Solimus addit *nunquam cælum ita nubilum eſſe, ut in ſole Rhodos non ſit.* Mancinellus.

2 *Corinthi mœnia* diſplicent Harduino: ſed obliviſcitur, ipſum genuinum Horatium Ser. 1. 5. 97. *Bari mœnia piſcoſi* dixiſſe ſimpliciter de urbe. Et reſtituta tum erat Corinthus. G.

4 *Peneus perfluit Tempe, quæ patent inter Oſſam et Olympum longitudine quinque millia paſſuum, et latitudine ferme ſeſquijugeri.* Mancinellus.—Τέμπη dicuntur Græcis quævis amœniora loca ad fluminum ripas ſeu paludes. Et Theſſala videtur vox initio, atque eadem fere quod Τέμενος, unde et Latinum *Templum.*

5 Simplici narrationi magis convenire videtur vulgata lectio, quam Bentleii *Palladis arces*, alieno loco poſita Figura. B. *Unum*, qui in hoc uno ſunt occupati, ut, &c. *Intactæ*, virginis. Z.

6 *Carmine perp.* quod ab initio deinceps omnes laudes Athenarum continet. Z.

Undique decerptam fronti præponere olivam:
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicet equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obſcuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres

7 *Sic etiam Flor. et coll. Sax.* decerptæ frondi *Eraſm. et alii, quos refellit Bentl.*—9 *Pro* dicit *recepi e cod. Berſm. edd. Venet. et Bentl. aliiſque futurum: nam præcedit* laudabunt. Z.—11 Perculſit *ed. Glar.*—13 *Pro* et *recepi* ac *cum Bentl. e codd. Berſmanni aliiſque.* Tiburtis *Brod.* Tyburti *Glar.* Tiburti *MS. Berſm.* Z.—15 *Hic novæ odæ initium Zarot.* deterget *omnes.* G. Detergit *MS. Berſm. et alii.*

7 *Undique decerptam* dicit pro undequaque ex *omnibus collectam.* Vet. Schol. Supple *locis.* Ubicunque videt olivæ folia, ea ſtatim decerpit, et fronti ſuæ præponit. Notum eſt unumquemque veterum habuiſſe deum aliquem ſibi proprium atque tutelarem; ſic Auguſtus habuit Apollinem. B. Bentleius ita interpretatur, *Hoc eſt, ex eo argumento undiquaque exhauſto coronam ſibi poeticam quærere:* eamque interpretationem et lectionem omnibus ingenii viribus tuetur poſt Turnebum. Nempe eſt et altera lectio, Eraſmo adſcribi ſolita, *undique decerptæ frondi*, i. cuicunque alii aliarum arborum ramo, *præponere olivam*, haud paullo ſane facilior, et tam copioſe ornata a Lambino, et Da. Heinſio, recepta Talboto, ut puerilium ineptiarum accuſet Dacerius, qui ſentiant aliter. Sed nec pepercit Bentleius Dacerio. Mihi laudandum videtur ingenium patronorum utrorumque: in tanto conſenſu librorum nihil mutandum: fateor tamen, me malle ſcripſiſſe ut dedit Eraſmus, quam ut credere oportet libris, ſcripſiſſe Horatium: denique antiquam lectionem melius explicatam fuiſſe a Baxtero. Non tam poetarum ſtudia diverſa prædicare videtur Flaccus, quam hominum judicia de locis quibuſdam celebrioribus indicare. G.

9 *Aptum equis*, perpetuum Epitheton, quo modo *Homerus*, Ἄργος ἱππόβοτον. Plinio *Argos Hippium.*

Per *dites* expreſſit Homericum πολυχρύσους, ut adnotavit vir doctiſſimus Ant. Muretus.

10 *Patiens, quia in Agoneis verberibus immobiles cædebantur.* Vet. Schol. B. Hinc Spartana nobilitas plagipatidarum. G.

11 *Opimæ* eſt Homericum Ἐριβώλακος. Ant. Muretus. Perpetuum Epitheton. B. *Percuſſit*, amœnitate ſua et fertilitate movit, i. delectavit. Z.

12 *Domus Albuneæ reſonantis*, ipſe Catarracta eſt Anienis, quem incolæ hodie *la Caſcata* vocant. *Hæc domus, hæc ſedes, hæc ſunt penetralia magni Amnis*, inquit Ovidius de Catarracta Penei fluminis. Fortaſſe *Albunea* Nympha non alia erat quam ipſa *Ilia* Anienis uxor; nomen habuit ab Albula Anienis fonte. Hanc Lactantius tradit (ut notavit Mancinellus) Sibyllam fuiſſe Tiburtinam. Erat etiam Tiburi Albuneæ lucus.

13 Pro *Tiburti*, quod in antiquioribus editionibus erat, Turnebus et Muretus, utrique doctiſſimi viri, *Tiburni* repoſuere. Certe in vetuſtiſſimis codicibus ægerrime diſcernuntur literæ T et N. Legimus etiam apud Juvenalem non ſemel *Lacertam* pro *Lacernam*, ut alibi forſan dicturi ſumus. Tiburnus Heros, Tiburis Conditor, et Amphiarai vel filius vel nepos.

15 *Album autem notum dixit, ut Græci* λευκόνοτον. Vet. Schol. B.

Auſo. Eid. 12. p. 481. Velivolique maris conſtrator, Leuconotos Libs. Contra noſtro modo erant 5. 7. *Nigri venti*, qui turbant cœlum. Ceterum hic MSS. quidam adſcribunt novum lemma, *Exhortatio ad bene vivendum vel ſimile.* Itaque novam etiam oden quidam hic incipiunt. Sed plura ſunt, in Lyricis præſertim, abrupta: et ſatis bene argumentum utrumque Baxterus jungit. G.

Vet. Schol. habet *detergit*, etſi Torrentius non probet: nos tamen prætulimus.

16 Magis Horatianum nobis videtur *imbres Perpetuos*, quam Bentleii *imbres Perpetuo*, etſi ſit ſuffultus autoritate quorundam Codicum. Hiulca Syntaxis Flacco noſtro inconſueta eſt.

Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
  Triſtitiam vitæque labores
Molli, Plance, mero; ſeu te fulgentia ſignis
  Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
  Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
  Sic triſtes affatus amicos;
Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
  Ibimus, o ſocii comiteſque:
Nil deſperandum Teucro duce, et auſpice Teucro;
  Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
  O fortes, pejoraque paſſi
Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas:
  Cras ingens iterabimus æquor.

17 Perpetuo *Bentl.* Perpetuum *Cun.*—18 Dolores *cod. Fabr.* C.—27 Nec deſperandum *MS. Berſm.* C.—32 Intrabimus *Brod.*

17 *Sapiens*, Philoſophus factus; callide eum ad aulicam ſectam, Epicureiſmum trahit.

19 *Molli, maturo et vetuſto.* Torrentius. Enm audacter nominando fiduciam ſibi ſumit, ob novum conſilium. B. *Molli* accipit Sanadonus de verbo, h. e. lenire ſtude. Z.

Fulgentius dixit ob aureas aquilas.

21 Crediderim eum ex aliqua Tragœdia hanc fabellam hauſiſſe.

23 *Bene populeam, nam hæc arbor in tutela erat Herculis.* Vet. Schol.

25 *Illa enim dabit patriam, quam pater negat.* Vet. Schol. *Telamon filiis ſuis, Teucro et Ajaci, ad Trojanum bellum proficiſcentibus legem poſuit, ut alter ſine altero non rediret. Ajace itaque ſe perimente, quod per dolum Ulyſſis judicio armorum victus ſit, cum ipſe corpus Achillis liberaſſet, Teucer memor imperii paterni, et patriam fugiens, reſponſo Apollinis cum ſociis alibi condidit civitatem.* Vet. Schol.

26 *Socius par eſt, comes minor.* Mancinellus.

27 *Auſpice Teucro* dicit, quia Teucer conſulebat Apollinem. Innuit etiam proſpera eſſe omnia Auguſti auſpicia. Bentleius de *auſpice Teucro*, contra fidem omnium Librorum fecit *auſpice Phœbo*, ſicuti et Cuningamius *obſide Teucro*. Quis non miretur Hypallagen Horatianam fugiſſe tantos Interpretes? Quid enim *auſpice Teucro* niſi *Teucri auſpicio* ſeu *fortuna?* B. Præclare Baxterus. Ipſi noſtro Car. 3. 27. 8. *providus auſpex* eſt obſervator quivis auſpiciorum, non ſacerdos Romanus. Teucer ſuorum et dux eſt et idem auſpex, cui auſpicanti, i. ſucceſſum petenti negotii ſui, et de eventu quærenti, bona ſigna miſerat Phœbus. Conjecturæ Bentleii et Cuningami ſuis auctoribus dignæ, ſed nihil minus quam neceſſariæ. *Auſpici Teucri* quod eſt etiam in collat. Saxiana, ſignificare poteſt Apollinem, quem auſpicem habet Teucer. Quod eſt de alluſione ad Auguſtum, viderit Baxterus. G.

29 *Ambiguam* cognominem dixit: erat enim altera Salamis Cypri, quam hodie *Famaguſtam* vocant. B. *Nova tellus* Cyprus eſt, in qua novam Salamina Teucer condidit. G.

30 Sic et Virgilius, *O paſſi graviora.*

32 Rurſus Futurum pro Imperativo, ut ſuperius etiam in *Ibimus o ſocii.*

ODE VIII.

AD LYDIAM.

Sub fictis Lydiæ atque Sybaris nominibus exprobrat amicæ suæ rivalis amorem.

PRIMUS VERSUS CONSTAT EX CHORIAMBO ET BACCHIO; SECUNDUS EX EPITRITO SECUNDO, DUOBUS CHORIAMBIS ET BACCHIO.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frænis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia, sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?

---

2 Hoc deos *Gott.* G. *Idem habent codd. Bersm. Pulmanni et Bentl. unus MS. Bersm. dat* Hæc deos. Z. Properes *edd. Venet. Lamb. et Bentl. Sed recte Bentleius conjicit*, hanc mutationem *a librariis ortam esse ob seq.* oderit. *Idem valet de seq.* equitet *et* temperet, *quod est in edd Lamb. et Venet.* Z.—4 Impatiens *conjicit Crusius. At vulgatum est verum; modo interpreteris*, qui olim fuit patiens. Z.—5 Militares *duo codd. Bersm.* C.—6 Equitat *etiam Brod.* equitet-temperet *al.*

---

2 *Properes* apud Bentleium vitiosum est, ipso judice; nam *ἀναπολυθίαν* sapit, ut patet ex sequentibus. Natum fatetur hoc de *Oderit*, quod usurpatur pro Præsenti Indicativi Declinationis necessitate.

3 *Non per Antiphrasin, sed vere.* Vet. Schol. Cruq. Perdere dixit pro dementare, et bene *properas.*

Apricum posuit, quod latebat inter mulierculas.

4 *Oderit*, h. e. nauseaverit, vel non tulerit. B. *Campum*, sc. Martium, ubi exercitationes gymnasticæ habebantur. Z.

Cum jam possit ferre militares labores. Vet. Schol. per ætatem scilicet.

6 *Lupata frena sunt aspera.* Vet. Schol. A lupinis dentibus, quia inæquales sunt, ut inquit Servius. Mancinellus. *Et placido duros accipit ore lupos.* Ovid. Fast. 4. 6. 4. ut adnotavit Torrentius. B. *Gallica ora*, ora equorum Gallicorum, ob velocitatem et ferociam celebrium. Z.

8 *Flavum* jam posuit ut perpetuum Epitheton. *Qui in Campo Martio exercebantur, etiam natabant post exercitium, quia et hoc videtur necessarium militiæ esse.* Vet. Schol. Idem adnotavit Mancinellus ex Vegetio.

Hoc olivum erat ceroma, sive oleum ceræ mixtum. Mancinellus. Ergo notatur luctatio. Sensus est: cur plane abhorret a lucta? Z.

10 *Livida armis*, ob pondus et frictionem disci. Z.

11 *Discus e ferro fieri solebat, vel ex ligno, vel ex ære, ex lapide vero ut plurimum, loro medio ejus circumdato, quo contorquebatur et emittebatur.* Lambinus ex Eustathio in Homerum. *Posinactum dicebant certi ponderis discum quo juvenes in agone contendebant.* Vet. Schol. Cruq. Notandum vocem istam *Posinactum* non alias comparere: componi autem videtur a *pos* et *nactum* passive

Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis ſub lacrimoſa Trojæ
Funera, ne virilis
Cultus in cædem et Lycias proriperet catervas?

ODE IX.

AD THALIARCHUM.

Horatius, dum fingit ſe adhuc doctrina Stoicum, adoleſcentes nobiles, ſub ficto Thaliarchi nomine, a cogitatione Reipublicæ ad Epicuream et aulicam vitam allicit.

DUO PRIORES VERSUS ALCAICI, QUI CONSTANT EX PENTHEMIMERI IAMBICA CÆSURA ET DUOBUS DACTYLIS. TERTIUS DIMETER IAMBICUS HYPERCATALECTICUS. QUARTUS PINDARICUS DACTYLICUS EX DUOBUS DACTYLIS ET DUOBUS TROCHÆIS.

Vides, ut alta ſtet nive candidum
Soracte, nec jam ſuſtineant onus
Silvæ laborantes, geluque
Flumina conſtiterint acuto.
Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

4 *Acuto.* Sunt qui interrogative efferri velint. Z.—6 Benignior *conj. Cun.*—7 Sabino *conj. Galeus ap. Bentl. quaſi dicta ſit a Gr.* διώτης.—8 Dyota *ed. Venet. et Glar.* Z.

accepto; ut, Poſimœrium pro *Pomœrium.* Hinc Anglica vox, A POLNET, pro caudato ahenulo. B. Aut malo equidem fateri, me neſcire, quid ſit Poſinactum, aut quid ſi eſt Ποσίναξος, ποσὶν ἀκὸς pedibus agitabilis diſcus? qui non manu projicitur, ſed impellitur pedibus. G.

12 *Expedito*, emiſſo, jacto. Z.

13 *Quid latet*, cur non in publicum ad exercitationes et munera viri prodit? Z.

14 Achillem mater ſua in Scyro inſula inter filias Lycomedis educari pro puella voluit. Ille virum ſe prodidit amicæ primum, deinde aſtu Ulyſſis, inter muliebres nugas arma venditantis, detectus in caſtra Græcorum ad Trojam abducitur, pugnaturus contra *Lycios* etiam Trojanorum ſocios, ultimos in Catalogo Homerico, Sarpedone et Glauco ducibus. G.

16 Idem eſt *proriperet* quod *protraheret*, niſi quod illa ſit paullo moderatior vox. B. *Cultus*, veſtitus. Z.

ODE IX.

1 Stet, *plenum ſit*, quale ſtant *pulvere campi*, *apud Ennium.* Vet. Schol. B. *Stet*, potius interpretor, rigeat, horreat. G.

2 *Notandum autem quod neutro genere Soracte dixerit, cum vulgo Soracx dicitur: eſt autem hic mons in Phaliſcis.* Vet. Schol. Vulgo *Monte di Santo Silveſtro.*

4 Enargia: effractæ glaciei fruſta ſtabant erecta. *Quod frigus velut vitrum acutum ſit.* Vet. Schol. B. *Gelu acutum* ſimpliciter vehemens interpretari malim: illa imago V. Scholiaſtæ, et Baxteri videtur magis ad gelu poſt ſolutionem denuo ingruens pertinere. Verbum *conſtiterint* ſuadet, ut hoc intelligamus de primo

Permitte divis cætera; qui ſimul
Stravere ventos æquore fervido
  Deprœliantes, nec cupreſſi,
    Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere; et
Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
  Appone; nec dulces amores
    Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abeſt
Moroſa. Nunc et campus, et areæ,
  Leneſque ſub noctem ſuſurri
    Compoſita repetantur hora:
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo,
  Pignuſque dereptum lacertis
    Aut digito male pertinaci.

14 Fors, *Lambin. ex codd.*—16 Tu *diſplicet Scaligero, et abeſt a duobus codd. Bentleii, qui rectè defendit.* Z.

frigore. Sic Ovid. Tr. 5. 10. 1. *Ut ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter:* tres hiemes ſignat. G.

6 *Benignius* jam liberalius.

8 *Thaliarchus*, Magiſtrum convivii notare videtur: ſed potuit etiam certum amicum ita deſignare. *Diotam* eſſe amphoram, quatenus menſuræ id nomen eſt, non auſim confirmare: *Sabinam* malit dici Torrentius a patria ipſius Diotæ, quam vini: Cum vinum *Sabinum vile* vocet ipſe Poeta mox 20. 1. Sed tamen hoc ipſo loco Mæcenati illud promittit. G.

Diotam a duabus auribus amphoram, ſive quadrantal, vocat: continet autem 48 *ſextarios.* Lambinus. *Sabinam* vocat ob vinum Sabinum, quod in ea condebatur.

9 Elegantiſſima Allegoria, qua ſignificat pacificum Auguſti imperium, deorum voluntate ſtabilitum. B. *Simul*, h. e. ſimulatque. Z.

10 *Fervidum æquor* velut ab igne bulliens. G. Nempe quia antea procellarum vi agitatum erat. *Stravere*, ſedaverunt, repreſſerunt. *Deprœliantes*, inter ſe certantes per mare. Z.

14 Vet. Schol. et plurimi Codd. habent *ſors*, non *fors*, quaſi diceret *ſors tua.* B. *Lucro app.* deputato tibi eſſe in lucro, quia præter ſpem ad vitam, quæ tam caduca et incerta eſt, acceſſit. Z.

16 *Puer* pro, *dum puer es.* Vet. Sch.

18 *Moroſa, difficilis: nam moroſi dicuntur multorum morum inter ſe contrariorum.* Vet. Schol.

Loca in urbe pura areæ *dicuntur.* Varro. B. *Campus et areæ*, ambulationes et ludi in Campo Martio et urbis areis. Z.

19 *Leues ſuſurri*, confabulationes ſubmiſſæ cum puellis. Z.

21 *Latentis;* Virgilianum eſt, ſic enim ille; *Et fugit ad ſalices et ſe cupit ante videri;* quod et Vetus Interpres innuit. B. Fingendus eſt ludus, ubi aliquis vel videns, vel alligatis oculis, quærere jubetur *latentes;* ubi *pignus* dare, qui peccavit in leges ludi, quod deinde imperato aliquo actu reluendum eſt. *Lacerto* armilla deripitur, *digito* anulus. *Male pertinax* puella, *quæ male repugnat, tanquam quæ vincere nolit.* G.

23 Malim cum Cruquiano Interprete optimiſque MSS. *dereptum* quam *direptum* legi.

24 *Male pertinaci; male in tenendo perſeverante.* Vet. Schol. Eleganter.

Lepidiſſimum Alcæi Fragmentum, quod in hac Ode imitatus eſt Horatius, nos ita expreſſimus.

Τὶ μὲν ὁ Ζεὺς, ἐν δ' ὠρανῷ μίγας
Χειμὼν, στερεφᾶται δ' ὐδάτων ῥοαί.
  Κάββαλλε τὸν χειμῶν' ἀπ' ἐνδελὰς σὺς,
  Ἐν δὲ κέρνας οἶνον ἀφειδέως
  Μαλιχρόν. . . . B.

Ex Athenæo l. 10. attulerat Lambinus. Paullo aliter Rutgerſ. G.

ODE X.

AD MERCURIUM.

Mercurio Deo ſuo tutelari, (V. 2. 17. 29.) ex imitatione Alcæi, Hymnum canit.

METRUM SAPPHICUM.

MERCURI, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, et decoræ
More palæſtræ,
Te canam, magni Jovis et deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem,
Callidum, quicquid placuit, jocoſo
Condere furto.
Te, boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Riſit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, ſuperbos,
Ilio dives Priamus relicto,

---

1 *Interpunctio hæc debetur Bentleio. Vulgo interpungunt poſt facunde.*—2 Cœtus *conj. With.* —4 Humore, *h. e. ceromate, conj. Heinſius. Damnat conjecturam Bentleius.* Z.—14 Relicta *conj. Cun. fruſtra. Nam quamquam* IV. 9. 18. *eſt femininum: aliis locis tamen eſt neutrum, ut* III. 19. 4.: IV. 4. 53. &c. Z.

---

1 Calumniatur Harduinus, Mercurium vero Horatio eſſe modo lucri Deum. Sed cum Græce eruditum fuiſſe conſtet, nonne potuit etiam hoc e Græco fonte petiiſſe? G. *Nepos.* Nam Maia erat filia Atlantis. Z.

2 *Feros cultus* modo ferinos appellat mores: ſiquidem *mutum et turpe pecus* initio eramus.

3 *Voce formaſti*: Mercurius primus vocem finxit et geſtum et inceſſum: Conſtat etiam ex Fabio Inſtitut. Lib. 1. cap. 11. palæſtritas fuiſſe illis temporibus quod hodie ſaltandi artifices.

Catus, Sabinorum lingua Acutus eſt. Varro, ut oſtendit Mancinellus. B. H. e. ſolers, ingenioſus. Z.

4 Vetuſte *More* pro *Modo* poſitum eſt: Atque hoc eſt pro *Arte*.

6 *Curva lyra* vel gibboſa, ſi eadem eſt quæ chelys vel teſtudo; vel inter *Curva* cornua bubula intentas fides habens. G.

Parentem; ipſe enim *dicitur Lyræ inventor, ut Apollo Caducei.* Vet. Schol.

7 *Jocoſo, mire moderatur dicendo jocoſo*: jocoſum *autem furtum vocavit artem Præſtigiatorum, quam ipſe invenit.* Vet. Schol. Nam et Caduceus et Inſtrumenta Muſica, uti et cæteræ ſubtiliores artes, ad præſtigiaturam pertinere credebantur. B. *Callidum condere*, Græca conſtructio eſt, ad condendum, ſ. qui artem occultandi calles. Z.

9 *Te, boves; Fabula hæc ab Alcæo facta.* Vet. Schol. Admeti hæ erant boves.

10 Iterum Charientiſmo utitur, dicendo *amotas* pro *ſurreptas*. B.

Amoviſſe dicitur, qui de hereditate, de patris bonis, aliquid clanculum ſibi aſſumit. G.

12 Inter ipſas minas Apollinis Mercurius etiam pharetram illi ſubduxit, et riſum ea re expreſſit licet irato. *Viduus riſit* Græco more, riſit ſe viduum, vel privatum, fraude Mercu-

Theſſaloſque ignes et iniqua Trojæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus et imis.

ODE XI.

AD LEUCONOEN.

Sub nomine Leuconoes nobiles Romanas a Matheſi deterret. (h. e. ab artibus divinatoriis. G.)

METRUM CHORIAMBICUM HENDECASYLLABUM CONSTANS SPONDEO, TRIBUS CHORIAMBIS ET PYRRICHIO VEL IAMBO.

Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dì dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quicquid erit, pati!

1 *Valde turbati verſus et numeri hujus carminis in Flor.* 1482. *Sed nihil mutat Gott.* G.— 2 Dederunt *MS. apud Bentl.* Neu *corr. Cun.* Leucothoë *quidam codd. ap. Glar.*—3 *Pro* ut *conj. Cruſius* ſit, *et* at *Burmannus ad Suet. Veſp.* 33. Z. Temptaris *MSS. tria Berſm.*

riali, pharetra ſua. Suaviter illa Mercurii furta pinguntur in Hymno in Mercurium Homerico. G.

13 *Duce te;* vide Iliad. Ω. B.

Priamus cadaver Hectoris ſui redemturus ab Achille, qui illud circa mœnia Trojæ raptare inſtituerat. G.

14 *Dives; Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.* Virgil.

15 *Theſſali ignes:* Achillis erant vigiles ignes. B. *Iniqua Tr.* h. e. Trojanis infeſta et hoſtilia. Z.

17 Animarum quidam dux ad inferos Mercurius, de qua re luſit Seneca in Claudium, et multa Lucianus in dialogis mortuorum: *levem turbam* pulchre vocat animas illas et εἴδωλα, quorum totæ cohortes flatu oris abigi poſſunt. G.

18 *Virgam dicit Caduceum quod primo Apollo habuit, et donavit Mercurio, Lyra ſibi tradita.* Vet. Schol. Veteres etiam Regum Sceptris, quæ a Diis ipſis tradita credebant, vim quandam divinam ineſſe exiſtimabant: qua de re Homerus paſſim.

ODE XI.

1 Ad Emphaſin poſuit, *Tu ne quæſieris*; quaſi diceret; *Aliæ hoc faciant, quæ minus quam tu ſapiunt.*

Ordo eſt, *Quæſieris ſcire*, non *nefas ſcire:* Eſt autem *Nefas* διὰ μέσου legendum; et bene ſubjicitur *Dii dederint:* namque horum eſt de nobis quod libet decernere. B.

Et tamen mihi magis placet jungere *ſcire nefas*, id quod ſcire nefas eſt, vel, eſt enim ſcire nefas. G.

2 *Leuconoë* quaſi tu *candidam animam* dicas, blanda compellatio caræ mulieris. G.

Babylonios numeros dicit, quos Cicero alicubi *Chaldaicas Rationes. Babylonii enim Aſtrologiam inveniſſe traduntur, per quam Geneſis colligitur.* Vet. Schol. B. *Babylonios numeros* intelligere juvat præſertim *ephemeridas*, in queis curſus, conjunctiones, comparationes planetarum de-

Seu plures hiemes, ſeu tribuit Juppiter ultimam,
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et ſpatio brevi
Spem longam reſeces. Dum loquimur, fugerit invida
Ætas; carpe diem, quam minimum credula poſtero.

ODE XII.

AD AUGUSTUM.

Poeta dum ancipitem ſe fingit quem deum præcipue canat, dumque omnes per Oratoriam παράλειψιν (ut loquitur Vetus Scholiaſtes) carmine celebrat, Auguſti tamen laudes (ſecundum Jovem) cæteris præponit. Atque in hac gratificatur Auguſto, qui (auctore Suetonio c. 31.) proximum a diis immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit, qui imperium P. R. ex minimo maximum reddidiſſent. Itaque et opera cujuſque manentibus titulis reſtituit, et ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque fori ſui porticu dedicavit.

METRUM SAPPHICUM.

QUEM virum aut heroa lyra, vel acri
Tibia ſumis celebrare, Clio?

7 Diffugit *ed. Ald. quod placet Fabricio.* C.

ODE XII.

2 et 3 Summis *etiam Brod.* recinit *etiam Gott.*

ſcriptæ ad uſum divinandi: quos etiam *Thraſylli numeros*, forte cum reſpectu ad h. l. vocat Juvenalis 6. 576. ubi totum locum de ſtudiis matronarum aſtrologicis tractat. V. G. v. 565. *Conſulit ictericæ lento de funere matris, Ante tamen de te Tanquil tua.* G.

3 *Ut melius!* h. e. quanto conſultius! Nam et exclamative legit vir elegans Antonius Muretus. *Nihil tam irridebat Epicurus quam prædictionem rerum futurarum.* Cicero de Divinat. notante doctiſſimo Mancinello.

5 Significat hæc a ſe ſcripta fuiſſe hiberno tempore. *Suaviter debilitat.* Vet. Schol. B. Periphraſis hiemis, quæ ut ſolet eſſe tempeſtatibus agitata, frangit fluctus maris Tyrrheni, ſ. inferi, ad moles Bajanas et alias, in ea vicinia, villarum maritimarum et ſimilium voluptatis locorum cauſa objectas, unde *contracta piſces æquora ſentiebant*, vid. Car. 3. 1. 33. His molibus ſtruendis nihil fuiſſe commodius, i. e. firmius *pumice Pompeiano*, et *Puteolano pulvere*, ab igni ſubterraneo elaboratis, docet Vitruv. 2. 6. et 5. 12. G.

6 Plane Eraſmo aſſentior, *Sapias* et *liques*, Imperative ſumenda, non Conjunctive, ſubintellecto *ſi*, ut putavit Priſcianus, et Vet. Schol. *Ut plus capiamus ſacco frangimus vires.* Plin. *Sacculis et colis mixta nive et glacie.* Torrent. B. *Vina liquantur* ſacco, *tenui vimine rarius contexto, inverſæ metæ ſimili* Colum. 9. 15. 12. ubi jam laudavi Rhodium ad Scribon. c. 122. p. 196. *Utiliſſimum* autem vinum eſſe *omnibus, ſacco viribus fractis*, docet Plin. 23. 1. ſ. 24. G.

Propter breve ſpatium. Vet. Schol.

7 *Reſecare* proprie de unguibus et ſimilibus. *Reſecat de tergore partem Exiguam.* Ovid.

Fugit hora, quod loquor inde eſt.

8 *Carpe diem: Tranſlatio a pomis.* Vet. Schol.

ODE XII.

1 Ἀνεξιφόρμιγγες ὕμνοι, Τίνα θεὸν; τίν' ἥρωα; Τίνα δ' ἄνδρα κιλαδήσομεν; Pindarus. *Quem vi-*

Quem deum? cujus recinet jocoſa
Nomen imago,
Aut in umbroſis Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo, gelidove in Hæmo?
Unde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſilvæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celereſque ventos;
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam ſolitis parentis
Laudibus? qui res hominum ac deorum,
Qui mare et terras, variiſque mundum
Temperat horis.

10 Fluminis *coll. Sax.* G.—13 *Vulgaris lectionis* parentum *ſenſus videtur hic: Quid (h. e. quem) prius laudabo more parentum noſtrorum? cum qui*, &c. *At ſic diſplicet* Quid, *nec ſatis ſequentia reſpondent. Cum Baxtero et Geſnero per* laudes parentum *intelligere ipſum Jovem, eſt valde durum. Conjectura Mureti, quam confirmat MS. Pulmanni*, Quid prius dicam? ſolitis parentem laudibus, qui, &c. *Merito damnatur a Bentleio, qui cum Lambino recepit ex codd. optimæ notæ* parentis, *h. e. Jovis. Lectionem hanc, ob facilitatem, probatam Heinſio, Cun. aliiſque, nos recipere non dubitavimus.* Z.—14 Rex homin. *MSS. quidam.*—15 Ac terras *Bentl. e codd.* nonnullis.

rum de vivis? quem heroa de mortuis? Vet. Schol.

2 Cum Torrentio, Lambino et Veteri Scholiaſte legimus *ſumis* et *recinit* in Præſenti; non ut reliqui *ſumis* et *recinit* in Futuro, quod longe ſuavius videtur.

3 *Recinet* recte præfert cum aliis Bentleius. Nam *ſumis celebrare* habet vim Futuri, quicum *recinet* pulchre convenit. G. *Sumis* et *recinet* eſt in edd. Venet. Glar. Sed Lambinus edidit ſumes, et recinet. Eraſmus apud Glar. legit *recinat.* Z.

4 Sic vocem repercuſſam, quæ echo vocatur, deſcribit etiam mox 20. 8. G.

7 *Vocales dicuntur homines ſummæ vocis.* Vetus Schol.

Confuſe, Vet. Schol. quia ſumma cum feſtinatione.

9 Veteres artem præſtigiatoriam Muſicis æque ac Mercurio tribuebant. B. Mater Orpheo aſſignari ſolet Calliope, quæ vel ſola facit, uti Muſæ non omnes ſint virgines. G.

10 Quid opus eſt Bentleii veteri ſcriptura *labſus*, &c.? Hæc enim jam olim Grammaticorum Arte intercidit. Nollem etiam Accuſativum Pluralem tertiæ (Declinationis) ſemper terminari in *is* Bentleiano ritu, et ſecundum veterem ſcribendi uſum.

11 Auritas, *audacter dictum.* Vet. Schol. B. H. e. auſcultantes. *Blandum ducere*, qui blando cantu, fidibus demulcendo, ducebat. Z.

13 *Quibus laudibus uſi ſunt parentes.* Vet. Sch. Cruq. Apage *ſolitis parentis* Dan. Heinſii. *A Jove Principium.* Virg. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα. Aratus. Cum plerique Codices, etiam vetuſtiſſimi, *parentum* nobis repræſentent, maluit tamen Vir magnus, cum Daniele Heinſio, ſingulare nomen *parentis*, ne turbaretur conſtructio: neque advertit *ipſum Jovem* modo dici poſſe *parentum*, ſive *Majorum laudes*, facili Figura; atque commodius etiam *Laudes* poſitæ ſunt quam *Laus*, quod omni tempore quotannis recurrerent feſto tempore *Laudes* Jovis. *Qui* autem (V. 15.) pro *Ille qui* eſt; nam Jovem modo περιφραστικῶς nominat, laudando ſcilicet: Condonandum eſt vero τῷ Ἀναπολάστῳ. Sic et Virgilius pro *O Jupiter, O qui res hominumque Deûmque Æternis regis imperiis.* B.

Laudes ſolitæ parentum ſunt conſueta metonymia ipſe Jupiter, *qui res hominum*, &c. In maſculino pronomine *qui* eſt Syneſis. Lectionem noſtram non ferit objectio Harduini, Jovem non recte *Parentem* dici: ſed ea alioquin vana eſt. G.

16 *Traxit Temperat a Lyra.* Vet. Schol. B. Hoc voluit Vet. Schol. in verbo *Temperat* eſſe

Unde nil majus generatur ipſo,
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Prœliis audax neque te ſilebo
Liber; et ſævis inimica virgo
Belluis; nec te, metuende certa
Phœbe ſagitta.
Dicam et Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,

19 Occupabit, *ſc. in hoc carmine, conj. Puteani, Heinſ. Rutg. et Dacer.* Z.—28 Sidera fulgent *Flor.*

alluſum ad lyram, cujus fides *temperari* dicuntur. *Horæ* enim ſunt *tempeſtates*, quarum præcipuæ velut Tetrachordum quoddam conſtituunt. Macrobius Satur. 1. 19. ubi ſolem facit etiam Mercurium, ait *Tetrachordum ei attributum* ſignificare *quatuor vices temporum, quibus annus includitur.* Ceterum *Temperare ſirepitum teſtudinis* dicitur muſa noſtro Car. 4. 3. 17. G. *Mundum*, cœlum, quæ eſt pars hujus univerſi. Z.

17 *Unde* ad perſonam refertur, ut *unde petitur*, id eſt, reus. Ex Jove *nihil majus ipſo generatur.* Itaque cavit ſibi Promethei monitu a Thetide, cui fatale erat parere ſuo genitore fortiorem. Æſchylus Prom. Vincto v. 767. ἢ τίξεταί γε παῖδα φέρτερον πατρός. G.

18 *Secundum Aruſpicum dicta, vel diſputationes, qui Jovem primam, ſecundam et tertiam partem cæli ſolum volunt in fulminibus tenere.* Vet. Schol. B. Ut Baxterus dedit verba Vet. Schol. ita edita ſunt etiam a Fabricio. Sed Cruquianus ita, *Juxta aruſpicum reſponſa, qui Jovem fulminis in cælo volunt primam, ſecundam, et tertiam tenere.* An huc aliquid facit quod apud Serv. ad Æn. 8. 427. *dicunt Phyſici, de ſexdecim partibus cæli jaci fulmina?* G. *Viget*, excellit potentia et dignitate. Z.

19 *Proximos* ob uſum fulminis atque ægidis, quibus reliqui cœleſtes non erant armati.—Quid quod apud Homerum Pallas ſecundam ſedem teneat in Gentilium Triade Ἀλλ᾽ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον; B. Ultra etiam progreditur Heſiodus Theog. 896. Ἴσον ἴχνεσιν πατρὶ μίνυς, καὶ ἰσόφρονα βυλὴν, quam Jupiter ex Metis conjugis utero exemptam ſuo inſerucrit ideo, ut ſibi indicaret bonum et malum. G.

21 Hiulca videtur Bentleiana Diſtinctio poſt *Prœliis audax*, et verſum facit delumbem. B. *Prœliis audax* retrahi ad Pallada vult Bentleius, quem alii ſequuntur. Sed ſic poſt majus et longe auguſtius elogium Palladis ſubjicietur minutum comparatione, et Bacchus ſolo nomine indicabitur, qui audaciam non ſolo adverſus gigantas prælio, ſed præſertim expeditione Indica declaravit. Bacchi non minus quam Martis epitheton ἰνυάλιον ex Macrob. Sat. 1. 19. jam attulit Marcilius. Conf. Car. 2. 19. 21. G.

22 *Virgo*, Diana venatrix. Z.

23 *Certa*, quæ nunquam aberrat ab eo quod petit. Z.

25 *Græca conſuetudine pueros pro filiis.* Vet. Schol. B. *Alciden*, Herculem, Alcæi nepotem. Z.

26 Expreſſit Homericum, Κάστορα θ᾽ ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Ant. Muretus.

27 *Laus Stellæ a tempore, nam verno tempore naſcitur, quo et nives reſolvuntur. Vere novo gelidus canis cum montibus humor Liquitur* Virg. Georg. 1. 44. Vet. Schol. Verno etiam tempore navigabant. B. *Simul alba ſtella* veris paraphraſis, ſi audimus V. S. Sed potius finis tempeſtatis cujuſcunque hic ſignatur, quem adferunt *fratres Helenæ lucida ſidera*, ut dixit Od. 1. 3. 2. gemini illi ignes, unde σωτῆρες vocantur Caſtor et Pollux. *Simul* hic poni pro *ſimul ac*, facile apparet, ut 1. 4. 17. et 4. 7. 10. Sed an eadem vox notat etiam *una?* ut indicetur utriuſque ſtellam ſ. flammulam *ſimul* et *una* apparere debere? Sic puto: aliquanto plura dare poſſum exempla, ubi eadem vox eodem loco duplicem velut perſonam ſuſtinet, iis, quæ dedi

Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum, et Scauros, animæque magnæ
Prodigum, Pœno ſuperante, Paulum,
Gratus inſigni referam Camena,
Fabriciumque.
Hunc, et incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, et Camillum

31 Nam Sic *L. Bos ex MSS.*—38 *Sic ex MSS. Bentl.* Paullum ſuperante Pœno *al.*

in Lex. ruſt. v. DUPLEX. *Alba ſtella* felix eſt, præſertim ad ſerenitatem, hiemes *nigræ*. Singularem poſuit, quod ſuam ſibi quiſque fratrum ſtellam habet; ceterum tanto magis voce *ſimul* etiam conjunctionem flammulæ utriuſque notari arbitror. G.

29 *Agitatus, reſolutus.* Vet. Schol. Ex nive ſcilicet, quæ antea in ſaxis hærebat. B. *Agitatus humor* ſpuma eſt a fluctibus alliſis. Non audiendus hic Vet. Schol. G.

31 Cum alii legant *quia*, alii *Dii*, ego cum Vetere Scholiaſte retinui *quod*, quod ille exponit *cum*. Simplicius etiam nobis videtur quod a Scholiaſte ponitur, *quod ſi voluere*, quam Bentleii *ſic Dii voluere*, quod interpretamentum ſapit. Cuningamii *ſic ii voluere* vix Latinum eſt. B. Puto veterem Schol. qui exponit primam vocem per *cum*, legiſſe in libro ſuo *quom* vel *quum*. Pulchre ita majeſtas horum σωτήρων exprimitur, voluntate ſua ſola undam comprimentium. G.

34 *Superbos, magnificos.* Vet. Schol. Tarquinius Priſcus, devictis Hetruſcis, duodecim Hetruriæ Lucumonum ſceptra, quæ poſtea faſces vocabant, adeptus eſt.

35 *Tarquinī faſces* in *Junii* (Bruti conſulis) *faſces* mutari optat Cuningamus: Bentleius pro *an Catonis, anne Curtī* tentat legere: quod tyrannum laudare apud Romanos, Catonem apud Auguſtum, parum conveniat. Sed ne dicamus, utrumque eſſe contra libros: non probat poeta ſuperbiam Tarquinii, ne accuſat quidem: *ſuperbi* enim *faſces* ſunt magnifici, ut *poſſes* Carm. 4. 15. 7.: ſed memorabilem illam rerum ſub Superbo converſionem dignam poeta materiem ait: Catonem nec ipſum, licet aliquamdiu Brutianus, et Pompeianorum amicus, laudat ſimpliciter, ſed ea ratione mentionem viri facit, ut Carm. 2. 1. 24. Quidquid enim de partibus et cauſa Catonis ſentias *nobile* certe viri *letum* fuit, quod nec Auguſtus celebrari nollet, qui Catonem ut *civem* et *virum bonum* laudavit Macrob. Sat. 2. 4. et Ciceronem legi a ſuis nepotibus voluerit, tamquam eloquentem et amantem patriæ virum. Plut. Cic. extr. ſuamque Bruto ſtatuam relinqui, Plut. Brut. extr. G.

Hoc dicit ut Pompeianis ſuis gratificetur. Quo pacto Catonis laus diſplicere potuerit Auguſto, cum ipſe vellet videri a partibus ſtare veteris Reipublicæ, et ab his ad Imperium evectus, et cum Cæſariani magis faverent Marco Antonio, quam Auguſto? Subit igitur mirari magnum Bentleium hoc non vidiſſe; præcipue vero cum ipſe Poeta Brutianarum eſſet partium, quas nunquam ſub Auguſto non laudavit. Apage igitur *anne Curti nobile letum*. B.

37 M. Æmilius Scaurus vir graviſſimus et potentiſſimus et Princeps Senatus fuit. Hunc nominat quia et Auguſtus Princeps a Senatu ſalutatus eſt. Prudenter vitia ſua diſſimulavit, ut Auguſtus. Hinc legimus apud Juvenalem *fictos Scauros*. Vid. Salluſt. Bello Jugurth.

38 Gratiori dicitur ſono *Prodigum Paulum, ſuperante, Pœno*, quam Bentleii *Prodigum, Pœno ſuperante, Paulum*, quod et a pleriſque Codicibus confirmatum video. *Prodigi dicuntur proprie, qui bona ſua a ſe diſperdunt, et quaſi porrò a ſe agunt.* Vet. Schol. B. *Animæ* magnæ *prodigum* Paullum, q. d. parvum, ſuavi illa antitheſi dicit, quod exemplum Horatianis Oxymoris addere poterat Cuning. Animadv. c. 9. Loquitur autem de Æmilio Paullo, qui in prælio ad Cannas periit. G.

40 *Fabricium*, quem Pyrrhus magnitudine animi non minus quam armis ſecum certantem

Sæva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.
Creſcit, occulto velut arbor ævo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque cuſtos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæſaris fatis data: tu ſecundo
Cæſare regnes.
Ille, ſeu Parthos Latio imminentes
Egerit juſto domitos triumpho,
Sive ſubjectos Orientis oræ
Seras et Indos:

43 *Pro* ſæva *conj. Cruſius* læta, *et Bentl.* ſancta, *ac* caſta *With.* *Pro* apto *conj. Bentl.* arto. —45 *Pro* ævo *conj. Heinſius* arvo: *ad hanc conjecturam commendandam laudat Bentleius Hom. Iliad.* P, 53. Οἷον δὲ τρίφυι ἔηνος ἀνὴρ ἰμπλὴς ἰλαίης χάρμη ἐν οἰοπόλῳ, *quod Scholiaſtes interpretatur* ἰσήμῳ ἢ μονήρει. Z.—54 Domitor *ſeu* dominus *conj. Galei ap. Bentl.*—55 Oræ *Brod. Gott. Ro. Steph. coll. Sax. Bentl. Cun. Talb.* Oris *al.*

dicebat *difficilius ab boneſtate, quam ſolem a ſuo curſu averti poſſe.* Aur. Vict. de Vir. Ill. 35. G.

41 Curius Dentatus dixit eum eſſe perniciosum civem cui ſeptem agri jugera non ſufficerent. Torrent. B. Hic eſt ille contemtor auri Samnitium. V. Victor de Vir. Ill. 33. *Incomtis capillis*, intonſum et capillatum more antiquo, ſed non calamiſtratum, non unguentatum, quod ſequentis ætatis juvenum crimen fuit. G.

43 *Sæva, magna; Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector*, Virg. Æn. 1. 99. Vet. Sch. *Sæva* autem proprio ſenſu *atrociter fortis* eſt, et per hoc *terribilis*. Bentleii *ſancta* vapide ſonat. B. Potius ſeveram, duram et auſteram dicere, hic voluit poeta: quod facile uſus apud ipſum nominis oſtendit. *Aptum larem*, non majorem domum, quam pro portione agri binorum, ad ſummum ſeptenorum jugerum. G.

45 Solent præcocia ſubito flacceſcere, ſed quod paullatim accreſcit durabile eſt. Eraſmus. Notat et veterem et novam hujus gentis gloriam præcipue autem (juxta veterem Scholiaſten) *Marcellum Octaviæ filium ſororis Auguſti* ſignificat, de quo Virgilius, *Hic Marcellus erit.* B. Expenſis diſputationibus hominum eruditorum, nihil puto melius, quam Marcellum intelligere illum quinquies Conſulem Annibalis antagoniſtam. Marcellum juvenem annorum XVII. vivum hic laudare inter heroas, non conveniebat. Alia Virgilii cauſa, mortuo jam Marcello. Æn. 6. 862. Noſter ſatis blanditur genero et adoptivo Auguſti filio, quod veterem Marcellum commemorat. Tranſit deinde ad ipſum Julium Cæſarem, tanto illuſtriorem ceteris heroibus, quanto ſplendidior eſt lux lunæ ſideribus reliquis. De Julia Marcello nuptâ cogitare potuiſſe quemquam, mirum eſt. G. Senſus videtur hic: Gloria illius veteris Marcelli, qui temporibus Annibalis floruit, creſcit, quaſi renovatur, in Marcello Auguſti filio adoptivo, quemadmodum arbor ſenſim creſcit. Z.

47 Julia Marcello nupta Julium ſidus. Marcellus, ob nuptias Juliæ. Rodellius. Verum comparatio Lunæ oſtendit eſſe ipſam Iliam. Habuit etiam in animo Divi Julii aſtrum. B. *Julium ſidus* reſpicit ad *Dionæi Cæſaris aſtrum*, ut vocat Virg. Ecl. 9. 47.: *ſtellam crinitam*, de qua Serv. ad l. c. et Sueton. Jul. 88. et ipſis Auguſti verbis Plin. 2. 25. quæ cum ludis funebribus Cæſaris apparuiſſet, pro anima Cæſaris in cœlum recepti habita, et ſimulacro ejus in vertice addita eſt, ut in nummis hodie conſpicitur. G.

51 *Fatis* illis, quibus ſunt a Jove reges, ἐκ διὸς βασιλῆες, qui διογενεῖς ideo Homero. Vid. Spanh. ad Callim. H. in Jov. 79. Illud *ſecundo Cæſare* reſpicere videtur ad v. 18. ubi negavit *vigere quidquam ſimile aut ſecundum Jovi:* ut nunc corrigat ſuperiora. Bene tamen eſt quod rogat Jovem, ut ſibi ſecundum eſſe patiatur Julium [Auguſtum]. G.

53 Ob ſuperatum Craſſi exercitum ipſi Re-

Te minor latum reget æquus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

ODE XIII.

AD LYDIAM.

Horatius amicæ ſuæ, quam Poetico nomine Lydiam nominat, ob amorem Telephi Græci Poetæ atque ſodalis ſui furioſe zelotypus.

PRIMUS VERSUS GLYCONICUS; ALTER CHORIAMBICUS ASCLEPIADEUS.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia; væ! meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manet; humor et in genas

57 Lætum *MS. Ro. Steph. coll. Sax. Brod. codd. aliquot Lamb. et Bentl. it. ed. Venet.*

ODE XIII.

5 Calor *Flor.* 1482. *Sed in Landini comment.* color.—6 Manet *etiam Gott. Flor. Ro. Steph. al.* G. *Sed* manent *ed. Venet. antiqua et Lamb. et codd. ap. Lamb.* Z.

mæ et Latio imminebat Parthus. B. *Parthos Latio imminentes* Harduinus non poteſt concoquere. Sed poſt magnam victoriam non abſurdius eſt cogitare Parthos de Latio, quam Romanos de Euphrate; et quid ſi abſurde cogitarunt Parthi? quid ſi nimius hic fuit Horatius? G.

55 *Oris* plurium eſt Codicum, non Bentleii *oræ;* neque me deterret ſibilus. Certe *Seres* et *Indi* ſubjecti ſunt pluribus oris.

57 *Te minor* ſolo: ut Car. 3. 6. 5. *DIs te minorem quod geris imperas. Lætum orbem*, quod in MS. invenit Ro. Stephanus, mirifice mihi placet: ita profecto ſcripſiſſe malim ego, quam *latum:* in quo majeſtas eſt, at in *lætum* dulcedo: quam amat Horatius et commendat. G.

58 *Hoc ſecundum vulgarem opinionem dicit.* Vet. Schol.

60 *Parum caſtis, pollutis, ſecundum Pontificum et Aruſpicum documenta, quia dicunt nunquam fieri fulmina niſi in lucis pollutione aliqua alienis.* Vet. Schol. B. Expiare tales lucos fulmine attactos opus fratrum arvalium, de qua re ſuperſunt antiquæ inſcriptiones publicatæ a F. Urſino ad Cato. R. R. 141. et ea occaſione etiam a nobis declaratæ p. 128. ſq. G.

ODE XIII.

2 *Roſeam;* Roſaceo nitentem: *Roſea cervice refulſit.* Virg.

Cerea, Ceræ ſimilia. Vet. Schol. Qualia ſcilicet cereæ imagines referunt. Nequeo ſatis mirari potuiſſe Bentleio placere *lactea* pro *cerea*, idque tantum autoritate Capri Grammatici, qui lapſus videri poſſit ſua memoria, quod ſæpe aliis Veteribus accidiſſe novimus. B. *Cerea* malim interpretari mollia, i. e. flexilia, mobilia, ut *Cereus in vitium flecti.* Recte Landinus, *Oſtendit autem ex hoc agilitatem, quæ corporis non parva laus eſt.* G.

Repetitio vocis Telephi habet Ethopœian, ſeu Mimeſin Lydiæ identidem Telephi nomen in ore habentis, quod augebat zelotypiam.

Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ, ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oſcula, quæ Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.
FELICES ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

16 Quanta! *conj. Ramires. Pentecont.* 50.—19 Divulſos *conj. Bentl.*

3 *Væ! dolentis eſt.* Vet. Schol.

4 *Difficili*, ab effectu, quia difficiles reddit. Chriſtoph. Landinus.

Jecur iræ et libidinis ſedes, ob commotam bilem.

5 *Mens* etiam memoriam continet.

6 Aſſentior Bentleio melius poni *manet* Singulari numero, quam *manent* Plurali; etſi parum interſit.

7 *Furtim*, me non advertente. Mancinellus.

8 Adeo languidis, ut vel ipſum amantem lateat ignis, *Lentis*, *diuturnis*. Mancinellus. LINGERING.

Penitus, *valde interius*. Vet. Schol. B. *Ignibus*, cruciatibus, doloribus animi vehementioribus. Z.

9 Uror. *Aſpectu crucior*. Vet. Schol.

11 Furens, *impatientia amoris*. Vet. Schol.

12 *Memorem notam* tranſitive, quæ memoriam ſervat, ut *memores faſtos* Car. 3. 17. 4. G.

16 *Quinta parte*, h. e. *Cæleſti*: Cœlum ſive æther quintum elementum, *ex quo aſtra et animæ ſingulares*. Cicero. B. De illo quinto Ariſtotelis elemento videri poſſunt quos laudat Daviſ. ad Cic. Acad. 1. c. 8. Huc vero reſpicere poetam, non valde mihi probabile videtur: multo minus audiendus Dacerius, qui hic illam *Quintam* Paracelſi *Eſſentiam* magna cum aſſeveratione inculcat, cœleſte illud, quod ex omni genere corporum elicere ſe ſperant quidam Chemici. Vid. Conring. de Hermet. medic. 2. 9.: contra quem diſputans Borrichius Hermet. 2. 6. prudenter ab hoc loco abſtinet. Scholiaſtæ veteres et ſemiantiqui, in his etiam MS. Gotting. trahunt ad quinque illos gradus vel partes amoris Venerei, quos habet notus verſiculus *Viſus*, *colloquium*, &c. et Donatus ad Ter. Eun. 4. 2. 12. Quid? ſi recte huc advocavit Marcillius locum Ibyci apud Athenæum 5. ubi *mel nona* eſſe *pars Ambroſiæ* dicitur: et Schol. Pindari Pyth. 9. qui *mel decimam partem immortalitatis* a quibuſdam dictam memorat. Qui probant illud *quanta*, de quo in varietate lectionis monui, ſuperſedere hac diſputatione poſſunt. G.

18 *Copula* funiculus quo venatorii canes retinentur. *Utque canem pavidæ nactum veſtigia cervæ Latrantem fruſtra copula dura tenet*, Ovid. Tr. 5. 9. 28. Mancinellus. *Copula proprie dicitur cujuſlibet rei duplex numerus, unde tractum eſt, ut matrimonium copula diceretur*. Vet. Schol. B. Sumſit, ut hodie Francogalli ſuum *couple*. Eodem jure, i. eadem injuria, poterat *copulam matrimonialem* inculcare, aut laudare Plaut. Pœn. 1. 2. 132. G. *Malis*, ſummis, quæ tantæ ſunt, ut amorem penitus extinguant. Z.

ODE XIV.

IN SEXTUM POMPEIUM CIVILE BELLUM RENOVANTEM.

Perpetua hac Allegoria, qua ex imitatione Alcæi Rempublicam lacero navigio comparat, Pompeianos ſuos a renovando Bello civili deterret. (Quinctil. 8. 6. 44. exemplum laudat allegoriæ hunc locum, *quo*, inquit, *navim pro rep., fluctuum tempeſtates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit.* T. Faber, Epiſt. 1. 53. poſt Muretum negat hic eſſe allegoriam, ſed alloqui Horatium navim, qua poſt Philippenſe prælium vectus fuerit in Italiam. His aſſentitur non gener modo Fabri Dacerius, ſed ipſe Bentleius etiam. Crever. in Hiſt. Ro. probat allegoriam et collocat in tempus a Philippenſi prælio proximum: Sanadonus autem in illud, quo vel ſerio vel ſimulate deliberabat de rep. reddenda Auguſtus. Me nondum pœnitet modeſtiæ, quam ad Quinct. l. c. profeſſus ſum: nec auſim mihi ſumere arbitrium cauſæ tantis hinc auctoritatibus, hinc ingeniis defenſæ. Illud modo obſervari velim, propter verſus 17. et 18. non videri poſſe intelligi totam rempublicam; verum quatenus Pompeiana fuerat: deinde illud, quod recte etiam Baxterus præcipit, non eſſe opus in allegoria, ut moroſe omnes illius partes examinentur et ad rem ſignificatam applicentur. Suavis eſt, ſi uſquam, hic Harduinus, qui ſcriptam ait hanc oden A. C. 1233 vel 1234, cum Johannes Brennenſis comes Imperium Romaniæ ſuſcepturus mari Byzantium peteret. G.)

DUO PRIMI VERSUS CHORIAMBICI ASCLEPIADEI, TERTIUS PHERECRATIUS, QUARTUSQUE GLYCONICUS, SIVE TRIPODIA DACTYLICA.

O NAVIS! referent in mare te novi
  Fluctus? O! quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
  Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque gemant? ac ſine funibus
  Vix durare carinæ
    Poſſint imperioſius

MS. Gott. lemma habet, In navim de Bruto reparente bellum: immo ad remp. vel Sextum Pompeium.—1 Referunt *Cun. conj.*—6 Gemunt, *et* 8 Poſſunt, *e conj. Bentl. et Cun.* poſſunt *etiam Brod.* G.

1 Exſtat luculentum hoc Alcæi Fragmentum, quod reperitur ap. Heraclid. Pont. de Alleg. Hom. p. 413.

Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσον ναῦ
Φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ
Χειμῶνι μοχθιζόντες μεγάλῳ· καλὰν
Πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἰσοπίδαν ἔχει.
Λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἤδη,
Καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό·
Χαλᾶσι δ' ἄγκυραι. * * *

3 *Vides ut gemant* non eſt abſurda locutio, ut

Æquor? non tibi ſunt integra lintea,
Non Dî, quos iterum preſſa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvæ filia nobilis,
Jactes et genus et nomen inutile;
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper ſolicitum quæ mihi tædium,
Nunc deſiderium curaque non levis,
Interfuſa nitentes
Vites æquora Cycladas.

10 Prenſa *conj. Heinſius ap. Bentl.*—14 Tumidus *et mox* fidat *conj. Scalig. ap. Bentl.*

propterea aliquid mutandum ſit. Viſus pro quocunque ſenſu ponitur. Ipſe Cic. Div. in Cæc. c. 15. *In clamando quidem* video *eum eſſe bene robuſtum atque exercitatum*, &c. G.

4 Detergentur in conflictu navium, vel ad ſcopulos vicinos remi. G.

6 Importuni ſunt qui partes hujus Allegoriæ nimis moroſe penſitant.

Funes dicit quibus carinam jam diſſilientem vincire ſolebant nautæ, quod fiebat in extremo periculo. ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον. Act. 27. 17. B.

Funes plurium navium, quibus ancoræ demittantur, et *carinas*, intelligi vult Bentleius. Et ſane *carinæ* indicant ſermonem eſſe de pluribus navibus, quarum exemplo ſuam monet poeta. Neque enim unius navis niſi una carina eſt. G.

7 Demiror diſplicuiſſe Bentleio *carinæ* multitudinis numero, cum unam tantum alloquatur navem. Quo pacto tantus vir ignorare potuit ex uſu eſſe Latinæ Linguæ, præſertim apud Poetas, Plurativo uti Amplitudinis, decoris gratia; ſicuti *tecta* pro *tectum*, *æquora* pro *æquor*, et ſimilia infinita?

10 *Ipſi* Dii Tutelares de propria ſede excuſſi ſunt.

11 Ex Ponto optima materia fabricandis navibus. Etiam *Sexti Pompeii pater de Mithridate triumphavit.* Vet. Schol. Dilogia.

14 *Dicit Stemmata et divitias neceſſitati ultimæ non prodeſſe.* Vet. Schol. B. *Timidus*, qui metuit procellas et tempeſtates. Z.

16 Ὀφλισκάνεις γέλωτα. Muretus. B. Senſus eſt: niſi te vi ventorum agitari et naufragium facere malis, noli iterum te mari committere, allegorice, belli fortunam tentare. Z.

17 *Oſtendit Poeta ſe partium Bruti fuiſſe.* Vet. Schol. Erat Tribunus Militum ſub Bruto. B.

Tædium proprie ad nauſeam, et moleſtiam navigandi pertinet: allegorice poteſt oſtendere, ſibi quædam non placuiſſe in illis partibus: *deſiderium* eſt eorum, quorum abſentiam dolemus, vel mortem adeo. G. *Tædium*, ſc. eras, cum ego in te navigabam, h. e. bello intereram: *Levis*, ſc. es, h. e. nunc deſiderio tui commotus vehementer metuo, ne prorſus pereas. Z.

18 *Ob miſerationem Bruti.* Vet. Schol.

19 *Nitentes, longe apparentes.* Vet. Schol. Ægæum pelagus maxime tempeſtuoſum. Tanaquillus Faber Quinctiliano doctior Allegoriam improbat: Imo et magnus Bentleius, omnibus doctior, eandem amplectitur ſententiam. B. *Interfuſa æq.* mare quod eſt inter, &c. Z.

ODE XV.

IN M. ANTONIUM ET CLEOPATRAM.

Exempla Paridis luxurioſi Juvenis M. Antonium a Civili Bello deterret. (Similia vetuſtiſſimus liber Torrentii, MS. Gott. Landinus, Locherus cet. et probat allegoriam Sanadonus. Ac difficile eſt rem negare ſimpliciter: ſed nec eſt, quo refellas eum, qui dicat, luſiſſe Horatium vel imitatione vel tranſlatione adeo Græci Carminis. Equidem puto, ſi cogitavit Antonium et Cleopatram Horatius, illum modo cogitaſſe, nihil aliud. G.)

TRES PRIMI VERSUS CHORIAMBICI ASCLEPIADEI, QUARTUS GLYCONICUS.

PASTOR cum traheret per freta navibus
Idæis Helenan perfidus hoſpitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ

2 Helenen *dant edd. Venet. Glar. Bentl. &c. vulgo exhibent* Helenam.

1 Lenta navigatione, ob tranquillam tempeſtatem. *Hac Ode Bacchylidem imitatur; nam ut ille Caſſandram facit vaticinari futura belli Trojani* (ſupple *mala;*) *ita hic Proteum.* Vet. Sch. B. Nihil tale de Bacchylide Fabricio innotuit. Voluitne homo nominare Lycophrona, cujus Caſſandra exſtat? G. *Traheret*, duceret vi et invitam. Z.

2 Magis mihi arridet Latina Declinatio *Helenam hoſpitam*, quam Bentleii Græca *Helenen hoſpitam*, ob Ὁμοιοφωνίαν Poetis gratam. Vide quæ diximus ad primam oden Anacreontis. B. *Hoſpitam*, ξένην, quæ male audiunt. Sic *peregrina* Car. 3. 3. 20. G.

3 *Ingrato*, *Paridi*, ob moram. Vet. Schol. B. *Ingrato*, aut ventis aut Paridi *Schol. Acr.* Prior ratio de ventis præſtare videtur. Nam ſequitur *obrueret*, invitos coërceret et quieſcere prorſus juberet. Z.

Obruit otio, h. e. poſuit in quiete: Metaphora a ſepultura vel ſomno.

4 *Fera*, funeſta, maxime horrenda. Z.

5 Aliud agebat Vet. Schol. vel ejus exſcriptor cum *Proteum* poſuit, quid enim Proteo cum ventis? Horum enim imperium ad Nerea ſpectat, ut conſtat ex Onomacriti Hymnis, quæ vulgo Orpheo tribuuntur.

Ὃς πλονίοις Δηῶς ἱερὸν βάθρον, ἠνίκα πνοιὰς
Ἐν μυχίοις κευθμῶσιν ἰλαυνομένας ἀποκλείσῃ. B.

Nereus vates etiam non minus quam Proteus, Ἀψευδίας καὶ ἀληθίας vocat Heſiod. Theog. 233. G. *Mala avi*, malo augurio, cum magno malo. Z.

7 *Inter* conjurare *et* conſpirare *hoc intereſt, quod conſpirare interdum bonorum eſt, conjurare malorum.* Vet. Schol. B. Ne fallat nos Grammaticus: *conjurare* etiam verbum eſt honeſtiſſimum. Vid. noſter A. P. 411. Conjuraverant proci Helenæ, id eſt, principes omnes Græcæ juventutis, ſe defenſuros quem Tyndarus elegiſſet ſibi generum, et propulſaturos ab eo in-

Genti! jam galeam Pallas et ægida
  Curruſque et rabiem parat.
Necquicquam, Veneris præſidio ferox,
Pectes cæſariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides:
  Necquicquam thalamo graves
Haſtas, et calami ſpicula Gnoſſii
Vitabis, ſtrepitumque, et celerem ſequi
Ajacem. Tamen, heu! ſerus adulteros
  Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urguent impavidi te Salaminius
  Teucer, te Sthenelus ſciens
Pugnæ, ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Noſces. Ecce, furit te reperire atrox
  Tydides, melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,

17 Cnoſſii *ed. Lamb. et Bentl.*—21 Excidium *codd. ap. Bentl.*—22 Genti *Cun. codd. quidam ap. Bentl.*—24 Teucerque et *Bentl. Cun. ed. Venet.*

juriam. G. *Rumpere*, h. e. ſolvere *nuptias*, et evertere *regnum*; eſt figura Zeugma. Z.

9 Nereus tanquam Vates claram habet eorum quæ prædicit viſionem: Atque hæc cauſa ſuſpirii eſt.

10 *Moves*; ſuſcitas.

11 *Genti* pro domui.

Ægis pectoris eſt munimentum, habens in medio Gorgonis caput. Quod ſi in pectore numinis fuerit, ægis vocatur: ſi in hominis pectore, ut in antiquis Imperatorum ſtatuis videmus, lorica dicitur. Servius, adnotante Jacobo Cruquio. B.

12 Rabiem, iram ſævam, furorem bellicum. Z.

15 *Carmina divides*, h. e. tactis hinc inde fidibus modulos leges. B. *Dividere* carmina potius eſt per vices et alternis canere, ut pulchre oſtendit Voſſ. ad Catull. p. 239. G. *Imbelli cith.* inepta ad canendas res bellicas, ſed apta tantum ad res amatorias. cf. interprr. ad Iliad. γ, 54. Z.

17 *De canna ſagittæ fieri conſueverunt.* Vet. Schol. B.

19 *Ajacem*, ſc. Oilei, qui ob celeritatem laudatur Iliad. β, 527. *Serus*, ſero, tandem, poſtquam te fortiores et meliores perierunt. Z.

20 *Pulvere collines* præſertim ſanguine permixto, ne de re ſicca dicatur *collinere*: ut Hectori tribuit Virg. Æn. 2. 277. *Concretos ſanguine crines.* G.

24 *Teucer, te.* Sic legimus cum Dionyſio Lambino et Jacobo Cruquio; alii *Teucerque et.* Bentleius mavult *Teucerque et*, quod minus videtur.

26 Erat Sthenelus Diomedis auriga et vir ſtrenuus.

27 *Et hoc etiam inertiæ Paridis aſſignat, tantam eſſe moram, quanta cum faceret inveniri.* Vet. Schol. B. Hoc vult Scholiaſtes, victoriæ ita certum Diomedem, ita ignavum Paridem, ut de eo tantum laboret ille, ut inveniat; hic, ut fugiat. Inveniſſe Paridem Diomedi eſt viciſſe. G.

28 Ἡμεῖς τοι πάλιμον μὴ γ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Inquit Sthenelus apud Homerum, citante Cruquio. B. Verſus eſt Iliad. Δ, 405. pronuntiante illum Sthenelo pro ſe et Diomede, ad refellendam reprehenſionem Agamemnonis. G.

Sublimi fugies mollis anhelitu;
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matroniſque Phrygum claſſis Achillei.
Poſt certas hiemes uret Achaïcus
Ignis Iliacas domos.

ODE XVI.

PALINODIA AD TYNDARIDEM.

Satisfacit Tyndaridi, h. e. Gratidiæ Unguentariæ Neapolitanæ, amicæ ſuæ, quam in Epodis ſub Canidiæ nomine miſerrime laceraverat. (Canidiam vehementer læſerat Poeta Sat. 1. 8. tum Epod. 5. et 7. quos libros ante hunc ſcriptos ponit Bentleii ratio. Hæc ode palinodian continet vel verſam e Græca Steſichori (vid. no. ult.) vel imitatione expreſſam, quod indicat nomen *Tyndaridis*, et primus verſus. Si omnino Canidiam, ſ. Gratidiam reſpicit, de quo viderint, qui affirmant, hæc Palinodia: ad filiam illius directa videtur. Nam Canidiam jam anum fecit in ſuperioribus. G.)

METRUM PRIMIS DUOBUS VERSIBUS ALCAICUM, TERTIUS VERSUS DIMETER IAMBICUS HYPERCATALECTICUS, QUARTUS PINDARICUS DACTYLICUS.

O! MATRE pulchra filia pulchrior,
Quem criminoſis cunque voles modum
Pones iambis; ſive flamma,
Sive mari libet Hadriano.

36 Pergameas *habent codd. Glar. et ediderunt Cun. Sanad. et Jani, quia vulgari lectione* Iliacas *verſus glyconicus violari videtur.* Z.

31 Tanquam de cervo loquitur; altum fumante anhelitu; quod fit in ſumma laſſitudine. Hic locus ab omnibus fruſtra tentatus, quod ſatis mirari nequeo, cum ſit intellectu facillimus.

Mollis nunc pro *timidus* figurate.

32 *Quantum mutatus ab illo!* B. Objicit glorias ſuas *Paridi* ſua Helena Iliad. 1, 430. *Tua* dixit ut mox Car. 1. 25. 7. *Me tuo*, &c. G.

34 *Achillei et Ulyſſei vetere Declinatione.* Vet. Schol. B.

Hæc eſt ira Achillis, quam canit Homeri Muſa: qui dum pugnare recuſat contra Trojanos læſus ab Agamemnone, hanc illi moram et veluti laxamentum habent excidii. G.

35 *Certas*, h. e. fato deſtinatas. Z.

ODE XVI.

1 O! admirantis. B. Quidni et invocantis? Magis huc refert obſervaſſe, Ledam (uxorem Tyndari, Helenæ matrem) inter paucas pulchritudinis laude floruiſſe. V. G. Lucia. Dial. Mort. 18. Tyro, Helena, Leda, &c. G.

2 Crimen, vox mediæ ſignificationis, et verum, et falſum ſcilicet. B. *Criminoſis iamb.* quibus olim maledixi tibi ira commotus, quæ ſolet mirum in modum perturbare animum hominis. Z.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius,
Non Liber æque, non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Triſtes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec fævus ignis, nec tremendo
Juppiter ipſe ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, et inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.
Iræ Thyeſten exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ cur perirent
Funditus, imprimeretque muris

Modum, finem.

3 *Solebant veteres quicquid deteſtabantur ut prodigia, vel in ignem, vel in aquam projicere. Hinc Nonius Marcellus, prodigium a porro adigere.* Torrent.

5 *Dindyma* Phrygiæ mons, ubi mater Deûm furioſis cerimoniis colebatur: hinc ipſa *Dindymene*. G. *Adyta*, occulta et remota templi loca, quo adire præter ſacerdotes non fas eſt. Z.

6 *Incola Pythius* a mente ſacerdotis quam incolit in dandis oraculis. Cruquius. *Eſt autem poſt confeſſionem adhibenda excuſatio.* Vet. Schol.

8 Pro *ſic geminant*, Bentleius edidit, *ſi geminant*; notiſſimum eſt pulſationem Cymbalorum ſemper fuiſſe geminatam. Quid igitur hic facit *ſi*? Sic geminant, ſic pulſando turbabant mentem. B. *Sic geminant* ſervandum puto, non modo quia eſt in omnibus libris, quod in Horatio magnam vim habet; ſed quod multo poëticoteron videtur illo *ſi*. Qui in comparationibus poetarum velit illam Grammaticam ἀκρίβειαν ſevere ſemper exigere, illum plane ad hoc judicium poetæ veri non admiſerint. Vid. v. g. Virg. Æn. 2. 496. it. 5. 144. Conf. Hor. Car. 3. 23. 18. Et quid abſurdi eſt, ſi dixit Flaccus, Non ſic quatiunt haſtas ſuas Corybantes, ut triſtes iræ arma quatiunt, quæ furor miniſtrat. Taceo quod poeta ſi voluiſſet illud dicere, quod placet Bentleio, poſiturus erat CUM *geminant*, non SI *geminant*. G.

9 *Triſtes* jam pro diræ et funeſtæ, per Euphemiſmum. B.

Noricus enſis non poteſt eſſe a Steſichoro, ſi ponamus etiam illius Palinodiam eſſe expreſſam. Ille potius Pontum et Chalybas nominavit, ſi tale quid ſcripſit. G.

10 *Mare naufr.* tempeſtas graviſſima, quæ navibus naufragium infert. Z.

11 *Sævus ignis*, fulgur, ſ. fulmen, quod tantopere ſævit et nocet. Z.

12 *Tumultu*, pro immani et confuſo ſono. B. Haud dubie intelligitur tonitru, editum una cum fulmine. Z.

13 Vox *Fertur* oſtendit hanc fabellam ab Horatio non fuiſſe confictam. B. Similem fabulam habet in Protagora Plato p. 198. quæ huic poteſt occaſionem dediſſe. Conſumſerat Epimetheus omnia naturæ munera robur, celeritatem, ciborum et tegumentorum genera, in animalibus: coactus eſt Prometheus Diis ſuffurari ignem et artes, quibus demum ornati homines durare poſſent. Horatius, Steſichorum forte ſecutus, convertit fabulam, et ab animalibus repetita quædam fingit. G. *Principi*, primo, unde hominem finxerat. Z.

14 Quod in formandis brutorum membris artem ſuam omnem exhauſiſſet.

15 *Timorem a lepore poſuit, a vulpe aſtutiam, a lupo rapacitatem, ab equo velocitatem, a columba libidinem, et ex reliquis reliqua, ac per hoc intelligitur nihil gravius eſſe homine.* Vet. Schol.

17 Atrei ſcilicet iræ. Falſus eſt Interpres Gallus cum credidit, Thyeſten poſitum eſſe pro Atreo. B.

18 *Altas urbes* dicet poëta ob adſpectum, quia eminent et procul ſere conſpiciuntur. *Ultimæ*, principes, quæ ſolæ effecerunt ut, &c. *Steterunt*, gravius eſt quam *fuerunt*. Dicitur enim

Hoſtile aratrum exercitus inſolens.
Compeſce mentem. Me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, et in celeres iambos
Miſit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quæro triſtia; dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

ODE XVII.

AD TYNDARIDEM.

Invitat Tyndaridem, ſive Gratidiam, jam ſibi reconciliatam, ad villam ſuam in Sabinis, elegantiſſime deſcripta loci amœnitate.

METRUM UT IN ODE PRÆCEDENTE.

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, et igneam
Defendit æſtatem capellis
Uſque meis pluvioſque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes et thyma deviæ

5 Totum *e codd. quibuſdam Lamb. edidit Bentl. quia* impune tutum *pareret tautologiam.* Z.

de cauſa, quæ obtinet, ſuperatis impedimentis. Z.

20 *Condendis atque evertendis civitatibus hæc conſuetudo fuit, ut aratro fieret.* Vet. Schol. B.

21 *Inſolens*, victoria ferox et elatus. Z.

22 *Mentem* nunc figurate pro *iram* poſuit. B. *Mentem* plane Græco more θυμὸν dicit, quo nomine et animum et iram ſignificari conſtat. Ad ſonum vocis propius accedit Gr. μένος. G.

23 *Dulci* dixit, quia in juventute nimis nobis placere ſolemus. B. *Dulcem juventam* potius interpreter muſteam, quæ efferveſcat facile. G.

24 *Celeres* per Dilogiam, quaſi diceret et celeres et iracundos.

26 *Dum* pro *modo.*

27 *Recantantur opprobria cum mutato carmine laudibus corriguntur.* Vet. Schol.

28 *Animumque* ac ſi animo linqueretur Poeta, vel examinaretur præ dolore. In hac Od. *imitatus eſt Steſichorum Poetam Siculum qui vituperationem ſcribens Helenæ obcæcatus eſt, et poſtea reſponſo Apollinis laudem ejus ſcripſit, et oculorum aſpectum recepit.* Vet. Schol. Atque hinc eſt quod Gratidiam ſuam Tyndaridem vocat.

ODE XVII.

1 Hypallage Figura. Priſcianus et Vet. Schol. B. *Velox*, celeriter, brevi. Z.

3 *Defendit*, propulſat. Henr. Stephanus.

5 Miror Bentleium atque alios poſuiſſe *totum* pro *tutum*, cum ſit Αἰτιατικόν. Ideo enim *impune* quia *tutum*. cf. v. 24.

Arbutum quem vulgo appellant. Vet. Schol. THE STRAWBERRY-TREE.

Olentis uxores mariti;
Nec virides metuunt colubras;
Nec martiales hæduleæ lupos;
Utcunque dulci, Tyndari, fiſtula
Valles, et Uſticæ cubantis
Levia perſonuere ſaxa.
Dî me tuentur; Dîs pietas mea
Et muſa cordi eſt. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle caniculæ
Vitabis æſtus, et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Leſbii
Duces ſub umbra; nec Semeleïus

---

8 Colubras *etiam Br.* G. *Ed. Venet. et alii libri nonnulli exhibent* colubros. Z.—9 *Sic ex MSS. Bentl. Cun.* hædilia *al.* G.—14 Hinc *eſt in edd. vett. Ven. Glar. Lamb. &c.* Z.—18 Ictus *pro* æſtus *conj.* Cun. G.—19 Diſces *codd. quidam ap. Bentl. perperam.*

---

7 *Olentis*, vox mediæ ſignificationis, et bene ſcilicet et male.

Uxores feſtive. Ἀνυσολογία. Vet. Schol. *Vir gregis ipſe caper.* Virgil.

8 Optimi Codd. cum Vet. Sch. *Colubras.*

9 *Lupi in tutela Martis.* Vet. Sch.

Mire ſe torquent Interpretes dum legunt alii *hæduliæ*, alii *hædulei*. Ego cenſeo poſſe dici et *hædilis* et *hædilis* media brevi, ut *humilis*; et proinde hœdilia eſſe Adjectivum, ſubintellecto Septa. *Hœdilia; ſepta hœdorum.* Vet. Schol. Ἐφιππάσια. Ultima producitur ob ſequentem liquidam, ut docte obſervavit Aldus Manutius. B. Cum *hæduleæ* ſit in bonis libris; *hædilia* autem (quod nec ipſum aliunde videtur probari poſſe) duplici excuſatione opus habeat; illud prætuli. G.

10 *Utcunque, quotieſcunque.* Vet. Schol.

11 *Uſticæ, Nomen Montis et Vallis; ſic in Epiſtolis; Continui montes niſi diſſocientur opaca Valle. Cubantis ſuaviter pro depreſſæ.* Vet. Sch. B. *Cubantis i.* ſupinæ. Abſurde hic, ut fere ſemper, Harduinus auctorem accuſat, a metro coactum abſurda epitheta poſuiſſe: *Supinæ* hic prius in mentem venit unicuique, quam *cubantis*, quod eſt abſtruſius. G.

12 *Levia*, ſcil. aquarum decurrentium lapſu attrita. Z.

13 *Carmine dii ſuperi placantur, carmine manes.*

14 Sive *hic* legas ſive *hinc* tantundem fuerit. Bentleio placuit bis poni *hic*. *Hinc* quidem mihi videtur commodius, et verbo *manabit* convenientius. B. *Hic* id eſt in prædio meo ad montem Lucretilem. Sic edidit et interpretatus eſt Landinus Flor. 1482. Quod Bentleius laudat Locheri editionem, voluit ille *hinc* ſcribi, ut ex interpretatione apparet, *ex iſto agro.* G.

Metaphora, a Cornu Fortunæ, quo dicitur divitias conſueſſe largiri. Vet. Schol.

15 *Ad plenum*, elegans dictio. B. ut Virg. Georg. 2. 244. G.

16 *Honores*, munera dicuntur. *Aut aris imponat honorem.* Virg.

17 *Reducta*, Metaphora ab arcus nervo jam adducto. B. Non capio hanc metaphoram: ſimpliciter intelligo flexuoſam, ſinuoſam. G.

18 Tei naſcebatur Anacreon.

19 Præ amore ægrotantes. B. *Uno*, unius Ulyſſis amore. *Dices*, tu canes lyra æque molliter et venuſte atque Anacreon. Z.

20 *Vitream, Mari vicinam.* Vet. Schol. Sic etiam alibi *vitreo daturus Nomina ponto*; pro cæruleo; is enim veteris vitri color. Perpetuum Epitheton.

22 *Duces* nunc pro hauries. B. *Ducere pocula* puto eſſe otioſe et ſenſim bibere, ut diutius immoretur linguæ et palato ſaliva vini, et pleniorem jucunditatem adferat. G.

Cum Marte confundet Thyoneus
Prœlia; nec metues protervum
Suſpecta Cyrum, ne male diſpari
Incontinentes injiciat manus,
Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque veſtem.

ODE XVIII.

AD VARUM.

Laus et vituperium vini.

METRUM PENTAMETRUM CHORIAMBICUM, EX SPONDEO, TRIBUS CHORIAMBIS ET IAMBO.

NULLAM, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
Circa mite ſolum Tiburis, et mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt ſolicitudines.
Quis poſt vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero

1 Nul. vere novo *Acron Fabricianus, ut Virg. Georg.* 2. 319.—5 Increpat *Brod. etiam et Coll. Sax.* G. Increpet *ed. Glarean.*—7 Ac *Bentl. e codd.*

23 *Thyoneus a Thyone quæ et Semele dicta eſt, matre Liberi patris.* Vet. Schol.

24 *Protervi* dicuntur intemperantes et ignavi. Cicero, notante doctiſſimo Mancinello. B. Pulchre jungit Plaut. Bacch. 4. 3. 1. *Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato.* G.

25 Non cenſeo cum Jacobo Cruquio, Cyrum iſtum ſignificare Tyndaridis virum zelo incitatum; verum turpem illum et publicum adulterum quem nominat Od. 33.

Male pro inhumane et ſæve. *Diſpari*, utpote feminæ viro impari. Commode *incontinentes*, quia protervum dixerat.

27 Pendentem et inter rixandum laceratam. B. *Hærentem coronam* hic (ut Ser. 1. 10. 49.) puto referri ad firmitatem, quæ ſcindatur potius, quam integra poſſit auferri. Indicatur ergo vis et injuria detrahentis. G.

ODE XVIII.

1 Ex Alcæo, cujus hic verſus citari ſolet a doctis viris: Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδριον ἀμπέλου. Credibile eſt hunc fuiſſe Q. Varum Imperatorem, non Poetam Cremonenſem, quod tamen in medio relinquimus. B. L. Varum, Epicureum, Cæſaris amicum, intelligit Maſſonus, de quo Quinctil. 6. 3. 78. G.

2 Virgilio Catillus dicitur frater Tiburni primi Tiburis conditoris. Epexegeſis Figura.

3 *Siccis pro ſobriis.* Vet. Schol.

Metaphora a conviviis. B. Senſus eſt: res humanas Deus ita inſtituit, ut, qui vinum non bibant, hi vitæ incommoda ſentiant. Z.

4 Ὅταν βάκχος ἐσέλθῃ Ἐνδυσιν αἱ μέριμναι. Anacreon.

5 *Crepare, aſſidue de re aliqua loqui.* Lambin. Ante Lambinum legebatur *increpat.*

Debellata: monet Sithoniis non levis Evius;
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt avidi. Non ego te, candide Baſſareu,
Invitum quatiam; nec variis obſita frondibus
Sub divum rapiam: ſæva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quæ ſubſequitur cæcus Amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

13 Dium *ed. Glar.*—14 et 15 Sui, et Adtollens *Cuning. it. ed. Glar.* Extollens *coll. Sax.*

6 *Decens* modo de forma dicitur; alias de moribus. *Sit formoſa, decens.* Juvenal.

7 Bentleius de ingenuo ſuo repoſuit *Ac.* Sed exceptivum *At* magis placiturum eſt.

Magis temerarium *tranſiliat* quam tranſeat.

8 *Rixa Juriſconſultis eſt pugna a verbis orta.* Torrent. B.

Ad Pirithoi nuptias invitati Centauri vino et amore ſaucii turbarunt omnia. Deſcribit more ſuo illam cum Lapithis (Theſſalica gente) pugnam Ovid. Met. 12. 210. G.

9 Αἴσωρης eſt, *cum minus dicitur, plus intelligitur.* Vet. Sch. Sithonia ab Æmo ad Iſtrum. Torrent.

10 *Exiguo fine*, i. e. *Nulla differentia.* Vet. Sch. Non fine libidinum, ſed avidi libidinum. B. *Avidi libidinum* quarumcunque cum ſunt ebrii, nullo *fine*, certe *exiguo*, *fas atque nefas diſcernunt*, ſed ruunt, quo fert impetus. Itaque non probo conjecturam eruditi amici mei, pro *avidi* legentis *madidi*. G.

11 Bacchum candidum vocat, quia in vino veritas: Candidi ſunt puri et ſimplices, nihil habentes obſcuri.

Βασσαρεὺς quaſi Βαττάρεὺς, lingua titubans vel blæſus, ut Βρόμιος a Βρόμος et βρίμειν. De Baſſaride ſeu talari veſte Baſſaræ Lydiæ oppido confecta nihil conſtat. B.

Baſſareus Harduino obſcenum eſt ex בצר (voluit בשר) ut accipitur Ezech. 23. 20. Huc etiam refert verbum *quatiam* caſtus ſenex, et totum hunc locum vult in poſterum omitti, et reliqua id genus. G.

12 Quatiam *pro* moveam, *quia in ſacrorum renovatione commovebantur ſimulachra.* Vet. Schol. imo et in Pompa circumferebantur.

Ciſtæ ſive Arcæ Bacchi pampinis et hederæ foliis opertæ, quas nefas movere. Torrent. *Non arcana naturæ proferam: vult per Allegoriam intelligi ſe per vinum ſecreta non prodere.* Vet. Sch. Ineſt igitur Dilogia.

13 Mixta ſunt ſacra Bacchi cum ſacris Matris Deûm. B. *Sæva tene*, &c. h. e. compeſce tympani et cornua tua, quæ immodice ſumto vino homines adigunt ad inſaniam, ſeu, fac ne ebrius fiam. Z.

ODE XIX.

AD GLYCERAM.

Horatius ob intermiſſum aliquamdiu amorem vehementius amat. Conf. argumentum 1. 6.

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, ALTERO CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

MATER ſæva Cupidinum,
Thebanæque jubet me Semeles puer,
Et laſciva licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus aſpici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deſeruit; nec patitur Scythas,
Et verſis animoſum equis
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.
Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, turaque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hoſtia.

---

2 Jubent *codd. quidam ap. Bentl. Pro* Semelæ *vulg. quod primus recepit Lambinus, Græcam formam Horatio uſitatam ex edd. vett. cum Bentl. revocavi.* Z.—3 Libentia *conj. Bentl.*—12 Attinet *Brod. imperſon.* G.—14 Thura *edd. vett.*

---

1 *Sæva*, Venus quæ miſerum in modum ſolet vexare amantes. cf. infra IV. 1. 5. Z.

3 *Licentia*, *Otium.* Vet. Schol. Fortaſſe tempus erat feſtum. B. *Laſciva*, ad amorem impellens. Z.

5 Urit, macerat, occidit.

7 *Protervitas*; *ſuperbia*, *faſtidium.* Vet. Schol. a pro et torvus.

8 *Nimium*, miſerabiliter proferendum. *Lubricus aſpectu mire dictum; vultus enim cum aſpicitur in libidinem proclives facit viros.* Vet. Schol. Cruq. B. *Lubrica via*, in qua facile eſt labi. G.

10 Κύπριν ἱμερτὰν λιπῦσα καὶ Πάφον πτερόεσσαν. Alcman adnotante Cruq.

11 *Verſis. Et miſſam Parthi poſcunt in terga ſagittam.* Vet. Schol. B. V. Car. 2. 13. 17.

12 Τί δέ μοι λόγων τοσούτων, τῶν μηδὲν ὠφελούντων; Anacreon, quem hoc loco imitatus eſt. *Jucunde nihil ad ſe pertinere ait alia.* Vet. Schol.

13 Mos erat aras, præſertim privatas, ex viridibus ceſpitibus erigere.

14 *Verbenæ*, omnes herbæ vel frondes e ſacris locis petitæ, quæ conſecrandis altaribus utiles habebantur.

16 Aliquando etiam Venus colebatur ſanguine, ut oſtendit Cruquius contra Servium. *Veneri ſcilicet mactata boſtia Glycera lenior veniet.* Vet. Schol. Jucunde etiam *veniet* pro fiet.

ODE XX.

AD MÆCENATEM.

Probabile eſt Mæcenatem per literas invitaſſe ſe ad Horatium, atque eum per ludum et jocum tali modo reſpondiſſe.

METRUM SAPPHICUM.

VILE potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipſe teſta
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plauſus,
Care Mæcenas eques; ut paterni
Fluminis ripæ, ſimul et jocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, et prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

---

5 Clare *conj. Bentl.*—9 Cæcubam *codd. Lambini quidam, edd. Sanad. et Jani, non male, adeo ut referatur ad ſeq. uvam.* Z.

---

1 *Vile pro non vetuſto videtur dixiſſe: alioquin Sabinum vinum ſi vetuſtum ſit, non eſt vile.* Vet. Schol. Tradit Athenæus Sabinum vinum eſſe omnium leviſſimum, ut notavit Cruquius.

Hinc patet omnes Cantharos non fuiſſe ejuſdem magnitudinis. Cantharus anſatus erat, ut vel ex Virgilio patet; *attrita pendebat Cantharus anſa*, A JUG.

2 *Ut inde traheret aliquid ſuavitatis.* Vet. Scholiaſt.

3 Linebant ora cadōrum pice, reſina, gypſo admixtis corticibus.

Diximus et ſupra claros et bonæ exiſtimationis viros plauſu populi ſolitos fuiſſe excipi, malos autem exſibilari. Vet. Schol. B. *Cum tibi plauſus*, haud dubie propter ſanitatem recuperatam. cf. infra II. 17. 26. Z.

5 *Carum* Mæcenatem non ſibi tantum, ſed populo Rom. dicere voluiſſe poetam, pulchre obſervatum Chriſtio. G.

Conſtat Mæcenatem in equeſtri dignitate ſua voluntate permanſiſſe, cum utique facultas lati clavi pateret. Vet. Schol. B. *Paterni fluminis*, Tiberis ex Etruria venientis, unde quoque Mæcenas originem duxerat. Ad hujus ripam ſitum erat theatrum Pompeianum, unde hic plauſus datus eſt. Z.

8 Sic echo vel vocem repercuſſam etiam deſcribit ſupra 12. 4. G.

11 *Temperant* poſuit ob mixturam aquæ calidæ, vel frigidæ, vel etiam nivis.

ODE XXI.

Jubet ter novem nobiles pueros atque puellas Apollini et Dianæ, in quorum Tutela Imperium P. R. erat, Hymnum pro incolumitate hujus Imperii atque Augusti cantare, Ludis Sæcularibus, ut Vet. Scholiastæ videtur; fortasse horum Natali die. (Nihil hic est, quod ad ludos sæculares conveniat, quin æque commode ad quodcunque sacrum Apollinis ac Dianæ queat referri. Choros puerorum et puellarum in aliis quoque sacris esse, docet v. g. Car. 4. 1. 25. G.)

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, TERTIO PHERECRATIUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
  Latonamque supremo
    Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis et nemorum coma,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
  Nigris aut Erymanthi
    Silvis, aut viridis Cragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
  Insignemque pharetra
    Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque, a populo et principe Cæsare, in
  Persas atque Britannos,
    Vestra motus aget prece.

5 Comam *etiam Schol. Gott. et Flor.* 1482.—8 Cragi *post al. Bentl. Cun.* Gragi *MSS. et primæ editt.*—14 A populo, principe Cæsare, *omisso* et, *edidit Jan. ex conj. Scaligeri.*—16 Mitis *conj. Jan.*

1 Cantando dicite. B. Alternis canere jubet mares et feminas sui sexus Diis, vid. etiam Car. 3. 28. 9.

2 *Intonsum*, h. e. perpetuo Juvenem. Juvenes enim non tondebantur nisi sumta toga virili, h. e. ineunte anno ætatis suæ decimo septimo, vel etiam decimo quarto in præmatura pubertate.

4 *Penitus*, *funditus*; Vet. Schol. Ob tam pulchros liberos scilicet.

5 Equidem cernere non possum cur Bentleio placuerat *nemorum comam* pro *coma*, neque vidit Poëtam rediisse ad *Dianam*, quam primum nominaverat. B. *Nemorum coma*, nemoribus, quæ arboribus sunt densa, quæ quidem loca amœna, et Dianæ inprimis grata, sunt in Algido ob umbram frigido, in opacis silvis Erym. et Cragi viridis. Igitur cum nemora sint partes silvarum in illis montibus, non opus esse videtur, ut pro *silvis* conj. *arvis* cum Sanad. aut *clivis* cum Jan. Z.

6 In montibus, Algido, Erymantho et Crago, maxime colebatur Diana.

8 Omnes MSS. habebant *Gragi* pro *Cragi*.

ODE XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Poeta se Stoicum profitetur, dum numinum Providentiæ tribuit, quod immanis lupus in Sabinis se inermem fugerit. (Homo innocens tutus est in summis periculis. Nam dum ego Lalagen meam cano aliquando, lupus immanis me fugit inermem. Quare eam amabo ubique terrarum. Z.)

METRUM SAPPHICUM.

INTEGER vitæ scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et ultra

2 Mauris *Gott. Zar. Bentl. Cun.* Mauri *etiam Brod.*

Torrent. Sic et Vet. Schol. B. Edidi *Cragi* cum edd. Venet. Lamb. Bentl. et aliis, quia Græce per K scribitur. Z.

9 *Tempe in honorem Apollinis merito laudantur, quod ibi laurus plurima sit.* Vet. Schol. B.

11 *Insignem*, ornatum, conspicuum. *Fraterna lyra*, qua donatus Apollo erat a Mercurio fratre, qui invenerat. Z.

13 Apollo et Diana, Ἀλεξίκακοι, sive Averrunci sunt. Deos nunquam iræ suæ pœnitet, neque pœnas condonant: nonnunquam in pecudum, vel etiam hominum capita, intercessione *Averruncorum potissimum, supplicia devolvunt.* B. Ingeniose Bentleius, *Hæc bellum;* ut referatur ad Dianam, quemadmodum illud de fame et peste ad Apollinem. Vellem ostendissent viri docti, a quoquam veterum sic distributas esse provincias. Quod enim laudat Bentleius Callim. H. in Dia. v. 133. illud oppido infirmum esse inspicienti locum apparet. Felicitatem temporum a DIs præsidibus temporum, a Sole et Luna, generatim petunt: in primis a Sole, duce anni et siderum. G.

15 Notandum hic Britannos nostros æquari Parthis, quos jam per Synecdochen Persas appellat. B. Breviter, *Persæ* proprie dicti ante victoriam Alexandri et post instauratum ab Artaxerxe A. C. 230. imperium; medio tempore *Parthi*, &c. G.

ODE XXII.

1 *Integer*, intactus, ab antiquo Verbo *Tago*, quod pro tango.

Gentiles se innocentes et diis charos credebant, si a perjuriis, cædibus et rapinis immunes essent; reliqua vitia cum diis ipsis habebant communia.

2 Inusitatior lectio maxime placet Bentleio, ideoque reposuit *Mauris jaculis* pro *Mauri jaculis*, invenuste. B. Imo *Mauris* est in codd. optimis et edd. vett. Venet. Lamb. aliisque. Est quoque sono gratior lectio et exquisitior sensu, quam vulg. *Mauri.* Z.

5 *Syrtes* et terra et mari mobiles sunt arenæ, a Σύρειν, quod *Verrere est. Syrtes Africæ loca sunt arenosa.* Vet. Schol. Cruq. *Nec responsa dabat Libycis in Syrtibus Ammon.* Prudentius, notante Torrentio.

Æstuosas, nimio sole ferventes. Vet. Schol. B.

6 *Inhospitalem*, ἄξενον, qui sine periculo adiri nequit. Z.

7 *Fabulosus, de quo multa finguntur miranda per fabulas.* Vet. Schol.

10 *Meam Lalagen* cum dicit poeta, refellere

Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit æſculetis,
Nec Jubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æſtiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ maluſque
Juppiter urguet;
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

11 Expeditus *etiam Flor.*—14 Daunias *MSS. ap. Bentl. it. Coll. Sax. MS. Gott. tum edd. Flor. Locher. Fabric. Cun.* Daunia in *Ro. Steph. Henr. Steph. Lambi. Bentl. Talb.* G. *It. Venet. ſed Baxter. c. codd. quibuſdam legit* Daunia latis, *male.* Z.

mihi videtur Sanadonum, qui exiſtimare potuit, laudari a Poeta Speratam Ariſtii, ad quem ſcribit. Nec auſim dicere, eandem eſſe hanc Lalagen, et eam de qua Car. 2. 5. Pulchre Harduinus, credo, ut expiet Baſſarea illum ſuum 18. 11. hic ait Lalagen eſſe pietatem Chriſtianam: cur? quia alteri rei vel perſonæ non conveniunt, quæ hic prædicantur. Aliquando ergo tamen pia eſt illa cohors nebulonum, tot fraudum rea, quæ nobis confinxit Horatii Odas et Æneida, et reliqua, quæ pro antiquis hodie habemus bardi homines. G.

11 Muretus, Lambinus, Torrentius cum Vet. Scholiaſt. legunt *expeditis*, non *expeditus*. Bentleius vult retineri *expeditus*: raro ille agnoſcit Horatianam Hypallagen.

14 Appuli Græcis Dauni, auctore Strabone, ut puto, corrupte pro Danai. Avertendum etiam *a* in Daunia produci ſequente liquida *l*, ut ſupra in *Hædilia*. Fruſtra ſunt qui legunt *Daunias* et *Daunia in*, contra fidem optimorum Codd. atque in his eſt Bentleius. B.

Illud de producenda brevi vocali ante liquidam Homericum eſt, non, puto, Horatianum. *Daunias* videbatur mihi eruditius, quam ut librariis deberetur. Græca amat Horatius: et ſi *Appias* non diſplicuit Romanis auribus de perſonis uſurpatum; nec *Dauniae*, credo, illas de regione dictum offendit, cum *Troada* et *Helladа* et *Cycladas Sporadaſque* audire aſſuetæ eſſent. G.

Eſculus eſt Græcorum φηγὸς, ſive quercus, cujus glandibus antiqui mortales veſcebantur.

16 Feſtive poſuit *Arida nutrix*; quædam enim ſunt aridæ nutrices. B. *Arida* eſt ſicca ob aquæ penuriam. Z.

17 *Pigris*, incultis et ſterilibus ob frigus. Z.

18 *Recreatur, perflatur*. Vet. Schol. Cruq.

20 Major Jupiter Cœlum eſt, minor autem Sol. B. *Malus Jupiter* de cœlo ſive aëre, ut *hibernus, humidus, pluvius* apud bonos poetas. G.

22 Ex veterum opinione. B.

Zonam torridam nempe habitari negabant propter intolerabiles æſtus, quod ſatis refellunt experimenta poſteriorum, et ipſa ratio perpetui æquinoctii. G.

23 Expers ſcilicet omni metu. Figura Παρὰ προσδοκίαν: materiam gravem ſemiepicureus riſu claudit: Et imitatur Poetriam Sappho,

Καὶ πλασίον ἆδυ φωνᾶ—
σας ὐπακούει,
Καὶ γελάσας ἱμερόιν—

ODE XXIII.

AD CHLOEN.

Puellam quondam imperitam et ſubruſticam ſub Chloës nomine deridet. (Puellam jam viro maturam pellicit ad amorem, eamque comparat cum timido hinnuleo. Z.)

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, TERTIO PHERECRATIUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

VITAS hinnuleo me ſimilis, Chloë,
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non ſine vano
Aurarum et ſilüæ metu.
Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, ſeu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aſpera
Gætuluſve leo, frangere perſequor.
Tandem deſine matrem
Tempeſtiva ſequi viro,

5 Vitis inhorruit ad ventum *Muretus e codd. ſed Bentl. conj.* vepris inhorruit, &c.

1 Longe elegantius *Vitas*, quam *Vitat*; atque ita legitur in Vet. Schol. Cruquii; Eſtque imitatio quædam Anacreontis,

Πῶλε Θρηϊκίη τί δή μι
Λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα, &c. B.

Laudant alii rectius illud Anacreontis: Ἄτι νιβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν, ὃς ἐν ὕλῃ κιρσίσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐτρόμαζε. Z.

6 *Hypallage*, pro *Veris adventu folia mota inborruerunt*. Vet. Schol. *Inborruerunt, commota ſunt et tremuerunt*. Vet. Schol. Plus nimio in hoc loco ſe torſerunt Interpretes, dum nodum in ſcirpo quærunt. Folia autem modo dicit anni ſuperioris folia, jam vento arida facta. Eruditiſſimus Bentleius de ſuo ingenio miram cudit Lectionem, nullis ſuffragantibus Membranis. Sic autem ſe habet;—*ſeu mobilibus vepris inborruit ad ventum foliis*; quam quidem Lectionem neceſſe eſt et fictam eſſe et nauci. B.

Bentleio tanto minus auſcultandum putabam, quod *veris* tempus pulchre convenit parvis hinnuleis. Iidem Zephyri, qui vernam temperiem faciunt, etiam folia ſiccant primo ab hiberno madore, deinde erigunt et ſibi habent ludibria. *Adventus verii* poteſt totum ver complecti, quod bene monet Chriſtius. G.

9 Inſurgit jam.

Aſpera proprie de dentibus; Metaphorice etiam mores aſperi dicuntur.

10 *Frangere* jam pro diſcerpere. *Frangunt tauros*, inquit Solinus de Canibus, citante Torrentio. B.

Add. Heinſ. ad Claudian. Stil. 2. 21. G.

12 *Sequi* frequentiſſime uſurpatur pro quærere; undq noſtratibus, TO SEEK.

ODE XXIV.

AD VIRGILIUM.

Erant Horatio et Virgilio duo corpora, una anima, unus idemque dolor; ut vel ex hac aurea Threnodia, qua Quinctilii Vari Cremonenſis, Virgilii cognati atque ſodalis, obitum miſerabiliter deflet, manifeſtiſſime patet. Conſolatio eſt ad Virgilium ſcripta.

METRUM TRIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

Quis deſiderio ſit pudor aut modus
Tam cari capitis? Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Urguet! cui Pudor, et Juſtitiæ ſoror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu fruſtra pius, heu! non ita creditum
Poſcis Quinctilium deos.

8 Inveniet *etiam Br.*—9 Ille quidem *edd. Venet. et Glar.*

1 Statim ab initio vel ipſis Philoſophis indignatur ob ſolam conſolandi voluntatem.

Eſt aliquis et dolendi decor: hic Sapienti ſervandus eſt, et quemadmodum in ceteris rebus, ita et in lacrimis aliquid ſat eſt. Seneca, ut docte admonuit Mancinellus. B. Senſus eſt: Quomodo luctum ob tam carum hominem nobis turpitudini ducere poſſumus aut modum in eo ſervare? Z.

2 Immittit jam dolori ſuo totas habenas. B. *Præcipere* eſt capere aliquid præſente alio, et ſic illum docere, quomodo tractandum illud ſit, ut *præire*. G. Implorat Muſam ob rei magnitudinem. Z.

3 *Liquidam, puram, dulcem ſive canoram.* Sch. Z.

4 Cithara triangularis lyra Decachorda, quale Δ: haud abſimilis erat *Harpæ* noſtræ, et Syrorum *Sambucæ*. B. Velſem hæc auctoritate confirmaſſet vir doctus. G.

5 Ægre patitur ſe adduci ad credendum. B. Vid. Sat. 2. 5. 101. G. Hinc incipit Muſæ cantus lugubris. Z.

Elegans et miſerabilis ſomni Periphraſis; Eſtque Figura Euphemiſmus in voce *ſopor*, quia odio erat nomen mortis.

6 Ut non amplius palpebras aperiat. B. *Urget*, conſtrictum retinet. Z.

7 *Nuda, quæ nil occulti habet, ut egeat tegumento.* Vet. Schol. Cruq.

8 *Quando acuta prima ſyllaba vim interrogativam habet.* Vet. Schol. Hinc diſcimus dici et *quándo* et *quandó*.

Bentleius autor eſt ſe in plus decem Codicibus reperiſſe *inveniet*, pro *invenient:* quæ Lectio tamen nobis minus probabilis videtur, cum *Pudor*, *Fides*, et *Veritas* pro trium Numinum veniant Perſonis, quibus ob eam rem convenientius erit Plurale Verbum. B. *Inveniet* convenit conſtanti Horatii conſuetudini, velut Carm. I. 2. 38.: I. 3. 3.: I. 6. 10. &c. Ergo recepi. Z.

9 *Occidiſſe magnos et probatos viros dicebant.* Vet. Schol. B. Nimirum ut ſolem, ut ſidera. G.

10 Nigidius (ut refert Gellius 13. 25.) in *Valeri* in Caſu Vocandi ſcripſit, ſummo, i. e. acuto tono eſſe primam, deinde gradatim de-

Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;
Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! SED levius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

ODE XXV.

AD LYDIAM.

Sub Lydiæ nomine amicæ cuidam suæ jam vetulæ, olim autem nimis arroganti, furiose insultat.

METRUM SAPPHICUM.

PARCIUS junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,

13 Quid? si—num vanæ *etiam MS. Gott. Br. Lambi. &c. Al.* Quod si—non vanæ. Num *etiam Talb.* G. *Cum Bentl. et aliis e codd. et vett. edd. recepi* Quod si—non vanæ, *quia interrogatio intempestive obtundere videtur lugentem Virgilium.* Z.

ODE XXV.

2 Jactibus *coll. Sax.*

scendere: sed siquis nunc (inquit Gellius) Valerium appellans in Casu Vocandi secundum id præceptum Nigidii acuerit primam, non aberit quin rideatur. Notavit doctissimus vir Ant. Mancinellus.

11 Quod suum est Dii reposcunt. B. Quoscunque vidi interpretes, illi hic sibi deprehendere videntur locum communem Lucretii, *Vitaque mancipio nulli data omnibus usu:* quod mihi videtur contrarium sensui poetæ, qui *frustra pium* fuisse ait Virgilium in *credendo*, h. e. commendando DIs Varo suo. Plane *creditum* sumit ut supra 3. 5. *Navis quæ tibi creditum debes Virgilium.* Ita DI Virgilio debebant creditum sibi et commendatum piis illius precibus Quintilium: quem vita functum ab illis poscit cum expostulatione quadam. Quo usque progressæ sint iræ hominum ita debitos sibi homines reposcentium, docet Sueto. in Calig. c. 5. de Germanico, *quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ dûm aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum ejecti.* Hoc est *intentare DIs manus* Senecæ de clem 1. 25. extr. Ut Augustus inclamabat alterum Varum, *Vare redde legiones!* Sueto. c. 23.: ita clamabat Virgilius, *DI reddite mihi Varum.* Nimis naturale est stultitiæ humanæ accusare deum. G.

15 Hæc ad Eurydicen referuntur; de qua elegantissimum Episodion, apud Maronem Georgicorum fine, quem statim adi.

16 *Horrida*, ab effectu, Metonymice.

18 Antiptosis Dativi pro Accusativo.

19 *Durum!* luctuosa confessio et invita. Pium est pati quod dii voluerint. Sapientis etiam quod corrigi non potest: Esto sane; veri tamen doloris aculei solo tempore hebetantur.

20 *Nefas* jam pro impossibile est.

ODE XXV.

1 *Junctas fenestras* intelligo valvis clausas, ut *jungi ponte* dicuntur flumina. Fenestra proprie foramen est. G.

Quatiunt jam pro feriunt; ut alibi, *Alterno terram quatiunt pede.* B.

Nec tibi somnos adimunt; amatque
Janua limen,
Quæ prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus jam,
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?
Invicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Threcio bacchante magis sub inter-
lunia vento
Cum tibi flagrans amor, et libido
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum;
Non sine questu,
Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto;
Aridas frondes Hiemis sodali
Dedicet Euro,

7 Longam-noctem *conj. Bentl.* Longa nocte *coll. Sax.*—11 Threcio *Gott. Flor.* Thracio *al.*

2 *Protervi, insolentes, superbi.* Vet. Schol. B. Malim cupidos intelligere, procaces, intromitti petentes, indignantes se excludi. G.

3 *Amatque Janua limen*; Festiva Emphasis, quasi diceret, facit hoc janua limini, quod tibi olim amatores tui. *Non recedit a limine.* Vet. Schol.

5 Vet. Schol. optimique Codd. legunt *facilis* non *faciles*. *Facilis uncta ne resonaret.* Vet. Schol.

6 Amara vox *jam*.

7 Particula aliqua amatoriæ cantilenæ, quam (ut notavit Torrentius) Παραπλαυσίθυρον Græci vocabant; nostri homines, A SERENADE. Mirum est magnum Bentleium de *Me tuo longas pereunte noctes* fecisse *Me tuo longam pereunte noctem*. "Satis erat (inquit ille) de una illa nocte queri." Unde novit vir doctus Παραπλαυσίθυρον istam cantilenam fuisse a cantante ipso confectam, neque alius cujusdam viri vel veterem?

Dilogia est in voce *pereunte*, præ amore scilicet et frigore.

9 *Invicem* jungendum cum *arrogantes*. Arrogans est qui nimium sibi placet, aliosque vilipendit.

Amatores jam *mœchos* vili nomine appellat, per Catachresin.

10 *Solo* jam posuit pro obscuro. B. *Levis*, deposita gravitate omni et honestate. G.

Angiportus qua nihil possit agi. Varro. *Vicus sine exitu.* Vet. Schol.

11 *Sub interlunia*, recte *quia tunc fere concitantur tempestates*. Vet. Schol. Pulcherrima Allegoria, quasi diceret, sicut enim emortua jam Luna magis bacchatur gelidus Boreas; ita emarcescente jam forma magis sævit frigidus anilis amoris furor. Hoc ostendunt sequentia. B.

Laudatus commodum a viris doctis Veget. de re mil. 5. 10. *Interluniorum dies tempestatibus plenos—etiam vulgi usus intelligit.* Ceterum Scaligeri reprehensionem hujus loci, quæ induxit Bentleium, ut *bacchante* in *bacchata* mutare cogitaret, facile, puto, effugimus interpunctione sublata, quam ponunt omnes, quod sciam, post versum 12. Hoc dicit poeta, *Flebis, o Lydia, cum tibi amor et libido, quæ, &c. magis Threcio vento sub interlunia bacchante, circa jecur sæviet.* Nihil hic non dignum Horatio, nihil difficile, nisi quod aliquantum dilata ὑπόθεσις *cum* videtur nubem objecisse hominibus. *Threcius ventus* Boreas, cum *Threce* s. Thracia Græciæ septentrionalis sit. Nec tamen dissimulandum Vet. Schol. Brod. *Bacchante, id est, faciente te bacchari*, quasi ventus ille furorem augeret. G.

ODE XXVI.

AD ÆLIUM LAMIAM.

Ælium Lamiam primæ nobilitatis virum et Pompeianum, Reipublicæ curis implicitum, ad res hilares hortatur.

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS ALCAICUM, TERTIUS VERSUS IAMBICUS DIMETER HYPERCATALECTICUS, QUARTUSQUE PINDARICUS DACTYLICUS.

Musis amicus, triſtitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis; queis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. O quæ fontibus integris

3 Quis *edd. vett. et ſunt qui de nominativo accipiant, male. Hinc et natum iſtud* qui, *quod in paucis codd. reperit Bentleius.*—4 Oræ et *conj. Aſcenſ. et Bonfin.*—5 Mithridatem *ed. Venet. et quidam codd. ap. Lambin.* Tyridatem *ed. Glar. et Schol. nos cum Bentl. et Jan. formam Gr. recepimus. Vulgo* Tiridatem. Z.

14 *Furiare verbum fictum videtur. Ante omnes furor eſt inſignis equarum.* Virg. Georg. 3. 266. Vet. Schol.

15 *Ulceroſum, ex contemptu.* Vet. Schol. Vetulæ veterem libidinem metaphorice ſignificat.

17 Bene *læta* cum ſit ſubjecturus *virenti.*

Ordo eſt, gaudeat virenti hedera atque myrto magis pulla hedera atque myrto: Male enim diſtinguitur poſt *gaudeat.* Pullus color eſt aridarum frondium, quæ Allegorice ſignificant vetulas ætate frigidas, et emarcidas.

18 Diſcedendum et hic fuit a Baxtero et a Salmaſio ad Soli. p. 674. *pullam* nigram interpretante. Recte *pulla myrtus* a Scholiaſte Cruquiano explicatur *ſuccreſcens et tenera*, et in Schol. Gott. *novella.* Sic pulchre reſpondet *virenti ederæ.* Hanc vim eſſe nominis declaravi etiam ad Cato. R. R. 151. 2. Senſus igitur eſt, juventutem magis gaudere coronis ex virente hedera et pulla myrto, &c. Sic *pulla ficus* Epod. 16. 46. G.

19 Notum eſt Hiemem nomen eſſe numinis: Erant autem Deorum Aſſeſſores quidam, quos Συνθρόνους atque Παρέδρους Græci nominabant. B. Vid. Car. 3. 18. 6. G.

20 Hebrum per Dilogian dicit et Thraciæ fluvium, et vetulum quendam mœchum, de quo vide Lib. III. Od. 12. *Liparæi nitor Hebri. Dedicet, deputet.* Mancinellus. Quis hic probet Rutgerſii atque Bentleii *Euro*, pro *Hebro*, nulla cum veterum Librorum autoritate? B. Coronas, etiam ſi ſint ex edera et myrto, *aridas* juventus hilaris *Euro dedicat*, i. temere abjicit, ut fiant ludibria ventis, quales *hiemem*, i. procellas comitari ſolent atque efficere: uti mox *tradit ventis triſtitiam* 1. 26. pr. uti vulgo *Vulcano dedicantur*, quæ cremantur. Nempe recepi lectionem, cujus hiſtoriam et patrocinium vid. apud Burm. ad Æn. 1. 317.: cui hoc addendum eſt, in codice editionis Flor. 1482, f. qui penes me eſt liberalitate Illuſtriſſimi Hardenbergii, ab antiquiſſima manu, ſeculi niſi omnia me fallunt XV. jam adſcriptum eſſe *Euro*, quæ res haud paullum me movit, ut poſt Bentleium et Cuningamum eam lectionem reciperem. Quæ dici erudite pro *Hebro* poſſunt, dixit poſt Johnſonum Chriſtius. Ille ingenioſe ſane advocavit morem capillos dedicandi fluvio, cujus fundus eſt ll. ϕ. 142. Nuperus editor Anglus, qui figuris exornatum dedit Horatium 1749, *dedicat igni* jubet nos legere. Pareat, qui volet. G.

ODE XXVI.

2 *Tradam ventis*, pro *obliviſcar* proverbiali ſermone dicitur. Servius. Imitatus eſt hoc loco Anacreontem,

Τὸ δ' ἄχος πέφυγε μιχθὲν
Ἀνεμοτρόπῳ θυέλλῃ. B.

Protervis, pro libidine et temere jactantibus et vexantibus. Z.

3 *Queis* exprimendum curavi, ut melius appareat, eſſe dativum plur. Recte enim Vet. Schol. et Landinus obſervant, ſenſum eſſe, a quibus metuatur rex Scytharum. G.

Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis. Nil ſine te mei
Proſunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Leſbio ſacrare plectro
Teque tuaſque decet ſorores.

ODE XXVII.

AD SODALES.

Horatius illiberales et cerebroſos convivas reprehendit, et oſtendit non eſſe rixandum inter pocula, ſed de rebus ſuavibus fabulandum.

METRUM UT IN PRÆCEDENTI.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare, Thracum eſt: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

9 *MS. Gott.* Piplea, *ſed ultimæ litteræ ſuperpoſitum antiqua manu,* i. S. G. *Bentleius emendavit* Pimpleï, *quia* Πιμπληΐς *ſit Muſa, ſed* Pimplea *dicatur de loco.* Z.—10 Poſſunt *Rutg. Bentl. Cun. it. ed. Venet. et Jani.*

4 Hoc tempore Phrahates a Tiridate ob ſævitiam regno pulſus cum ingenti Scytharum exercitu reditum minabatur.

5 Hoc unice terrebat Tiridatem, ne Auguſtus, (quod boni omnes verebantur) a partibus ſuis non ſtaret; quod, Hercules, neque fecit. B. Vid. Juſt. l. 42. extr. G.

6 *Securus, amotus a cura.* Vet. Schol. Fons *integer* illimis eſt. Curis liberum oportet eſſe Poetam. B. Malim, unde nemo tranſit, ut mox v. 10. *fidibus novis.* G.

7 Bene *apricos*, h. e. non triſtitia contractos. Cum ſol ſe aperit, flores etiam ſe aperiunt.

9 Pimpleum, Libethrum et Pieria, olim Thraciæ, poſtea Macedoniæ montes fuerant et Muſis ſacri: in pleriſque hujuſmodi montibus erant etiam ſacri fontes ejuſdem nominis. "Omnes qui nunc exſtant Codices (inquit doc-"tiſſimus Bentleius) aut *Pimplea* habent aut "*Piplea:*" unde igitur ille novit legendum eſſe Græca Declinatione *Pimplei* hoc loco?

10 Cur magis probem *poſſunt* quam *proſunt*, cum idem fere valeant? Nil tam placet Bentleio quam quod paucis commendatur autoribus, et quod in obſcuro latet.

Bene *honores;* ſunt enim honores deorum, et munera hominum. Veteres credebant ſe ſacrari coronis et vatum carminibus.

Novis dixit, quia ſubjecturus erat *Leſbio plectro:* h. e. Alcæi et Sapphus, Romanis hactenus incognito. Erat autem plectrum acuminati bacilli forma.

ODE XXVII.

1 Senſus ſumtus ab Anacreonte in Libro Tertio:

Ἄγε δῶτε μηκέτ' ὕδωρ
Πατάγῳ τι χ ἀλαλητῷ
Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἶνον
Μιλτώμεν. Vet. Sch. Cruquii.

Natis, ad hoc factis. Vet. Sch.

Scyphus Herculis, ut Cantharus Bacchi: Mancinellus. A BOWL.

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat! Impium
Lenite clamorem, ſodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus: ingenuoque ſemper
Amore peccas: quicquid habes, age,
Depone tutis auribus.—Ha! miſer,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

5 Acinacis *etiam MS. Gott.*—13 Voluptas *in codd. quibuſdam, perperam.*—18 Ah miſer *eſt in edd. Ven. Glar. Lamb. Bentl. et apud Schol.* Z.—19 Laboras *Gott. et primæ editt. ſed nuſquam eſt* in. G. *Imo* laboras in *eſt in edd. Venet. Glar. et Lamb.* Z.

2 *Tollite*, auferte; in Verbo Adverbium eſt ſaſtidiendi; quaſi diceret *Apagete.*

3 *Verecundum, quod virgineo ore fingatur.* Vet. Schol. Erat enim Bacchus Cupidini quam ſimillimus. B. *Verecundum* vult eſſe Bacchum, ut alias *modicum*; non inverecundum, ut alio reſpectu vocatur Epod. 11. 13. Itaque nec *inverecundum* Bentleii conjecturam recipiam, neque *verecundi* Cuningami placent. G.

4 *Hypallage*; pro *prohibete a Baccho ſanguineas rixas.* Vet. Schol.

5 Vet. Schol. optimique Codd. habent *acinacis* non *acinaces*; quod tamen perinde eſt. Erat gladiolus Perſicus ſicæ forma incurvus. B. *Vino et luc.* a conviviis nocturnis longiſſime diſtat furor bellicus. Z.

6 *Immane quantum! admirando dicit.* Vet. Schol. Θαυμαστὸν ὅσον, Græcis, adnotante Cruquio.

Impium inter ſacra Bacchi lætitiæ datoris pugnare. Quidni? B. *Impium* ego dici putem *clamorem*, quia velut civilis aut familiaris adeo belli prærurſor et incentivum eſt. G.

7 *Sodales quod una ſederunt.* Feſtus, adnotante Mancinello. B.

8 *Cubito r.* ne ſurgite ad rixandum, ſed permanete in lectis, in quibus accubuiſtis. Z.

9 *Severi, auſteri.* Vet. Sch. Falernum ſua natura auſterum erat teſte Athenæo; ſubdulce tamen erat ubi vindemiæ tempore flabant auſtri. Hoc adnotabat Lambinus.

11 In obſcuro latet nomen hujus ſive fratris, ſive cognati Megillæ. Certe Megilla iſta erat eo tempore omnium ore decantata, adeoque cognato ſuo celebrior. Quid ſi vel ipſa hæc Megilla nomen erat puellæ de qua quæſtio a vaferrimo Flacco agitatur? Haud multum dubito. Fortaſſe etiam ſi Libertina erat, ut probabile eſt, ſplendidam aliquam perſonam Græci generis, cujus nomen hic reticet, excuſandi amoris ſui cauſa, et ut ancillarioli nomen effugeret, ſimulaſſe ſe ejus affinem fuiſſe.

In *beatus* Sarcaſmus eſt ſatis amarus. B. Imo eſt oxymoron. Senſus eſt: cujus amore ſe beatum putet, quam puellam perdite amet. Z.

13 *Ceſſat*, qui ægre adducitur.

16 *Ingenuo amore*, mulieris ingenuæ, ſive naſcendi conditione, ſ. animo. G.

18 Vet. Schol. Cruq. cum omnibus fere libris habet *Ha. Ha! Cum exſecratione miratur.* Vet. Schol. *Oſtendit etiam, cum quaſi in aurem ſibi eſſe confeſſum.* Vet. Schol.

19 Omnes fere Codd. cum Vet. Schol. habent *laborabas* non *laboras in*; quod miror viris doctis non placuiſſe. Quaſi diceret, *Laborabas et ego neſciebam*; nam Ethicum habet Charactera. Pro *laborabas*, Bentleius tamen probat *laboras in*: quod non capiat comicum Scripto-

Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimæra.

ODE XXVIII.

Archytæ Tarentini eximii Pythagorici exemplo, qui in litore Apuliæ a miſero naufragio diu inhumatus jacuit, oſtendit idem fatum et bonos et malos in hac vita manere. Callida Dilogia, ſive Hyponœa, Bruti ſui fatum deflet, flebilique et ſimplici ſermone dolet ſummam virtutem tali viro nihil profuiſſe. (Fateor, me neque Brutum hic invenire, neque aliam allegorian vel dilogian, aut irriſionem adeo Tarutii illius, de quo Cic. de divinat. 2. c. 47. Suſpicor potius animi cauſa, quacunque invitante occaſione, poetam vel e Græco expreſſiſſe, vel ipſum luſiſſe talem cum Archyta dialogiſmum, quo vanitatem ſtudiorum humanorum contra Fortunam et mortem oſtendit. Incipit autem nauta apud cadaver Archytæ miſerari ejus ſortem. G.)

METRUM PRIMO VERSU HEXAMETRUM HEROICUM, SECUNDO TETRAMETRUM HEROICUM.

Te maris et terræ numeroque carentis arenæ
Menſorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodeſt 4

24 Chimæra *coll. Sax. it. Br. Zaro. &c. al.* Chimæræ.

ODE XXVIII.

4 Funera *conj. Heinſii ap. Bentl. male!*

ris ſtilum et irriſionem. Quaſi diceret, *Tu laborabas, et ego neſciebam.*

21 *Sagæ ſunt præcantatrices, quæ vel accerſere carminibus mala hominibus poſſunt, vel expellere.* Vet. Sch.

23 Significat eam eſſe omnibus artibus armatam in ejus perniciem. Vox *triformi* refertur ad Homericum iſtud:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. B.

Symbolum impudici amoris chimæram faciebant veteres. Vid. Fulgent. Mythol. 3. 1. Pegaſo inſidens, ab eoque adjutus Bellerophon Chimæram confecit. Chimæras hoc genus fugere eſt vincere. Abſurde ergo Perraltus ſimile facit hoc genus loquendi illi, ſi quis ita ægrotare aliquem dicat, ut *mula* (qua vehi ſolet medicus) *expedire illum non poſſit.* G.

ODE XXVIII.

1 Forte poetæ animo obverſabatur Archimedis Arenarius, quo ille demonſtravit, rationem iniri poſſe numeri omnium arenarum, quæ totum orbem terrarum impleant. G.

2 *Menſorem*, Geometram dicit et Arithmeticum.

Cohibent, bene et emphatice, per totum mundum antea vagatum ſcilicet. B. Malim ita, Munera pulveris exigui nondum ſibi perſoluta, ſepulturæ inopia, retinent umbram tuam, ne liceat tibi Styga trajicere. G.

3 *Matinus vitus et mons Apuliæ.* Vet. Sch. Cruq.

Aërias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum, morituro!
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonuſque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admiſſus; habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demiſſum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti conceſſerat atræ;
Judice te, non ſordidus auctor
Naturæ verique. Sed omneș una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.
Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti;
Exitio eſt avidum mare nautis;
Miſta ſenum ac juvenum denſentur funera; nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

5 Temptaſſe *MSS. Berſm.* C.—6 Decurriſſe *Flor. et Locher.*—14 Judice me, *conjectura cujuſdam ap. Cuning. Sed vid. not. Geſneri.*—15 Mors *MSS. Berſm. quod eſt gloſſema.* Z.—18 Avidum *Br. Gott. et primæ editt. it. coll. Sax. tum Bentl. Cun. et MSS. Berſm. duo. Vulgo* avidis.—19 Denſantur *edd. Venet. Glar.*

4 *Munera* per Prolepſin dixit ad præſignificandam nautæ humanitatem.

5 *Aërias tentare domos* neſcio utrum ad machinationem volantis columbæ referatur, an ad aſtrologiæ ſtudia? illud videtur dicere, quod ſupra 3. 38. *Cælum ipſum petimus ſtultitia.* G.

6 Quod pro *percurriſſe decurriſſe* habent primæ editiones, forte non temere eſt. *Decurrunt* milites exercitationis cauſa: Archytas exercuit ſe decurrens per totum cœlum. G.

7 Reſpondet Archytas Horatio, non Nautæ ut Cruquius voluit. B. Sed ita fiant tres perſonæ, et Anachronifmus. Dicamus, ex Horatii ſententia loqui nautam. Suum ſenſum nautæ tribuit Poeta. G.

Etſi conviva. B. *Conviva deorum* Tantalus, illo honore abuſus, punitus propterea apud inferos. G.

8 Etſi Auroræ curru in cœlum raptus. Occidiſſe tamen hic dicitur quod vivus in cœlum evectus ſit. Fruſtra igitur quærit Bentleius cur Horatius Tithonum in mortuis numeret. Cum non eſſet in vivis, quin inter mortuos cenſendus videretur?

9 Callide finxerat iſte Minos ſe Leges ſuas in antro Jovis, quod in Ida monte erat, ab ipſo Jove didiciſſe.

10 *Tartara*, per Catachreſin jam pro Elyſio. De Pythagora conſulendus Ovidius Metamorph. Lib. XV. B.

Breviter, Euphorbum Panthoi filium ſe Homericis temporibus fuiſſe, dicebat Pythagoras, ejuſque ſibi vindicabat clypeum. G.

11 *Refixo* jam pro fixo, non pro detracto ut putavit Stephanus: habet enim hæc vox duos contrarios intellectus. B. *Refixo* tamen, h. e. revulſo et ablato clypeo opus erat, ut agnoſceretur, an fuiſſet Euphorbi, quod dixerat Pythagoras antequam illius intus inſpiciendi fuiſſet copia. Sic certe Max. Tyr. 16. 3. G.

13 *Nervos et cutem*, h. e. corpus. Z.

14 Etiam te ipſo judice. B. Noverat videlicet Archytas in illa parte Italiæ eſſe magnam auctoritatem Pythagoræ etiam apud vulgus. G. *Sordidus auctor*, contemnendus interpres, ſ. perſcrutator. Z.

17 Veteres cædes atque bella Bellonæ Furiarumque inſpirationi tribuebant.

Theatra et Amphitheatra Latinis Spectacula dicta. *Heu nimis longo ſatiate ludo!*

18 Neſcio cur Bentleius prætulerit *avidum mare* alteri lectioni, cum navigantium aviditas cauſa ſit eorum exitii pæne unica. B. Sed illud etiam cogitemus, *avidum mare* ſuavi valde

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus et capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectantur ſilvæ, te ſoſpite; multaque merces,
Unde poteſt, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita jura viceſque ſuperbæ
Te maneant ipſum. Precibus non linquor inultis;
Teque piacula nulla reſolvent.
Quanquam feſtinas (non eſt mora longa); licebit
Injecto ter pulvere curras.

---

29 Sub Jove *conjectura Cruſii.*—31 Forſan *Lamb.*—32 Viceſque, ſuperbe, *conj. Paſſeratii ap. Bentl.*—33 Inultus *conj. Paſſerat. ap. Lambin.*—35 Feſtinans *ed. Venet.* Z.

---

metaphora dici. G. Ergo recepi. Accedit quod Archytas philoſophus non videtur decore et vere ſe accuſare aviditatis. Z.

Nautas mercatores per contemtum appellat.

19 Vet. Schol. optimique Codd. *denſentur* habent, quod verbum Lucretio familiare eſt.

20 *Hypallage*, pro *nullum caput fugit Proſerpinam.* Vet. Schol. *Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem Abſtulerat.* Virgil. Æn. 4. 698. Credebant veteres ægrotantes mori non poſſe priuſquam Proſerpina crinem de vertice ſecuiſſet. B. Hic Harduinus, *Non novit*, inquit, *iſte* Pſeudo-Horatius *Proſerpinam:* ſæva non *eſt.* Sed tamen *imperioſa* eſt illi, quem ſolum verum putat Horatium Sat. 2. 5. 109. G.

21 *Notum eſt ortu et occaſu Orionis tempeſtates concitari.* Vet. Schol. V. Epod. 10. 10. et Serv. ad Æn. 4. 52. G. *Devexi*, ad occaſum vergentis. Z.

22 *Notus* hic certe non minus locum habet quam Æn. 1. 575. Non ſcrupuloſe ventis ſua nomina et plagas affignant poetæ; norunt propter flexum litorum *noto* aliquem in litus Africæ vel Apuliæ expelli poſſe. G.

23 Ex invidia inhumanus. Malignus dicitur qui vel operæ vel impenſæ nimium parcit.

Arenam pulverem dicit, uti Virgilius frequenter in Georgicis.

27 Ex veteri opinione pœnas condonari non poſſe, in alia diverti poſſe.

28 In animo habuit aureum Danaes imbrem, ut puto.

29 *Tarentum erat in Tutela Neptuni.* Vet. Schol. B. Eſt enim Taras Neptuni filius conditor Tarenti. G.

30 Negligis, *leve putas?* Vet. Schol. Cruq. B. Gloſſema videtur, quod pro *negligis* Pithœus (in collat. Sax.) adſcripſit *audes.* conf. mox 29. 16. *temnis* pro *tendis.* G.

31 Notandum *poſtmodo* dici pro *poſt.*

Fraudem inhumati piaculum. Vet. Schol.

Melius *fors et*, quam *forſan:* ſic et Vet. Schol. legit.

32 *Vices ſuperbæ, pœnæ ſuperbis factis tuis.* Vet. Schol. *Debita jura* Periphraſis Nemeſeos, ſive divinæ vindictæ.

33 *Precibus non l. i.* non relinquar a Diis, adeo ut preces ſeu exſecrationes meæ ſint vanæ, h. e. quas non ſequatur ultio. Z.

34 Dira deteſtatio nulla expiatur victima juxta jus Pontificium.

Qui vel a Magis vel etiam ab aliis devoventur, obligantur, niſi contraria reſecratione reſolvantur.

36 *In ſacris hoc genus Sepulturæ tradebatur, ut ſi non obrueretur, manu ter jacta terra cadaveri pro Sepultura eſſet.* Vet. Schol.

Feſtive *curras*, cum ante poſuerit *feſtinas:* proprie etiam nautæ *per mare currunt;* ut ſit elegantiſſima Dilogia.

ODE XXIX.

AD ICCIUM.

Facete carpit Iccium, qui, ſtudio philoſophiæ, quod ambitioſe ante affectarat, nunc repente abjecto, militare inſtituerat ſpe lucri. Z.

METRUM DUOBUS VERSIBUS ALCAICUM, TERTIO IAMBICUM DIMETRUM HYPERCATALECTICUM, QUARTOQUE PINDARICUM DACTYLICUM.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis; et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum,
Sponſo necato, barbara ſerviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis,
Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, et Tiberim reverti:
Cum tu coëmtos undique nobiles
Libros Panætî, Socraticam et domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

---

1 Icti *Baxt.*—13 Nobilis *Bentl. e codd.*—16 Temnis *ed. Glar.*

---

1 Docte animadvertit Torrentius fuiſſe Romæ gentem Itiam. Non dubitavi igitur pro *Icci* reponere *Itî*, ut in Epodis pro *Itî*, *Pettî*: Siquidem in veteribus libris Literæ *e* et *t* vix diſcerni poſſunt. B. Non videntur iſta cohærere. Retinui lectionem librorum, puto, omnium. Vid. tamen pro *Itio* Gallandii epiſtola in Obſſ. miſc. Burn. vol. 6. p. 385. Conf. Hor. Epiſt. 1. 12. ad eundem forte data. G. *Beatis*, opulentis. Auguſtus, duce Ælio Gallo, exercitum miſit in Arabiam felicem, ſed eventus non reſpondit conſilio, culpa inprimis et proditione Syllæi. Vid. Strab. XVI. p. 780. Z.

Invides, tibi cupis; quod contrarium Stoicismo, qui nil cupere ſapientem jubet.

2 *Acrem*, ferocem. Contra, Socratis erat mite ingenium.

3 Ridicule *non ante devictis, horribili Medo, et Nectis catenas.* Quantum mutatus ab illo!

4 Bentleius mallet *horribilis* vel *horribiles*, quo detrahere Epitheton *Medo*, et apponeret *catenis*, ſed indicta cauſa. Mihi videtur ipſe *Medus* horribilior ſuis catenis, vulgi ſaltem opinione. Hoc idem factum eſt in voce *nobiles*, [v. 13.] pro qua ex ingenio ſuo ſuppoſuit *nobilis*, quo conveniret cum Panætio Philoſopho. Certe tam nobilis Scriptoris oportuit et nobiles fuiſſe Libros.

5 *Nectis*, fabricas; *mutuis enim nexibus fiunt catenæ.* Vet. Schol.

8 Proprie *ad Cyathum* de Pocillatore. *Puer ex aula, qui aulæ ſervierit.* Vet. Schol.

10 *Arcu paterno*, i. e. Serico. Putandum enim fuiſſe hunc puerum natione Serem, ſive

ODE XXX.

AD VENEREM.

Omnia bella numina e ſedibus ſuis evocat, rogatque ut ſe transferant in novum Lararium a Glycera ſua Veneri dedicatum. Eſt autem quaſi Epigramma in Dedicationem Veneris. Vet. Schol.

METRUM SAPPHICUM.

OVENUS, regina Gnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum Puer, et ſolutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parum comis ſine te Juventas,
Mercuriuſque.

---

1 Cnidi *Lamb. et Bentl.*

Sinenſem; ideoque pretioſiorem. B. Pretioſus jam erat in aula Parthica ob patriam longinquam: creſcet pretium, ubi Romam deferetur. G.

11 *Pronos relabi ſermo παροιμιώδης.* Vet. Schol. Græcis ἄνω σθλαμῶν proverbio dicitur. Torrent.

14 *Panætius Stoicus fuit, Præceptor Scipionis Africani et Lælii, natione Rhodius.* Vet. Schol.

Domum, Sectam. Vet. Schol.

15 *Lorica dicta quod e loris et corio crudo pectoralia faciebant, poſtea ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex annulis ferream tunicam.* Varro, notante doctiſſimo Mancinello. B. *Iberis*, e ferro Ibero, quod erat in pretio. Z.

16 Metaphorice ab iis qui tendunt ſagittas. *Eſt aliquid quo tendis et in quod dirigis arcum?* Perſius. B. *Tendis*, ut Epiſt. 1. 19. 16. Fruſtra ergo barbariei hunc uſum verbi accuſat Harduinus. *Temnis* quod Porphyrio interpretatur *audes*, colorem accipit ex 28. 30. *negligis*. G.

ODE XXX.

2 *Sperne*, h. e. relinque, neglige.

3 *Ut plurimum de thure et floribus Veneri ſacrificabatur.* Vet. Schol.

4 *Te Transfer*, h. e. migra, proprie de Diis cum evocantur.

5 *Fervidus, quod fervorem amoris inferat.* Vet. Schol.

6 *Gratiæ nudæ et ſine nodis finguntur.* Vet. Sch. h. e. aperto et ſoluto ſinu.

7 *Parum comis, minus elegans. Sciendum Venerem omnium elegantiarum eſſe dominam.* Vet. Schol.

Juventas, Hebe. *Juventa ætas putatur, Juventas ipſum Numen, juventus adoleſcentia.* Vet. Schol.

8 *Mercurius* advocatur, puto, propter vim perſuadendi; an etiam propter *furta* et dolos? G.

ODE XXXI.

AD APOLLINEM.

Horatius ab Apolline Palatino, tempore feſto, quo ab Auguſto dedicatus eſt, nihil petit præter mentem ſanam in corpore ſano. (Sæcularium quidem ludorum neque vola hic eſt nec veſtigium. G.)

METRUM UT IN ODE XXIX.

QUID dedicatum poſcit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ ſegetes feracis,
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta, non aurum, aut ebur Indicum,
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives et aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dis carus ipſis; quippe ter et quater
Anno reviſens æquor Atlanticum

3 Opimæ Sard. ſegetes feraces *MSS. nonnulli et ed. Glar. Lamb. Bentl.*—9 Calenam *conj. Bentl.*—10 Dives ut, *Bentl. e duob. codd.*—11 Calillis *a* calix, *ſuſpic. H. Stephanus, cui favet Gott.* culillis; ſed *Brod.* curutis.

1 *Dedicatum Apollinem* vel in templo ſuo Palatino ab Auguſto, vel in parvo ſacello ab Horatio poſitum. *Dedicatus Apollo* aut Græca figura, cui templum vel ſacellum dedicatum eſt; aut Metonymia conſueta ſignum Apollinis illi dedicatum. *Dedicatus vates*, i. e. carmen ſeculare ſcribere juſſus, placeat cui poteſt. G.

2 Bene *Vates*, cum jam nominaſſet Apollinem cujus in tutela ſunt Vates.

Patera, calix. Vet. Schol. i. e. grandior et capacior calix.

Novum: per quod nova inſtaurabatur precatio, Vet. Sch. Tanquam novo deo libatio fiat.

5 et 6 *Grata armenta* quæ gratiam referunt paſcenti labore ſuo, fetu, carnibus. G.

9 *Premant, reprimant putando.* Vet. Schol. Bentleius iterum immutat locum Epitheti, autoritate ſui judicii. Nam de *Calena* fecit *Calenam*, quo conveniret cum *vitem*; ac ſi ignoraret Horatianam Hypallagen. B.

Calena falce premuntur vites Calenæ: hypallage illa quidem, ſi communem loquendi uſum compares: ſed quæ verum tamen habet. Plane ſimile eſt 3. 6. 38. *Sabellis docta ligonibus*, &c. quo epitheto ſolo indicatur, de Sabina diſciplina ſermonem eſſe. Sic Ser. 1. 6. 59. *non ego circum Me Satureiano vectari rura caballo*, &c. G.

10 Fortuna jam pro magnæ opes, A GREAT ESTATE.

11 *Culullis, poculis manicatis, ſcyphis.* Vet. Schol. Cruq. Vetus Interpres a Culeo deducit. BOWLS, OR GREAT CUPS WITH HANDLES. *Proprie autem cululli calices dicuntur fictiles quibus Pontifices et Virgines Veſtales in ſacris utuntur: hic autem pro Urceolis et Conchis poſuit.* Vet. Sch.

Impune. Me paſcant olivæ,
Me cichorea leveſque malvæ.
Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones, et, precor, integra
Cum mente; nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem.

ODE XXXII.

AD LYDIAM.

Poeta Lyram ſuam alloquitur, et magnifice de ſe ſentit, quod ſit quaſi alter Alcæus; et Bellator, et Poeta, et Lyricus. (Videtur ſcripſiſſe hoc carmen Horatius, cum a Mæcenate, vel ipſo etiam Auguſto invitatus eſſet ad ſcribendum ſolennius aliquod carmen, forte feriis Latinis canendum, aut Apollinaribus ludis: de ſæculari carmine cogitabam, cui domi et privatim ſic præluſerit poeta; ſed intercedit ratio temporum Bentleiana, quam certe hoc uno carmine refellere nolim. G.)

METRUM SAPPHICUM.

Poscimur. Si quid vacui ſub umbra
Luſimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures: age, dic Latinum,
Barbite, carmen,

15 Paſcant *Bentl. ex MSS. Cuning. et Jan. recte: nam præcedit premant. Ergo recepi ipſe. Vulgo* paſcunt. Z.—18 *Dedi lectionem edd. Ven. Lamb. Jan. et al. pro* at precor *ed. Baxt. Glar. aut* ac precor *Bentl.* Z.

ODE XXXII.

1 Poſcimur *etiam coll. Sax.* Poſcimus,—antro *Bentl. ex MSS.* Poſcimus *Gott. ſed ſuperpoſito r.* Poſcimus *Zar. Flor. Loch. R. Steph. &c.*

12 *Reparata, commutata.* Vet. Schol. magis *requiſita.* B.

Reparare ICtis certe permutare ſignificat, vel permutatione ſibi comparare. Præter locum Alfeni citatum in Theſauro Stephaniano, ſic loquitur Scævola l. 122. § 1. de Verb. Obl. *Add.* l. 9. § pen. de ſtatu liberis. Quod Bentleius *reparata* interpretatur condita, minus etiam aliunde firmari, credo, poteſt, G.

13 *Diis quaſi per invidiam charos mercatores dicit, quod et proſpere et frequentius navigent.* Vet. Schol. Quod ſcilicet veluti miraculo ſervati ſint.

15 Bentleius poſt Fabrum, pro *paſcunt* repoſuit *paſcant:* ſed nihil hoc opus fuerat.

16 *Cichorea, in tuba ruſtica.* Vet. Schol. *Leves. Malvæ corpori leves; ut gravi malvæ ſalubres corpori.* Vet. Sch. Chriſtophorus Landinus et Bondius noſter, metro non attendentes, crediderunt *leves* eſſe *lubricas*, turpi errore.

17 *Paratis, quæ in promtu ſunt omnibus.* Vet. Sch.

18 Legendum *at* pro *et* cum Vet. Schol. Theodorus Marcilius fruſtra legit *adprecor.*

19 Bentleius fruſtra delevit ſubdiſtinctionem poſt *Cum mente*, et per hoc commiſcuit diverſa.

Turpem, h. e. omnibus et ſibi ipſi gravem. B. *Cithara car.* lætitiæ muſiceſque expertem. Z.

ODE XXXII.

1 Vet. Schol. Cruquii cum omnibus Lambini Codd. habet *Poſcimur* non *Poſcimus. Poſce-*

Lesbio primum modulate civi;
Qui, ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum et Musas, Veneremque et illi
Semper hærentem Puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti.

15 Cuique *conj. Bentl.* nunc resolve *Heum. conj.* mihi eumque *Ancherf. conj.* G. *Conjicit Crusius* corda solve, *aut*, jynga solve.

batur enim *Dicta sua edere*. Vet. Schol. Alter. Forsan a Mæcenate. Bentleius tamen pro *Poscimur* reposuit *Poscimus*, invito Scholiaste atque optimis Libris. B. *Poscimur*, jubemur scribere. Si quod ergo unquam carmen victurum cecinimus, nunc optamus tale nobis contingere. Votum hoc exprimitur allocutione ad Barbitum Alcæi, cujus laude oden absolvit. G.

Etsi et Diomedes et Servius, vetustissimi Grammatici, habeant *sub umbra*, Bentleius tamen autoritate unius Manuscripti motus, reposuit sub antro. Quid? an nullæ sunt umbræ præterquam sub antris? Potuit esse vel patula arbor vel pergula. Sed mirifice placent illi quæ nova sunt.

2 Bene *Lusimus*, cum jam dixerit *vacui*. *Sic fere Poetæ verecunde carmina sua lusus vocant*. Vet. Schol.

3 *Latinum* potest respectum habere ad ferias Latinas, quas eo tempore studiose celebrari solitas, constat. Sed vid. argumentum. G.

4 *Carmen*, nunc Melos vel Oden dicit, et *Latinum* dicit, quasi sibi proprium inventum.

6 *Alcæus res bellicas adversus Tyrannos gessit, Pittacum et Myrsilum*. Vet. Schol. Cruq.

Alcæus navali prœlio plerumque cum hostibus agebat: quasi diceret, sive in alto mari, sive in portu erat.

10 *Hærentem*, assidentem. Erat enim Cupido fere semper Veneri Παρεδρος, seu in Templis Assessor.

11 Lycus Alcæi amasius.

15 *Cunque*, *quandocunque*. Vet. Schol. Componitur a *cum* et *que*.

16 *Rite vocanti*. Ac si numen aliquod inesset Lyræ, quia decus, seu gestamen Phœbi erat. B.

Non puto opus esse defendere lectionem omnium librorum post ea, quæ in Thesauro L. L. dedimus. Sententiam aperiet paraphrasis, *Salve*, o Lyra, honorata et propitia esto mihi, quæ es *mihi dulce lenimen laborum*, *cumque* quandoque, quocunque tempore, quoties collibuit, *te rite vocanti*, et solatium vel avocamenta molestiarum a te petenti. G.

ODE XXXIII.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Albium Tibullum Elegorum Poetam ob amicæ ſuæ (quam Glyceram appellat) inconſtantiam plus nimio dolentem ſolatur, oſtendens Venerem perverſum quendam ex amantibus mimum ſibi exhibere.

METRUM TRIBUS PRIORIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ; neu miſerabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læſa præniteat fide.
Inſignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in aſperam
Declinat Pholoën: ſed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic viſum Veneri; cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.
Ipſum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curvantis Calabros ſinus.

---

1 Fiduciam ſibi aſſumit nominando eum.

2 *Immitis* pro *crudelis* per Charientiſmum.

3 *Elegos*, παρὰ τὸ ἐ ἐ *quæ vox eſt lamentantium.* Vet. Schol. Bene igitur *miſerabiles.*

Cur tibi junior, Ethopœia; erant enim verba ipſius Tibulli; *Cur mihi junior*, &c. Eſt autem jam *junior* pro *poſterior.*

4 *Præniteat tibi*, magis quam tu puellæ placeat, ut 1. 5. 13. G.

5 Apud Italos et Græcos puellæ longe ampliori facie ſunt, quam in Gallia atque Britannia noſtra: poſſunt igitur illis eſſe tenues frontes quæ nobis ſatis amplæ videantur.—*Reddes Forte latus nigros anguſta fronte capillos.* Epiſt. 7. Lib. I. Ob calvitiem hoc dicit. B.

Sic *caſtigatæ collecta modeſtia frontis* laudatur Stat. Sil. 2. 1. 44. G.

6 *Aſper*, proprie de dentibus, figurate de moribus.

7 *Sed*; ſupple *aliquis dicat.*

9 *Turpi* et forma et moribus, per *Dilogiam.*

10 *Quotieſcunque ratio non apparet, ſic viſum, interponitur.* Vet. Schol.

11 *Sub jugum mittit qui domat cum turpitudine.* Vet. Schol. Milites qui ſub jugum mittebantur, exinde pro mancipiis habebantur. B.

12 *Sævo joco*; ſunt qui Jocum intelligant de Deo Cupidine: ſed alii rectius interpretantur, crudeli oblectamento, quod quidem Venus capit ex dolore amantium, qui non voti ſui compotes fiunt. Z.

13 Forſan Uxor cum grandi dote et ingenio etiam dulci; per Dilogiam.

14 Bene *compede*, erat enim Libertina Myrtale, h. e. ex ſervis nata. *Attendendum autem compedem ſingulari numero eum dixiſſe, quod non facile apud veteres invenitur.* Vet. Schol.

15 *Acrior*, h. e. ingenio ferocior, figurate.

ODE XXXIV.

Antonio et Cleopatra præter ſpem omnem ſeparatis, Horatius fingit ſe renuntiare Epicureiſmo, et Providentiam agnoſcere; quo facilius perſuadeat populo Auguſti Imperium deorum voluntate ſtabilitum. (Non perſuadet mihi vir doctus, hoc fuiſſe conſilium poetæ. Sed vel ſerio, ad tempus certe, ab Epicuri grege ſe confert ad ſaniorem de providentia ſententiam: aut ludum ſibi facit ſuo cum tonitru Jovem. Prius puto verius. V. ad v. 5. G.)

METRUM UT IN ODE XXIX.

Parcus deorum cultor et infrèquens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos: namque Dieſpiter,
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum;
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis

2 *Inſanientis, res ſacrilegas ſuadentis.* Vet. Schol. Eſtque etiam Figura Ὀξύμωρον, ut notavit Lambinus.

Sapientia, Græcis Σοφία, Philoſophia eſt.

3 *Conſultus* erat quem nos *Profeſſorem*, vel *Doctorem* nominamus. Qui vel ipſe jam ab aliis conſulitur.

5 *Relictos*, præteritos, vel poſt ſe relictos. Ingenio ſuo debet magnus Bentleius *relectos* pro *relictos*. Quis dicat curſum eſſe *relectum* antequam *relictus* fuerat? Neque enim ferri poteſt *relectos* pro *relegendos*. B. *Relectos* neceſſarium puto eſſe, licet ſit ex ſola conjectura N. Heinſii, (ad Ovid. Met. 8. 173. et Adverſ. 2. 4. p. 236.) et R. Bentleii. Nam *relictos curſus iterare* hoc tantum ſignificat, viam, eandem ab initio, vel ab eo loco, ubi reliqueras, repetere et denuo percurrere. Hic autem oportet intelligi non hoc, quod diximus, ſed retractationem. *Relictos curſus iterat*, qui v. g. bis Puteolis navigat Alexandream; *relectos* qui Puteolis Alexandream cum tetenderit, mutato curſu redit Puteolos. Sic ἀναπείχειν, ἀναδρομῆν, ἀναδρομεῖσθαι eſt mutare et emendare ſuperiorem agendi rationem, tanquam navigationem. G.

Dieſpiter fictum videtur nomen Harduino ab impia illa cohorte (in cerebro viri enata et nidulante) in honorem Chriſti ex ignorabilibus mihi Hebraicis, quæ interpretatur, *qui conterentes ſe conteret inimicos*. Forte volebat די שף את ער Editum vero eſt דיירהשמורתתיצר. Ceterum nomen *Dieſpeter*, quaſi *diei patrem* dicas, pulchre convenit Jovi, cum claro cœlo tonat: quale tonitru aut fulmen, ſereno cœlo miſſum, in prodigiis habitum ab Homericis inde temporibus, quod copioſe oſtendit Lambinus. Add. Jul. Obſeq. c. 83. 107. 122. et Plin. 2. 52. Burm. Jove Fulgerat. c. 9. Epicurei hoc negabant, v. g. Lucr. 6. 245. ſq. Horatius cum tale quid expertus ipſe eſſet, motus certe ad tempus videtur. Facit huc, quod eam velut conditionem fert Jovi impius apud Ariſtophanem Socrates, ut ſereno pluat ſine nubibus, Νεφ. 370. Eandem putabant Epicurei rationem tonitruum: quare refelluntur, ſi tonet ſereno. Non eſt hic ſermo, quid verum ſit; ſed quid ſentiant homines. Vidi ego fortes, ut ſibi videbantur, Spiritus contremiſcere ad ſubitum tonitru e nube, et impias nugas ſtatim deſinere. Quid ſi his ſereno tonuiſſet? G.

7 Diſtinguendum procul dubio poſt *Plerumque*, quod videtur ipſe Vet. Schol. feciſſe, cum ita de Jove ſcribat. Qui *nubilo cælo coruſ-*

Mutare et insignem attenuat deus,
Obscùra promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

ODE XXXV.

AD FORTUNAM.

Post Varianam cladem, qua exercitus P. R. cum ipso duce Quintilio Varo a Germanis deletus est, ingens Romæ trepidatio fuit, adeoque magnus tumultuum metus, ut Augustus ipse furiata mente itentidem exclamaverit, Quintili Vare, legiones redde. Quæ mala Poeta in hac Ode impotentiæ Fortunæ tribuit; quam tandem precatur, ut præterita mala futuris successibus resarciat. (Etiam hæc conjectura videtur non valde firma. Nihil aliud, quam locum de Fortuna tractat poeta. G. Nempe de Fortuna Antiate, qualis quidem fuerit in templo Antii. Z.)

METRUM UT IN PRÆCEDENTE.

O DIVA, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu

13 Insigne *Bentl. e cod.* *Hinc* insignia *conj. Cuning. quod recepit Jan.* *Atque sane sic bene cohærent* ima, summa, insignia, obscura. Z.—14 Hic *it.* huic *coll. Sax.*

eare consuevit. Vir magnus atque ingenuus Richardus Bentleius maluit emendationem istam deberi nescio cui Bangio peregrino, quam mihi noto et conterraneo suo.

Quod philosophiæ naturali contrarium erat. M. Herennius *sereno die fulmine ictus est.* Mancinellus ex Plinio.

8 *Volucremque currum; ex vulgi opinione, tonitrua, dicuntur strepitus esse currus et quadrigarum Jovis.* Vet. Schol.

9 *Bruti graves et tardi dicuntur quod terræ perpetuum est.* Vet. Schol. B. *Bruta*, h. e. carens sensu et ratione. Z.

10 *Tænarus* pr. promontorium in Peloponneso, per quod descensus putabatur ad inferos. H. l. sedes Tænari est locus inferorum. *Invisi*, non visi. Z.

11 *Atlanteus finis*, Atlas mons Africæ, qui ex vett. opinione finem terræ constituebat. Z.

12 Æsopus interrogatus a Chilone quam rem ageret Jupiter; ille respondit; τὰ ταπεινὰ ὑψηλοῖ, καὶ τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ. Laertius, Vita Chilonis. Hoc responsum Chiloni tribuitur a docto viro Ludovico Desprez. Verum hic ex incuria lapsus.

13 *Insignem attenuat*, Hesiodum expressit; Ἀρίζηλον μινύθει, ut monstravit Ant. Muretus, vir doctus. *Insignem* dicit M. Antonium. Pro *insignem* Bentleius solo novandi studio reposuit *insigne*, quo sit eodem genere quo *obscura*; atque hoc sine ullo grano salis. B.

Potuit cogitare Antonium et Augustum Horatius. Sed si alios quoque cogitare voluit, debuit aliter loqui. Interpretatur Hesiodi carmen Oper. pr. tractat locum communem de providentia Epicureis oppositum, &c. G.

14 *Obscura promens*, dissimulat se velle Augustum, equestri ordine virum, dum ponit Neutrum genus pro Masculino.

Phrahati Parthorum Regi tiaram (multis apicibus circumseptam) ablatam significat, et Tiridatis capiti impositam. B.

15 Bene *cum stridore acuto*, cum ante posuerit *rapax:* ad instar scilicet procellosi turbinis. Psal. LVIII. 10.

16 *Sustulit*, ἀορίστως, ut solet: consuevit tollere. G.

ODE XXXV.

1 *Antium* erat in tutela Fortunæ, quod ideo *gratum* dicit. B. Non temere turbabit quemquam delira Harduini temeritas, totam Antia-

Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus; te dominam æquoris,
Quicunque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Urbeſque, genteſque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni,
Injurioſo ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te ſemper anteit ſerva Neceſſitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Geſtans ahena; nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.

14 Fremens ad arma curſantes *conj. Bentl.*—17 Serva *etiam Gott. et collat. Sax.*

tem Fortunam ſomniantis ex nummo male explicato confictam. Qui hiſtoriam amant præfabulis, inſpicient Torrentium ad h. l. it. Phil. à Turre monumenta veteris Antii c. 1. G.

2 *Præſens, parata.* Vet. Schol.

3 *Mors ſola fatetur Quantula ſunt hominum corpuſcula.* Juven. B. *Mortale corp.* h. e. hominem. *Superbos triumph.* ſummum honoris gradum, maximam gloriam. *Vertere fun.* mutare in funera. Z.

6 Notum Mathematicis Lunam eſſe κλῆρον τῆς τύχης, i. e. Sortem Fortunæ, quæ dominatur mari. B. Non invenio, quod ait vir doctus, ipſam Lunam eſſe ſortem Fortunæ; ſed ſic vocari comparationem quandam Lunæ ad alias partes cœli. Vid. Ptolemæi Tetrabibl. L. 3. peculiari capite, et Scalig. ad Manil. p. 187. ſqq. Nec Horatius rimatus videtur *numeros* illos *Babylonios*, a quibus Leuconoen ſuam avocat 1. 11. Sed cum maris motus ac tempeſtates oriantur a cauſis latentibus, quare nec prævideri ullo modo neque caveri poſſunt: ideo videntur illos peculiariter Fortunæ aſſignaſſe. Hinc Fortunæ reduci in nummis dedere gubernaculum, quo maritimos curſus regat, ut rotam ad pedeſtres. G.

7 *Laceſſit*, remis impellit. *Bithyna car.* nave e Bithynia profecta. Z.

9 *Profugi, quia nuſquam certam ſedem habent.* Vet. Schol. Cruq. Jam movebant Scythæ bellum, quo reſtitueretur Phrahati regnum. B. Cf. infra III. 24. 9. Z.

11 Crediderim eum de Phrahatis matre locutum, atque etiam de ipſo Phrahate ſequentibus verbis.

13 *Injurioſo*, h. e. faſtuoſo et faſtidioſo.

14 *Stantem columnam;* innuit emphatice Auguſtum eſſe unicam Reip. columnam, ſubtractis jam aliis, præſertim Quintilio Varo. B.

Ego unumquemque hominem intelligam, quo alii ut columna nituntur. G.

15 *Bene tumultum vulgarem expreſſit repetendo.* Vet. Schol.

Ceſſantes, jam otio fruentes. *Ceſſantes* modo dicit locupletiores cives, et otio gaudentes. Fruſtra igitur Bentleius vitio dat Horatio, quod populus ipſum populum ad arma concitet. B. *Ceſſantes* inſanis videntur qui non inſaniunt, vel furunt minus. G.

16 *Frangat* pro diſſolvat.

17 Cum Vet. Schol. et MSS. Cruq. repoſui *ſerva* pro *ſæva:* eſt enim mors (quam hic, ut etiam alibi per Euphemiſmum *Neceſſitatem* appellat) Fortunæ carnifex et ſuppliciorum miniſtra. Hoc loco hæret aqua Bentleio, neque me legere dignatus eſt. B. *Serva* Fortunæ, quæ

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno; nec comitem abnegat,
  Utcunque mutata potentes
    Veſte domos inimica linquis.
At vulgus infidum et meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
  Cum fæce ſiccatis amici,
    Ferre jugum pariter doloſi.
Serves iturum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
  Examen Eois timendum
    Partibus, Oceanoque rubro.
Eheu! cicatricum et ſceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
  Ætas? quid intactum nefaſti
    Liquimus? unde manum juventus

22 Abneget *Brod.*—24 Vertis *pro* linquis *conj. Bentl.*—25 Ut meretrix *conj. Cun. et ſic Brod.*—33 Heu heu *coll. Sax.*—36 *Sic cum Bentl. et Cun. etiam Brod. coll. Sax. Gott. Flor. Loch.* &c. *Sed* manus *eſt in edd. Ven. Glar. Lamb.*

illam ut lictores et anteambulones alii, *anteit*, *Neceſſitas* non moriendi modo, ſed quæcunque vim et coactionem adfert. *Clavis* cruci figuntur, *cuneis* Caucaſo affixus Prometheus Cic. Tuſc. 2. c. 9. *Abenam* manum tribuit illi ob duritiem, robur, &c. Conf. 3. 34. 5. G.

18 Sunt autem *Trabales clavi*, maximi clavi ex ferro, quibus trabes figuntur. Sic etiam *Od. 24. Lib. III. Si figit adamantinos Summis verticibus dira Neceſſitas Clavos.*

Cuneos pro *martulos* poſuiſſe videtur.

19 *Abenam* mortis manum Dilogus nominavit, ob aheneam ejus imaginem, ut puto, et quod erat indomita. Veteres etiam Morti hymnos canebant et thura cremabant, ut conſtat ex Onomacrito Athenienſi.

20 *Uncus, quo puniebantur damnati.—Sejanus ducitur unco.* Vet. Schol.

Reſoluto plumbo rei puniri conſueverunt. Vet. Schol. Cruq. Crediderim cum *Uncum* et *liquidum plumbum* intuliſſe in terrorem tumultuantis populi; cum alias *clavi* et *cunei* ſufficerent. Probabile eſt etiam *Mortem*, *Spem*, et *Fidem* fuiſſe Παρέδρους, ſive Aſſeſſores Fortunæ Antiatis.

21 Bentleius mire ſe torquet et cæcutit hoc loco; Horatio infenſus. Spem et Fidem ſemper dicit comitari Fortunam, etiam cum ea adverſa fuerit. Quid apertius? B. *Fides* quæ *colit* utramque *Fortunam*, eam præſertim, quæ *clavos* et *uncos* minatur, rara eſt. Hæc ſe *non abnegat comitem* fortunæ amicorum, id eſt, amicis in utraque fortuna conſtitutis. G.

Fidem ideo *albo panno velatam dicit, quia albo panno caput velabant Fidei ſacrificantes.* Vet. Schol.

23 *Mutata*, i. e. nigra.

24 *Linquis* illud pulchre defendit a Bentleio L. Bos. Fortunam etiam a palatio in inſulam vel carcerem euntem ſequitur Fides. G.

27 *Siccatis*, ebibitis.

28 *Doloſi*, tanquam non ſtantes promiſſis.

29 Mirifice diſplicuit Bentleio Horatii Pleonaſmus *ultimos Orbis*; dicit enim *ultimos* debuiſſe ſufficere. Ex conjectura igitur propria ipſe reponit *ultimos Oro*. B. De expeditione in Britanniam tentata etiam A. V. 727. ſatis Marcilius et Maſſonus dixere ad refutandum Harduinum, qui tale quidquam ab Auguſto actum eſſe, ſolita confidentia negat. Iidem de Arabica expeditione Ælio Gallo mandata eodem tempore. *Britannos orbis ultimos* dicit eodem ſenſu, quo *toto diviſos* vel *diverſos orbe Britannos* Virgilius Ecl. 1. 67.: quos diſcludit et ſejungit Oceanus. Sic Luca. 7. 541. *extremos orbis Iberos* dixit. G.

31 *Examen, novum delectum ab Auguſto habitum.* Vet. Schol.

Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas Arabaſque ferrum.

ODE XXXVI.

Gratulatur amico ſuo Plotio Numidæ ob reditum in patriam. Veriſimile eſt eum fuiſſe Pompeianum, et Auguſti gratia ab exſilio rediiſſe; ob enormem Horatii lætitiam.

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, SECUNDO ASCLEPIADEUM.

Et ture et fidibus juvat
Placare, et vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ deos;
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen dividit oſcula
Quam dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,

39 Defingas *conj. Bentl. et Cun.* Recoctum *pro* retuſ. *conj. Bentl.* Refuſum *vir doctus in Miſc. obſſ. Bur. vol. 4. p.* 381. G. Defigas recuſum *ed. Lamb.*

ODE XXXVI.

8 Arctæ *ed. Venet.* Z.

32 *Rubro*; Æthiopico et Indico, a colore vicinarum gentium.

36 Bentleius pro Plurali *manus*, autoritate quorundam Codicum reſcripſit Singulare *manum*: Minus hoc illi placuiſſet, ſi in Editis reperiſſet. B. Vid. Var. L.

39 *Diffingas*, *refabrices*. Vet. Sch. Bentleio magis arridet *defingas* quam *diffingas*, etſi agnoſcat *diffingas* eſſe lectionem omnium Codicum atque temporum. Certe neceſſe fuerat *diffingi* prius quæ fuerant recudenda. Iſta Μετάληψις ſcriptoribus eſt uſitatiſſima.

40 *Maſſagetæ* reliquique Scythæ a partibus Phrahatis ſtabant, quibus ob eam rem minus favebant Pompeiani.

Docte obſervavit Cruquius eſſe etiam *Arabiam* alteram in Scythia, quam Ammian. Marcellinus *Getarum deſertum* appellat. B. Sed hic opus non videtur aliis, quam iis, de quibus v. 31. ſq. *Ferrum*, ab infelici illo in fratres uſu *retuſum* et habetatum, *diffingi*, i. malleo diduci, et ita acui optat *nova*, i. repetita *incude*, quo adhibeatur contra *Maſſagetas*, &c. Ceterum nec *defingas* damnare auſim, cum *de* et *di* in compoſitis frequentiſſime confundantur. Hic quidem omnes noſtri *diffingas* habent. G.

ODE XXXVI.

1 *Fidicines hodie quoque Romæ ad ſacrificia adhiberi, ſicut tibicines, nemo eſt qui neſciat.* Vet. Schol.

2 *Placare*; Votis redditis.

Debetur boſtia dum votis ſuſceptis promittitur. Vet. Schol.

4 *Heſperia*, *Mauritania*. Vet. Schol. Ubi etiam hortus Heſperidum. B. Cur non potius ex Hiſpania? G.

6 *Dividit*, *tanquam quæ multis data ſufficerent.* Vet. Schol.

8 *Significat Numidam Lamia Patrono uſum a*

Mutatæque ſimul togæ.
Creſſa ne careat pulchra dies nota;
Neu promtæ modus amphoræ,
Neu morem in Saliûm ſit requies pedum;
Neu multi Damalis meri
Baſſum Threïcia vincat amyſtide;
Neu deſint epulis roſæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos; nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Laſcivis hederis ambitioſior.

10 Threſſa *conj. Eraſmi.*

pueritia. Vet. Schol. Quis neſcit fuiſſe Romanis principem juventutis? Cur non etiam patroni, ſeu reges, juventutis fuerint? B. Ut nempe adulti habebant ſuos *reges*, quod clientium et minorum amicorum relativum apud Horatium eſt, V. G. Epiſt. 1. 17. 43.: ſic etiam pueri et adoleſcentuli. G. Fortaſſis præſtat Heinſii ratio, qui rectorem interpretatur, h. e. pædagogum. Ergo *non alio* eſt eodem. Z.

9 Oſtendit eos fuiſſe ejuſdem ætatis. Ineunte ſaltem decimo ſeptimo ætatis anno depoſita prætexta ſumebant togam puram, ſeu virilem.

10 *Cretenſibus moris erat dies lætos albis calculis, nigris contrarios numerare, et ex lætorum dierum numero una et tempus metiri. Malos enim in annorum numerum non ducebant.* Vet. Schol. Verum mos iſte fuit Cretenſibus communis cum aliis gentibus; quare cenſeo *Creſſam notam*, eſſe albam notam creta ductam. Romani enim creta et carbone albos et nigros dies notabant. Creta iſta erat factitia, ſicuti et alias carbo factitius; quibus notabant felices dies atque infelices. B.

Hanc Cruquii etiam et Lambini ſententiam ornavit Bentleius. G.

11 *Modus* vox eſt mediæ ſignificationis; jam vero *plenus modus* eſt. B. Quin *modus* jungendum cum *ſit* verſus proxime ſequentis. *Ne ſit modus amphoræ promtæ*, ne numeretur, quot amphoræ jam ſint e cella promtæ. G.

12 *Salii ſacerdotes Martis et Herculis dicebantur.* Vet. Schol. Juxta Dionyſium Halicarnaſſeum, non alii erant quam Græcorum Curetes, ſeu Corybantes.

14 *Baſſus*, immanis cujuſdam potatoris nomen.

Amyſtis potabatur non ductu. Vet. Schol. Erat ingens *phiala*, teſte Vet. Sch. Cruq. Ἀμυστίζειν, ἀπνευεὶ πίνειν. Plutarch. in Sympoſ. notante Lambino.

16 *Breve, quod cito defloreſcat.* Vet. Schol. B. *An lilium breve*, i. parvum, humile, quod lilium convallium vocatur? G.

17 *Putres, nimio potu marcentes et libidine reſolutos.* Vet. Schol.

20 *Hederas laſcivas dicit, quia quaſi ludentes vagæ ſerpunt.* Vet. Schol.

Ambitioſa, ab ambitu lacertorum. Vet. Schol.

ODE XXXVII.

Alcæum imitatus publicam lætitiam indicit ob voluntariam Antonii et Cleopatræ necem, quæ cruento bello finem impoſuit.

METRUM UT IN XXIX.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.
Antehac nefas, depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una ſoſpes navis ab ignibus;
Mentemque lymphatam Mareotico

---

9 *Conjecturam Scaligeri* congrege *merito damnat Bentl.*—14 Meroëtico *conj. Guietus ad Lucanum* X. 117.

---

1 Νῦν χρὴ μεθύσθην ἔ τινὰ σοὶ βίαν πίνειν, ὅτιδὴ κάτθανε Μύρσιλος. Alcæus (apud Athenæ. 10). Cum potuiſſet Antonium nominare, ad vitandam tamen invidiam, ei pepercit. B. Conf. infra Epod. 9. Z.

Libero, laſcivienti. Vet. Schol. Vel etiam a captivitate libero, eleganti Dilogia.

2 *Saliares cænæ* in *proverbio.* Vet. Schol. B. H. e. opiparæ et ſumtuoſæ. Z.

3 *Ornare pulvinar, id eſt, menſas vel templa, quæ pulvinaria dicuntur propter Lectiſternia quæ ibi fiebant, præterquam in templo Herculis, qui nunquam quieti aſſuetus erat.* Vet. Schol. B. Nempe aræ deorum ſunt menſæ, ad quas invitantur, quin diſponuntur illorum ſtatuæ accumbentium modo in lectis et pulvinaribus. G.

4 *Tempus erat*, h. e. Jamdudum. B. Reprehendit tarditatem, q. d. jam factum oportebat. G.

Dapibus; poſt ſaltationem hoſtiis epulabantur. Vet. Schol.

7 *Dementes*, a dementia reginæ cogitatas. Z.

8 Credi vult Romanum Imperium Alexandriam tranſlatum iri. B. Nempe hoc moliri cum Cleopatra Antonium, vel vere vel invidiæ faciendæ cauſa dicebatur. G.

9 Grex dici ſolet de vilioribus.

Turpium; aut malæ vitæ, aut eviratorum. Vet. Sch. per Dilogiam. B. *Turpes morbo viros* hic puto non eunuchos tantum dici, vel pathicos adeo: ſed *contaminatos* ac *turpes* vocari, *morbo* animi laborare dici, qui Romani et viri Ægyptiæ feminæ ſervirent. L. Bos ſuſpicatur *cum grege—orbo virorum*, i. e. carente viris. G. Videntur eſſe ſpadones, qui Epod. 9. 13. dicuntur, turpes et fœdi ob morbum corporis et animi. Z.

10 Audaciſſime legerat Bentleius *Opprobriorum* pro *Morbo virorum*. Etiam mutilatio teſticulorum pro morbo venire potuit: nam et vulnera inter morbos recenſebantur, ut et cætera corporis mala. B.

Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurguens (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ) daret ut catenis
Fatale monstrum, quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras:
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;

15 Ad veros *conj. Bentl.*—18 Ut leporem *conj. Cuning.*—25 Tacentem *conj. Bentl.*—26 *Editiones multæ interpungunt post* fortis.

Impotens, immoderata, et non compos bonæ mentis ut circa libidines alias, ita in spe etiam. G.

11 *Dulci*, metaphorice pro blandienti.

13 Elegantissima Dilogia innuit *Augustum vitasse ejus complexus, cum Divum Julium et M. Antonium corporis sui illecebris cepisset.* Vet. Schol. B. Est hoc Scholion Acronis Fabriciani. Secundum hæc *Una navis sospes ab ignibus* fuerit ipse Augustus, quem incendere frustra conata sit Cleopatra. Sed potior est historia, qua constat, de classe Antonii vix unam sospitem mansisse, prætoriam nempe Antonii, qua Cleopatram cum suis navibus initio statim prælii fugientem secutus est. G.

14 A Faunis et Nymphis dementari credebant homines, quos ob eam rem Νυμφολήπτους dicebant et *Lymphatos* Latina lingua, imo et *Fanaticos*, si veteri Scholiastæ fides, a *Faunis*. B. *Mentem lymphatam Mareotico*, i. imprudentiam, et amentiam quandam ab ebrietate contractam, interpretari videtur illud subitum consilium Cleopatræ, cum rebus integris, inclinata neutro victoria cum omnibus navibus suis aufugere e prælio ad Actium instituit, eaque re fugæ Antonii et cladis auctor fuit. Hic prior metus inanis erat et Panicus: sed mox *verus timor* successit persequente illam primo per suos, deinde per se quoque et præsente Octaviano. G.

Juxta paludem Mareotidem in Ægypto, vinum erat præstantissimum. Significat Cleopatram ipsam vinosam fuisse æque atque Antonium.

15 Initio Actiacæ pugnæ Cleopatra fugam simulaverat, ut bene adnotavit Torrentius.

16 *Ab Italia* nunc volat Cleopatra, non quasi ibi fuisset, sed quod paullo ante cogitabat in Italiam victo Octaviano descendere. G.

18 *Molles* jam pro timidas, h. e. corde miolles.

20 *Æmonia ab Æmo monte dicta*, ut bene monuit Vet. Schol. Siquidem Thessalia olim ad Thracas pertinebat. B. Plutarchus narrat, duplici de causa festinasse Augustum, ut vivam caperet Cleopatram; veritus primum ne pecunias ac opes corrumperet, deinde quod illa triumphi splendorem auctura esset. Z.

21 *Monstrum* jam pro prodigium, ob insolitos animos; quod et fœmina et peregrina Imperio Romano inhiaret. *Fatale* referri videtur ad aliquod Vaticinium in Sibyllinis carminibus de ea acceptum. Dilogos etiam fatale obscœnum dixit: Nam *Prostantes Fatales dicuntur*. Vet. Schol. Vide Juvenal. Sat. 9. B. Fortassis *fatale* est periculosum, quia Capitolio ruinas et funus imperio parabat. *Generosius*, minus ignominiose, quam si viva capta fuisset. Z.

23 Conspecto Proculeio qui ab Augusto missus fuerat ad eam vivam ad se deducendam; gladio quo erat accincta, se trucidare voluit. Hoc adnotavit Mancinellus ex Plutarcho.

Deliberata morte ferocior:
Sævis Liburnis ſcilicet invidens,
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

ODE XXXVIII.

AD MINISTRUM.

Sumptuoſa convivia Horatio minus arrident.

METRUM SAPPHICUM.

Persicos odi, puer, apparatus;
Diſplicent nexæ philyra coronæ:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.

Latentes, intimas Ægypti regiones. Vet. Schol. Quibus ipſa latere potuiſſet.

24 *Reparavit*, h. e. requiſivit. Miror magis Bentleio placuiſſe *penetravit* quam *reparavit*, quod idem valet quod *requiſivit*. Sic etiam ſuperius 1. 31. 12. *Vina Syra reparata merce*, pro *requiſita*. B. Volebat aliquando navibus partim per Iſthmum ex Nilo tranſvectis in litus rubri maris, partim ibi ædificatis, fortunam novam experiri, et *claſſe cita*, h. e. mota ac tranſlata *reparare*, h. e. amiſſis illis Ægypti inferioris circa Nili oſtia litoribus, alias parare *oras latentes* Romanis, quibus vel circumnavigare Africam, vel eadem ratione trajicere claſſem difficile futurum erat. Aliquando navigare cum theſauris in Hiſpaniam conſilium erat. Sed ab utroque vel deſtitit vel dejecta eſt. Poetice facit Horatius, cum fortitudini tribuit, quod deſperationis erat. *Penetravit* Bentleiano dignum ingenio, ſed non neceſſarium. Nec non ingenioſe L. Bos, *Claſſe cita ire paravit* (in) *oras*. G.

25 *Jacentem regiam*, h. e. *Regnum ſuum deſperatum*. Vet. Schol. Non videt vir ſagaciſſimus Bentleius *regiam* modo dici figurate pro *regnum*, quod et adverterat antiquus Scholiaſtes. B. Placet eorum ſententia, qui *regiam* proprie intelligunt, aulam mœſtam, et ob cladem plane conſternatam. Ordo enim eſt: non fugit in loca, ubi latere potuiſſet et bellum reparare, ſed auſa eſt ſe conferre Alexandriam ipſam, vultu metum omnem diſſimulante. Z.

29 *Deliberata*, h. e. mente diu agitata.

30 *Liburnis* poſuit pro Liburnis nautis, quorum opera potiſſimum Auguſtus victoriam adeptus eſt.

32 *Non humilis*, Figura Litotes, qua minus dicitur quam intelligitur.

Nam et T. Livius refert illam, cum de induſtria ab Auguſto indulgentius tractaretur, identidem dicere ſolitam fuiſſe: Οὐ θριαμβεύσομαι, h. e. *Non triumphabor*. Vet. Schol.

ODE XXXVIII.

1 Perſarum gentis unguenta erant. Plinius. *Odi*, jam pro nauſeo.

Apparatus, de caris et longe petitis accipio.

2 Ex tenuiſſimo tiliæ arboris libro, quem veteres Philyram vocabant, delicatis coronarum lemniſci conficiebantur; ut erudite oſtendit Angelus Politianus. *Philyra cortex tiliæ arboris*. Vet. Schol.

3 *Sectari*, proprie de venatoribus dicitur. *Dum tu ſectaris apros*, apud Virgilium.

4 *Moretur*, vivat, vel habitet, ſuaviter. B. Senſus eſt: quibus in locis adhuc roſa floret, cum apud nos roſæ jam florere deſierint. Z.

Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus, curo: neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
Vite bibentem.

6 Curæ *Cun.*

5 *Simplici, cui nihil aliud adjicitur.* Vet. Schol. *Adlabores*, h. e. ulterius ſtudioſe quæras.

6 Hic locus feliciter a Bentleio reſtitutus eſt: nam de *Sedulus curo* fecit *Sedulus, cura;* quæ quidem utraque vox Horatii puerum decebat, non autem ipſum herum. B. Ut ſumus homines, mihi placet vulgata omnium librorum lectio. *Nihil curo adlabores:* hoc eſt, non curo te allaborare, ut in illo Lucilii, *Perſium non curo legere*, pro nolo: deprecatur Horatius ſedulam ſervuli curioſitatem in coronis parandis. Conjecturis virorum doctorum nihil opus eſſe videtur. G.

Subruſticum, ſcilicet et parvi emtum.

7 *Arctam vitem ſpiſſam, ac per hoc umbroſam accipe.* Vet. Schol. Simplici ſcilicet umbra utentem.

Q. HORATII
FLACCI
CARMINUM
LIBER SECUNDUS.

ODE I.

AD C. ASINIUM POLLIONEM.

Horatius Cæſarianarum et Pompeianarum partium medius Aſinium Pollionem, Conſularem virum et Auguſti gratia potentem, a ſtringendo ſtilo in Pompeianos deterret, ac magis eum ad ſuaves mores et miſerationem tot illuſtrium virorum adducit. (Summa videtur eſſe hæc: *Tu, Pollio, ſcribis hiſtoriam bellorum civilium, opus arduum ac difficile: ego vero tantum carmina meditari poſſum leviora et amatoria.* Z.)

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS ALCAICUM, TERTIO IAMBICUM DIMETRUM HYPERCATALECTUM, QUARTO PINDARICUM DACTYLICUM.

MOTUM ex Metello conſule civicum,
Bellique cauſas, et vitia, et modos,
Ludumque Fortunæ, graveſque
Principum amicitias, et arma 4

1 Civium *Coll. Sax.*

1 Suaviter *Motum* dicit magis quam *bellum*: Eſtque Figura Charientiſmus.

Notum eſt Metello Celere et Afranio Coſſ. Triumviratum Reipublicæ conſtituendæ cœpiſſe. Quod etiam ſignificavit. Vet. Schol. B.

Q. Cæcilio *Metello* et L. Afranio Coſſ. A. V. C. 694. Pompeius, Craſſus, Cæſar ſocietatem iniere, quem recentiores quidam Triumviratum appellant (ipſi nuſquam eo nomine utuntur) reipublicæ exitiabilem: unde initium hiſtoriæ ſuæ bellorum civilium cepiſſe Pollionem probabile eſt. Quod dicit *ex Metello*, hoc ipſum indicat, non tum cœpiſſe bellum; ſed inde arceſſendam ejus originem. G.

Civicum ſicut hoſticum veteres dixerunt. Vet. Schol.

2 *Cauſas* jam prætextas dicit.

Vitia dixit non belli, ſed principum. B.

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculoſæ plenum opus aleæ,
Tractas; et incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo:
Paulum ſeveræ Muſa Tragœdiæ
Deſit theatris; mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Inſigne mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti, Pollio, curiæ;
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures; jam litui ſtrepunt;
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.
Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos;

21 *Pro* audire *conj. Bentl.* Videre, *et probat Cun.*

Intellige *belli vitia*, quæ in ratione belli recte adminiſtrandi committuntur. Z.

Verecunde inſidias callidaſque rationes, *modos* nominavit. *Summus nempe locus nulla non arte petitus.* Juvenal.

3 *Ludumque Fortunæ, quæ ludibrio habet res humanas.* Vet. Schol. Omnia enim facit παρὰ προσδοκίαν et ſplendidiſſimas res eludit.

Lepidiſſime dixit Cato Rempublicam non fuiſſe everſam diſcordia, ſed amicitia Triumvirorum.

5 *Uncta*, h. e. illita. Bentleius ex ingenio ſuo de *uncta* fecit *tincta*, ſed *uncta* efficacior vox eſt iſto loco. B. Tanto minus damnare illud *uncta* auſim, licet tenui diſcrimine a *tincta* diſtans, quod v. 29. etiam *pinguiorem* Latino ſanguine campum dicit. Nec tamen negarim, honori eſſe Horatio, ſi *tincta* dediſſe putetur, quo indicentur maculæ nondum deletæ, cum *uncta* detergeantur facilius. G.

7 Significat, *Odia belli civilis ſub ſpecie pacis latere, nec tutum eſſe per Hiſtoriæ veritatem horum offendi animos qui geſſerunt.* Vet. Schol. B. *Periculoſæ plen.* nam periculum eſt non modo offendendi, ſed et errandi. Sequens phraſis, *incedis per ign.* idem valet, tropus tantum eſt diverſus. Z.

9 *Tragœdia; uno tempore et Tragœdiam et Hiſtoriam ſcribebat.* Vet. Schol. B. Senſus eſt: Pauliſper differ tragœdias ſcribere, donec hiſtoriam illam bellorum civilium abſolveris. Z.

11 *Ordinaris*; Enallage Perſonæ ſatis elegans; vult enim Auguſtum, cujus imperio forſan Pollio hæc ſcribebat. B. At quis ferat Enallagen rebus ipſis ita repugnantem? Tolerabilius ad Præfecturam urbis Pollioni mandatam refertur. Fefellit viros doctos formula *ordinare res publicas*, quæ hic ſignificat nihil aliud quam ordinate referre, enarrare *res* geſtas. Notandum eſt, *res* dici, non rem publicam: Sic *faſtos ordinatos* a Verrio Flacco *narrat* Sueto. de Gram. 17. G.

12 *Cecropio*, Attico, eleganti et ſublimi, quali ſunt uſi Æſchylus, Sophocles, Euripides. Z.

13 *Fuit Cauſſidicus Pollio.* Vet. Schol. B. Laudatur Pollio h. l. tanquam diſertus *Orator* in cauſis forenſibus agendis, *Senator* prudens in conſulendo, et *Imperator* clarus, qui Parthenos gentem Illyridis ſubegerat. Vid. Appian. de B. C. Lib. V. cap. 74. et Dio XLVIII. 41. Z.

17 *Jam nunc minaci; Laus Relatoris, tanquam hæc ipſa quæ ſcriberet ita commendaret, ut ſe auditor crederet intereſſe.* Vet. Schol.

19 *Hodieque fugam pro velocitate dicimus cum de equis loquimur.* Vet. Schol.

Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Juno, et deorum quiſquis amicior
Afris inulta ceſſerat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia prœlia
Teſtatur, auditumque Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?
Sed ne, relictis, Muſa procax, jocis,
Ceæ retractes munera næniæ;
Mecum Dionæo ſub antro
Quære modos leviore plectro.

33 Quis gurges *ed. Venet.*—38 Funera *conj. Heinſ. ap. Bentl.*

21 *Audire videor*, te, Pollio, amicis recitante hiſtoriam, in qua etiam orationes ducum referes, quibus illi milites ſuos adhortati ſunt. Igitur carere poſſumus emendatione. G. Imo non ſolum orationes, ſed quicquid de ducibus traditur, fingit poëta jam ſibi recitari. Z.

24 *Atrocem, conſtantem.* Vet. Schol. Horatius nequit diſſimulare ſe Romanum. B. Quod *atrocem animum* Catonis vocat, credo invidiæ apud Auguſtum evitandæ cauſa ſic locutum; deinde arreptum hoc a Silio, ut etiam in laude uteretur nomine *atrox*. G.

26 *Ceſſerat*, a Scipione Africano evocata. B. *Impotens* etiam hic retinere poteſt ſolennem ſignificationem non compotis ſui, irati præter modum, et ira pæne furentis, quales ſunt, qui impediuntur ab ulciſcendo. Sed ſi etiam defectum potentiæ ſignificet, ipſum tamen auctorem habebit Tullium. Inepte etiam hoc reprehendit Harduinus, ut cetera in hac Ode. G.

27 Multæ myriades Pompeianorum ad Thapſum in Africa a Cæſarianis occiſi ſunt; ut oſtendit Jacobus Cruquius. B. Quinque myriadas Plutarchus memorat: unam modo Hirtius. G. *Victorum nep.* h. e. poſteros Romanorum eorum, qui olim ſubegerant Africam. *Retulit inf. Jug.* obtulit victimas manibus Jugurthæ. Z.

28 Etiam *Hannibalem intelligi voluit in commoratione Jugurthæ*. Vet. Schol.

32 Pulcherrima Hyperbole. B. *Heſperiæ*, Italiæ. Z.

33 *Qui gurges? Pars fluminis.* Vet. Schol. Cruq. h. e. Vorago. B.

34 *Dauniæ cædes*, h. e. Italorum cædes. Z.

36 *Ora, terræ terminus.* Vet. Sch. Cruq.

37 *Procax, inverecunda, quæ alterius invadis numeros.* Vet. Schol.

38 Simonides *Cea* inſula oriundus, Threnos, ſeu Nænias compoſuit.

Id carmen quod cum lamentatione extremum et ultimum mortuo accinitur, Nænia dicitur. Diomedes, citante Mancinello. Græcis Ἐπικήδειον, teſte Vet. Schol. Cruq.

39 Bene *Dionæo antro*, quia Dione Mater Veneris erat Nympha: Nympharum autem ſunt antra. Pulchra Dilogia innuit magis placituros Dionæo Cæſari Venereos jocos, quam res triſtes atque Tragœdias, quales Aſinius Pollio ſcripturus erat. B. Non puto aliud velle Horatium, quam excuſare ſe, quod nihil grande ſcribat, ut Car. 1. 6. G.

ODE II.

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

C. Salluſtium Criſpum Hiſtorici ex ſorore nepotem Mæcenatique ſuo Auguſti gratia proximum, laute ſplendideque magna fortuna utentem, commendat Catonianis et Stoicis, quorum dogmata ad luxuriam vaferrime detorquet. (Laudatur Salluſtius ob uſum divitiarum rectum. Z.)

METRUM SAPPHICUM. QUINTUS VERSUS ADONIUS.

NULLUS argento color eſt avaris
Abdito terris, inimice lamnæ
Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.
Vivet extento Proculeius ævo
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.

1 *Pro* color, honor *conj. Cun.*—2 Abditæ *Venet. et Lambi.* Abdito *etiam Brod.*—7 Agit *codd. ap. Bentl.* Haud metuente ed. Venet. Z.

1 *Color*, nitor, pulchritudo. Sic Virgil. *Nimium ne crede colori.*

2 Theſauri proprie ſunt qui terra conduntur.

Inimice jam dixit pro *non amice.*

Lamnam per contemtum dici, (ſcil. de pecunia) bene monuit Cruquius. *Laminæ* ſunt quibus veteres patellæ atque ſartagines ab ærariis circumforaneis ſarciri ſolent. Vernacula noſtra, PATCHES. B. Eſt Antonii Birrii ſpecimen animadverſionum Horatianarum in hanc oden Baſ. 1743 editum, in quo interpungit poſt *terris*, et legit, *Inimica* (eſt) *lamna*, &c. Sed vulgata lectio magis poetica eſt: magis blanditur Salluſtio. G.

4 Significat Salluſtium ſplendide vivere.

5 *Proculeium Equitem Romanum laudat, qui pius ſic erga fratres ſuos Scipionem et Muræwam fuit, ut cum ſpoliatis bello civili patrimonium ſuum ex integro divideret, quod cum eis jam ante diviſerat.* Vet. Schol. B. Fratrem Proculeii *Cæpionem* non *Scipionem* eſſe colligitur ex Dione 54. 3. p. 732. 81. ubi pulchre id monet Fabricius. Sed vid. etiam Meibom. Mæcen. c. 27. Harduino *Proculeius* eſt Patriarcha Joſephus, qui *procul* חירה i. e. vixit a patre. *Spectatum admiſſi!* G.

6 Diſtinguendum cenſeo poſt *notus*, quod miror neminem vidiſſe. *Notus, celebris.* Vet. Schol. Cruq. B. Recte iſtam Baxteri diſtinctionem deridet Bentleius. Z.

Animi, amoris. Vet. Schol. B. *Notus animi* intell. cauſa, plane Horatianum eſt, V. G. Car. 4. 13. 21. Sic Stat. Theb. 2. 274. *Noti operum.* G.

7 *Aget* jam pro feret, Græco more: ac ſi Fama cum curru ſuo per æthera actura ſit.

Alte ſcilicet volando, ut Icarus; audax et feſtiva Figura, quam nemo quod ſcio animadvertit. B. *Metuens ſolvi penna*, quæ nunquam ſolvitur, et *metuentes æquore tingi Arctos* dixit Virg. Georg. 1. 246. Sic Car. 2. 14. 16. G.

9 Plus eſt *avidum* eſſe quam avarum.

10 *Spiritum* faſtuoſam cupidinem dicit.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, et aquoſus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri ſolio Phraaten,
Diſſidens plebi, numero beatorum eximit Virtus, populumque falſis
Dedocet uti
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

---

13 Vilis *pro* dirus *Flor.*—17 Phrahartem *Flor.* Phraoten *Glar.* Phraorten *conj. Glar.* Phaharten *Baxt.* Z.—18 Beatûm *Flor.* Plebis *codd. ap. Bentl.*—22 Deferentem *conj. Birr.*—24 Sprevit *conj. Cruſii.*

Hannibalem in animo habuit.

11 *Carthago et in Hiſpania eſt quam Spartariam vocant.* Vet. Sch. B. *Uterque Pœnus* accuratius forte a Porphyrio declaratur, tum qui Carthaginem et Uticam habet in Africa, tum qui Gades condidit: ita erit epexegeſis jucunda et erudita. Coloniæ Carthaginienſium aliæ in Hiſpania non excluduntur. G. *Pœnus uterque*, qui et in Africa et in Hiſpania ſunt Pœni. Z.

13 Notum eſt Stoicos omnes animi affectus pro morbis habere. *Dirum* autem dicimus cujus vel nomen, vel aſpectum ut malum omen abominamur. B. *Hydrops* an ponitur pro hydropico? Id quidem fieri ab ipſo Hippocrate, docet in Œconomia Fœſius. Plane affirmarem cum viris doctis niſi *dirus* commodius morbi quam ægrotantis videretur epitheton: et morbus *hydrops creſcit*, morbus eſt *indulgere ſibi*. G.

15 *Fugerit* pro *fugatus fuerit*, Activum pro Paſſivo.

Albo, pallenti. Vet. Schol. Leucophlegmatiæ deſcriptio. B.

Albo a tenſione cutis et tumore. V. Sat. 2. 2. 21. G.

17 De *Phrahate* Juſtinum adi. Hunc per invidiam nominat; nolebant enim Pompeiani Tyrannum ſolio ſuo reddi. B. Non opus eſt partium ſtudio adſcribi notam Phrahati hic inuſtam. Conſtabat, peſſimum hominem eſſe, nec reddiderat illum ſolio Auguſtus, &c. Vid. Juſti. 42. 5. et Dio. 49. 23. p. 406. it. 51. 18. p. 456. G.

18 *Diſſidens pl.* quæ ſecus ſentit quam multitudo imperita. *Dedocet*, docet ne amplius plebs utatur perverſis nominibus, h. e. ne beatum dicat eum, qui rex et dives tantum eſt. Z.

19 *Virtus*, h. e. Sapientia, ſeu philoſophia Stoica.

Stoicis nemo Rex eſt præter unum Sapientem, ut quibus nihil bonum quod extra ipſum animum eſt, quodve auferri poſſit.

21 Emphaſis eſt in voce *tutum*: ſignificat enim Phrahatis diadema nunquam fore tutum.

22 *Propriam* pro perpetuam dixit; ut Virgil. *Si proprium hoc fuerit.*

23 *Oculo irretorto*, h. e. *non invidente.* Vet. Schol. *Nuſquam recta acies*, Ovid. (Met. 2. 776.) de Invidia, citante erudito viro Antonio Mancinello. B. *Irretorto oculo ſpectat acervos* auri ſapiens, qui non habet opus avertere oculos, et vi quaſi retorquere a divitiis; ſed ridens et hilaris illas adſpicit, dicens vel cogitans potius cum Socrate, *Quam multa non deſidero.* Comparari poteſt Car. 2. 4. 22. *Integer laudo*: ſignificat, ſe irretorto oculo videre poſſe Phyllida. G. Senſus igitur eſt: cujus acies oculorum ſplendore auri non præſtringitur, ſed recto oculo intuetur, h. e. non corrumpitur cupiditate divitiarum. Z.

ODE III.

AD Q. DELLIUM.

Philoſophia mortis meditatio. Morituro nihil admodum vel metuendum, vel expetendum. Q. Dellium Hiſtoricum gravi aliqua animi ægritudine afflictum ſolatur. (Homo varius, et omnium partium transfuga Q. Dellius. V. Fabric. ad Dion. 50. no. 74. G.)

METRUM UT IN PRIMA.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Delli,
Seu mœſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni;
Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ,

4 Deli *edd. vett. ante Lambin.*—9 Qua *ſic Ven. Lamb. Bentl. et Jan. quod latinius videtur quam aliorum* quo. Z.—11 Ramis quo *vel* quoque *Brod. Gott. et editt. primæ, it. R. Steph. Baxt.* Ramis et *Loch. H. Steph. &c.* G. Ramis qua *Lamb.* Ramis, qua et obl. *Cuning. et Jan. Sed vereor, ne* qua *aut* quo *ſit gloſſema.*—13 Brevis *ed. Venet. et Schol. Acron, qui,* Brevis, *inquit, genitivus eſt. Brevis autem cito tranſeuntis et temporalis, ut ſupra* breve lilium.—14 Amœnos *Cun. San. et Jan. et ſic legendum neceſſario eſt, ſi placuerit* brevis.

1 *Æquam*, Metaphora a ſtatera.
Memento dicimus de re ſeria et magni momenti.
Arduum, et inacceſſum et difficile.

2 Neſcio cur Bentleius ex ſola conjectura poſuerit *ac bonis* pro *in bonis*, cum præceſſerit *rebus in arduis*. Nimis ille cavet a quavis repetitione.

3 *Inſolenti*, *ſubito orienti*. Vet. Schol. Cruq. h. e. inconſulta, temeraria.

5 Poſt *tempore*, ſupple *vitæ*.

6 *Vinoque diurno Placari Genius feſtis impune diebus*, de Arte Poet. v. 209. Vid. ad Car. 1. 1. 29.

8 *Quoniam interiores lagenæ ſolent eſſe, quæ prius ſtipatæ ſunt.* Vet. Schol. B. *Interiora* etiam, quæ diligentius ſervantur, cum paucioribus communicantur, ut literæ, amici. G. *Interiore nota*, cado, litteris Coſſ. aut alia ratione notato, qui re conditus ſervatur in interiore cellæ parte, h. e. vino optimo et vetuſtiſſimo. Z. *Nota*, nomina Conſulum.

9 Vet. Schol. cum pluribus MSS. habet *Quo* pro *Qua*; uti etiam pro *et* ante *obliquo*, ut notavit Torrentius, Vir probus et doctus.
Interiora populi folia alba ſunt. Vet. Schol. B.

11 Bene *laborat* quia rivus erat obliquus.

12 *Trepidare*, pro *feſtinare*. Vet. Schol.

Dum res et ætas et ſororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmtis ſaltibus, et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes; et exſtructis in altum
Divitiis potietur hæres.
Diveſne, priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, an pauper, et infima
De gente ſub divo moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna ſerius ocius
Sors exitura, et nos in æternum
Exſilium impoſitura cymbæ.

---

23 Dio *Ven. et Glar.*—28 Cumbæ *Bentl. et Jan.* Z.

---

13 *Breves cito tranſeuntes, temporaneæ.* Vet. Schol. Cruq.

15 *Res* dicit pro præſens res, vel occaſio. *Ætas* etiam vox mediæ ſignificationis eſt: Eſt enim vel juventus vel ſenectus.

16 *Parcæ dicuntur habere manibus candida fila et nigra.* Mancinellus. B. Non puto hic *atra* a *candidis* diſtingui, infelicia a felicibus. *Atra* ſunt omnia i. obſcura, incognita, apud inferos, quorum pars Parcæ. G.

17 *Cedi* vel jure, vel poſſeſſione dicitur: Eſt enim verbum Juris.

Coemtos ſaltus per Hyperbolen dicit prædia undecunque poterat coemta, et ad inſtar latifundiorum.

19 *In altum* abſolute pro in altitudinem.

21 *Inachus* antiquiſſimus Argivorum Rex, qui Jus, h. e. Lunæ pater ferebatur: Hinc et Arcades Προσέληνοι, h. e. *Antelunares* vocabantur. B. *Priſco nat.* h. e. antiquo et nobili genere ortus. Z.

23 *Sub divo, ſub cælo agas.* Vet. Schol. Veteres MSS. cum Scholiaſte, habent *Divo* non *Dio*, ut adnotavit Torrentius.

24 *Orcus*, idem qui et Pluto: Pœnis ארקא terra eſt.

25 *Cogimur, compellimur. Tityre, Coge pecus:* Virgil. Vet. Schol.

26 *Urna, quaſi ſorte ſcilicet ducti ad mortem.* Vet. Schol. Et ſecutus ſum punctationem Puteani, Douſæ et Rutgerſii, qui legerunt *urna* in Ablativo, quod longe concinnius videtur. B. *Omnium* hominum *ſors*, μοῖρα, *verſatur*, quatitur, πάλλεται, *urna* illa Fati, quo et venire in corpora animas et inde diſcedere credebantur. G.

27 Emphaſis eſt in voce *Exitura*: Exit enim quod ſubito et ex improviſo in conſpectum venit.

ODE IV.

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Formoſulam quandam captivam a Xanthia Phoceo domino ſuo compreſſam, ſub poetico Phyllidis nomine, miris laudibus effert; ut vel antiquis Heroinis eam æquiparet. (Conf. Ovid. Am. 2. 8. 11. ſqq. G.)

METRUM UT IN SECUNDA.

Ne ſit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu; prius inſolentem
Serva Briſeïs niveo colore
Movit Achillem:
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmeſſæ:
Arſit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,
Barbaræ poſtquam cecidere turmæ
Theſſalo victore, et ademtus Hector
Tradidit feſſis leviora tolli
Pergama Graiis.
Neſcias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes:
Regium certe genus et penates
Mœret iniquos.

8 Capta *coll. Sax.*—15 Genus ut, et *conj. Rutgerſ.* C.

1 *Amor*, verecunde de amplexu.
Ob ancillarioli probroſum nomen.

2 *Inſolentem, arrogantem.* Vet. Schol. *Nihil non arrogat armis.* De Arte Poet. de eodem Achille. *Inſolens qui præter legem agit humanam ac naturalem.* Donatus, citante Torrentio viro clariſſimo. Bene etiam præmiſit *prius*, quod admirationem auget. B. *Prius*, olim, ante te; igitur tu non es primus, qui ancillæ amore captus tenetur. Z.

3 *Serva, belli jure ancilla.* Vet. Schol.

4 *Proprie motus libidinis eſt.* Vet. Schol.

5 *Telamone natum*, adeoque altero Ajace nobiliorem. *Sic a Jove tertius Ajax.* Ovid.

6 In voce *dominum* Emphaſis eſt: Significat enim Xanthiam iſtum fuiſſe puellæ dominum. Tecmeſſa Teuthrantis Phrygii Principis filia, ex qua Ajax ſuſcepit Euryſacen filium.

7 *Arſit, impatienter amavit.* Vet. Sch. Cruq. *Medio in triumpho ad Emphaſin poſuit; cum animus ſpe triumphi ad alium amorem incendi poſſet.* Vet. Schol. Sic enim lege pro *non poſſet.*

8 *Virgine rapta*, h. e. Caſſandra, etſi cognoſſet eam ab Ajace Oilei raptam atque vitiatam.

10 *Theſſalo victore* per Periphraſin pro Achille.

Ademtus per Euphemiſmum pro occiſus.

11 Bene *tradidit* de mortuo.

Notiſſimum eſt *Levis* frequenter uſurpari pro *facilis*. Et expreſſit Homericum: Πρῖν γὰρ μάλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἴσιόν τι θῦμὸν

Crede, non illam tibi de ſceleſta
Plebe dilectam; neque ſic fidelem,
Sic lucro averſam potuiſſe naſci
Matre pudenda.
Brachia et vultum tereteſque ſuras
Integer laudo: fuge ſuſpicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luſtrum.

ODE V.

Verecunda atque nobili Allegoria declarat fœmineo ſexui infra pubertatem nullas ineſſe Veneres. (Hortatur amicum, ut abſtineat a Lalage puella nimis tenera, quam cum juvenca et uva nondum matura comparat, et oſtendit, illam brevi ad Venerem proclivem, amabilem et pulcherrimam fore. Z.)

METRUM UT IN PRIMA.

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

18 Delectam *ed. Glar.*—19 Adverſam *Ven. Glar.*—24 Condere *conj. Bentl.*

τὸς ἰνωφέμεν; ut adnotavit vir doctus Ludovicus Deſprez.

12 *Pergama.* Arx erat Trojana, Palladiſque templum.

13 *Beati, nobiles.* Vet. Schol. B. *an.* h. e. annon. Z.

15 Majore fiducia pronuntiat in voce *certe* quod in voce *neſcias* nimis hæſitanter inſinuaverat. Verbo *Mæret* intelligi poteſt eum id ex modeſtia vultus ejus conjeciſſe.

17 *Sceleſta, ſervili:* Vet. Schol. Cruq. Certe *mancipium* et *ſcelus* uſitatæ erant ſervorum compellationes. B. *Sceleſta*, de moribus, non de conditione accipit Bentleius: contra *pudenda*, h. e. ancilla, libertina, de conditione. Z.

18 Cruquius, Torrentius, et Lambinus ex Vett. Codd. legunt *dilectam* pro *delectam*, quod mihi quoque videtur probabilius. Dicitur etiam Feſto *Dilectus militum*, ut notavit Lambinus.

19 Majus eſt *ſic* quam *tam*, et efficacius ad intentionem animi. Laborat etiam in *averſam* et *potuiſſe* ad faciendam ingenuitatis fidem.

21 *Teretes, rotundos cum longitudine.* Vet. Sch. Cruq. B.

22 *Integer*, innocens, in quem non cadit amoris ſuſpicio. Z.

23 *Octo luſtra quadraginta annos claudunt.* Vet. Schol.

Bene *trepidavit* ad Emphaſin poſuit; ſignificat enim eum velle juniorem eſſe, nimiſque ſubito factum ſenem.

24 *Clauditur* cui non licet ulterius progredi. Cur mallet Bentleius *condere* quam *Claudere?* Interpretamentum hoc videtur alicujus Scholiaſtæ veteris, vel ſaltem ipſius Librarii.

ODE V.

1 *A deſignatione pecudis inhabilem monſtrat viro; ſignificans eam nullo adhuc calore ætatis ſollicitari.* Vet. Schol.

2 *Munia, obſequia lege debita.* Vet. Schol.

Circa virentes est animus tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ; jam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.
Jam te sequetur (currit enim ferox
Ætas; et illi, quos tibi demserit,
Apponet annos) jam proterva
Fronte petet Lalage maritum;
Dilecta quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiusve Gyges;
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

12 Purpureo varios *conj. Bentl.* Purpureus vario *codd. quidam ap. Lamb.*—13 Curret *codd. Bentl.*—14 et 15 Quod t. d. a. annus *conjicit Bentleius et interpretatur*, quantum tu consenescès, tantum illa adolescet. *Sed vulgata idem valet.* Z.—20 Cnidiusve *Lamb. Bentl.*

3 *Æquare, pari affectu ferre.* Vet. Schol.
Tauri, mariti provectioris ætatis.

5 *Incertum est quem alloquitur hac Ode, utrum amicorum aliquem an seipsum.* Vet. Schol.

7 *Solari æstum pro refrigerare gratissime dicitur.* Vet. Schol.

8 *Ludere*, saltare.
Cum vitulis, cum pueris. Vet. Schol.

9 *Prægestientis, properantis, glisscentis.* Vet. Schol. Cruq. B. Vehementer cupientis. Z.
Aufer et *Tolle* Adverbia sunt in Verbis.

10 *Immitis*, crudæ, acerbæ. B. *Jam*, mox, brevi. *Lividos dist.* ad maturitatem perducet. Z.

12 *Purpureo v. c.* qui colore purpureo est ornatus et distinctus. Z.

13 *Sequetur*, quæret, vel expetet.
Vox *ferox* ab omnibus male accepta est: *Currit* enim *ferox* qui ferociter currit. Ostendit se impatienter ferre nimium properantem senectutem; uti supra in *Trepidavit ætas*. In Epistolis etiam se *præcanum dicit*. B. Et tamen non possum non putare, illud *ferox* respicere ad puellam ferociter adhuc repugnantem blandimentis amatoriis. *Fera* est illa ætas, non mansueta. Vid. Barth. ad Stat. 2. 715. G. *Currit*, celeriter transit ista ætas, quæ abhorret a Venere. Z.

15 *Pro viribus et ætatis flore dixit annos.* Quasi diceret: *Quantum tibi vergente jam juventute virium decesserit, tantum tunc illi cum maxime florescenti accedet.* Vet. Schol. Ex MS. H. Stephani. B. *Proterva* habet continuationem allegoriæ de juvenca. Conf. Car. 3. 11. 11. G.

17 *Pholoë, nomina pro exemplo posuit.* Vet. Sch.
Fugax; Et fugit ad salices et se cupit ante videri. Virgil.

18 *Albo pro candido.* Vet. Schol. B. *Humero*, pars pro toto. Z.
Nitens, h. e. Rosaceo nitens; sic et Virgil. *Rosea cervice refulsit.*

20 *Gyges; de hujus pueri pulchritudine etiam Ovidius locutus est.* Vet. Schol. B. An Met. 8. 323.: vel 9. 712. G.

22 *Suaviter hic hospites pro ignotis dicit:* Vet. Schol.

ODE VI.

AD SEPTIMIUM.

Titio Septimio Equiti Romano, insigni Poetæ et commilitoni olim suo, qui eum ad villam suam Tarentinam invitaverat, languenti stilo respondet, se jam vitæ laboribus pæne fatigatum in Tiburtino suo secessu malle quod reliquum est vitæ transigere: Sin autem hoc minus sibi obtigerit, libenter se apud eum Tarenti animam efflaturum.

METRUM SAPPHICUM.

SEPTIMI, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda;
Tibur Argeo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ;
Sit modus lasso maris et viarum
Militiæque:
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:

10 Galæsi *Jan.*—12 Phalantho *alii.*

Sagaces; quamvis sagaces. Vet. Schol.

23 *Solutis Crinibus. Discrimen sexus obscurabant per crines solutos.* Vet. Schol. Sic et Juvenal.

—*Cujus manantia fletu*
Ora puellares faciunt incerta capilli.

ODE VI.

1 De *Septimio* isto vide *Epist.* 3. *Lib. I.* Proprie adiri dicuntur pericula.

Se tanta gratiæ necessitudine fatetur astrictum, ut (si velit) ad ultimas nationes ire se cum eo promittat. Vet. Schol. Hypallage est pro *aditurus tecum*; quod viri docti non adverterunt.

2 Ad Emphasin posuit *indoctum* quasi jam docendus esset. B. Vid. ad 3. 8. 22. G.

3 *Maura* per Synecdochen pro Africana.

5 *Argeo pro Argivo, antique dicitur.* Vet. Schol. Tiburnum dicit *Argeum colonum.*

Positum jam pro excitatum, vel erectum, dicimus enim *ponere muros, ponere statuam*, et similia.

7 *Modus nunc pro fine dixit.* Vet. Schol.

9 *Iniquæ* jam pro plus æquo crudeles.

10 *Tarentinæ oves pellibus teguntur.* Vet. Sch. Sic et omne Græcum pecus ad conservandas lanas. Glareanus ipse ridiculus est, dum Veterem Scholiasten ridet, ac si credat aliquas oyes esse absque pellibus.

12 *Quo autore et principe Partheniæ Spartani Tarentum condiderunt.* Vet. Schol.

14 *Ridet, lætus est.* Vet. Schol.

15 *Decedere probrie loco cedere est, honoris causa.*

Ver ubi longum tepidaſque præbet
Juppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatæ
Poſtulant arces; ibi tu calentem
Debita ſparges lacrima favillam
Vatis amici.

ODE VII.

AD POMPEIUM VARUM.

Pompeio Varo veteri ſodali ſuo, Pompeianiſque partibus præter cæteros addicto, jam vero Auguſti gratia in patriam ab exſilio (ut videtur) reverſo, enormi cum lætitia gratulatur: eique ſuadet, ut dehinc, dimiſſa militari ſua ſævitia, ſe ſuavi et hilari vitæ tradat.

METRUM UT IN PRIMA.

O SÆPE mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque cœlo,

18 Apricus—Fertilis *conj. Bentl.* Fertilis *eſt in ed. Glar.*—21 Me tecum *coll. Sax.*

Jacob. Cruquius. B. Ubi mel non eſt deterius melle Hymettio. Z.

16 *Venafrum* Campaniæ oppidum olivetis celeberrimum. B. *Bacca*, oliva.

18 *Aulon mons eſt Calabriæ.* Vet. Schol. B. Nemo Geographorum montem Aulonem nominat. Videtur appellativum nomen eſſe convallis apricæ, *αὐλών*. Unice huc facit Martial. 13. 125. cui præſcriptum lemma, *Vinum Tarentinum, Nobilis et lanis, et felix vitibus Aulon dat pretioſa tibi vellera, vina mihi.* G. *Amicus*, gratus ob fertiles uvas. Z.

19 *Bacchum* jam ipſam vineam nominat. B. *Bacchus fertilis* ut *Ceres frugifera* eſt, i. e. fertilis. Dum conjectura emendat h. l. Bentleius, veluti caſtrat poetam, et duplici figura illum privat. G.

20 *Invidere ſibimet ſolent impares virtute.* Vet. Schol.

21 *Beatas arces*, Tarentinas dicit, ob nobilitatem et divitias. B.

22 *Arces* intelligo loca altiora, unde deſpectus in *ſubjectas valles* amœnus. G.

23 Bene poſuit *debita*, quia et *vates* (quod et ipſe erat) et *amicus* vetuſque ſodalis. De ampullis lacrimalibus nil opus admonere. B. Neque etiam huc pertinent illa vaſcula ſ. urnulæ lacrimales, in ſepulcris inveniri ſolitæ; ſed agitur de condendis non ſine fletu amici cineribus. G.

ODE VII.

1 *O*, recordantis eſt non ſine dolore.
Sic decora Periphraſi mortem nominavit.

2 Tollenda eſt ſubdiſtinctio inter *Deducte* et *Bruto:* Dicitur enim *Deducte Bruto*, pro a Bruto; ut, *Scriberis Vario*, ſuperius.

3 Ad Emphaſin poſuit *redonavit:* ſignifi

Pompei, meorum prime ſodalium?
Cum quo morantem ſæpe diem mero
  Fregi, coronatus nitentes
    Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula;
  Cum fracta virtus, et minaces
    Turpe ſolum tetigere mento.
Sed me per hoſtes Mercurius celer
Denſo paventem ſuſtulit aëre:
  Te rurſus in bellum reſorbens
    Unda fretis tulit æſtuoſis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem,
Longaque feſſum militia latus
  Depone ſub lauru mea; nec
    Parce cadis tibi deſtinatis.
Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple; funde capacibus

22 Affundo *Coll. Sax.*

eat enim eum initio ingens fuiſſe deorum donum.

Quiritem: Attende Singulari numero dictum, quod non facile apud veteres invenies. Vet. Schol. Sic et Juvenalis 8. 26. *Agnoſco procerem.* Ad Emphaſin etiam dixit Quiritem, quaſi diceret Antiquis Moribus Romanum, Catonis ipſius æmulum. Veterum auribus idem ſonabat *Quiris* quod noſtris hodie *Britannus.* Notum eſt Quirites a Curibus Sabinis nomen ſuum deduxiſſe. B. Mihi videbatur reſpicere præſertim ad ſolutam militiam. Sola appellatione *Quiritium* exauctorare milites viſus Cæſar apud Sueto. 70. G.

4 Satis ſcita eſt iſta Hypallage, *Quiritem Diis patriis*, pro *Deos patrios Quiriti.*

Jam *cælo* utitur pro *climate.*

5 *Pompeii Diſſyllabum eſt hoc loco.* Cruq. *Prime, cujus amor ante omnes.* Vet. Schol.

6 *Morantem, æſtivum; qui quaſi cum mora ſpatium ſuum decurrit.* Vet. Schol. B. *Morantem diem frangere* eſt velut comminuere tempus, quod abſque illa compotatione longum fuiſſet: *fallere tempus* alia metaphora dicunt. G.

7 Bene *fregi:* frangitur enim quod cum difficultate, vel mora ſuperatur; uti mox, *fracta virtus* pro ægre ſuperata, ſatis uſitata metaphora. Notandum enim diem hic eſſe pro die feſto: ſupra: *Nec partem ſolido demere de die.* Hoc fugit Interpretes. Vet. Schol. *Fregi, Conſumpſi;* non male, ſed nimis obſcure.

8 *Malobathrum* poſuit figurate pro Unguento foliato, ex Malobathro ſcilicet, ſive Indico Folio, confecto, quod Indorum *Batbrum*, ſive *Berre* eſſe et Cruquius et alii docti viri docuere.

10 *Non bene;* Litotes eſt, minus enim dicitur quam intelligitur. *Parmula* etiam per Ἐυτελισμὸν poſuit pro clypeo. B. Videtur et hic imitatus poeta ſuum Archilochum, cujus de abjecto a ſe clypeo verſiculos ſervavit Sextus Empir. Pyrrh. Hypot. 3. 24. G.

12 Homericæ iſti imitationi ineſt Emphaſis: Brutum ſcilicet et Caſſium antiquis Heroibus diſſimiles non fuiſſe. B. Homerici heroes dum cadunt *terram mordent*, cui ſimile Germani dicunt *gramen mordere.* Lambinus etiam adfert Enniaum *Pinſebant terram genibus.* G.

13 Superius docuimus Horatium fuiſſe in tutela hujus dei (Argum. 1. 10). Per Dilogian etiam ſignificat, *ſe clam et furto quodam ſe ſubduxiſſe.* Vet. Schol. Satis docte ut ſolet. B. Homericam imitationem hic etiam oſtendit pulchre Lambinus ex Iliad. Γ et Ε. G.

14 *Aëre*, pro nebula Homericωs.

15 *Reſorbens, Metaphora a Charybdi.* Vet. Schol.

Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quam Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

ODE VIII.

IN BARINEN.

Horatius ardet et odit. (Conf. Ovid. Amor. 3. 3. G.)

METRUM SAPPHICUM.

Ulla ſi juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuiſſet unquam;
Dente ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,

2 Varine *Gott.*

17 *Obligatam*, debitam, ſi non voto promiſſam. B. *Dapem*, promiſſum ac debitum redde convivium, et ſciendum, dapem ſingulari numero declinatum. Vet. Schol.

19 Pulcherrima Enargia; ac ſi ipſe ut Tityrus Virgilianus, ſub *laurus* umbra recubaret.

20 *Cadus*, teſtaceum dolium.

21 *Obliviioſo; quo curæ pelluntur.* Vet. Schol.

22 *Ciborium, ex implexis Colocaſiæ floribus poculum.* Plin. citante Torrentio. Οἶον σκυφίον, h. e. *Qualis parvus ſcyphus, vel patera.* Athenæus. Infundibuli noſtri forma fuiſſe reor; niſi quod ventricoſum erat ad ſummitatem. B. Ne quis putet *ciborii* nomen eſſe apud Plinium. Viri docti modo putant eam eſſe definitionem *ciborii*, quod ex Græcis illuſtrat Hadr. Jun. Animadv. 1. 10. Vix dubito, eſſe calycem ſiccatum floris, eandemque capſulam ſeminum, ſ. fabarum, pocolo aptam; ut corium cucurbitarum lagenæ: deinde formatum forte ex qualibet materia illius figuræ poculum. Illud docent verſus Nicandri apud Athenæum l. 3. pr. hoc idem Athen. 11. 7. Alabaſtris roſarum ſimilia ſuſpicari licet. Quin plus quam ſuſpicionem eſſe apparebit inſpicienti Salmaſ. ad Soli. p. 925. Plane ſeipſum hic ſuperat Harduinus, cum *ciborium* ait eſſe illud ſacrum receptaculum, quod Romana eccleſia ita appellat: indeque quam recens ſit hoc carmen, argumentatur. G.

23 *Conchis, Echinis Concharum.* Vet. Sch. h. e. Echinis ex conchis factis. Conchis enim marinis, vel etiam vaſis Concharum forma unguenta in convivia ferebantur (Sat. 1. 6. 117). De Echinis inferius dicturi ſumus.

24 *Deproperare, valde properare.* Vet. Schol. Idem enim eſt *De* quod Græcis Διὰ; ſic dicimus *Delirus*, quaſi Διάληρος. *Quis interrogative cum quodam hortamento;* Vet. Schol. B. Celeriter conficere ſ. nectere. Z.

25 *Venereus jactus in talis ſummum numerum habet, id eſt, ter ſenarium.* Vet. Schol. Cruq. Sic et Julius Pollux et Hadr. Junius. Scholiaſtes autem *talis* poſuit pro teſſeris. Nam in talario ludo qui talis quaternis conſtabat, Venus erat quando ſinguli tali diverſo vultu apparebant: Contra in teſſerario ludo tribus teſſeris ludebant; et numerus ter Senarius ſummus erat jactus, vel Venus. Cruquius.

27 *Edoni* Thracii generis: Synecdoche eſt.

28 Anacreonticum illud expreſſit: Θέλω θέλω μανῆναι.

ODE VIII.

1 *Ulla*, Diminutivum eſt ab *una*.

Ut enim dicitur juris jurati, ita poſuit juris pejo-

Crederem: ſed tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, et toto taciturna noctis
Signa cum cœlo, gelidaque divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipſa, rident
Simplices Nymphæ, ferus et Cupido
Semper ardentes acuens ſagittas
Cote cruenta.
Adde quod pubes tibi creſcit omnis;
Servitus creſcit nova; nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpe minati.
Te ſuis matres metuunt juvencis,
Te ſenes parci, miſeræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

17 Quum *conjicit Cruſius, ſed fruſtra.*—24 Cura *conj. Bentl.*

rati. Vet. Sch. *Non enim falſum jurare pejerare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere perjurium eſt.* Cicero in Offic. citante viro doctiſſimo Mancinello. B. Videtur illa præſertim perjuria intelligere, quibus peccata ſua negabat puella. G.

Scenicum principium; intelligendum enim aliquos ſermones præceſſiſſe. Vet. Schol.

2 In Cruquii MSS. dicitur hæc *Julia Barine;* et Chriſtophoro Landino, *Julia Barinenſi.* Torrentii Codd. *Julia Varina.* Fortaſſe verum nomen erat *Julia,* et *Barine* fictum. Cogitet Lector!

Ἐν ἅπαξι dicitur *unquam;* quaſi indignabundus eloquatur.

3 *Vel uno; ſubaudiendum extrinſecus; ſi ſaltem leviſſimam pœnam ob perjurium ſenſiſſes.* Vet. Sch. Emphaſis eſt. B. Hoc vult Schol. Verba *vel uno* bis eſſe ſumenda, retrahenda etiam ad *dente.* Talium magnam vim obſervare licet, ubi duplicem velut perſonam ſuſtinent verba vel ſingula vel conjuncta. G.

5 *Crederem; deos vindices eſſe perjurii.* Vet. Schol. h. e. Non eſſem Atheus. B. Haud dubie ſenſus eſt: fidem haberem jurijurando, quo confirmas, te mihi noctem conceſſuram eſſe, aut te conſtanter me amaturam. Z.

Sed tu; tollenda vox eſt ἐν ἅπαξι.

Obligaſti: devoviſti: Contraria ſunt obligare et vota ſolvere. Vet. Schol. Cruq. docte. B. Vid. Car. 2. 7. 17. G.

6 *Caput apud majores ſalutis Symbolum.* Cruq.

9 *Prope eſt ut putem rationem pietatis et religionis in contrarium eſſe verſam.* Vet. Schol.

10 *Taciturna ſigna,* h. e. *taciturnæ noctis ſigna. Hypallage.* Mancinellus. B.

13 *Ridet,* non curat, irritum reddit. Z.

14 *Simplices, faciles: perfidiæ cum riſu indulgentes;* Vet. Schol.

Nymphæ Veneris comites ſunt. Vet. Schol. Vid. Od. 4. Lib. I.

15 Cupidinis ſagittæ ignitæ ſunt: Πυρὶ πάντα βίβαπται. Moſchus, citante Cruquio.

16 Bene *cruenta,* cum antea *ferus* poſuerit. B. Ut alias cotes vel aquariæ ſunt vel olearię, ita cupido ſuis telis acuendis ſanguinem miſerorum amantium adhibet, eaque inficit, ut ſanguine hydræ ſu.. tela Hercules. G.

ODE IX.

AD VALGIUM.

Titum Valgium Rufum patricii generis, Poetamque insignissimum, ob Mystæ pulcherrimi pueri decessum insolabiliter mœrentem, ab importuno luctu ad novas Augusti victorias cantandas devocare conatur.

METRUM UT IN PRIMA.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urgues flebilibus modis
Mysten ademtum; nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes
Troïlon, aut Phrygiæ sorores

18 *Servitus*, copia amatorum novorum qui tibi servient. Z.

19 *Impiæ*, h. e. Atheæ, perjuræ.

Notum est Vet. amasios et amasias suos dominos et dominas vocitasse.

20 *Minati*, supple *quamvis*.

21 *Juvenci non tantum boves dicuntur, sed homines. quamvis in usu sit, ut non nisi per diminutionem juvenculos dicamus.* Vet. Schol.

22 *Miseræ*, solicitæ et zelotypæ. B.

23 *Retardet*, abalienet a sese. Z.

24 *Aura; Amoris aura, quæ ad te eos fert.* Vet. Schol. Per Dilogian notat ejus inconstantiam, *auram* scilicet *fallacem*; ut supra. Tanaquillus Faber et putidus et fœdus est, dum nescio quid de odore vaccarum crepat, et juvencos putat tauros dici. B.

Siquid hic est fœditatis, id a Poeta est, non a Fabro. Ponit enim profecto poeta imaginem tauri, qui captat auram h. e. odorem juvencæ, loquiturque ut Virg. Georg. 3. 251. de equis *si tantum notas odor attulit auras*: quin ut Jeremias 2. 24. *Onager—attraxit ventum amoris sui*: quod observatum Fabri genero. G.

ODE IX.

1 *Hispidos, senticosos, herbosos.* Vet. Schol. Potuisset adjicere *juncosos*, ob aquarum scilicet diluviem.

3 *Vexant*, agitant.

Inæquales, ab effectu: quæ scilicet mare reddunt inæquale.

5 Torrentii Codd. *Valgium Rufum* nominant. Landinus, *Furem*, ridicule.

Bene *iners*, cum antea posuerit *stat*.

7 *Laborant*; difficulter stant. B. Repete *usque*, aut *omnes per menses*. Z.

9 *Urgues, instanti querela.* Vet. Schol.

Flevere ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum; et potius nova
Cantemus Auguſti tropæa
Cæſaris, et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices,
Intraque præſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

ODE X.

AD LICINIUM.

Licinium Varronem Murænam Pompeianum, et Proculeii et Terentiæ Mæcenatis uxoris fratrem, qui poſtea cum Fannio Cepione contra Auguſtum conjuravit, ab inſanis auſis, laudato medio vitæ ſtatu, deterret. (Serva mediocritatem et utramque fortunam fer æquo animo. Z.)

METRUM SAPPHICUM.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urguendo; neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti

22 Tollere *Lutat. ad Stat. Theb.* II. 508.

Flebilibus modis, h. e. Elegis. *Poeta erat Valgius.* Vet. Schol.

10 *Ademtum; tanquam non mortuum.* Vet. Schol. Per Charientiſmum.

11 *Amores*, deſideria.

13 *Ter ævo; nonaginta annis: unam enim ætatem triginta annos ponebant.* Vet. Schol. B. Intelligitur Neſtor.

Ad Emphaſin poſuit *Amabilem; Myſten* enim ſignificat.

15 *Impubem*, imberbem. B. *Troïlon*, Priami filium.

16 *Phrygiæ ſorores; nimium teneri affectus.* Vet. Schol. B. Trojanæ, Priami filiæ.

17 *Deſine mollium; Græca elocutione figuratum.* Vet. Schol.

20 *Niphates Armeniæ* mons eſt. Vet. Schol.

21 *Medum flumen; Euphraten.* Vet. Schol.

22 *Vortices; undarum globos.* Vet. Sch. Cruq. B. Quia nempe ſentit ſe eſſe victum. Z.

23 *Gelonos*, h. e. Alanos, Roxalanos, ſive Ruſſos. B. Cf. Flor. IV. 12. 18.

24 *Campis*; h. e. deſertis, ſeu ſilveſtribus locis.

ODE X.

1 *Rectius*; magis ex animo et conſultius.

Optimi Torrentii Codd. in Epigraphe habent *Liciniam Murænam* ſicut olim Landinus.

Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; et celsæ graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulgura montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Juppiter, idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

---

9 Sævius *conj. Bur. ad Ovid.* Epist. 14. 39. G. *Hanc probam emendationem recepit Jani.*—10 Excelsæ *Brod.*—12 *Sic etiam coll. Sax. Bentl. Gott. Flor.* G. Fulmina *edd. vett.*

---

2 *Urguemus* porro, *premimus* retro.

4 *Iniquum, periculosum.* Vet. Schol. h. e. malum: iniquitas ex malitia est. B. Navibus periculosum ob scopulos. Z.

5 *Auream; pulchram, beatam.* Vet. Sch. Cruq.

6 *Obsoleti; squalidi, sordidi.* Vet. Schol. h. e. fœtidi, ab *obs* et *oleo.*

8 *Sobrius, sapiens.* Vet. Schol. Qui scilicet seorsum est ab ebrio.

11 *Decidunt; ruunt ex alto.* Vet. Schol. Cruq.

12 Et Vet. Schol. et plurimi MSS. habent *fulgura* pro *fulmina.* Lambin. Nescio cur Torrentius non probet; cum sit satis Poëticum.

14 *Suaviter alteram pro contrariam.* Vet. Sch. *Bene præparatum; Bono instructum ingenio.* Vet. Schol. B. *Bene præparatum pectus,* studiis philosophiæ atque historiarum, usu vitæ, cogitationibus ipsis illis, quas hic ponit poëta. G.

17 Θαρσεῖν χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ' ἄνδρα τόνδε ἴδοντα ἄμμιν. Theocrit.

18 Probabile mihi non videtur Horatium scripsisse *citharæ tacentem Musam,* quod putat Bentleius, cum omnes Codices excepto uno vel altero obscurioris notæ, habeant *cithara* in Ablativo. Et commode sane *Suscitat Musam cithara tacentem,* vel *dormientem.* Inusitatiora fere placent Bentleio.

19 Bene *Suscitat tacentem;* nequibat dicere dormientem. B.

Musa est facultas canendi: hanc *Apollo tacentem,* quiescentem et inefficacem, *suscitat* exercetque *cithara* pulsanda, *neque semper* alterum suum gestamen, *arcum* tractat, *tendit,* &c. G. Non semper Apollo iratus nocet arcu, sed idem interdum lætus oblectat cithara. Z.

22 *Idem, quisquis es.* Vet. Schol.

23 Etsi Torrentius probet *Contines* vel *Contine,* quod in MSS. reperit: nos tamen *contrahes* prætulimus cum Vet. Schol.

ODE XI.

AD Q. HIRPINUM.

Quinctium Hirpinum amicum ſuum hortatur, ut, accedente jam ſenectute, curas tam publicas quam privatas miſſas faciat, et hilaritati ſe tradat.

METRUM UT IN PRIMA.

QUID bellicoſus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Adria
Diviſus objecto, remittas
Quærere; nec trepides in uſum
Poſcentis ævi pauca. Fugit retro
Levis Juventas et Decor, arida
Pellente laſcivos amores
Canitie facilemque ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honor
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes ſic temere, et roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo

9 Honos *vulg. ſed* honor *Schol. Acron, codd. Bentl. et al. rectius.* Z.

1 *Scythes, Dacus*, ut dudum monuit Landinus. Cum his enim et Cantabris hoc tempore erat bellum.

2 *Cogitet, machinetur, moliatur.* Cruquius.

3 *Diviſus*, pro *cum ſis diviſus*.
Objecto, pulchra Metaphora a foſſa et vallo.
Remittas quærere, h. e. minus quæras.

4 Jam neceſſitatem dixit *uſum*. *Ne ſatis agas ut habeas vitæ neceſſaria.* Vet. Schol. B. Puto conſtruendum Græco more, *Nec trepides ævi* vel vitæ hujus cauſa, quæ pauca *poſcit in uſum* i. ad ſumtus neceſſarios, modo poſſis avidum cupidinem domare. G.

5 *Fugit retro; recedit a nobis.* Vet. Schol. B. Illud *retro* ſuavitatem habet. Ita fugit juventas, ut *retro* nos ſit, qui illam velut a tergo reliquimus. G.

6 Mirum eſt Cruquium accepiſſe *Levis* pro *celeris*. B. *Levis* nempe hic eſt imberbis, certe molli tantum lanugine prædita. Quamquam neque in altera interpretatione eſt quod valde reprehendas; niſi quod raro in hac regione iambum admittit Horatius. G.

9 *Honos* jam venuſtas. Bentleius magni fecit reponere *honor* pro *bonos*, metu ſcilicet ſibili, quod ipſe narrat; quem ille quantum poteſt ſemper devitat.

12 Bene *fatigas* ſubjicit, cum dixerit *minorem*. *Minorem, non capacem æternorum conſiliorum.* Vet. Schol. B. Rectius Lambinus: Quid tu cogitationibus longiſſimis, q. d. ſempiternis, h. e. quæ ad longiſſimi temporis curam pertinent, animum, quibus par eſſe nequeat, conficis? Z.

14 *Temere, paſſim; ut habeat licentiam ipſa laſcivia.* Vet. Schol.

Potamus uncti? dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum Lacænæ
More comam religata nodum.

ODE XII.

AD MÆCENATEM.

Heroico Carmini se plane inhabilem dicit; neque quicquam aliud præter unam Liciniam Mæcenatis Amatam, quam ficto Lycimniæ nomine obvelat, cantare se posse affirmat. Vid. ad v. 13.

METRUM TRIBUS PRIMIS VERSIBUS CHORIAMBICUM, QUARTO GLYCONICUM.

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec durum Annibalem, nec Siculum mare

17 Dissipet *conj. Heinf. ap. Bentl.*—23 et 24 Incomtam—nodo. *Bentl.*

ODE XII.

2 Durum *etiam Gott. Zar. Flor. it. coll. Sax. et Brod.* Dirum *al.*

Rosa, oleo rosaceo. Vet. Schol. Cruq. *Succus rosæ longe antequam unguenta repertus est.* Plin. citante Landino.

17 *Dissipat curas:* Anacreonticum illud expressit: Σκιδάσαι θέλω μερίμνας.

18 Ostendit vox sic, quam supra posuerat, eum hæc cantasse in ipso convivio.

19 Bene *restinguet* subjecturus *ardentis.*

21 *Devium;* ut fidicina domos oberrans. Ita vir eruditus Jacobus Cruquius; cum alii omnes aliter exponant. B. Seu, cujus domus est remota a via publica. Ergo non est scortum vulgare. Z.

Eliciet, spe lucelli.

23 De *in comtum* Bentleius, auctoritate inductus nescio cujus Torrentii Manuscripti, fecit *incomtam,* atque ita in Impresso suo edidit, quod equidem nollem factum; piget plura dicere.

Comtum, compositum. Vet. Schol.

Notum est Spartanas Virgines religasse crines, reliquas demisisse. B. Vellem ostendisset vir doctus, unde notum sit de Lacænarum cultu: negat quidem Bentleius restare quidquam in veterum monumentis, unde colligamus id magis in more fuisse *Lacænis* feminis, quam aliis, et ideo optat invenire in Codice aliquo *Dianæ.* Mihi videbatur, Lacænæ nodo comarum opus fuisse certum tum, *Nitida cum nuda palæstra Pugnaret nudis femina mixta viris,* ut de Helena Ovid. Her. 16. 149. Et quid si ad imaginem Helenæ alludit Horatius? G.

24 *Grate, ut solent mulieres festinantes pexum tantum capillum in nodum colligere.* Vet. Schol. B. Conf. 3. 14. 23.

ODE XII.

1 Ἐν ἄθυ dicitur *Nolis;* quasi dicat; *Noli frustra exspectare.*

2 Antiquissimi Codd. Torrentii atque Cruquii habebant *Durum,* non *Dirum.* Sic et Lan-

Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharæ modis;
Nec ſævos Lapithas, et nimium mero
Hylæum, domitoſque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prœlia Cæſaris,
Mæcenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minantium.
Me dulces dominæ Muſa Lycimniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;

6 Domitoſve *Cun. San. et Jan.*—12 Minantium *etiam Br. Gott. et Zar.* G. *Sed* minacium *Lamb. et Bentl.*—13 Lycimniæ *optimi, etiam Gott.* Liciniæ *a Landino eſſe videtur.* Licymniæ *Bentl. et Cun.* G. Lyciniæ *Glar.* Lycymniæ *Lamb.*

dinus et Vet. Schol. *Annibalis enim nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat.* Livius, citante Mancinello. B. Sed *dirus* idem vocatur infra III. 6. 36. Z.

Siculum mare; quia ibi navali certamine Romani Carthaginienſes duce Luctatio vicerant. Vet. Schol. Gravior enim hæc clades ea quam C. Duillius primus intulit; quod voce *purpureum* ſignificatur. B.

3 *Mollibus*, aptis ad res molles et amatorias canendas. Z.

5 *Nimium pro intolerabili poſuit.* Vet. Schol. Lubinus etiam *immoderatum* et *intemperantem* reddit. *Hylæus* primus Hippodamiæ manus injecit. Fruſtra eſt Gallus Interpres dum in Hylæo ebrioſum Antonium expiſcatur, et in Gigantibus Brutum et Caſſium, quorum cineribus Horatius, ut liberalem decet, ſemper parcit. Erat etiam Julius Antonius Triumviri filius Auguſti gratia potens, atque ipſi Horatio admodum familiaris. Qua de re vid. Od. 2. Lib. IV. Quid quod et Allegoria iſta debuerit eſſe perpetua? Quis igitur *Annibal?* Quæ *fera Numantia?* Quinetiam Ode 37. Lib. I. ipſius Antonii, utpote magni et præclari viri, nunquam meminit, cum maxime deberet, ſoli Cleopatræ injurius.

6 Notum eſt Gigantes ab Hercule in fugam verſos. B.

7 *Unde*, a quibus. *Fulgens domus*, cœlum. *Contremuit*, cum horrore timuit. Z.

8 *Domus Saturni, Regia deorum.* Vet. Schol.

9 *Pedeſtribus; Oratione ſoluta et civili.* Vet. Schol. *Mæcenas Auguſti Cæſaris geſta deſcripſit.* Servius. B. Locus eſt ad Georg. 2. 42. Add. Plin. 7. 45. Meibom. Mæc. c. 25. G.

12 *Regum colla*; hæc dicit ut vates.

Torrentii MSS. habebant *minantium*, non *minacium*; quod longe efficacius videtur, etſi minus probet Bentleius. B. *Minantium* nempe magis actum ipſum pingit: *minantur* actu reges, et minas vultu oſtendunt, in ipſo quoque triumpho non dediſcunt minari. *Ut pictura* poeſis erit. G.

13 *Dominæ ait adoleſcentum more, qui amatas dominas vocant.* Vet. Schol.

Meminit et Lycimniæ Virgilius. *Mæonio regi quem ſerva Lycimnia furtim Suſtulerat.* B. Magnam eruditis hominibus curam injecit hæc puella. Præter commentatores vid. Faber Epiſt. 2. 54. Re diligentius fere, quam merebatur, conſiderata, nobis videbatur matronam ſ. *dominam* Mæcenatis, *Terentiam*, intelligi, ſorte recens tum nuptam, aut poſt divortium reductam. Puellæ humili non conveniunt, quæ de Dianæ ſacro dicuntur. Et quæ de *crine Lycimniæ*, ea nimis inſana fuerint de quacunque alia, quam de Terentia, ſi dicantur, quæ tum regnum pulchritudinis obtinere videbatur, certare Liviæ auſa, captivum ducens Auguſtum. V. Dio 54. 19. p. 533. E: et noſter Epod. 14. 13.: reliqua de Terentia apud Meibom. Mæcen. c. 27. Hanc *Liciniam* quoque dictam fuiſſe, ſic, credo, colligunt. Murena ille, qui contra Auguſtum conjuravit, frater fuit hujus Terentiæ, teſte Dione 54. 3. p. 522. E. Jam Murena Lici-

Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Lycimniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Cervicem, aut facili ſævitia negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

25 Flagrantia *etiam Br. Gott. et Zar.*—28 Occupat *Bentl. coll. Sax. Zar. MS. Lamb. Bos.*

nius fuit, quod et cognomen ipſum indicat, et diſerte ſic eum appellat Dio. Sed idem homo etiam Varro vocatur Sueto. Tib. 8. quod Terentiorum cognomen eſt. Scilicet adoptio interceſſit in fratre Terentiæ: utrum ipſa alias quoque *Licinia* dicta ſit, nemo, puto, docet. Acron enim ille, qui unus fundus eſt, quod ſciam, tantum repetit Horatianum nomen, et uxoremne Mæcenatis, an amicam ſuam, ſic appellet poeta, dubitat. *Liciniam*, Romanum nomen, vix admittunt numeri Horatiani, qui ait, *Rectius vives, Licini, neque altum*, &c. (Quamquam nec diſſimulandum Λικίννιος edi apud Dionem) *Lycimnia* habet numeros eoſdem, quos *Terentia*, more poetarum, qui fingunt ea nomina: quibus vera facile in verſu queant ſubſtitui, ut *Leſbiæ Clodia, Perillæ Metella* cet. quorum auctoritates ad h. l. larga manu Bentleius poſuit. Add. *Gratidiam* Od. 1. 16. *Lycimnia* magis placet, quod videtur cognationem habere cum *Lyco*: et ſic puto legi debere etiam Virg. Æn. 9. 546. ubi *Lycus* filius aſſignatur *Lycimniæ*. Libri utroque loco variant. G.

14 *Lucidum*, lucide. Z.

17 Saltando movetur corpus, pes fertur.

18 *Jocus eſt id quod contrarium eſt ſerio.* Quintil. citante Mancinello. B. *Certare joco* videtur pertinere ad ſaltationem mimicam. Z.

19 *Nitidis* jam pro lætis et hilaribus. Sic et Juvenal. Hilares nitidique vocantur. *Natalis Dianæ a virginibus celebratur, ſicut Apollinis a pueris*, inquit Vet. Schol.

21 Tu ἐν ἀθύρμασι proferendum: ac ſi bene noſſet ejus animum.

Primus hic Perſarum rex, a quo reliqui omnes ad Darium. Mancinellus.

22 A *Mygdonibus* olim Thraciæ incolis, qui et Macedones.

23 *Crine* dixit pro cincinnulo.

24 *Plenas pro opulentis dictum eſt.* Vet. Schol.

25 Et Libri Veteres Torrentii et Vet. Sch. habebant *flagrantia*, non *fragrantia*. *Flagrantia, oſcula majora.* Vet. Schol. B. Ardentia. Z.

26 *Facili ſævitia*, Figura Ὀξύμωρον. *Levi luctamine*, ut eleganter Cruquius.

27 Non *a poſcente*, ſed *magis poſcente*. *Magis enim gaudebat eripi ſibi oſcula ipſo poſcente:* Henricus Stephanus et Lubinus.

28 *Rapere occupet; Iraſcenti amatori ſatisfacere cupiens.* Vet. Schol. *Totum hoc mira Enargia expreſſum eſt:* Idem. *Enargia* autem repoſui pro *Energia*, quæ erat in Impreſſis. Cum *rapere occupet*, fatente ipſo Bentleio, plurium ſit Codicum, atque etiam vetuſtiſſimorum, non video cur mihi placeat illius *rapere occupat*: *occupet* certe magis convenit τῷ *gaudeat*.

ODE XIII.

IN ARBOREM, CUJUS CASU IN AGRO SABINO OPPRESSUS EST.

Exſecratur ſceleſtam arborem, cujus ictu pæne eliſus eſt. (Cf. infra 17. 27. et III. 4. 27.) *Facta etiam inferorum mentione Alcæum et Sappho tollit ad ſidera; atque hoc ut profeſſioni ſuæ gratificetur.*

METRUM UT IN PRIMA.

Ille et nefaſto te poſuit die,
Quicunque primum, et ſacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, et penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis. Ille venena Colcha
Et quicquid uſquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui ſtatuit meo
Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

---

1 Illum et *N. Heinſ. et Cun. conj.* Illum o *Bentl.* Ille et *omn. al.*—8 Colcha *Gott. Lamb. Bentl. Cun. ex MSS.* Colchica *al.*

---

1 Quid opus erat ut Horatius exclamando alloqueretur ſurdam arborem? Nam Bentleius pro *et nefaſto* fecit ô, *nefaſto*, nulla cum auctoritate. Neque advertit *et* eſſe geminatum; *et nefaſto die, et ſacrilega manu.* Et plane diſtinguendum poſt *primum*: nam *Quicunque primum* poſitum eſt pro *Quicunque primum te poſuit.* B. Non ſit mihi probabile, in limine ſtatim offendiſſe librarium eum, a quo omnes noſtri libri fluxerunt, ut pro *illum* poneret *ille.* Nec difficile videtur poſt *primum* repetere *poſuit*: ut Epod. 5. 87. *valent* antrorſus et retrorſus valet. Vid. 2. 19. 28. et 32. Sat. 1. 3. 7. Si quid omnino mutandum; blandius fuerit, cum Marcilio *et* omittere ante *ſacrilega.* Sed hoc etiam tuentur omnes libri: et *produxit* diverſum eſt a *poſuit*, ut ſtatim monebimus. G.

Nefaſto, non faſto et abominando. Vet. Schol. Notum eſt antiquis Romanis poſtriduanos, h. e. dies poſtridie Kalendas, Nonas atque Idus fuiſſe *Nefaſtos*, neque licuiſſe Prætori ſine piaculo jus dicere. Ut a Jus Juſtus, ita a Fas Faſtus.

Poſuit, bene pro plantavit.

2 *Sacrilega* jam pro impia. Iracunda vox.

3 *Produxit*, protulit. Suſtŭli etiam ſubdiſtinctionem poſt *arbos.* B. At ego incidi utrinque, ut ſolemus in Vocativis. *Produxit* eſt eduxit, coluit ut incrementa haberet: ut *producere ſubolem* in Car. Sæc. 17. G.

4 *Pagus*; vox Celtica *pagus* et *magus*; hodiernis Gallis et Britannis noſtris *païs* et *maïs* *Ager* eſt. Hoc ignoravit Feſtus.

6 *Fregiſſe. Novo verbo exſecratus eſt parricidam.* Vet. Schol.

Penetrale eſt prope omnis interior pars domus. Servius, citante Mancinello.

8 *Jupiter præceperat jus hoſpitii in primis ſervari.* Vet. Schol. Cruq. Hoſpites erant in tutela Jovis Hoſpitalis.

Bentleio placet *Colcha* pro *Colchica.* Sed auctore nemine: non bene convenit illi cum Græcis Adjectivis in *κὸς* finitis. B. Sed ob auctoritatem non minus quam ob elegantiam recepi. Z.

9 Majora poſſunt homines animo concipere quam re perficere. Ut eleganter Chriſtoph. Landinus.

Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt, in horas. Navita Boſporum
Pœnus perhorreſcit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata;
Miles ſagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus et Italum
Robur: ſed improviſa leti
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam pæne furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedeſque diſcretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te ſonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli!
Utrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur Umbræ dicere: ſed magis

13 Quod *Br.*—17 Reducem fugam *conj. Bentl.*—26 Cœnatem *Zar.*

Nefas, piaculum. Nam *fas* ad Religionem ſpectat.

10 Jucunde *tractavit*, pro miſcuit: tractamus quæ ſæpius manu vel ore volutamus.

11 *Triſte*, infelix. Infelices erant arbores in Deorum Manium tutela; quales, agrifolium, ruſcus, rubus, ſentis, &c. Hoc dudum adnotavit Landinus. B. Fundus eſt Macrob. Sat. 2. 16. G.

Caducum, ad cadendum proclive. B. V. Car. 3. 4. 44.

13 *Significat unumquemque hominum non fere periculum timere, niſi cum ei proximus ſit.* Vet. Schol.

14 *Subdiſtinguendum poſt* Cautum eſt; *jungenda enim ſunt* vitet in horas. Henricus Stephanus.

Boſporum; ubi propter anguſtias aſſidua naufragia ſunt. Vet. Schol.

15 *Pœnus*, Tyrius. Species pro genere.

16 *Timet aliunde.* Tribrachys pro Dactylo.

17 *Et celerem fugam:* audi tu Bentleium: "Iraſcor Membranis veteribus quod conſtanter "Lectionem hanc repræſentent: certe ceſſavit "hic bonus Horatius, ſi eo modo ſcripſit." Ego utcunque ſemper ſoleo ſtare a partibus boni Horatii. B. *Celerem fugam* videtur dixiſſe, quod mox, et antequam premantur, fugiunt, infidiarum cauſa nimirum. Conf. Car. 1. 19. 11. et quos laudat Cerda ad illud Georg. 3. 3. *Fidentemque fuga Parthum.* G.

18 *Catenas;* Hoc παρὰ προσδοκίαν, et blanditur Auguſto. B. *Catenas et robur* forte jungere oportet, ut ſit paraphraſis triumphi, in quo catenati primum ducuntur, mox necantur in carcere, qui *roboris* appellatione ſignificatur. G.

20 Bene *vis* et *rapuit*, cum ante poſuerit *improviſa*.

Imperia jam *gentes* dixit. Hoc in ſolatium poſuit.

21 *Furva myſtico nomine dicebatur Proſerpina.* Vet. Schol. Terribiliter protulit *Furvæ* et *vidimus*. B. *Furvum*, h. e. nigrum, auctore Feſto. Z.

23 Jure indignatur Torrentius Lambino quod *deſcriptas* pro *diſcretas* repoſuerit.

25 *Atthide, Teleſippa, Megara*, &c. *quas miſere deperibat.* Mancinellus.

26 *Plenius; quia Alcæus robuſtior eſt.* Vet. Schol.

Alcæus aureo plectro merito donatur in ea parte operis, qua tyrannos inſectatus eſt. Quintil. citante Mancinello. Dedit olim pœnas Tyrannis Byzantinis et inſulſis paraſitis flammis abſumtus, quod ſane dolendum.

Pugnas et exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur ſono:
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

ODE XIV.

AD POSTUMUM.

Miſerabiliter deflet humanæ vitæ brevitatem; et Poſtumo, rei familiari nimis attento ſuadet, ut ſibi, non heredi, vivat.

METRUM UT SUPRA.

Eheu! fugaces, Poſtume, Poſtume,
Labuntur anni; nec pietas moram

32 *Pro* humeris, avida *conj. Bentl.*—38 Laborem *Brod. Gott. Bentl. Cun. et Lambin.*

ODE XIV.

1 Heu, heu *Flor.* Heu *Zar.*

27 *Durâ navis;* navalia ſua prœlia.

28 *Dura fugæ;* in exſilium actus eſt a Tyrannis Mitylenenſibus, Pittaco et Myrſilo.

Dura belli; Dilogia eſt hoc loco: voluit Horatius ſe videri alterum Alcæum; ut etiam ſupra oſtendimus.

29 Pulcherrime deorum manium attentionem *ſacrum ſilentium* appellavit. Conſecravit etiam duorum vatum carmina; nam in ſacris altiſſimum ſilentium imperabatur. B. *Utrumque*, Alcæum et Sappho. Z.

31 Bene habuit quod Auguſtus Tyrannus non erat. *Servabit odorem teſta diu.*

32 *Denſum humeris*, pulcherrima Enargia. B. Circa humeros ſentitur et obſervatur maxime denſitas. *Bibit* jam cupiditatem notat, ut non ſit opus *avida.* G.

34 *Centiceps, Cerberum dixit propter multitudinem anguium, qui in capite ejus eminebant.* Vet. Schol.

36 *Recreantur; eſt animal anguis auditus capax et MALI et BONI. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* Virg. Vet. Schol. B.

37 *Pelopis par.* Tantalus. Z.

38 *Laborum decipitur;* " Hanc lectionem " tuentur cum veteres Editiones, tum plerique " Scripti," inquit magnus Bentleius; qui tamen ductus auctoritate quorundam obſcurioris notæ Codicum repoſuit *Dulci laborem decipitur ſono*, quod fatendum eſt minus ſapere Helleniſmum: Gaudere ſolet Vir doctus in diverſa abire.

Decipitur laborum; audax Figura; vult enim intelligi audienti illi ſenſum laboris auferri. Vet. Sch. Pulchre *decipitur* pro *obliviſcitur.* Helleniſmus. B. Sed non minus elegans *laborem.* G.

39 *Orion* dum vivus inſignis erat Venator, ſic et apud Manes, ex vulgari opinione, quod ſupra docuimus.

ODE XIV.

1 *Eheu!* Suſpirium hoc eſt.

Poſtumum bis nominat, quo eum dictis ſuis

Rugis et inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti.
Non, ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen Tityonque triſti
Compeſcit unda, ſcilicet omnibus,
Quicunque terræ munere veſcimur,
Enaviganda, ſive reges
Sive inopes erimus coloni.
Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Adriæ;
Fruſtra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.
Viſendus ater flumine languido
Cocytos errans, et Danai genus
Infame, damnatuſque longi
Siſyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, præter inviſas cupreſſos,
Ulla brevem dominum ſequetur.

5 Tricenis *editt. primæ et Gott. it. Brod.*—10 Cujuſque *Brod.*—13 Cavebimus *conj. Gruter. in Miſc. Lipſ.* III. 501.—18 *Sic e codd. edidit Bentl. et Jan. nam vulgo eſt* Cocytus.—23 Cupreſſus *Jan. e codd.*

attentiorem reddat *Poſtumus*, non Poſthumus erat in omnibus Torrentii MSS. recte.

3 Bene ſubjecit *inſtanti* cum jam poſuerit *labuntur*. Innuit ſe repente factum ſenem.

4 *Indomitæ; inexorabili.* Vet. Schol. Cruq.

5 Vetus Liber Cruquii habebat *Trecenis* pro *tricenis*, ſic et Torrentius; atque olim vir doctiſſimus Ant. Mancinellus. B. *Tricenis* carmini repugnat, et hic parum eſt. G. *Non*, repete e ſuperioribus *Pietas moram*, &c. Z.

6 Flebiliter *Amicum* dicit. B. *Illacrimabilem*, qui lacrimis non commovetur. Z.

7 *Ter amplum*, trium corporum. Z.

8 *Triſti, inferna;* Vet. Schol. Periphraſis eſt Stygii fluminis.

9 *Scilicet*, vehementer affirmantis eſt. B. *Compeſcit*, coërcet, incluſa tenet iſta immania monſtra, ut in vitam redire nequeant. Z.

13 *Carebimus*, immunes erimus. B. Nimirum *metuere* eſt evitare. Vid. ad Car. 2. 2. 7. G.

14 Mire *Fractis* ſubjecturus *rauci: nam* (inquit Vet. Schol.) *raucus ſonus fractus dicitur.*

16 *Humidus eſt Auſter, præſertim Italiæ, et noxius.* Plin. citante Mancinello.

17 *Viſendus; videntes beati prætereunt.* Vet. Schol.

Bene *languido* ſubjecturus *errans;* erat etiam cœnoſum.

18 *Danai* filiæ, vid. infra III. 11. 23. Z.

19 *Damnatus laboris dixit ut damnatus capitis.* Vet. Schol.

21 Iſta ex Lucretio deſumta ſunt. *At jam non domus accipiet te lætâ, neque uxor Optima.*

22 Significat Poſtumo pulcherrimos hortos fuiſſe; quare bene *harum* et *colis*.

23 *Cupreſſos; Mos fuit ut ante domum defuncti ramus e cupreſſo poneretur, indicium Pontifici, quod,*

Abſumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus, et mero
Tinguet pavimentum ſuperbo
Pontificum potiore cœnis.

ODE XV.

Inſano privatorum luxu Rempublicam pauperem fieri, et ſacra negligi. Gratificatur Auguſto morum emendatori.

METRUM UT SUPRA.

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent; undique latius
Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu; platanuſque cœlebs
Evincet ulmos: tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:

25 Aſſummet *Zar.* Aſſumet *Flor.*—27 Superbum *Lamb. et Jan.* Superbus *conj. Barthius Adverſ.*

ODE XV.

5 *Glareanus e conjectura edidit* violaria Myrtuſque et.

ſi domum funeſtatam ingreſſus eſſet, pollueretur. Chriſtoph. Landinus.

24 *Brevem dominum, ut breve lillum*, i. e. *parvi temporis.* Vet. Sch.

25 *Abſumet hæres; hæc cum Invectione dicuntur.* Vet. Schol. B. *Dignior*, qui te rectius utetur iſtis a te tam diligenter ſervatis. Z.

27 *Tinguet; effuſurum eum paſſim vina ſignificat.* Vet. Sch. Optimi MSS. Torrent. habebant *Tinguet* non *tinget* cum Mancinello et Vet. Schol.

Superbo, pro ipſe ſuperbus. Hypallage. Vet. Schol. Lambino iraſcitur Torrentius quod legeret *Superbum*, nec injuria. B. Nempe *ſuperbum* poetæ vocant, quidquid id eſt, in quo ſuperbiunt, et ſibi placent homines: quo obſervato, nos carere poſſe his, quæ diſputantur ad l. arbitror. G.

28 *Cœnis, Dativus eſt.* Mancinellus. *Dignior deorum conviviis.* Vet. Schol. Notum *Pontificales cœnas* in Proverbio. B. *Cœnis* potius ablativo caſu accipiam, ut vinum præſtantius dicat, quam ſunt hac parte cœnæ Pontificum. G.

ODE XV.

1 *Jam*, exiguo tempore. B.

Auget inſaniam ædificatorum præſens periculum. Conf. Car. 3. 1. 34. *Piſcinarios* jam ſua ætate reprehendebat Cicero Hortenſium, Lucullum, ceteros. Hoc ſtudium villarum urbanarum, hortorum, piſcinarum, fecit inter alia, ut ex Ægypto et aliunde advehenda eſſet annona frumenti. G.

Regiæ moles, divitum Prætoria. Mancinellus.

4 *Immanes piſcinas* dicit et *Vivaria*: Et bene *viſentur undique* ob miram novitatem.

Cœlibem platanum ait eleganter, quoniam e contrario maritari arbores dicuntur, quibus vites junguntur. Vet. Schol.

5 *Evincet; plures erant platani quam ulmi.* Vet. Schol. B. *Tum*, nempe quando luxus in dies creſcit. Z.

Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
  Præſcriptum et intonſi Catonis
    Auſpiciis, veterumque norma.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
  Metata privatis opacam
    Porticus excipiebat Arcton;
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, oppida publico
  Sumtu jubentes et deorum
    Templa novo decorare ſaxo.

10 Excludet æſtus *codd. ap. Lamb. et Bentl.* Z.

6 Jacobus Cruquius monuit *Myrtus* eſſe pluralis numeri.

Interpres Gallus qui dixit hic dormitaſſe Horatium, ni fallor dormitavit ipſe: non enim vidit omne genus florum feſtive et ſummarie dici *copiam narium*, et *copiam* jam poni pro *Commeatu*. WHOLE AMMUNITION. B.

7 *Olivetis*, in olivetis, ubi ante erant oliveta, nunc vero ſunt violaria, myrteta. Z.

9 *Spiſſa laurea*, opere topiario.

10 *Romuli; quo regnante duo agri jugera ſatis erant.* Landinus.

11 *Præſcriptum, præceptum dicitur a magiſtris ludi, qui ſcripta pueris dant, præcipiuntque imitari.* Vet. Sch.

Non niſi poſt 454 urbis annos Romæ tonſores fuerant, ut notavit Landinus ex Plinio. Unde *intonſus* et *barbatus* pro vetuſto, ut idem docte monuit.

12 *Auſpiciis: legibus.* Vet. Sch. Cruq. Auſpicato fiebant leges.

Metaphora a fabris qui normam vocant ad quod opus dirigunt. Vet. Schol. B. Ordo eſt: Non ita præſcriptum eſt auſpiciis Romuli et Catonis et veterum norma. Z.

13 *Brevis*, pro *curtus*: ut *curta ſupellex* apud Perſium.

14 *Commune; communis res et publica.* Vet. Schol.

Decempeda, regula decem pedum. Vet. Schol.

15 *Metari dicebantur caſtra.* Vet. Schol.

16 *Porticus*, Cœnatio ad Ventum Boream. Erant et Centenariæ et Millenariæ pro paſſuum numero, adnotante Cruquio.

17 Notandum hoc loco *Fortuitum* eſſe penultima longa, contra apud Juvenalem penultima brevi.

Cum ſcribat Feſtus *ceſpitem terram eſſe in nodum lateris cæſam*, illud intelligendum eſt de Romano latere qui tegulis noſtris latior erat, atque craſſior. Vult autem veteres Romanos privatas domos vel ex ceſpitibus, vel ex rudibus ſaxis feciſſe; publica autem ædificia ex lapidibus quadratis.

20 Ideo *ſaxum novum* dixit, quia veteribus Romanis lapides quadrati penitus erant incogniti; et primum ſolis oppidorum muris et deorum templis condendis adhibebantur. B. *Novo ſaxo* licet forte ſimplicius interpretari renovato novam figuram a quadratarii manu adepto. G.

ODE XVI.

AD GROSPHUM.

Magnas opes et civilia negotia ab imperitis appeti ſolere; ſe autem exiguo rure doctoque otio beatum ſentit. In hac Ode Pompeium Groſphum Sicilienſem alloquitur; De quo vide Epiſt. 12. Lib. I. (Optant quidem omnes, nauta, Thrax, Medus, otium, h. e. vacuitatem a curis et moleſtiis, ſed hanc non dant divitiæ, non honores, non palatia magnifica, ſola vero mediocritas affert, ſi quis liber ab avaritia paucis contentus vivit. Nec eſt quod, cum vita ſit brevis, multa appetamus et habendi gratia remotiſſimas adeamus terras. Nam ita curæ etiam extra patriam ſequuntur. Contra animus bonis præſentibus contentus non curat futura, et res moleſtas fert æquo animo. Nam ſumma felicitas in humanam conditionem non cadit; id quod patet exemplis Achillis et Tithoni; atque forſitan mihi ipſi aliquid læti continget, quod tibi deerit: tibi qui ditiſſimus es; mihi, qui pauper ſum, facultate Græcos imitandi in carminibus levioribus præditus et animo humilem obtrectatorum multitudinem ſpernendi. Z.)

METRUM SAPPHICUM.

Otium divos rogat in patenti
Prenſus Ægæo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis;
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Groſphe, non gemmis neque purpura venale nec auro.

---

1 *Vid. not.*—2 Preſſus *coll. Sax. Zarot.*—3 Lumen *coll. Sax.*—8 Neque *Lamb. et Jan.*

---

1 *Otium* non rectius intelligas hic, quam ſi cogites *negotio* opponi, quatenus de omni moleſtia et perturbatione dicitur, v. g. *negotium alicui facеſſere.* G.

Patenti, ſine litoris alicujus aſpectu. Vet. Schol. Terribile Epitheton. Notum eſt Ægæum mare eſſe procellis famoſum. B. Placeret hoc epitheton, ſi de Oceano vel quacunque maris parte diceretur inſulis infrequentiore, et ob ipſam vaſtitatem terribili. Jam, cum vel maxime ideo procelloſum ſit mare Ægæum, quod frequentia inſularum ac promontoriorum freta multa facit: ſolicitor, an non dederit Horatius *impotenti preſſus Ægeo.* Certe favet ex parte aliqua prima editio, quæ habet *impatienti*, junctis literis, et Barthiana obſervatio Bentleio laudata, *impatenti.* *Impotens* continet comparationem cum homine, cui furor iraque mentem præcipitant. *Prenſus*, h. e. deprehenſus et velut captus, pulchrum: ſed *preſſus* ad anguſtias et fluctus undique urgentes accommodatius. Etiam *lumen* pro *lunam* magis placet; ut etiam ſol comprehendatur. G. *Patens mare* videtur eſſe idem quod *altum*, remotum a littore. *Lumen* minus recte ponitur pro *Luna*: nam imago noctis eſt loco et rei aptior. Z.

2 *Prenſus*, ad Emphaſin dixit, ſignificat enim eum nil tale prius cogitaſſe.

3 *Certa*, jam pro *cernibilia* poſuit: ſit venia verbo!

6 Ethopœia eſt in repetitione vocis *Otium*. Ac ſi ſemper Otium in ore haberent precantes.

7 Hoc loco compellat Groſphum, ut efficacius eum moneat nil proficere divitias ad animi tranquillitatem.

Non enim gazæ neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum;
Nec leves ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exſul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitioſa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præſens animus, quod ultra eſt,
Oderit curare, et amara lento
Temperet riſu. NIHIL eſt ab omni
Parte beatum.

---

17 Arcu *conj. Barth.* Sontes *codd.* 3. *ap. Bentl.*—26 Lento *etiam Brod. coll. Sax. Gott. Zar. Flor. &c.* animi—oderis—leni temperes riſu *conj. Bentl.*

---

10 *Bene ſummovet*, cum ſit ſubjecturus *Lictor*. Lictores enim ſummovebant turbas, ſive populi tumultus, e Conſulis via.

11 *Laqueata tecta; Lacunaria. Laquearia dicuntur opera cameræ in lacus collectæ.* Vet. Schol. Arcuatæ veterum cameræ auratis lacunis, fortaſſe rotundis et quadratis, pingi ſolebant, e quibus pendebant lucernæ. *Pendebant lychni laquearibus aureis.* Virgil.

12 *Volantes*; ac ſi eſſent veſpertiliones.

13 *Vivitur*, ſupple *ab illo.*

14 *Splendet, purum et ſine labe ſalinum.* Perſius.

Salinum eſt patella in qua diis primitiæ cum ſale offerebantur. Vet. Schol. Sanctius igitur erat paternum; et oportuit ſancta eſſe pura et ſine labe, adeoque *ſplendere. Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu et ſimulacris deorum*; Arnobius, citante Turnebo. Notum eſt pauperiores pro pane et butyro, pane et ſale veſci ſolitos.—*Digito terebrare ſalinum Contentus perages.* Perſius.

15 *Cupido pro avaritia, et timor pro cuſtodia cenſus.* Vet. Schol.

17 Bene *fortes* ſubjecturus *jaculamur. Eſt aliquid quo tendis et in quod dirigis arcum?* Perſius 3. 60. B. Nihil poterat pulchrius dici. *Jaculari* eſt ad ſcopum jactare, ut Cic. de divin. 2. c. 59. pr. *Quis eſt enim, qui totum diem jaculans non aliquando collineet?* Pulchre Acron: *jaculamur* declarat, *Appetimus, et cum brevis vita ſit, majora tentamus. Fortes* habet ſuavem cum miſericordia irriſionem. Eadem ſententia Cæſ. 1. 4. 15. Infeliciter, et plane præter ſcopum profecto hic jaculati ſunt, qui aliquid mutare, fortes viri, voluerunt. G.

20 Bene *fugit* de *exſule*. Nam et fuga exſilium eſt.

21 *Scandit*; Iconiſmus fœdiſſimi monſtri.

Vitioſa; *ægra, macilenta.* Nam et morbus vitium eſt.

22 Proprie venatici canes *relinquunt* quod aſſequi nequeunt.

25 Pulchre poſuit *lætus* pro *contentus* Metonymia effectus pro cauſa.

26 *Oderit*: horreat, non ſuſtineat.

Iſta repetitio vocis *lætus* decora eſt, et ſententiam deaurat. Torrentius tamen auctor eſt

Abſtulit clarum cita mors Achillem;
Longa Tithonum minuit ſenectus;
Et mihi forſan, tibi quod negarit,
Porriget Hora.
Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ: mihi parva rura et
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

omnes MSS. habere *lento*. Ego vel ſexcentis MSS. non crederem; nam et mecum facit Vet. Schol. Bentleius etiam cui admodum diſplicuit repetita vox *læto*, maluit *lento riſu*; quam tamen lectionem nullis firmare poteſt exemplis. Certe qui lente ridet parce ridet, et frigidiuſcule. B. Bona verba! Nihil eſt antiqua illa et conſentiente meliorum lectione pulchrius. *Læto riſu temperare amara* nemo ſanus poteſt; ſed *lento*, frigido, qui ſe non valde moveri, ſed *lente ferre* moleſtias, indicet. G.

27 *Nihil eſt ab omni*, a Græco Proverbio ductum eſt; Οὐδὲις πάνυ ἰσὶ πανόλβιος, quod citat Cicero de Invent. notante Ludovico Deſprez. Poeta tamen feſtive poſuit *Nihil beatum*, pro *Nemo beatus*.

29 *Clarum*, h. e. etſi re bellica et forma inſignem. B. Reſpicit ad fatum Achillis, cui optio propoſita erat, velletne producto inglorius ævo vivere, an cita morte æternam redimere gloriam. Vid. Il. ι, 410. ſqq. G.

30 *Longa*, pro *quamvis longa*. *Duo inter ſe contraria poſuit*. Vet. Sch. B. Tithono longiſſima vita tributa ab Aurora conjuge, ſed decreſcente et exareſcente ſemper corpuſculo, tandem in cicadam abiit. V. Car. 1. 28. 8. G.

32 Vafre *porriget* in Futuro ad Emphaſin poſuit. Diſſimulat enim in ſequentibus ſeſe amico ſuo comparare velle.

Figurate *Hora* pro *Genio*. Erat enim unicuique Horæ ſuum Numen. *Seu nata fidelibus Hora Dividit in Geminos concordia fata duorum*. Perſius, Horatii æmulus.

35 *Quadrigis*, curribus. B.

Equas feminas curulibus certaminibus fere adhibitas, frequenter obſervamus. G.

Afro, Tyrio. *Bis tinctæ*, *Dibaphæ veſtes pretioſiſſimæ*. Vet. Schol. B. *Purpuræ* capiuntur etiam in *Meninge Africæ* inſula, *et Gætulo litore Oceani*. Plin. 9. 36. ſ. 60. Add. Mela 3. 10. 25. p. 301. Gron. Hinc *Gætulus murex* noſtro Epiſt. 2. 2. 181. G.

38 Bene poſuit *Spiritum* ſubjecturus *Camœnæ*, cujus afflatu Poetæ fiunt.

Graiæ poſuit ad ſignificanda vulgi convitia qui Græcos oderunt.

Tenuem poſuit, quia res grandes non attigit. *Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena*.

39 *Parca*; Septimo poſt natum infantem die Parcæ credebantur pueri fata deſcribere; imo ad hanc rem advocabantur, ut ex Turnebo adnotavit Torrentius.

Non mendax, h. e. inevitabilis. Hoc poſuit ut levitatem carminis excuſaret.

Malignum, h. e. *Maledicum*, qui oderunt doctos, paſſim eos Græcos vocantes. *Continuo craſſum ridet Vulpenius ingens. Et centum Græcos curto centuſſe licetur*. Perſius.

40 *Vulgus* ſunt etiam divites indocti.

ODE XVII.

AD MÆCENATEM.

Mæcenatem velut assidens alloquitur querentem de periculo suo, et pro præsenti statu optantem mortem. Vet. Schol. Puto eum recidiva podagra laborasse.

METRUM UT IN PRIMA.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam: non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec, si resurgat centimanus Gyges,
Divellet unquam: sic potenti
Justitiæ placitumque Parcis.

---

6 Alteram *conj. Bur. ad Virg. Æn.* 2. 647.—14 Gigas *multi*; Gyas *Lamb.*

---

1 *Exanimas*, h. e. torrendo dementas.

2 *Amicum*, Græcis φίλον, illud est quo contenti vivimus.

3 *Obire* proprie *occidere* est. Dicitur enim *sol occidit*, et *sol obit*, eodem intellectu.

4 Vide quæ supra diximus Odę prima, Lib. I.

5 *Ah!* impatienter dolentis est.

Bene *rapit* subjecturus *maturior* et *vis*. *Rapi* dicuntur qui immature decedunt.

6 Dilogως *Vis* ponitur, et pro intemperante iracundia, quam *violentiam* appellamus. Sic Virgilius, *Vi Superûm*. B. Venustas omnis loci hujus pendet ab eo, quod Horatius se modo partem sui ipsius dicit, a Mæcenate si divellatur, substantiam incompletam, ut loquebantur Philosophi. Hæc venustas exstinguitur, si legas alteram. G.

7 *Nec carus æque*, sc. mihi, amissa parte meliore mei. Z.

8 *Ille dies*, cum horrore meminit.

9 *Ducet ruinam*, efficacissima Metaphora atque Enargia. B. *Utramque ruinam*, h. e. interitum utriusque partis. Z.

10 Clientes olim, præsertim vero Gallorum Soldurii et Ægyptiorum Συναποθνήσκοντες, se diis Manibus ob salutem Patronorum suorum devovebant. Quod et Decii faciebant pro exercitu populi Romani. Atque hujusmodi devotio *Sacramentum* appellabatur, quo scilicet homines *sacri* efficiebantur. Bene igitur subjecit *Comites*, nam et Clientes *Comites* dicti sunt. B. Simplicius, puto, ad militarem illam conjurationem, quod *sacramentum* appellatur, respici, cum jurant milites, *se fugæ et formidinis causa non abituros*, &c. G.

11 *Utcunque*, ubicunque.

Supremum iter, *quo ad inferos itur*. Vet. Schol.

12 Bene *Carpere* subjecturus *parati*. *Carpere* enim subito vellicantium motum significat.

14 Idem Briareus, Ægæon et Gyges, ut ex Scholiaste Apollonii Rhodii monstravit Lam-

Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus undæ:
Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum: te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque Fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. Reddere victimas
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

---

24 Volucres *codd. quidam Lamb.*—26 Fauſtum *conj. Cun.* Feſtum *MSS. eodem teſte.*

---

binus. Plerique libri corrupte *Gigas:* Priſcianus tamen *Gyges* legit. B. Firmavit etiam Bentleius. G.

15 *Potenti* Subſtantivum eſt, et pro domina accipiendum: Themis, ſive *Juſtitia* etiam ad Fata pertinet: *Parca tenax veri.* Supra (ad 2. 16. 39.) oſtendimus Parcas ſeptimo a nato infante die fata ejus deſcribere. Parcæ etiam Juſtitiæ Aſſeſſores, ſive Παρέδρου fuere, uti ego conjicio.

17 *Libra* ad Venerem ſpectat, Scorpius ad Martem et Capricornus ad Saturnum. *Infeſtus fortur Scorpius genituræ juxta Matheſim.* Vet. Sch.

18 *Violentior*, Sævior, vel truculentior.

19 *Tyrannus* jam pro dominus.

20 *Significat occaſum hujus ſigni magis ſævire tempeſtatibus, quam ortum.* Vet. Schol. B. Atqui *Capricornus medius occidit VIII. Id. Jul.* apud Colum. 11. 2. 51. quo tempore vel maxime mari confidunt nautæ. Servius ad Georg. 1. 336. putat, reſpicere poetam ad illud, quod Saturnus in Capricorno pluvias faciat. Ego potius huc retulerim Manil. 4. 791. *Tu, Capricorne, regis, quidquid ſub ſole cadente Expoſitum:* quatenus nempe unicuique planetæ provinciam velut quandam in terris aſſignant. Cæterum non videtur valde mathematicam illam genethliacamve doctrinam vel curaſſe, vel noviſſe, Horatius: ſed ſimpliciter dicit, quocunque ſidere vel Horoſcopo natus ſit, ſibi fatale eſſe cum Mæcenate vivere et mori. G.

22 Ut totum hunc de *συναστρίᾳ* et horoſcopi ſocietate locum pulchre expreſſit Perſius 5. 45. ſqq. ita præcipue, h. l. *Saturnumque grævem noſtro Jove frangimus una.* Noxium Sidus, *Saturnum, Jovis radiationibus mitigari*, genethliacorum vetus doctrina. G.

Impio, jam pro immiti, et immiſericordi poſuit.

24 Bentleio magis placet *volucres alas* quam *volucris Fati*, etſi ſciat Hypallage plerumque delectari Horatium. Sic inferius *Nos humilem feriemus agnam*, pro *nos humiles*, eadem Figura.

Iconiſmus mortis, quam jam *Fatum* nominat: Latinum etiam mors quaſi Μόρος. Bene etiam *volucris* ſubjecturus *alas*.

26 *Lætum*; ob recuperatam Mæcenatis valetudinem. Vide quæ diximus Od. 20. Lib. I.

Crepere dicitur de quolibet acuto et ſubito ſono.

27 Hanc arborem deteſtatur ſupra 2. 13. G.

28 *Suſtulerat*, pro *ſuſtuliſſet*; Enallage modi, Poetis ſatis uſitata. B. Imo et proſaicis. Z.

Bene *Faunum* induxit, ſilveſtrem ſcilicet deum.

29 *Mercurialium doctorum, qui in tutela Mercurii ſunt.* Vet. Schol. Oſtendimus ſupra Argum. 1. 10. Mercurium fuiſſe Horatii numen. Faunus etiam ſive Pan eſt Muſicus Deus.

32 *Humilem, humilium oblationi aptam.* Vet. Schol. Per Hypallagen poſuit *humilem* pro *humiles*.

ODE XVIII.

Paupertatem ſuam magnis opibus præfert: Avaris deeſſe et probitatem et bonam mentem.

METRUM HIPPONACTEUM; PRIMUS VERSUS TROCHAICUS DIMETER CATALECTICUS; ALTER IAMBICUS TRIMETER CATALECTICUS.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultima receſas
Africa, neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.
At fides et ingenî
Benigna vena eſt; pauperemque dives
Me petit. Nihil ſupra
Deos laceſſo; nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire Lunæ.

3 Hymettias—receſſæ *conj. Galei ap. Bentl.*—7 Lyconicas *MS. Berſm.*—8 Clientes *MSS. et primæ editt.*

1 Nihil olim *Ebore* pretioſius. Ex hac materia lauti faciebant etiam lectulorum et menſarum pedes: quid *Lacunar* ſit oſtendimus ſupra Od. 16.

3 *Trabes, periſtylia.* Torrentius. B. Immo Epiſtylia, quæ etiam *trabis, architrabis* et ſimilibus nominibus hodie appellantur. *Periſtylium* eſt area columnis cincta. G.

Hymettiæ; Hymetto monte marmora exciſa, quæ Thebaica dicuntur. Vet. Schol. *Cn. Domitius L. Craſſo objecit quod columnas Hymettias in porticu domus haberet.* Val. Maximus, citante Cruquio.

4 *Numidicum marmor optimum ad columnas.* Mancinellus.

6 *Ignotus hæres; oſtendere vult Romanos non jure factos Attali hæredes.* Vet. Schol. Bene igitur *occupavi: occupare* enim eſt nullo jure tenere.

7 *Laconica* purpura (auctore Plinio) erat pretioſiſſima.

8 Vet. Schol. et Chariſius habent *clientæ*, non *clientes. Clientum uxores purpuras carpentes juvabant nobiles matronas.* Vet. Schol. B. *Trahunt purpuras*, lanam purpura tinctam carpunt, unde mihi conficiantur togæ prætextæ. Z.

9 *At fides*, &c. Sed contentus ſum, quod mihi habetur fides et facultas idonea poëſeos eſt, quare dives (Mæcenas) meam conſuetudinem, quamquam ſum pauper, et carmina amat. Z.

10 *Benigna*, jam pro *quæ ſufficiat* ponitur; non autem pro *larga*, quod putavit Stephanus. B.

Illud modo meminerimus, *benignum maligno* opponi: *malignum* autem eſſe, quod juſto parcius ſit et reſtrictius. *Venam* ad fontes et metalla pertinere, qui cogitarit, divitias ſententiæ hujus magis affequetur. G.

12 Ironice *laceſſo* pro *rogo*, ut Epicureus. *Amici* erant vel majores, vel minores: ni

Tu ſecanda marmora
Locas ſub ipſum funus; et ſepulcri
Immemor, ſtruis domos;
Mariſque Baiis obſtrepentis urgues
Summovere littora,
Parum locuples continente ripa.
Quid? quod uſque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus? pellitur paternos
In ſinu ferens deos
Et uxor, et vir, ſordidoſque natos,
Nulla certior tamen,
Rapacis Orci fine, deſtinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? ÆQUA tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris; nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic ſuperbum

---

25 Limitem *Brod. recte, puto.*—30 Sede *Baxt. et Bentl.*—34 Regumque natis *codd. Lamb. quidam et unus Berſm. cf. Canter. Nov. Lect. VI.* 14. C.—36 Revinxit *codd. quidam Lamb.*

---

jores patroni, minores clientes. *Amicum* jam Mæcenatem dicit: poſuit etiam *potentem* ad Emphaſin; ſignificat enim ſe non eſſe ex deſperatione parvo contentum.

14 *Sabinis* figurate pro Sabino rure, Sabinis agris. B.

15 *Truditur d.* nam vita eſt brevis. Z.

16 *Pergunt;* feſtinant. B. Dum pergunt, intereunt; curſus ſui ſingulis momentis accedunt ad interitum. G.

17 *Tu,* ſtomachabundus profert et ἀόρι, eſtque indefinita Perſona.

18 *Locare* et *conducere* ex adverſo ſibi reſpondent.

21 *Summovere* proprie lictorum eſt qui turbas ſummovent: ædificabant etiam in ipſo mari, ob Baiarum amœnum ſitum.

22 *Ripam* poſuit pro litore; ſic et Juvenalis, *ripa nutritus in illa. Continens* dicitur cujus partes inter ſe tangunt.

24 Qui veteres *terminos* moverat vetuſto jure *homo ſacer* erat: ſiquidem Deus *Terminus* erat Jupiter lapis, agrorum cuſtos. B. *Ultra ſalis,* tranſilis, ex avaritia rapis agri partes pauperum clientium, quos tu defendere debebas. Z.

28 *Sordidoſque natos;* invidioſa Enargia facti acerbitatem exprimit.

29 Bene *tertior* ſubjecturus *deſtinata.*

30 *Rapacis;* perpetuum Epitheton eſt.

Vet. Schol. Cruquii, Servius et nonnulli MSS. pro *fine* legerunt *ſede,* quod et nos probavimus: quid enim *Finis Orci?* B.

Blanditur conjectura Bentleii pro *rapacis,* (facili in prima litera verſus mutatione) legentis *capacis.* Sed repugnat illi quod *Orcus* hic perſona eſt, cujus mox ſatelles commemoretur. Tum *fine* quod ſummo conſenſu primæ editiones, et magno numero MSS. tuentur, parit pulcherrimam ſententiam, (Bentleio etiam probatam) *Nulla certior aula manet divitem herum* illa aula, quæ non alio, quam latiſſime regnantis *Orci fine,* ac regione *deſtinata,* ſ. deſignata ac deſcripta eſt: illa ſe mox aula jactabunt divites mixti pauperibus. Servius ad Æn. 6. 152. potuit ex memoria laudare, h. l. pro *ſede.* G.

32 *Tendis, cupis.* Vet. Schol. Cruq. Meta-

Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus audit.

ODE XIX.

IN BACCHUM.

Horatius ſuper vino cantat laudes Bacchi.

——Satur erat cum dixit Horatius, Evoe! JUVENAL. 7. 62.

METRUM UT IN PRIMA.

BACCHUM in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphaſque diſcentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum

5 Euhoe *Gott.* Euohe *Zar.* Heuhoe *Flor. it. Brod.* G. Evhoes *MSS. Berſm.*

phora ab arcu. B. *Æqua t.* æquę, ex æquo. cf. ſupra l. 4. 13. Eadem ſepulcri menſura contingit omnibus. Z.

34 *Satelles Orci, Charon.* Lambinus. Plutonis Paredrus vel Aſſeſſor erat. Hic autem figurate pro morte accipiendus eſt.

36 *Superbum* dixit ob divitias; erat enim rex Phrygiæ, opulentiſſimæ regionis. Ταντάλου τάλαντα Græcis proverbio eſt.

40 Καλάμινος ἀ' ἄκλητος θεὸς πάρεσται. Delphicum erat oraculum. Vide Eraſmi Chiliad. B. Mihi magis placet alludi ad fabulam hajuli ſenis mortem invocantis. G.

ODE XIX.

1 *Bacchus* primus Choreæ et Muſicæ repertor ferebatur. Cymbala, tympana et cornua hujus dei, tonitrua exprimebant: atque ipſe quidem et Βρόμιος et Βάκχος ideo nominabatur, quod ſit Jupiter Tonans. Etiam Ruffis ſummum numen BOΓ appellatur; a quo non abludit Latinorum *Voco* et Judæorum *Bacha.* Choreæ etiam (teſte antiquo Pindari Scholiaſte) ſolis et aſtrorum motus ſtrophis et antiſtrophis ſuis referebant. Anacreon etiam Bacchum vocat Τὸν ἰφυεστὴν χορεύτην.

Bene *in remotis rupibus* facturus *Nympharum* et *Satyrorum*, ſilveſtrium ſcilicet Deorum, mentionem.

2 *Docentem* proprie de Poetis ſua carmina recitantibus dicitur; ſic et docere Fabulam Comœdum dicimus.

Ridiculus eſt Dionyſius Lambinus cum ad hæc verba ſic loquatur: *Credat Judæus Apella.*

3 *Nymphæ* et *Satyri* erant in Bacchi clientela: atque hi erant dii Manes qui a vulgo creduntur etiam hodie in ſilvis ſaltitare. Bacchus et Ægyptius Oſiris, uti et reliqua ſidera, ad Manes pertinebant. Aſtra autem deorum quadrigæ habebantur, e quibus dii, nocturno tempore deſcendere credebantur.

Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam.
Virg. Ecl. 8. 69.

4 Satyri ideo *capripedes*, quod primis temporibus ſilveſtres homines caprinis pellibus amiciebantur. Etiam hodie priorum ſeculorum habitu, albis ſcilicet et cæruleis veſtimentis, ſaltare feruntur.

Lætatur. Evoe! parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrſo!
Fas pervicaces eſt mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapſa cavis iterare mella.
Fas et beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

---

7 Lymphatur *conj. Heinſ. ap. Bentl.*—9 Thyadas *vulgo: ſed ſcripturam rectiorem Bentleii cum aliis ſecutus ſum.* Z.—15 Non leni, *h. e.* crudeli, *multi codd. Lamb. et alii, et ſic edd. Bentl. al. ſed vulgata videtur aptior ruinæ.* Z.

Acutas jam participium eſt et habet Dilogian. *Videmus Satyros pingi oblongas aures acutaſque habentes.* Vet. Schol. *Mira Enargia totus hic locus explicatur.* Idem. Habet etiam *Acutas* Γιλοῖόν τι; Ridiculum quid.

5 *Euoe!* quaſi *turbatus exclamat Euoe! velut præſentiam numinis ſentiens.* Vet. Sch. Εὖ οἶ, h. e. *Bene ſit ei*, agentium gratias exclamatio erat. B. Equidem ignorantiam fateri malo, quam aliud hic agnoſcere, præter erumpentem præcordiis a vino inflatis cum clamore ſpiritum. G.

Bene poſuit *metu*, cum præceſſerit *vidi*, et ſubjecturus ſit *parce*. B. *Metus* hic eſt horror ſacer et religioſus, cujus exceſſus eſt pavor fanaticus, furor temporarius bacchantium. G.

6 *Turbidum lætari* philoſopha id eſt Stoica ſententia dixit. *Gaudium* ſapientis *conſtans* eſt, *lætitia* a vino cum *perturbatione* animi conjuncta: hic præterea ad illam perturbationem mentis et furorem reſpicitur, quem *metum* modo vocabat poeta. Sic Sibylla Virgiliana Æn. 6. 78. *bacchatur, magnum ſi pectore poſſit excuſſiſſe deum:* inter hæc vox nulla aptior, quam *parce!* Omnia pertinent ad enthuſiaſmi Bacchici et poetici ſimulationem. G.

7 *Liber*, idem quod Græcis Κόρος, nobis THE SUN. Filius enim eſt Saturni et Opis, h. e. Cœli et Terræ.

8 *Gravis* dicitur, et oculis et animo. Veteres artem præſtigiatorum et Mercurio et Baccho tribuebant.

Thyrſus, ſeu *Phallus*, ferulaceus erat, et ſceptrum Liberi Patris, quod virile membrum referebat: Vites atque hederæ quibus circumcingebatur, amoris erant ſymbola.

Laſcivis hederis ambitioſior.

Ficus enim hederæ et vites, quarum folia trimembria erant, naturalem continebant rationem hoc loco tacendam. Eadem enim deorum myſteria quæ et naturæ. B. Virga, ſ. baculo utuntur hodie præſtigiatores; bifurca virgula metallici divinatores et alii: virga geſtamen Mercurii, thyrſus Bacchi, utriuſque archetypus Moſis baculus, ſi audimus Huetium. G.

9 *Fas, vult oſtendere ſe deo non indignum.* Vet. Schol.

Pervicaces, protervas, propter bacchantium diſcurſus et ſaltatus. Vet. Schol.

Bentleius ex ingenio de *eſt* facit *fit*. Quis autem miretur et *Thyadas* dici et *Thyiadas* cum Litera *y* fere ejuſdem fuerit ſoni cujus et Diphthongus *vi*, unde et vernacula noſtra *Wy* dicitur hæc Litera.

Thyadas a Θύω *inſanio.* Vet. Schol. Cruq.

10 *Vinique fontem. Thyades* enim, ſive Bacchæ, præſtigiatura ſua, terra ſcilicet, vel rupe aliqua ferulis ſuis percuſſa, fontes vini et lactis, itidemque rivos mellis ex arborum truncis elicuiſſe ferebantur. Significare voluerunt præcipua Solis munera ex generatione nobis provenire. Pudet me doctorum virorum qui etiam Moſaica ſacra ad Bacchanalia referre ſolent. B.

Da. Heinſium, Bochartum, Huetium, accuſat: quo jure, viderit. Certe hoc nemo poteſt negare, Moſaicam hanc eſſe beatæ regionis deſcriptionem, ſummæque ubertatis. Ceterum quæ tangit noſter, ea habet Euripides Bacchis 141. Ῥεῖ δὶ γάλακτι πίδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὶ μελισσῶν Νέκταρι. Add. 703. ſqq. G.

12 *Iterare, ex integro cantare, et repetere.* Vet. Schol.

14 *Honorem, Ariadnes coronam ſignificat, quam Liber inter ſidera collocavit.* Vet. Schol.

15 *Pentheus Bacchum vinctum recluſerat, qui ob hanc cauſam fulmine ictus eſt.* Vet. Schol. Vulgaris opinio eſt eum a materteris diſcerptum. B. Argumentum Euripidis Baccharum: Au-

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu ſeparatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors gigantum ſcanderet impia,
Rhœtum retorſiſti leonis
Unguibus horribilique mala.
Quanquam choreis aptior et jocis
Ludoque dictus, non ſat idoneus
Pugnæ ferebaris; ſed idem
Pacis eras mediuſque belli.
Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

18 Vividus *Flor.* Invidus *MS. Berſm.*—21 Tum, cum *MS. Berſm.*—23 Rhœcum *Baxt. c. quibuſdam recentioribus edd. ſed reſtitui ſcripturam, quam Bentleius ſatis defendit. cf. infra III. 4. 55.*—24 Horribilis *conj. Bentl.*—31 Et *omittit MS. Berſm.*

tonoë et Ino, materteræ Penthei, et mater ejuſdem Agane, materteræ omnes Bacchi e Semele nati, Cadmi omnes filiæ bacchantur, et prohibentem ea ſacra, Bacchique conſobrini ſui fratris contemtorem Penthea, per furorem dilacerant, &c. Add. Ovid. Met. 3. 712. Neſcio an Penthea fulmine ictum alius dixerit. Horatii verba etiam ad convulſos carceres referri poſſunt, de quibus Eurip. v. 447. ſq. Add. 586. Τάχα τὰ Πενθέως μέλαθρα διαπνάξεται πτώμασιν. G.

16 *Lycurgi; hic quod vites excidiſſet, furore ſibi a Libero injecto crura ſibi falce amputavit.* Vet. Schol. Iſta Sacerdotum terriculamenta erant.

17 Bacchus etiam deus Lunus erat, æſtumque maris et fluminum effector. B. Fluvios juſſu Bacchi retro flexos vid. apud Nonnum 12. 124. ſqq. Quid mirum, ſi hic Moſen et Joſuam invenit Bocharto duce Huetius? G.

Barbarum, Indicum ſive *Rubrum* vel *Æthiopicum*; ſignificat Indicam Bacchi expeditionem. Melius Ægyptii Oſirin ſuum dicebant ex India Ægyptum veniſſe. Vid. Plutarch. Iſin et Oſirin.

20 *Biſtonides, Thraces mulieres, quæ cum in ſacris Liberi patris crinibus ſolutis verſantur, angues et in capite et in manibus geſtant.* Vet. Schol. Angues etiam deorum Manium eſſe credebantur; atque ex medulla ſpinali humani cadaveris originem ſuam traxiſſe. *Pinge duos angues, ſacer eſt locus.* Perſius. His igitur tractatis ſe ad præſtigiatoriam artem valentiores credebant.

Sine fraude, ſine noxa. Vet. Schol.

22 Typhœus reliquique gigantes procelloſi venti et tempeſtates erant. Ἐκ δὲ Τυφώνος ἰᾶ' ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἄητον. Heſiod.

23 *Rhœcum*, non *Rhœtum* erat apud Vet. Schol. Cruq. et in quibuſdam MSS. Græcis Ῥοῖκος. B. Sed *Rhœtum* ſumma conſtantia Latini. G.

In Gigantomachia Bacchus ſe mutavit in leonem, qua forma gigantes profligavit: h. e. Sol in leone fugavit ventos et procellas.

28 Hoc eſt, *Tam belli quam pacis potens.* Vet. Schol. B. Hic et mox v. 32. illud *que* indicare videtur repetendum eſſe verbum, cui adjungitur, *medius, mediuſque, tetigit tetigitque.* Sic mox 3. 1. 12. 3. 4. 11. it. Car. ſæc. v. 22. Illud de ſeparanda *que*, neſcio an probari poſſit Grammaticis. Exempla ſimilia Tibulli pluſcula dedit Brouckh. ad 3. 6. 48. in quibus nihil melius eſt, quam verbum cui adhæret *que*, bis aſſumere. Agnoſcit hoc ipſe Baxterus ad 3. 5. 7. Sic etiam *ne* ponit noſter Sat. 1. 8. 2. G.

29 *Inſons, quod nocere non potuit.* Vet. Schol. B. Ut modo *ſine* fraude. G.

Aurea Bacchi cornua dei Luni erant, ſive Attidis Menotyranni. Ægyptii ferebant Her-

ODE XX.

AD MÆCENATEM.

Horatius in cygnum verſus, univerſum orbem volatu luſtrat.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit: Cur? volito vivu' per ora virum.
EPITAPHIUM ENNII ap. Cic. Tuſc. I. c. 15.

Circa hujus carminis argumentum ſe ipſum quodammodo ſuperaſſe Harduinus videtur. "Proſopopœia, inquit, hæc eſt Chriſti triumphantis et Judæos allo- "quentis ſtatim ac reſurrexit." Nolumus hæreſeos crimen impingere ex *Proſopopœias* appellatione, multo minus refutare mirificam ſententiam: ſed paucula modo decerpere de interpretatione. *Biformis* hic vocatur Chriſtus, "quia ſi- "mul *in forma Dei* et *in forma ſervi*." Ad v. 9. "Allegoriæ, inquit, pars alte- "ra ſequitur, quæ Fratres Prædicatores ſancti Dominici alumnos egregie com- "mendat. Vaticinatur enim Chriſtus, ſe illis præconibus Evangelii ſui—per "complures orbis provincias volaturum—*alitem album* interpretatur candida "veſte indutum:—Quæ *reſidunt pelles cruribus aſperæ*—ocreas intelligit, quibus "equitans Dominicanus crura tegit"—Ohe jam ſatis eſt: qui valido ſtomacho eſt, poteſt librum adire. Clauditur annotatio ad hanc oden ita: "Aut "nihil in ullo ænigmate video" (quis hoc ſuſpicetur de viro, qui tot nummorum ænigmata ſolvit, viditque quod nuſquam erat) "aut indubitata hæc noſtra "interpretatio debet videri ingenioſiſſimæ, ut nunc quidem arbitror, omnium "Odarum Pſeudo-Horatii. Quam ſi quis contendat annis haud paucis ſcrip- "tam fuiſſe poſt alias plurimas: neque horum collectionem carminum lucem "adſpexiſſe ante annum circiter 1250, haud gravate aſſentiar." G.)

METRUM UT IN PRIMA.

Non uſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,

1 *Pro* Non *quidam MSS.* Nec. G. *Sed ex codd. Bentl. Jani et alii edidere* Non uſ. non tenui. Z.—3 Terra *MSS. etiam Brod.* Terras *editt. vett.*—6 Vocant *conj. Bentl.*

culem ſuum, ſive Oſirin, Luna tanquam cymba circum orbem vectum fuiſſe. B. Servius ad Æn. 3. 93. Bacchum interpretatur ſolem, cui nihil nocet ſuus ad inferos acceſſus, ſ. occaſus. Deſcenſum Bacchi ad inferos ludicrum, evocandi boni poetæ (Æſchyli) cauſa, exhibet Ariſtophanis fabula, Ranæ. *Lenitet atterere caudam* eſt uno verbo *adulari*. G.

30 *Leniter, ſuaviter ut ſolent canes dominis ſuis blandientes*. Vet. Schol. Cerberus a nonnullis dicitur triceps fuiſſe, erat etiam hoc Ægyptium numen. Verum hic non eſt explicandi locus. *Tetigit* et *que* ſeparandi duxi, ut *medius* et *que* ſupra.

ODE XX.

1 *Non uſitata* dixit, ob novum carminis genus.

2 *Biformis*, quod et *Lyrica ſcribat et hexametros*. Vet. Schol. B. Alii interpretantur, du-

Dilecte Mæcenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperæ
Pelles; et album mutor in alitem
Superna; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumæ.
Jam Dædaleo ocior Icaro
Visam gementis littora Bospori
Syrtesque Gætulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes et querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

9 Resident *MS. Bersm.*—13 Tutior *conj. Bentl.*—14 Dementis *Brod.*—17 Colchis *Brod.*

plici forma, hominis et cygni, præditus. *Liquidum*, purum. Z.

5 *Urbes*, ad Emphasin posuit; significat enim se Romæ malignari.

Pauperum; *Quem rodunt omnes libertine patre natum.*

6 Festive *Quem vocas*, pro *Qui sum*, et Emphatice; quasi dicat, major ero quam vel ipse putas. B. Quem vocas tu quoque, care Mæcenas, interdum joco *pauperem*, aut contemtioribus etiam nominibus, qualia Augusti in Horatium dicta quædam memorantur a Suetonio. Nec tamen valde repugnem his, quibus videtur *dilecte* nomen esse, quo compellari se a Mæcenate, glorietur Horatius. G.

8 *Cohibebor*, coërcebor, includar. Z.

9 Pulchre *residunt* et *asperæ* de cygni cruribus. B. *Resid.* adhærescunt. Z.

10 Festive in canitiem suam.

11 *Superne*, ultima brevi, ut in talibus Lucretius. Frustra reponit Muretus *superna*. B. Et tamen valde blanditur *superna*, quod firmat etiam ex libris Bentleius: tum quod Horatius non solet talia corripere, tum quod elegans est et Horatianus ille accusativus Græcus. G. Etiam sic reperi in ed. Venet. quare cum Jan. recepi. Significat autem *in partibus corporis supernis*. Z.

12 Albos pilos habebat in digitis, canique capilli etiam in humeros defluebant.

13 Queritur Bentleius Horatium malum fecisse sibi omen nominando Icarum. Quantulum vitium hoc! B. *Tutior* quod conjicit Bentleius, pulchrum et dignum Poeta. Sed *ocior*, in quo consentiunt libri, et ipsum pulchram sententiam parit: tardus, imo plumbeus factus est liquefactis alis Icarus: cycnus noster sumit celeritatem et vires ab ipsa progressione. G.

14 Pulchre *gemere* dicitur Bosporus, fretum enim est, ubi in angustis coactum mare, deinde cum impetu se majore dilatat. Græcis στενὸς angustum, στένω, στενάζω gemo. Sic Æn. 5. 806. *gemunt repleti amnes*. G.

16 *Hyperboreos campos* Russiæ deserta nominat.

18 *Marsæ*, figurate pro Italæ. Marsi et Appuli *bello* feroces.

19 *Peritus*, *factus peritus*. Torrentius. h. e. doctus.

21 *Inani funere*; respexit ad veterum cenotaphia.

Q. HORATII FLACCI CARMINUM LIBER TERTIUS.

ODE I.

Horatius Stoicæ philoſophiæ ſacris initiatus, humana negotia atque ſtudia ludibrio habet, et ut vulgi deliramenta ingenti animo ſpernit, parvo rure et continentia ſua beatus. (Primam hujus carminis ſtrophen prologum carminum ſæcularium facit Sanadonus, ingenioſe magis, quam probabiliter. Eſt hæc potius præfatio libri tertii conſtanti ætate ſcripti ab Horatio, cujus non modo prima carmina ſunt ſevera et religionis plena; ſed reliqua etiam nihil habent, quod non virginibus pueriſque commendari debeat: ipſi autem primæ ode vel maxime hoc exordium convenit: quod dicit, *non prius audita*, negat exſtare Latina carmina lyrica ejus argumenti, ut Car. 4. 9. 2. G.) *(Non hominibus corruptis et veræ ſapientiæ expertibus ſcribo carmina, ſed pueris et puellis caſtis. Reges potentes imperio Jovis potentiſſimi ſunt ſubjecti: hominibus agri amplitudine, nobilitate generis, moribus, gloria et gratia inter ſe diſcrepantibus eadem moriendi neceſſitas eſt. Ergo qui mortis metu terretur, eum nec dapes lautiſſimæ nec ſoni muſices tranquillum reddunt. Illa animi tranquillitas non abeſt ab hominibus tenuis ſortis et vitæ ruſticæ. Qui enim paucis eſt contentus; is nec timet maris tempeſtatem, nec grandinem, nec agri ſterilitatem. Villæ magnifice exſtructæ non liberant a mortis metu, qui ſemper et ubique animum impotentem urget. Quod ſi nec ædificia magnifica, nec veſtes purpureæ, nec vina optima, nec unguenta Perſica morbo animi medentur; ego meo agello in Sabinis contentus divitias non ſectabor.* Z.)

METRUM UT IN PRIORI.

Odi profanum vulgus, et arceo.
Favete linguis: carmina non prius

1 *Odi, non poſſum ferre.* Sic namque Juvenalis 2. 60. *Non poſſum ferre, Quirites, Græcam urbem.*

Bene *Profanum* mox ſe dicturus *Sacerdotem. Profani ſacris non initiati. Hic per Allegoriam imperitos dicit.* Vet. Schol. *Profani* quaſi *pro*

Audita, Muſarum ſacerdos,
Virginibus pueriſque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.
Eſt ut viro vir latius ordinet
Arbuſta ſulcis; hic generoſior
Deſcendat in Campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major: ÆQUA lege Neceſſitas
Sortitur inſignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem;
Non avium citharæque cantus

17 Deſtrictus *Lamb. Bentl. Jan.*

ſano ſtantes ad Ἐκτροπίαν, non intromiſſi; Præconis enim voce ejuſmodi ſummovebantur. Ἐκὰς, ἐκὰς ἐστὲ βέβηλοι.

Vulgus obtrectatores ſuos dicit, ob malignitatem et imperitiam. Vid. Ode 16. Lib. II.

Arceo bene et ad Emphaſin poſuit, novit enim philoſophicum carmen horum palato minime reſponſurum.

2 *Favete linguis; apto ſermone uſus eſt, et ſacrificio et ludis: Nam in ſacris taciturnitas, in ludis neceſſarius favor eſt. Favet ore quis per taciturnitatem.* Vet. Schol. Hæc ad initiandos, non ad vulgus ſpectant.

Non prius audita, h. e. *virginibus pueriſque*; non autem *canto virginibus pueriſque*, ut hactenus interpretes. Significat enim juventutem levibus et laſcivis næniis corrumpi ſolere: magnifice autem de ſuis carminibus ſentit, tanquam utilibus et proficuis. B. V. Argum. G.

3 *Sacerdos* modo pro vates, vel interpres. Ad Emphaſin hoc dixit, quo oſtenderet aliorum Ἀμυσίαν.

5 *In proprios greges*, quos ſcilicet ut pecudes agitant, gravioris atque ſuperioris regni immemores.

6 *Reges in ipſos; oſtendit omnes vindicta numinum ſubjacere.* Vet. Schol.

7 *Giganteo triumpho*; Argumento a majore utitur; innuit enim facilem eſſe de Regibus et Tyrannis Jovi triumphum.

8 *Supercilio*, h. e. contracto tantum ſupercilio, quod nutus genus eſt. B. Ad Homericum illud alluditi, ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, —μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. unde ipſum *Numinis* nomen ortum eſt. Nutus in ſuperciliis: character ſummæ majeſtatis, ſi *nutu*, *nuimine*, *numine* modo opus eſt. G.

9 *Eſt*: h. e. Uſu venit, vel poteſt fieri. Fruſtra Bentleius de ſuo mutavit *eſt* in *eſto*. B. Plane eandem vim hic habet *eſt*, quam *eſto*. Concedit inæqualitatem fortunarum, ut inferat communem neceſſitatem moriendi. G.

10 *Arbuſta, arborea vitibus connexæ*. Mancinellus. Ab arbos, arbuſtum. *Vinearum ſatorem dicit*. Vet. Schol.

Generoſior, genere potentior; vel numero et potentia propinquorum gratioſus.

11 *In campo Martio comitia erant populi Romani*. Vet. Schol.

12 *Meliorque* poſuit pro melior atque; ideo *Melior* et *que* ſeparanda duxi. B. Vid. ad 2. 19. 28. G.

14 *Neceſſitas, Mors*. Vet. Sch. B. Recte ſane: ſed non ſola. V. 1. 35. 17. et 3. 24. 7. G.

Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſolicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ
Funduſque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominuſque terræ
Faſtidioſus. Sed Timor et Minæ
Scandunt eodem quo dominus; neque
Decedit ærata triremi, et
Poſt equitem ſedet atra Cura.

23 Umbroſamve *Jan.*—30 Funduſve *Jan.*—39 Triremi: et *edit. primæ:* et *om. Gott. it. Locher et all. Hinc Bentl. conj.* Poſtque equitem.

16 *Urna; hæc ſecundum vulgarem illam opinionem, qua affirmabant ſorte ſingulos ad mortem ab Orco trahi.* Vet. Schol. B. Nempe hæc eſt illa μοῖρα, Parcarum opus, quarum una *Lachesis*, a ſortiendo ἀπὸ τῦ λαχεῖν vocatur. Hæc illa ſortitio animorum, de qua nota Platonis fabula, et multa philoſophi ab Heraclito. G.

17 *Diſtrictus;* Notiſſima eſt de Damocle atque Dionyſio hiſtoria. B. V. Cic. Tuſc. 5. c. 21. G.

18 *Siculæ dapes* Συρακυσία τράπεζα, h. e. *Syracuſana menſa*, Græcis proverbio erat.

21 An obverſabatur iſta ſcribenti poetæ ſui Mæcenatis inſomnia? Sen. de Provid. 3. *Felicissimum ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, et moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium quæritur.* Non puto. Nec enim impiæ cervicis mentionem facturus erat poeta, &c. Vid. Meibom. Mæc. c. 29. pr. G.

26 *Tumultuoſum.* Sequentia mercatorum avaritiam tangunt.

27 *Cadentis* et *Orientis* Ἀντίδοτα *ſunt.* Vet. Schol. Ὅταν ἀνατέλλωσιν οἱ ἔφοροι ἀγριαίνονται ἢ Θάλασσα. Theocriti Schol. citante Lambino. B. Colum. 11. 2. 78. *Quarto Kal. Nov. Arcturus veſpere occidit, ventoſus dies.* Et ibid. 73. Prid. Non. Octob. Hædi oriuntur veſpere. G.

30 *Fundum* pomarium jam dicit. B. *Fundus* generale nomen eſt. Contrarium Car. 3. 16. 30. *ſegetis certa fides meæ.* In verbo *culpante* dulcis metaphora eſt, quaſi minaci domino excuſet ſe arbor, et culpam transferat. Ceterum videbatur mihi ſententia hujus loci adjuvari, ſi pro *agros*, ultima litera deleta, quæ adhæſit forte de proximo *ſidera*, legas *agro*. Satis dixi intelligentibus: aliis nihil ſatis eſt. G. *Mendax*, ſterilis, qui, ut debitor malus, non reddit quod accepit. Sterilitatis autem cauſas affert tres, nimios imbres, æſtum et frigus. Z.

34 *Jactis, verbo uſus eſt fabricantium.* Vet. Schol. Vide quæ diximus Od. 18. Lib. II.

Frequens redemtor; Enallage numeri: frequentes ſunt qui denſi veniunt.

35 *Cæmenta, fundamenta.* Vet. Sch. *Lapides non magni modi.* Nonius. *Cæſuræ lapidum.* Mancinellus.

Redemtor, fabricæ ſuſceptor; Vet. Schol. B.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum,
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

ODE II.

Virum fortem et honestum oportere supra vulgus sapere, hoc est, voluptates, divitias, popularem auram et Epicuri dogmata contemnere. (Rectius argumentum statuit Jani hoc: Horatius commendat veterum Romanorum in filiis educandis disciplinam, nempe virtutem bellicam 1—16, virtutem civilem 17—24, pietatem erga deos 25—32. Z.)

METRUM UT IN PRIMA.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta,

43 Delinit *edd. omn. sæc.* XV. *it. MS. Gott. et coll. Sax.* G. Delenit *ed. Ven. Lamb. Jan* Falernæ *edd. Ven. Glar.*—48 Operosiores *conj. Bentl.*

ODE II.

1 Amice *coll. Sax. Brod. editt. omn. S.* XV. *Ro. Steph. Talb.* Amici *Bentl. it. edd. Ven. Glar. Lamb.*

Mihi *frequens redemtor* est, qui unus ipse multas adducit operas. G.

40 *Pest Equitem*; festivissimus Iconismus hic est. B. Juvat hanc imaginem, si curam, ut personam, lugubri fordidoque habitu cogites. G. Cf. supra II. 16. 21.

41 *Phrygius lapis, Synadicus*: *In Synada enim Phrygiæ civitate marmora ista cæduntur.* Vet. Schol. *Erant rubris maculis.* Torrentius.

42 *Sidere clarior*; h. e. *Quamvis clarior.* Vet. Schol. Cruq.

43 Optimi Codd. *delinit* non *delenit*. Sic et Vet. Schol. Cruq.

44 Bentleius pro *Achæmeniumque*, de suo posuit *Achæmeniumve*, cum parum interesit. Videtur mihi *Achæmeniumque ἀναπολέθως* dici pro *nec Achæmenium.*

Costum, Unguentum Costinum quod et Nardinum.

45 *Invidendis postibus, ambitiosis januis. Nec varios inbiant pulchra testudine postes.* Vet. Schol. Nam testudine etiam januarum postes ornabant lauti.

46 *Moliar*; *exstruam.* Vet. Schol. *Molirique arcem.* Virgil.

48 *Operosiores, laboriosiores.* Vet. Schol.

ODE II.

1 Idem Latinis *Amice pati*, quod Græci Φίλως φέρειν, h. e. *æquo animo ferre*: id enim φίλον est quo contenti esse possumus. Omnes MSS. Torrentii et Cruquii habebant *amici* non *amici*, uti Vulgati Codices: Sic etiam legit Stephanus et Lubinus una cum Veneta Ed.

Vitamque ſub divo, et trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hoſticis
Matronæ bellantis tyranni
Proſpiciens, et adulta virgo,
Suſpiret; Eheu! ne rudis agminum
Sponſus laceſſat regius aſperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce et decorum eſt pro patria mori.
Mors et fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus timidove tergo.
Virtus, repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

5 Dio *Ven. Glar.*—14 Conſeq. *conj. Bentl.* Proſequitur *codd. ap. Bentl.*—18 Incontaminatis *Giphanius e vet. cod.*

tione. B. Cum tanto conſenſu legatur *amice;* cum longam ultimam poſtulet carminis ratio; cum pulcherrima ab adverbio, et Græcis familiaris, exoriatur ſententia: merito *amici* illud, quantumvis ipſum quoque non indignum Horatio, ſuis auctoribus relinquimus. G.

2 *Robuſtus*, h. e. *cum ætate robuſtus eſt, ac per hoc adoleſcens eſt.* Vet. Schol. Repoſui autem *ætate robuſtus* ex ingenio, cum editum eſſet, *ita robuſtus. Robuſta ætas juxta Ulpianum* XXV. *annorum.* Torrentius. B. Corpore robuſtus factus. Z.

4 Bene *Vexet* dicturus *haſta.* Vexatio enim irritatio quædam moleſta et inquieta eſt.

5 Meliores libri habent *ſub Divo*, non *ſub Dio*, quod ſupra etiam monuimus.

6 *Illum ex Mœnibus;* pulcherrima Enargia hæc, opportune atque e re conficta fabella.

Vetuſte *boſtilicis* pro hoſtilibus, quod jam monuimus.

8 *Proſpiciens*, e muris ſcilicet, vel aliqua feneſtra.

9 Bene *Suſpiret*, nam *Eheu!* ſuſpirium eſt. B. *Rudis agm.* imperitus rei militaris. Z.

10 *Sponſus*, Regiæ puellæ amatus.

Aſperum tactu: qui tactus aſperatur. Vet. Schol. h. e. Quem neque tangere conſultum foret.

13 Imitatus eſt hoc verſu Tyrtæum, cujus hoc Diſtichon exſtat:

Τιθνάμιναι γὰρ καλὸν ἐτὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

Et in ſequenti Simonidem, ut adnotavit Cruquius:

Ὁ δ' αὖ θάνατος ἵκηι ἐ τὸν φυγόμαχον.

Ἵκηι, ſic recte Bentleius pro ἱρῆκε.

14 Bentleius ex conjectura poſuit *conſequitur*, quo reſponderet τῷ ἵκηι. Alii judicent; ego ſto contra. B. Quem *perſequitur*, h. e. cupide et conſtanter ſequitur mors, illum ſine dubio *conſequitur* etiam *aſſequiturque.* Igitur conſenſui omnium librorum non debet præferri conjectura quantumvis elegans. G.

16 Vet. Schol. cum bonæ notæ MSS. habebant *Timidove*, non *Timidoque*, quod et ego probo.

17 *Neſcia ſordidæ; Cato virtutis ſuæ conſcius corruptum populi judicium contemſit.* Vet. Schol. Imo, *qua die repulſus fuit, pila luſit.* Seneca, citante Torrentio.

17 et 18 In-Contaminatis, diviſo inter duo verſus vocabulo ideo fere magis placet Bentleio, quod *intaminata* in V. Gl. exponitur μιανθέντα: ut *intaminatus* ſit velut *infucatus:* et quod *incontaminatus* Varronem quoque et Livium auctores habet. *Incontaminatis* habet etiam liber L. Bos. G. *Virtus*, ſtudium recti et honeſti, quod, ſpretis honoribus vulgaribus et re-

Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via;
Cœtuſque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.
Eſt et fideli tuta ſilentio
Merces. Vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iſdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaſelum. Sæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum:
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede Pœna claudo.

27 Vulgavit *Brod.*—29 *Pro* phaſelum *cum Bentl. et Jan. e codd. formationem Græcam recepi.* Z.

bus iis, quas vulgus magnifacit, virtutem et ſapientiam ſequitur veram. Z.

18 *Intaminatis*, h. e. pollutis vulgi manibus non tactis: nam *contaminare* (teſte Donato) eſt rem aliquam inquinatis manibus tractare.

19 *Nec ſumit, aut ponit; in ſe habet honorem.* Vet. Schol. Quia *non eſt Conſul unius anni*, ut alibi ad Lollium.

20 *Auram* nominat, quippe rem mutabilem et incertam. Sapiens vero juxta Stoicos perpetuo magiſtratu fungitur.

22 *Negata via; inconſuetum per iter.* Vet. Schol. h. e. Ipſa viam vel facit, vel invenit.

23 *Cœtus vulgares*, indocti vulgi confortia nominat.

Udam humum poſuit pro pollutam et ſordidam. Gloriæ enim ſecurus eſt qui ſecum habitat. B. Hæc ultima Baxteri non aſſequor: ne quis, cui idem accidat, ſe ſolum infelicem putet. G. Fortis et excelſus animus deſpicit res humanas et appetit ardua et honeſta. Z.

25 Græcis acute dicitur, Τῆς σιγῆς ἀσφαλὴς ὁ μισθὸς, h. e. *Silentii tuta merces.* Taciturnitas enim mercedem ſuam ſecum habet.

26 Ἔν ἤθει dicitur *vetabo*, ſignificat enim ſe iſtos pro peſtibus habere.

Myſteria Cereris olim pro maximis et ſanctiſſimis habebantur. Ceres Terra mater lugebat Proſerpinam filiam a Plutone raptam. h. e. Lunam abſentem et apud inferos morantem. B. Docet nos Harduinus, hæc pertinere ad ſacrificium miſſæ: in quo diſciplinam arcani adhuc viguiſſe Seculo XIII. neſciebamus. G.

27 *Sub iiſdem tr.* ſub eodem tecto. Z.

29 *Phaſelus*, Ægyptiis fluviale navigium phaſeli leguminis forma, et fictilis, auctore Juvenale. *Phaſelus velox et oblonga navis.* Vet. Schol. Bentleio placet declinatione Græca dici *Phaſelon*, auctoritate quorumdam Codicum. Parum tamen refert, cum Horatius non ſemper affectet declinare Græce. Ego igitur *Phaſelum* ſervo.

30 *Neglectus*, *contemtus.* Vet. Schol. Sic Od. 2. Lib. I. *Neglectum genus et nepotes.*

Inceſtus eſt qui ſacra polluit, vel non caſte adit: adeoque impurus atque impius.

31 *Raro antecedentem; hoc proximum eſt illi quod dicitur; deos iratos pedes laneos habere.* Vet. Schol. *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.* Val. Maximus, citante Mancinello.

32 Bene *deſeruit* dicturus *claudo*. Deſerimus, vel relinquimus quod perſequendo aſſequi non valemus. Eſt autem Pœna pro Nemeſi, vel Furia, quæ Græcis Ποινὴ eſt.

ODE III.

Pulcherrima Dilogia declarat Divum Auguſtum ob juſtitiam invictamque animi magnitudinem in deorum numerum receptum, et contra M. Antonium perfidia et muliebri mollitie infamem Diis inviſum periiſſe: Quin et Deos univerſos, conſopito jam civili bello, conſenſiſſe ad ſtabiliendum Romanorum imperium. B. (Tan. Faber Epiſt. 2. 43. conjicit, Horatium dehortari voluiſſe Auguſtum, ne exemplo Julii Cæſaris, de quo Sueto. c. 79. forte cogitaret de ſede imperii Ilium transferenda. Maſſonus ait, laudari conſtantiam Auguſti, qua is teſte Dione 54. 6. p. 524. C. A. V. 733. ex Sicilia, unde in Aſiam iter parabat, revocari ſe Romam ad turbas, occaſione conſularium comitiorum ortas, non paſſus eſt. At neſcio, an hic *Juſtum et tenacem propoſiti virum* ſe valde præſtiterit Auguſtus: et quidni dicat Faber, talium turbarum pertæſum principem vel eo ipſo tempore cogitare potuiſſe de ſede imperii Ilion transferenda? Certe Fabri conjectura ingenio Horatii et judicio infinitum quantum honorificentior eſt, quam Dilogia Baxteri, et Maſſoni hiſtoria. Sed plane ſui ſimilis eſt Harduinus, qui ſomniat, a Pſeudo-Horatio Sæculo xiii. hic fictam eſſe Prophetiam de Hieroſolymis (cujus cives *Quirites* a קריה) poſt Babelicum excidium recidivis, et a Veſpaſiano denuo vaſtandis. G.) *Laudatur conſtantia in re bona exemplo Pollucis, Herculis, Auguſti, Bacchi, Quirini, et inprimis Junonis de Troja nunquam reparanda, ſed imperio Romano amplificando. Nec negaverim, poëtam videri voluiſſe cavere, ne, ut Julius Cæſar, de ſede imperii Ilium transferenda cogitaret Auguſtus.* Z.

METRUM UT IN PRIORE.

Justum et tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

1 Ac tenacem *Cun. San. et Jan.*—6 Magna manus Jovis *Bentl. et Jan.*

1 Non animadverterunt interpretes, a verbo *Juſtum* totius Odes intellectum pendere. Injurius eſt Ludovicus Deſprez, cum dicat *Vatem in hac Ode cæco impetu ferri.* B. Ego puto non *juſtitiam* modo, ſed fortitudinem *propoſiti tenacem*, vel Auguſti, ſi ita placet, vel cujuſcunque Herois, laudari. G.

2 Proprie *Jubere* de plebe Romana dicebatur cum more majorum poſtulabat quid fieri.

3 *Vultus, Severitas.* Vet. Schol. h. e. truculentus vultus. Unde *vultuoſi* qui vultu terrent; qualis Antonius, qui *Audacis* nomen amabat: verecunde tamen et tecte hunc ubique percutit.

4 Bene *quatit* ſubjecturus *ſolida. Mens eſt animi propoſitum vel conſilium.* Vet. Schol. *Si te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens.* Juvenal. B. *Solida*, firma.

5 In Adria Actiaca pugna committebatur.

6 Bentleius magni fecit de *magna Jovis manus* reponere *magna manus Jovis*, auctoritate tantum Venetæ Editionis: Atque hæc appo-

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas;
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acherontа fugit;
Gratum elocuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castæque damnatum Minervæ
Cum populo et duce fraudulento.

10 Enisus *Brod.* Enisus *ex MSS. etiam Bentl.* Innisus, innixus *al.* Invisus *Zar.* Innixus *Ven. Glar. Lamb.*—12 Bibet *etiam Brod.*—23 Damnatam *malit.* B.

nit, "Paucis a natura datum est habere au-"rem." Certe auri meæ prior lectio magis placet; verum ea minus fortasse docta est.

7 *Orbem* jam cœlum vocat, quod veteres Græci ex solido ære vel etiam ex lapidibus (uti Anaxagoras) constitisse stolide credebant: Contra Orientales ex panno factum putabant: nam pro tentorio vel conopeo habebant, quod apud eos, præsertim antiquissimis temporibus, summum erat. Alluſit etiam ad Græcorum Proverbium, Τί τὶ ἠρανὸς ἰματίοι, h. e. *Quid si cœlum ruat.* Erasm. et Mancinell. Vet. Schol. bene notat Ἀνάβασιν, vel gradationem a populo ad Jovem et cœlum.

9 Docte Donatus *artem* a Græco Ἀρετὴ deducit, quod virtus est: Est enim ἀρετὴ ab ἄρρην, *masculus*, ut virtus a viro.

Notum est *Pollucem* cum fratre *Castore* et *Hercule* tyrannos, atque alia monstra contudisse.

10 Cum alii Codd. habeant *Innixus*, plures *Innisus*, nonnulli etiam *Enisus*, nos cum elegan-ti viro Jac. Cruquio *Enisus* maluimus. *Vix mane recentes Enituntur equi.* Ovid. Met. 2. 64. de Solis equis. Bene igitur subjecit *Attigit.*

12 Apage miniatula deorum ora, cum con-stet nectar fuisse rubro colore.

Ῥόδον ὡς γένοιτο Νέκταρ
Ἐπιστίγξας. Anacreon. B.

Purpureum os pulchrum, floridi et vegeti colo-ris. Omnem coloris pulchritudinem notat: ipsi *olores purpurei* nostro Car. 4. 1. 10. Pulchre laudavit cum Simonide Catullum 46. de Acme, Bentleius. Ceterum quod *bibet* malint quidam pro *bibit*, auferunt poetæ suam gratiam, qui *præsentem Deum* veneratur Augustum (v. Epist. 2. 1. pr.) et forte respicit ad cœnam similem illi δωδεκαθέων, ubi Augustus inter duodecim Deos pro Apolline accubuit Sueto. 70. Sic re-sponsum etiam Harduino, qui putat, de vivo Augusto ista dici non potuisse. G.

13 *Bacchus* et *Quirinus* Legumlatores et ci-vilis vitæ auctores fuere.

16 *Martis equis*, h. e. quadrigis Martis cœ-lum conscendit: *Quirinum in honorem Augusti laudat.* Vet. Schol. Pulcherrimo Episodio re-liqua exsequitur. B. Ne episodium quidem est, sed argumentum princeps, si valeat sententia Fabri, in lemmate proposita: quæ potest vera esse, si vel joco inciderit mentio vel in tali cœ-na δωδεκαθέων, de sede imperii transferenda in veterem patriam Juliorum. Non novit poeta, si quis opus esse putet ad magnum et pulchrum carmen magna et seria occasione vel argumen-to. Quid si in illa cœna, ubi Apollo fuit, Au-gustus, Juno fuerit Livia: quid si similem mi-mum egerint? conf. Virg. Æn. 12. 791—842. Ceterum pro *Martis equis* Barth. Adv. 39. 9. e MS. profert *Patris.* Pulchre sane. Quid si *Martis* glossa est? G.

17 *Consiliantibus; Consilium habentibus diis de recipiendo Romulo in numerum deorum.* Vet. Sch.

Jam nec Lacænæ ſplendet adulteræ
Famoſus hoſpes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit;
Noſtriſque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. Protinus et graves
Iras, et inviſum nepotem,
Troica quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, et adſcribi quietis
Ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter ſæviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exſules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridiſque buſto
Inſultet armentum, et catulos feræ
Celent inultæ; ſtet Capitolium

30 Protenus *Jan.*—32 Troïa *Bentl. e conj. Heinſ.*—34 Diſcere *pro* ducere *MSS. ap. Bentl. recepit Jan.*

18 *Ilion; Ilion;* Amara recordatio.

19 *Fatalis* ob Caſſandræ vaticinium et quod obſcœnus. Antonium obſcure ſignificat. B. Auctor exitii ob fatum. Z.

20 *Mulier peregrina,* Helena et Cleopatra. Vid. quæ ſupra diximus Ode 15. Lib. I. Notum eſt *peregrinas* fuiſſe veteribus *infames.* B. Cleopatræ hic nihil videri eſſe negotii, jam indicatum eſt. *Hoſpitam* vocavit, ξένην, Helenam etiam 1. 15. 2. G.

21 *Deſtituit deos; Laomedon pro murorum Trojæ perfectione non ſolverat votum numinibus promiſſum.* Vet. Schol. Tangit infidam Antonii Triumviri amicitiam; quam Suetonius dicit, *Semper fuiſſe dubiam et reconciliationibus variis male ſocillatam.*

23 *Damnatum, Deſtinatum ad perdendum.* Vet. Schol. *Bene caſtæ, quia inceſtus judex dixerat.* Idem.

25 *Splendet,* pretioſa veſte. Hinc Cornelio Celſo *Splendida perſona,* pro fortunato dicitur.

28 *Opibus pro auxiliis ponuntur,* ut in *Fer opem.* Vet. Schol. *Hectorem* dicit *Brutum.*

29 *Ductum ſeditionibus;* hoc etiam Dilogως de bello inter Triumviros.

30 *Reſidet* quod ſubſidit.

Protinus, debinc. Vet. Schol. h. e. in poſterum, quaſi *porro tenus.*

32 Magni non eſt quod Bentleius malit *Troïa ſacerdos,* quam *Troica.* Græca Adjectiva in *κὸς* raro placent illi, puto quod auri ſuæ præcipue fidem habeat.

33 *Redonabo,* quia in cœlum patris quadrigis rediit, ut ſuperius diximus. *Serus in cœlum redeas.* B. *Redonabo,* ut recipere illum velut poſtliminio in cœlum poſſit: *nepotem* vocat Romulum, quatenus Mars eſt ipſius Junonis filius: *inviſum* vero, quatenus eſt e ſtirpe Veneris per Æneam. G.

34 *Diſcere* illud Bentleianum dulce eſt, novum cœlitem ſignificat, cui inſuetum nectar, &c. G.

35 Bene *Adſcribi* et *Ordines,* tanquam de Senatu alicujus Reipublicæ. Græcæ enim Reſpublicæ Jovem credidere regnaſſe in Republica; atque hæc prima Polytheiſmi origo fuiſſe videtur.

Quietis; Philoſophi Epicurei hanc beatitudinem diis dederunt, qua eos otioſos eſſe et nihil curare, nec alicujus rei ſolicitudine teneri dicant, ſemel mundo lege diſpoſito. Vet. Schol. Cruq. Non prorſus valedicit Epicuro. B. Quin neque Stoicam diſciplinam dedecet *quietas ſedes* aſſignare Diis: quod pulchre oſtendit meus Carpzovius in diſſ. de quiete Dei. G.

37 *Dum* conditionem ponit, ſub qua pati ve-

Fulgens, triumphatiſque poſſit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:
Aurum inrepertum, et ſic melius ſitum,
Cum terra celat, ſpernere fortior,
Quam cogere humanos in uſus,
Omne ſacrum rapiente dextra.
Quicunque mundo terminus obſtitit,
Hunc tangat armis, viſere geſtiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebuſque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et ſorore.

46 Extendit *Brod.*—49 Irrepertum *Ven. Glar. Lamb.*—51 *Jan. diſtinguit* cogere, humanos in uſus omne, &c.—53 Mundi *recent.*—54 Tanget *Brod.*

lit Trojanos exſules rerum dominos eſſe: modo ne Ilion faciant denuo caput rerum; ne Romam transferant in Aſiam. G.

39 *Regnanto, ut ſunto pro ſint, Futurum pro Præſenti.* Vet. Schol. Cruq.

42 *Stet;* Modo *Permiſſivo* dicit.

44 *Ferox*, bellicoſa. Z.

49 Magis placet *Inrepertum* ex MSS. quam *irrepertum*, quod tamen perinde eſt.

50 *Spernere fortior;* vult ſignificare oportere eos ad ſtabiliendum imperium juſtitiam colere, quæ avaritiæ maxime contraria eſt. B. Roma fortior fuit, quam diu ſprevit aurum, et ne noſſe quidem ejus uſum tanti putavit: nummus aureus Romæ primum cuſus durante bello ſecundo Punico. G.

53 *Mundi obſtitit* videtur nobis longe probabilior lectio, etſi placeat Bentleio *mundo*. Certe et torrida et frigida zona obſtacula fuere exercitibus Romanorum. B. *Quicunque terminus* orbis terrarum *obſtitit*, i. e. objectus e regione, atque adeo ſubjectus eſt *mundo*, i. cœlo, et cuicunque ejus parti. Deſcriptio orbis terrarum, quem imperio, certe metu ſuo complexi ſunt Romani. Qui *mundi* dederunt, (Lambino auctore) ii *mundum* acceperunt pro orbe noſtro habitabili. G.

58 *Nimium pii;* fuere ſane Romani in Ilienſes ſemper pii, eorumque urbem a C. Fimbria in bello Mithridatico deletam recondidere. *Fabulam de transferendo* ab Auguſto *Ilium imperio* (ut eruditi viri Petri Rodellii verbis utar) e cerebello ſuo commentus eſt Tanaquillus Faber, quod legerit apud Suetonium in divi Julii vita, *Famam percrebuiſſe eum vel Alexandriam vel Ilium migraturum.* Quid hoc ad Auguſtum? Antonius erat qui accepta in matrimonium Cleopatra Orientis ambiebat imperium. Bene ſane et convenienter Horatius, quo efficacius probet *æternum* Junonis *vulnus* jam ſanatum, e

Ter ſi reſurgat murus aheneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Exciſus Argivis, ter uxor
Capta virum pueroſque ploret.
Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ.
Quo, Muſa, tendis? deſine pervicax
Referre ſermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

66 Ductore *MSS. etiam apud Bur. ad Virg. Æn.* 5. 633. Structore *conj. Bentl.*—67 Exſciſſus *Lamb.*—69 Hoc—conveniet *MSS. apud Bentl. it. coll. Sax. it. primæ editiones.* Hæc—convenient *Lamb.*

firmam cum Romanis pacem conciliatam, fingit iracundam et ſuſpicacem deam cum illis pepigiſſe de non condendo Ilio. B. V. ad Argumentum.

60 *Velint* modo pro *parent.*

61 *Alite lugubri*, forſan bubone vel ſtrige ululante.

62 *Fortuna* pro *opes* poſuit. Magnas enim opes *Fortunam* dicimus.

66 *Auctore* modo pro conditore vel factore. B. Tanto aptius fuerit *auctoris* nomen, ſi non admovit manum, ſed lyra ſua commovit homines ad ædificandum. Verum in hoc non conveniunt fabulæ. Nec *ductore* non pulchrum eſt: nec *ſtructore* damnaverim, niſi quod hoc ſoli conjecturæ debetur. G.

69 Bentleius edidit, auctoritate quorundam Codicum, *Non hoc jocoſæ conveniet lyræ*, cum fateatur primas editiones habuiſſe *non hæc conveniunt*, quod vel prima facie verius apparet.

70 *Pervicax, licentior;* Vet. Schol. h. e. minus verecunda.

72 Bene *tenuare* dicturus *parvis. Extenuare humilitate Lyrici carminis.* Vet. Schol.

ODE IV.

Compoſito civili bello Auguſtus cohortes ſuas per colonias jam diſtribuerat, atque otio et Muſis ſeſe dederat. Oſtendit igitur Horatius tam leni et Muſico ingenio nihil a tumultuante plebe metuendum; atque hoc exemplo ſuo firmat, qui eandem ob cauſam vel ab ipſis incunabulis in deorum immortalium tutela fuerat. Peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit. (Dignumne Horatio, aut ſano poeta alio, enthymema: Mihi cum infans eſſem, pepercerunt viperæ et urſi; ergo tibi, Cæſar, cives tui: quia utrique ſumus in tutela Muſarum? G.) (Argumentum ſimpliciſſimum et præſtantiſſimum videtur eſſe hoc: *Invocata Calliope, fingit ſe jam illam audire canentem. Illo igitur Muſæ obſequio excitatus oſtendit, poëtam, qui ſit Muſis amicus,* tutum *eſſe. Hinc ſeſe jam olim puerum adhuc tenerum a viperis et urſis eſſe liberatum; ſe vagari incolumem per loca quæcunque ſibi placeant; ſe ſalvum ex acie rediiſſe; ab arbore non eſſe exſtinctum; in mari non periiſſe. Ergo tanto præſidio fretum, ſe non dubitare vel periculoſiſſima adire loca. Atque ipſum Auguſtum, finito bello, recreari Muſis, quibus grata ſint ſtudia pacis: contra homines immanes et ἀμύστους furore ſuo perire, veluti Titanas, Gygen, Orionem, Tityum et Pirithoum.* Z.)

METRUM UT IN PRIORE.

DESCENDE cœlo, et dic age tibia
Regina longum Calliope melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharave Phœbi. 4

4 Citharaque *unus MS. ap. Bentl. et ſic edidit Cun. San. Meru. et Jani.*

1 *Deſcende cœlo; Theologi veteres qui cœlum canere docebant, ſingulis Muſis ſuos orbes tribuebant.* Jac. Cruquius ex Macrobio. Pythagorici enim omnia numeris conſtare crediderunt cum veteribus Ægyptiis.

Dic age: Alcmanem expreſſit, qui ſic ordiebatur, Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα Διὸς Σύγατερ. Idem vir doctus.

2 *Reginas* et *reges* dicunt Romani non modo qui rerum potiuntur, ſed qui regio ſunt genere. Tanto magis Muſæ Jovis filiæ hoc nomen convenit. Calliopæ principatum Muſarum aſſignat Heſiodus Theog. 79. et regibus dat comitem. G.

3 *Acuta, liquida.* Vet. Schol.

4 *Fidibus* modo pro lyra poſuit. *Phœbus invenit citharam, ut Mercurius lyram.* Torrentius. Credo citharæ non fuiſſe nerveas fidiculas. Erat autem cithara deltoti fere forma. B. Forte difficile eſt indicare diſcrimen inter *tibiam, vocem acutam, fides,* ac *citharam Phœbi.* Non capit hic locus longam diſputationem. Rogat Horatius Calliopen, ut ex omni parte adjuvet carmen, quod meditatur: *tibia* præcinente et incitante animum; *voce* humana, quæ verba pulchre enunciet: *fidibus,* quæ ſuaviter accinant. Nempe *fides* ac *citharam Phœbi* jungo, ut ſit res eadem. Ipſe noſter ſupra 1. 21. 12. *fraternam lyram* tribuit *humero* Phœbi. *Teſtudinem* ſ. *chelyn, Lyram,* ac *Citharam* promiſcue de eadem re; nominatim de Apollinis et Mercurii organo dici, liquidiſſime mihi conſtat. Utrumque nomen conjungit Diod. Sic. 5. 75. ubi dicit, Mercurium τὴν ἀπὸ χελώνης λύραν ἐπινοῆσαι, ac ſtatim appellat κιθάραν. Macrob. Sat. 1. 19. diſtinguit Dei utriuſque lyram, ſed numero tantum chordarum, quæ quatuor ſint in Mercurii lyra, in Apollinis autem ſeptem. Sed neque hoc perpetuum. Fila metallica a muſicis antiquis chordarum loco adhibita, non invenio: neque rationem digitorum admotione comprimendi chordas ad ſubjectum canonem, ut breviores fiant, quod fit in cithara hodierna, &c. Ipſi veteres denique diſcrimen inter *ve* et *que* non videntur ſemper obſervaſſe: adeo ut ex hoc loco nihil putem effici, neque ut eadem res ſit *cithara Phœbi* et *fides,* neque ut diverſa, ſive *citharave* legas, ſive *citharaque.* G.

Auditis? an me ludit amabilis
Inſania? audire et videor pios
  Errare per lucos, amœnæ
    Quos et aquæ ſubeunt et auræ.
Me fabuloſæ Vulture in Appulo,
Nutricis extra limen Apuliæ,
  Ludo fatigatumque ſomno,
    Fronde nova puerum palumbes
Texere; mirum quod foret omnibus,
Quicunque celſæ nidum Acherontiæ,
  Saltuſque Bantinos, et arvum
    Pingue tenent humilis Ferenti,
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et urſis; ut premerer ſacra
  Lauroque collataque myrto,
    Non ſine Dîs animoſus infans.

---

6 Piorum *edit. Lond.* 1749 *pro* pios *ſine cauſa idonea.*—10 Nutricis *MS. unus alterque apud Lambi. Cruq. Torr. et Bentl. it. collat. Sax. tum MS. G. et Brod. Zar. Flor.* 1482. *Ven.* 1486. *Locher. Aſcenſ.* 1519. *Sed* altricis *MSS. reliqui omnes Mediol.* 1477, 1486, et 1502. *Ven. Pincii. etiam Lambi. Cruq. Torr. qui magis probant* nutricis: *et Bentl. qui conjicit,* Nutricis extra limina ſedulæ. *Sed* Apulliæ *ed. Lamb.*—14 Acheruntiæ *ed. Glar.*—15 Batinos *ed. Ven. Glar.*—16 Forenti *ed. Jani.*

---

5 *Auditis?* Apoſtrophe ad ſodales. *Tanquam venerit invocata,* inquit Vet. Schol.

Amabilis inſania; Error mentis, ſive Enthuſiaſmus.

6 *Pios* modo pro *ſanctos* et *caſtos.* Notum eſt Lucos fuiſſe terreſtrium deorum templa, præſertim primis temporibus.

9 *Palumbes jam fabuloſæ dicuntur, quia multa de iis fabulantur Poetæ.* Lambin. *Erant etiam Veneri dicatæ.* Mancinellus.

—Simul et Garganus et arva
Vulturis et calidi lucent buxeta Matini.
Lucan. 9. 184. citante Landino.

10 Qui *Apuliam* pro regionis nomine accepit, facili negotio *Nutricis* in *Altricis* mutavit. Siquidem ut *Plinius* tradit *altrix patria* dicitur. Nos cum Torrentio, Cruquio, Mancinello, Aſcenſio Badio, quibuſdam optimæ notæ MSS. omnibuſque veteribus Scholiaſtis audacter *nutricis* repoſuimus. Quid enim *Vulture in Appulo extra limen Apuliæ?* Mire ſe torquet *Ludovicus Deſprez* ut aliquem ſenſum tandem eliciat. Poteſt etiam *Apulia* eſſe nomen adjectivum, ut ſit *Nutrix Apulia,* ut apud Gellium *Terra Græcia:* atque hoc rectius videtur. Certe fruſtra ſe torquent Interpretes, atque ipſe magnus Bentleius. B. *Apulus, Apulia* habent ab initio tres deinceps Syllabas breves. Poetæ cum prima producta volunt uti, *p* geminant: ſecundam producunt vel liquidæ *l* beneficio, vel quod in Græco eſt diphthongus. Porro *Nutricis* et *Altricis* vel mulierculam notare poteſt vel patriam. Patriam intelligo, quam hic accurate per octo verſiculos velut depingere voluit Horatius, et corrigere dubitationem ſuam, quam poſuerat aliquot annis ante Sat. 2. 1. 34. ſq. qui ipſe quoque locus docet, ſolitum poetam noſtrum excurrere in deſcriptionem patriæ ſuæ. *Vultur* mons Apuliæ contribuitur, ſed illa pars qua ludebat Horatius, in ipſo fine regionis erat, ut extra illum obdormiverit. Accuſet poetam et poetas, qui volet. Hæc deſcriptio et pictura loci natalis profecto Horatiana, eſt et poetica. Et quis novit, quam de finibus diſputationem hic decidere Flaccus voluerit. G.

11 Puto ſeparandam eſſe particulam *que* a *fatigatum.* B. Vid. ad 2. 19. 28. *Somno fatigatus,* qui huic tyranno, mortis fratri, tandem ſuccubuit: ut *victus ſomno.* G.

12 *Nova, viridi.* Vet. Schol. Sic *ver novum* dicitur.

Veſter, Camœnæ, veſter in arduos
Tollor Sabinos; ſeu mihi frigidum
Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Veſtris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis verſa acies retro,
Devota non exſtinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcunque mecum vos eritis, libens
Inſanientem navita Boſporum
Tentabo, et arentes arenas
Littoris Aſſyrii viator.
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Et lætum equino ſanguine Concanum:
Viſam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæſarem altum, militia ſimul
Feſſas cohortes abdidit oppidis,

31 Urentes *quid. MSS. etiam Gott. et edd.*—38 Reddidit *MSS. quidam et Zar. Flor. Ven.* 1486. *Ven. Pincii.*

14 *Nidum; imitatus eſt Ciceronem qui Ithacam aſperrimis locis tanquam nidulum affixam dicit.* Landinus.

Acherontia, Bantia et *Ferentum* oppida ſunt Apuliæ, Venuſiæ vicina.

16 *Humilis; in valle ſiti.* Vet. Schol.

18 *Premerer, tegerer, defenſarer.* Vet. Schol.

Sacra lauro; in omen futuri Pactæ. Vet. Schol.

20 *Non ſine Diis; ἐ Διῶν ἄτερ.* Pindar. Eraſmus.

Animoſus; quia ſolitudinem nemoris non expaverat. Tanquam ſi numen ſibi ineſſe velit. Vet. Schol.

21 Oſtendit, ſe receſſus illos frigidos æſtate, hieme tepidos, quærere non voluptatis, et ignobilis otii cauſa, ſed ut cum Muſis et in literis verſari ſine interpellatione poſſit. Forte cauſam dicit, cur non velit aſſiduus eſſe in domo vel Auguſti vel Mæcenatis. Vid. Vita Suetonio tribui ſolita. Itaque vafre ſubjicit, quantum debeat Cæſari, quantum illi optet. G.

22 *Frigidum;* propter ſitum in vertice collis. B. *Tollor,* aſcendo. Z.

23 *Supinum; quia in aſcenſu montis eſt conſtituta.* Vet. Schol.

24 *Liquidæ; puri aeris.* Vet. Schol.

27 *Devota; exſecrabilis.* Vet. Sch. B. Cf. II. 13.

Bentleius mavult *arbor*, ut ſupra *honor:* nollem litigari in nugis. Hoc ille tamen facit fuga ſibili. B. *Pro* arbor *recepi lectionem Lamb. Bentl. et Jan.* Z.

28 *Palinurus; oſtendit ſe circa Palinurum promontorium periclitatum.* Vet. Schol.

29 *Utcunque*, quandocunque, ſed Scholiaſtes interpretatur ubicunque. Z.

30 *Navitam hic pro navigante poſuit.* Vet. Schol.

33 *Hoſpitibus feros; Britanni immolare hoſpites ferebantur.* Vet. Schol. Hoc de Hibernis magis intelligendum. Sanctus Hieronymus ſcribit ſe duos Scotos (h. e. Hibernos) in Gallia vidiſſe humano cadavere veſcentes. *Noſtra etiam tempeſtate ſuperbiſſimi ſunt in ea inſula contra peregrinos, ſeque ſolos homines putantes, reliquos pro brutis pæne habent.* Landinus. Mitius paulo Torrentius in Conterraneos meos: *Nunc quoque erga exteros non tam feri quam malevoli ſunt, ut eſſe par eſt a reliquo orbe diviſos.*

34 *Concani, Scythica gens.* Torrent. Erant et Cantabri horum, ut fertur, coloni. B. Sil. 3. 361. *Cornipedis fuſa ſatiaris, Concane, vena.* G.

Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene conſilium et datis, et dato
Gaudetis, almæ. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine ſuſtulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, et urbes, regnaque triſtia,
Divoſque mortaleſque turbas
Imperio regit unus æquo.

43 Turbam *al. etiam Brod.*—44 Caduco *omnes.* Coruſco *conj. Bentl.* Acuto *conj. Cun.* —46 *Pro* urbes, umbras *conj. Bentl.* orbis *conj. Cun.*

35 *Gelonos; Alanos* dicit ut ego ſentio.

36 *Scythicum amnem Tanaim dicit;* Vet. Schol. B. Et amnis ponitur pro accolis amnis, h. e. Scythis. Z.

Inviolatus, intactus Muſarum tuitione. Vet. Schol.

37 *Altum; magnum.* Vet. Schol. Interpres Gallus ridicule *Alumnum* poſuit.

38 *Feſſus*, quod ſuſpicabatur Bentleius, et, contra omnium librorum fidem, recepit Cuningamus, parum aulicum, parum Horatio dignum mihi videtur. DI, heroës, Auguſtus non *fatigantur*, non *fatiſcunt* ut *feſſi* dicantur: ſed beneficum eſt, liberale eſt, *feſſas cohortes* quieti reddere. G.

Abdidit; interius recondidit. Vet. Schol. Ad Emphaſin poſuit; ſignificat enim exercitum e conſpectu ſummotum adeoque latere. Miror potuiſſe placere Bentleio *reddidit oppidis* pro *abdidit*, auctoritate minus notorum Librorum. B.

Sed placet etiam *reddidit:* dimiſſi enim milites redeunt in oppida quiſque ſua. *Abdidit* intelligam, qui ſub ſignis tenentur præſidii cauſa in oppidis. G.

40 *Pierio antro: Cæſarem ſtudioſum fuiſſe Poeticæ oſtendit.* Vet. Schol. *Poeticam ſummatim attigit.* Suetonius.

Bene *Antro* de Nymphis.

41 *Lene ad philoſophiæ moderationem dicit.* Vet. Schol. In *conſilium* duæ vocales eliduntur. B. Potius *i* ante *um* ſit conſonans, ut *ſil* fiat Syllaba poſitione longa: ſic *principium* 3. 6. 6. G.

42 *Almæ; Sanctæ.* Vet. Schol. Cruq. *Alma*, antiqua vox, Phrygibus et Syris *Amma* mater eſt et cubitus, Ægyptiis *Ammon* Jupiter, h. e. *Pater:* hinc Latinis *Almus*, et *alma* pro venerabili et ſancto: *alumnus* item et *alumna* active ſumuntur interdum.

Scimus ut impios; oſtendit vires ſine prudentia non ſolum vanas eſſe, ſed etiam adverſas ſibi. Vet. Schol. Fidenter poſuit *ſcimus* ut oſtendat nihil Auguſto a plebe verendum. Ignoravit vir doctus Ludovicus Deſprez candidum et liberale Horatii ingenium, cum hæc de Bruto et Caſſio interpretatus eſt.

44 *Suſtulerit*, h. e. nullo pæne negotio confecit; Emphatice.

Bentleius de ſuo repoſuit *coruſco* pro *caduco*. Equidem exiſtimo *caduco* meliorem habere Iconiſmum, quam *coruſco*. Neque ſane neceſſe eſt, ut *caducum* ſemper ſignificet, quod ex infirmitate ſua cadit, quod ille autumat. B. Novator Horatius felix *caducum* dixit, quod cadit, etiam cum magno impetu et vi nocendi, ut arborem illam, de qua 2. 13. 11. quam profecto ibi non *caducam* dixit, quod putrida eſſet, et in ruinam prona; ſed quatenus in ipſum irruerat. Sic Ovid. ex Ponto 2. 7. 39. *Caducis Percuſſu crebro ſaxa cavantur aquis.* Et Am. 3. 6. 91. *Rivis caducis collectus* torrens. Quæ non ad caſum inanem ac debilem, ſed ad vim efficiendi referuntur. *Fulmina* autem *cadere* dicuntur etiam cum feriunt. Ut Ovid. Epiſt. 7. 72. *Quæque* cadunt, *in te fulmina miſſa putes.* Et Faſt. 3. 287. *Non alias niſſi cecidere frequentius ignes.* Sen. Q. N. 2. 24. *Fulmen cadit*, id eſt, deſcendit, *eadem neceſſitate qua excutitur* verſus alta. Etiam Plin. 2. 52. *Decidere* et *cadere* de fulmine dicitur. Et de eadem re Val. Fl. 1. 623. *Coruſcæ Ante ratem cecidere faces.* G.

45 *Inertem*, immobilem, brutam, ſeu, ut verbis Schol. utar, quæ jacet ſemper, nec agitatur aut fertur motu. Z.

46 Bentleius ſatis probabili ratione de *et urbes*, fecit *et umbras.* Quid enim hic facit *et urbes*, cum poſtea ſequatur *mortaleſque turbas*, quibus *urbes* contineri neceſſe eſt. *Umbras* autem modo figuratum eſt pro *Inferos.* Hoc oſten-

Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus, horrida brachiis,
  Fratresque tendentes opaco
    Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoëus, et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
  Quid Rhœtus, evulsisque truncis
    Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
  Vulcanus; hinc matrona Juno, et
    Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
  Dumeta natalemque silvam,
    Delius et Patareus Apollo.
Vis consilî expers mole ruit sua.
Vim temperatam Dî quoque provehunt
  In majus; idem odere vires
    Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integræ
  Tentator Orion Dianæ,
    Virginea domitus sagitta.

50 *Lambinus distinguit* Fidens, juventus horrida, brachiis, &c. Sic etiam distinguit Scholiastes, et Jani.—55 Rhœcus *al. Vid. Car.* 2. 19. 23. *Hic. Brod.* Rethus.—69 Gyas *Lamb.*—70 *Ven. et Lamb. distinguunt post* notus.

dunt sequentia. B. *Urbes* hic cum *mari ventoso* videtur eodem epitheto conjunxisse poeta, ut indicaret non majores esse maris tempestates, quam fluctus civiles: utrisque moderatorem intercedere Jovem. Itaque in tanta constantia librorum de mutatione cogitare, nihil opus erat. G.

Regnaque tristia; h. e. Inferos per Euphemismum pro dira.

48 *Unus æquo*; commendat monarchiam Augusti.

51 *Tendentes*; Metaphora a dirigendo arcu. B. Mihi videtur, *tendentes* hic nihil aliud esse quam conantes, tendentes nervos. Virg. Georg. 1. 281. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* G.

54 *Minaci*; *in ipsa corporis altitudine minacia quædam videntur esse et horror.* Vet. Schol.

57 Vide Ode 15. Lib. I.

58 *Ruentes*; *inconsiderate venientes.* Vet. Schol. *Avidus*; sic Virgil. *Ilicet ignis edax.* Lambin. B. Ut *avidum mare* Car. 1. 28. 18. G.

61 *Castalia fons est in monte Parnasso.* Vet. Schol.

63 *Propter asperitatem loci dumeta dixit.* Vet. Schol.

64 *Patareus*: Trisyllabon pro Tetrasyllabo a Patara Lyciæ oppido.

66 *Vim temperatam*; *vult ad Augustum revocati.* Vet Schol.

67 *Odere*; *quia exsecrabiles.* Vet. Schol.

68 *Moventes*; molientes.

Injecta monſtris Terra dolet ſuis,
Mœretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum; nec peredit
Impoſitam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Cuſtos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

ODE V.

Narrata præclara Attilii Reguli hiſtoria oſtendit Auguſtum, inſtaurata veteri militari diſciplina ſuperiorum temporum negligentia collapſa, Rempublicam reſtituiſſe, imperiumque Romanum æquale ipſius Jovis imperio reddidiſſe. Siquidem ut ait Suetonius, diſciplinam ſeveriſſime rexit. (Laudatur Auguſtus, quod hujus virtute et nominis gloria factum erat, ut ſigna et captivi Craſſiani a Parthis redderentur. Iſtam vero captivitatem turpiſſimam eſſe et a moribus Romanorum abhorrere, oſtenditur Reguli conſilio et exemplo. Z.)

METRUM UT PRIUS.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præſens divus habebitur
Auguſtus, adjectis Britannis
Imperio, gravibuſque Perſis.

76 Ætnen *ed. Jani.*

69 *Gyges*, ut 2. 17. 14. G.

71 *Orion venator fuit, qui ſtuprare conatus Dianam ejus ſagittis occiſus eſt.* Vet. Schol.

73 *Suis*, ex ſe natis. Nam gigantes erant Terræ filii. Z.

74 *Luridum, inferno colore fœdatum.* Vet. Sch. A liveo luror, et a luror luridus; plumbeus ſcilicet color.

76 Sub *Ætna reſupinus arenas Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhœus. Sæpe remoliri luctatur pondera terræ*, &c. Ovid. Met. 5. 352. G.

77 *Tityus Latonam voluit ſtuprare.* Vet. Sch. B.

78 *Nequitiæ add. cuſtos*, quia vultur ſemper obſervat jecur, ſedem libidinis, et renaſcens exedit. Z.

80 *Pirithous Proſerpinam rapere tentavit.* Vet. Schol. B. Conf. Car. 4. 6. extr. Crimen Pirithoi eſt Æn. 6. 397. pœna v. 601. G.

ODE V.

1 *Tonantem*; Leve argumentum et vulgare. —*Per fulmina tantum Sciret adhuc ſolum cælo regnare Tonantem.* Lucan. citante Vet. Schol.

Credidimus; *quod credimus plerumque falſum eſt*, ut ſcite Donatus. *Ergo ſi famæ, inquit, tantum magnitudine deos credimus, quanto magis de Auguſti divinitate credendum eſt, cujus virtutem et potentiam non audiri aſſerit, ſed videri.* Vet. Sch.

3 Cæſar Britannos et Parthos benevolentia tenuit. Torrent. B.

Ab hac de *Britannis* gloriatione ſuppoſitionis hoc carmen arguit Harduinus. Ingenioſe

Mileſne Craſſi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? et hoſtium
(Prô curia, inverſique mores!)
Conſenuit ſocerorum in arvis,
Sub rege Medo, Marſus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togæ
Oblitus, æternæque Veſtæ,
Incolumi Jove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiſerabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus ſine cæde, dixit,

8 Armis *libri omnes:* arvis *conj. Fab. Heinſ. Bentl. Cun. San.*—10 Ancil. nominis *ſine* et *ed. Ven.*—15 *Sic etiam H. Steph. Bentl. Cun. Maitt. Talb. Sed* trahentis *MSS. et edd. niſi quod Ven.* 1479 trahentibus. *Bentl. conj.* exempli trahentis.

Marcilius hanc divinationem poetæ interpretatur, *adjectis Britannis et Perſis* i. poſtquam adjecerit. Sed credamus Straboni 4. p. 138. 44. et Dioni Caſſio 53. p. 512. E, qui regulorum quorundam ſtudiis et legationibus totam pæne inſulam Auguſto conciliatam narrant. Commode junguntur *Britanni Perſis*, qui et ipſi non tam armis Auguſti, quam metu armorum et majeſtate imperii ipſius ad ſigna reddenda adacti ſunt. Romanum fuit triumphare etiam bello ſine ſanguine finito, ut de Liguribus apud Liv. 40. 38. G.

5 *Mileſne Craſſi; Dedecus Craſſi commemorat ut plus Auguſtum faciat eminere.* Vet. Schol. Erat etiam Craſſus Romanorum omnium potentiſſimus.

6 *Turpis maritus; juſtum matrimonium non erat niſi inter cives.* Torrent.

7 *Pro Curia! Exclamatio* Διὰ μέσου. Vet. Sch. Supplendum per Syllepſin *Pro Curia inverſa:* eſt enim Προσαμαχυνη, vel Præparatio, ad ea quæ mox de Regulo Senatuque Romano dicturus eſt. B. De illa Syllepſi vid. ad 2. 19. 28. G.

8 Niſi deeſſet auctoritas, forſan probarem Bentleii emendationem *in arvis* pro *in armis*. Verum unde ſcire poſſimus nullos Craſſi milites ſtipendia meruiſſe ſub Parthorum Rege? B. *In armis ſocerorum* quomodo conſenuiſſe dici poſſint Romani milites, nemo docet: *arvis* una tantum lineola diſtat et parit ſenſum rei accommodatum: ignoſcet, puto, ipſe Flaccus huic mutationi: quin illam imperat v. 24. G.

9 *Sub rege Medo* ad Emphaſin poſuit; ſiquidem effœminati et molles erant Medi; contra *Marſi* et *Appuli* ruſtici et duri.

10 Audiamus animi cauſa Harduinum: *Anciliorum* fabula orta ex numo vetere Antonini Auguſti Pii, in quo picti ſunt clypei duo cum ſubſcriptione ANCILIA hac ſententia, Augures Narbonenſes Clypeos Inſignes Legaverunt Imperatori Antonino. Ex eo factum eſt, ut *ancilia* finxerint e cœlo lapſa. Ergo impoſtor, qui hoc carmen affinxit Horatio. G.

Ancile poſuit pro oraculo quod cum ancili datum eſt, ibi fore imperium ubi fuiſſet ancile. Landinus. Ancilia (teſte Varrone) eadem forma erant qua et Thracum Peltæ, h. e. utrinque anciſa, ut *Crota* noſtra vel etiam character quo vulgo octonarium numerum ſignamus. B. Crota Anglis *Crowe*, *Violon*, *Geige*. G.

Nomen pro bellica fama dixit.

Pro dignitate togam poſuit. Vet. Schol.

11 *Æternus* Veſtæ ignis imperii æternitatem promittebat.

12 *Incolumi Jove;* ſupra oſtendimus Ode 2. Lib. I. urbem Romanam fuiſſe in Jovis Capitolini tutela.

Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit: flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.

---

21 Direpta *Ven. et Glar.*—23 Clusas *Jan.*—31 Sic *Glar.*—32 Illa *codd. ap. Jan.*—33 Reddidit *Brod.*—36 Timuitque mortem Hinc, unde vitam sumeret aptius, Pacem et, *&c. Bentl. conj.* Hinc *etiam coll. Sax.* aptius *quid. MS.*

---

13 *Caverat*, i. e. *Provideratne.* Vet. Schol. Bene igitur subjecit *provida.* B. Caverat ne quis vitam ex captivitate speraret, sed potius pro libertate moreretur. *Schol.* Z.

15 Bene Lambinus cum Gulielmo Cantero et Vet. Schol. Cruquii, *trahenti* posuit pro *trahentis. Trahenti*, h. e. *traducenti.* B. *Trahit pernicies* morbus, *trahitur pars sincera* contagione vitiosæ, ab ἕλκειν trahere, *ulcus* est. B.

16 *Veniens in æv.* futurum in tempus. *Sch.* Z.

17 *Immiserabilis* modo pro *Immiserata.*

20 *Sine cæde*, h. e. *sine commissione pugnæ.* Vet. Schol. magis tamen sine *cæde deripientium*, quod efficacius ad Romanam disciplinam significandam videtur.

24 Puto *Marte* pertinere ad utramque sententiam: *vidi arva Marte nostro*, a militibus nostris, *populata, Marte nostro*, ab iisdem militibus nostris, jam captivis, *coli:* qua ratione firmantur quæ dicta sunt ad v. 8. G.

25 Ironice dicitur *scilicet.*

26 *Flagitium*; crimen dignum flagris, vel summa turpitudo.

27 *Damnum* modo pro *sumtu* dixit: nam *damnosus*, impense prodigus dicitur.

28 *Fucus* herba marina est, qua tinctores purpureum colorem imitabantur. Græcis φῦκος, hic figurate pro quovis colore. B. Notabile *fucum* esse ἀνυποστολὴν, adhibitum ad hoc ipsum, ut nobiliorem purpuram facilius combibat lana: disputavi ea de re ad Quinctil. 12. 10. 75. G.

29 Bene *excidit* dicturus *reponi:* reponuntur enim statuæ quæ excidere sedibus: bene etiam hæc de virtute tanquam dea.

30 *Deterior a bono, pejor a malo dicitur.* Vet. Schol. B. Hoc vult, credo, Schol. *deterius* esse minus bonum, *pejus* magis malum. G.

31 *Extricata*, expedita; Græci enim τρίχας capillos dicunt. Landin. Erant enim *Tricæ* tendiculæ ex pilis factæ, quibus aucupes illaqueandis avibus utebantur. B.—Sensus est: Si cerva liberata e retibus pugnat contra canes; etiam is fortis erit, qui, &c. Z.

32 *Plagis* jam figurate pro retibus. *Plagæ enim proprie funes retium sunt.* Vet. Schol.

33 Bene *perfidis* de Pœnis, unde Proverbium, *Punica fides.*

Ex propria conjectura Bentleius reposuit *se dedidit* pro *se credidit*; quod non erat opus. Ejusmodi Μετάληψις usitatissima est. B.

Credidit videtur respicere ad *fidem*, cujus in tali deditione solet fieri mentio: et vehementius est *credidit perfidis.* Sed noster etiam 3. 27. 36. *crede te procellæ:* ubi nulla neque spes neque fides est. G.

34 *Proteret*, proculcabit.

36 *Timere mortem* crimen magnum militis

Hic, unde vitam ſumeret, inſcius,
Pacem duello miſcuit. O pudor!
O magna Carthago, probroſis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis oſculum,
Parvoſque natos, ut capitis minor,
Ab ſe removiſſe, et virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum;
Donec labantes conſilio Patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exſul.
Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem,

38 Pacem et *Bentl.*—43 A ſe *Ven. Glar. Lamb.*—51 *Pro* propinq. amicos *MSS. et editt. quæd. ap. Bentl.*

Romani. Qui ſemel mortem timet ſuper omnia, rem fortiter gerere non poteſt. Idem *ſumere vitam* vult a fuga, quam *ſumere* potius debebat a cæde hoſtis. G. *Iners*, ignavus.

37 Quid facit Bentleii *hinc* pro *hic*, atque *aptius* pro *inſcius?* quæ tamen ille editioni ſuæ inſeruit ob raritatem Codicum ut puto. B. Senſus vulgatæ eſt: Hic miles cum ignoraret, vitam ac ſalutem eſſe retinendam fortiter pugnando, non ab hoſte petendam, maluit in pace vivere quam bellum gerere. Z.

38 *Pacem duello miſcuit; qui tamquam in pace hoſtibus ſe credidit.* Vet. Schol.

39 *Magna Carthago ab accolis vocabatur.* Vet. Schol. Erat enim in Hiſpania altera Carthago hac minor. B. Male omiſit Baxter verba ſeqq. *Sed hic eam poëta dedecore Romanorum majorem ait factam.* Z.

40 Bene *altior* ſubjecturus *ruinis*.

41 *Martiæ* illi nomen erat, auctore Silio.

42 Minuitur capite qui amiſſa libertate deſinit eſſe in numero civium. Capitibus enim veteres numerabant, ut nos etiam hodie. Civium Romanorum capita cenſorum libris deſcribebantur. *Indecorum duxit matronam Romanam ſervum, hoc eſt captivum, oſculo dignum putare.* Vet. Schol.

43 Magni fecit Bentleius, auctoritate bonæ notæ Codicum reponere *Ab ſe* pro *A ſe*: quid refert ſcire an hoc recte fecerit?

44 *Torvus, terribiliter conſtans.* Vet. Schol. Cruq.

Humi poſuiſſe, ne ad affectum vel aſpectu trahe-retur. Vet. Schol.

45 Bene *labantes* adjecturus *firmaret*. Labantur enim qui pedibus non firme ſtant.

46 *Auctor* modo eſt primus conſilii propoſitor.

47 *Mœrentes; eſt occultum* Ἀντίθετον, *nam mœrentibus egregium exſulem oppoſuit.* Vet. Schol. docte.

49 Ἐν ἅθροισι ponitur *Atqui*, quaſi dicat, quod dictu incredibile. Vir doctus Ludovicus Deſprez exiſtimat Regulum pia fraude uſum, quod intellexiſſet ſibi lentum venenum a Pœnis datum; atque hoc ex Aulo Gellio probare conatur. Cui quidem viro nihil amplius in præſens repono, niſi pias fraudes iſtas larvatis hujus ſæculi moribus magis convenire, atque eum alieno loco Delphinum earum admonuiſſe. B. Atqui diſerte habet Gell. 6. 4. ex Sempronio Tuditano. Utrum vera ſint, et quæ de veneno Tuditanus, et quæ de crudeli ſupplicio ipſe et Romani reliqui? ea alia eſt quæſtio. Totum de ſupplicio conſictum eſſe ad pingendam colore aliquo viduæ Reguli (fato ſuo Carthagine mortui) in Pœnos ſuæ cuſtodiæ traditos crudelitatem, Diodoro Siculo et Palmerio Exercit. p. 152. crédit merito etiam Weſſelingius ad fragm. l. 24. p. 566. G.

Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

ODE VI.

AD ROMANOS.

Horatius lyra ſua accinit Auguſto deorum immortalium templis reficiendis, auſpiciis veteribuſque religionibus inſtaurandis, legique Juliæ de adulteriis condendæ intento. Oſtendit abſque his rempublicam ſtare non potuiſſe.

METRUM UT PRIUS.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædeſque labentes deorum, et
Fœda nigro ſimulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

54 Reliquerat *Brod.*
ODE VI.
3 Labantes *Glar.*

51 Pulcherrima Enargia uſus eſt in *Dimovit obſtantes*, &c.

54 *Relinquunt negotia*, qui relicta urbe ad ruſticanum ſeceſſum ſe conferunt. B. Si *reliquerat* verum ſit, revocat quaſi memoriam Reguli, qualem ſe alias præbuit ſuis, pictura poëtica. G.

56 *Lacedæmonium*, a Phalanto et Partheniis conditum. *Ad amœnitatis exemplum deliciosas poſuit civitates.* Vet. Schol.

ODE VI.

1 *Delicta* peccata ſunt ex incuria atque interpoſitis quibuſdam intervallis admiſſa: Chartientiſmo uſus eſt: noluit enim dicere *ſcelera*. *Immeritus*; ſupple *quamvis*. *Hoc ex tradita perſuaſione ſumtum eſt, quia aiunt pœnas in poſteros innocentes ſæpe differri, quas majores effugerint.* Vet. Schol. Cruq.

2 *Romanum* nominando vehementius officii monet.

4 *Fœda fumo; per nimiam vetuſtatem ſordentia.* Vet. Schol.

5 Veteres *majores* et *minores* dicebant quos hodie *ſuperiores* et *inferiores* dicimus. Sic amicos in majores, h. e. *patronos*, et minores, h. e. *clientes* dividebant. B.—Senſus eſt: Si, ſ. quatenus, Deos colis, imperium ſalvum eſt: a cultu Deorum rerum gerendarum initium faciendum eſt, et ad Deos referendus exitus. Z.

6 In *Principium* duæ vocales eliduntur, ut ſupra Ode 4. in *Conſilium*. Poſt *principium* etiam ſupple *erat*, vel *habes* ut Vet. Schol. *Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.* Ennius. B. Vid. ad 3. 4. 41. G.

Bene *exitum* pro *continuationem ad finem uſque*, quia præmiſerat *Principium*: Eſtque proverbiali Figura formatum.

Jam bis Monæſes et Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros, et adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pæne occupatam ſeditionibus
Delevit urbem Dacus et Æthiops;
Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.
Fœcunda culpæ ſæcula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos;
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo; et fingitur artubus
Jam nunc, et inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.

10 *Sic etiam Zar.* Inauſp. *Gott. ſed adſcriptum*, al. Non.—20 *Sic omnes.* Inque patres populumq. *Bentl. ſola conj.*—21 Motus moveri *conj. Faber ad Lucret.* III. 568. C.—22 Frangitur *al. V. Bur. ad Ovid. Art.* 3. 331. Fingitur *etiam primæ edit.*—Artubus *primæ edit.* G. Artibus *Lamb. Bentl. Jan.*

7 Per *Charientiſmum neglecti* pro *contemti*; ut plus ſemel monuimus. *Frequenter enim* (inquit Vet. Schol.) *non addicentibus auſpiciis dimicantes, grandi exercitus clade ſuperati ſunt.* Vet. Schol. de Romanis ducibus. Notum eſt M. Craſſum deriſiſſe auſpicia. B. Nec erraverit, ſi quis cauſam, certe modum evertendæ a Clodio, Cæſare, Antonio, ceteris, reip. in illo contemtu auſpiciorum ponat. Vid. Val. Max. 1. 1. et 1. 4. G.

9 *Jam bis; Et ante Craſſum, et poſt Didium Saxam Antonii Legatum cum exercitibus ſuis occiderunt.* Vet. Schol. Cruq.

Monæſes et Pacorus reges Perſarum fuerunt. Vet. Schol. h. e. Orodis Parthorum regis filii. Torrentius. B. *Monæſes, Moναίσης* Plutarcho, Appiano, Dioni notus (vid. Fabr. ad hunc l. 49. no. 116.) non demum e nummo et Trajani ætate repetendus, ut placet Harduino. G.

11 *Prædam*, h. e. præda nobis ademta ſe ornatiorem eſſe factum. Z.

12 *Renidere, ſubdole et perfide ridere.* Torrent.

13 Illud *pæne* non eſt negligendum: hoc enim indicat, niſi Actiaco prælio victor diſceſſiſſet Auguſtus, metuendum tale quid ab ſociis Antonii et Cleopatræ fuiſſe. G.

Occupatam; diſtrictam. Vet. Schol.

Seditionibus, h. e. partium ſtudio: Eſt enim *Seditio* a *ſe* et *itio*.

14 Daci ab Auguſto ſpreti ad Antonium inclinaverunt, ut adnotavit Cruquius ex Dione.

Æthiopem modo Ægyptium dicit ex contemtu Cleopatræ; ſemper parcit Antonio.

17 *Culpa* verecunda vox pro ſtupro.

19 *Derivare* eſt aquam e fontibus per rivos deducere: bene igitur præmiſit *fonte* et ſubjecit *fluxit*. Landinus.

20 Hoc effecit Bentleius; ut ſciamus, *patres* et *populum* ſæpe conjungi et diſtingui. Sed, ut alia taceamus, non opus fuit Horatio peculiariter hic notare *patres et Senatorium* ordinem; parum certe aulicum. Satis habet indicare, corruptis matrimoniis, infectum velut eſſe totum populum: *patria*, caritatis et reverentiæ nomen hic *ἐχιτιλικτικὸν* eſt, et auget dolorem. G.

21 Per Charientiſmum *moveri* pro *ſaltare* dicebant; erat enim ſaltatio infamis. B. Vid. Art. P. 232. G.

Græci primi ſaltationem membrorum geſtibus invenerunt, unde poſtea Pantomimi facti. Vet. Schol. erudite.

22 Recte *artubus*, non *artibus*; cum Schol. et optimis libris. *Fingitur artubus jam nunc*, h. e. etiam antequam *matura* facta eſt a prima infantia compoſitos et teneros motus et geſtus addiſcit. B. *Artes* hic magis placent, quam *artus* Bentleio. G.

Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina; neque eligit
  Cui donet impermiſſa raptim
    Gaudia, luminibus remotis:
Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito: ſeu vocat inſtitor,
  Seu navis Hiſpanæ magiſter,
    Dedecorum pretioſus emtor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico,
  Pyrrhumque et ingentem cecidit
    Antiochum Annibalemque dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
  Verſare glebas, et ſeveræ
    Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes; ſol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
  Bobus fatigatis, amicum
    Tempus agens abeunte curru.
Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
  Nos nequiores, mox daturos
    Progeniem vitioſiorem.

---

27 Improviſa *ap. Torrent. Muret. et coll. Sax.*—28 Oſcula *codd. duo ap. Lamb.*—36 Durum *Zar. Flor. it. coll. Sax. et Brod.*—43 Bobus *edd. pleræque, aliæ* Bubus.—45 Annoſa *e conj. Cun.*

---

24 *De tenero; hoc proverbium de Græco eſt, quod dicunt* ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. Vet. Schol. B.

25 *Mox*, ubi nupta eſt. *Schol.* Z.

26 *Inter vina*, et *inter pocula* eodem ſenſu dicimus. Pudibunda erant veterum convivia. B.—*Neque eligit*, non delectum adhibet, ſed cuivis copiam facit corporis ſui. Z.

27 *Raptim* pro *derepente* poſuit. B. *Raptim* eſt aliquando plus quam *furtim*: addit celeritatis notionem. Pulchra etiam emphaſis in *improviſa*, ſi forte ſit a Flacco. G.

29 *Juſſa*; ſimul ac rogata. B. H. e. ſive ab *Inſtitore*, lenone, ſive ab ipſo adultero, mercatore. Z.

30 *Inſtitor* qui a mercatore emit ut diſtrahat. Landin. *Inſtitor appellatur eo quod negotio gerendo inſtet, nec multum facit*, h. e. (lucratur). Ulpian. citante Lambino. A PETTY CHAPMAN.

31 *Magiſter*: h. e. Hiſpanus naviculator; eo infamior quod et exterus et barbarus.

32 *Pretioſus emtor*, qui emit nimis magno pretio.

33 Vox *bis* cum ſtomacho proferenda pro *talibus*.

35 *Ingentem* dicit Antiochum cognomento *Magnum*, qui ab Hannibale in populum Romanum concitatus variis prœliis ſuperatus eſt.

36 *Dirum* eſt cujus vel ipſum nomen malo omini eſt, et ob diritatem abominatur. Vid. Ode 16. Epodorum.

38 *Sabellis*, pro Sabinis uſus eſt. B. Ut *Calena falce* Car. 1. 31. 9. G.

ODE VII.

AD ASTERIEN.

Oblique oſtendit viros fortius fœminis illiciti amoris illecebris reſiſtere; atque zelotypas puellas plerumque ex ſuo ipſarum ingenio maritorum furta divinare.

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, TERTIO PHERECRATIUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

Quid fles, Aſterie, quem tibi candidi
Primo reſtituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Conſtantis juvenem fide
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Poſt inſana Capræ ſidera, frigidas
Noctes non ſine multis
Inſomnis lacrimis agit.
Atqui ſolicitæ nuntius hoſpitæ,
Suſpirare Chloën, et miſeram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

4 Conſtantis—fidei *coll. Sax. Gott. et Zar. Flor.*

Ligones lata erant ſarcula, Græcis Λίγγοι et Λιγγάρια et Μάχιλλαι. Howes.

39 Bene *ſeveræ* ſubjecturus *arbitrium*.

41 *Fuſtes*, feſtive pro ligna: ſunt autem iſta ἐν ἅδῃ, ſive *moraliter* dicta, ut Vet. Schol. verbo utar.

43 *Amicum* modo pro cupitum.

45 *Damnoſam diem* dicit *tempus rerum edax*. Nam *Filius ante diem*, apud Ovidium, eſt *Filius ante tempus*, h. e. ante pubertatem.

46 *Ætas parentum; mira et lepida et minime obſcura brevitas*. Landin. Iſta ſententia eſt apud Aratum, ex Horatio puto tracta. B. *Pejor avis*, quæ moribus corruptis ſuperat ætatem avorum. Z.

ODE VII.

1 *Aſterie*, fictum puellæ nomen.

Candidi, ſereni. Vet. Schol.

2 *Septimo Idus Februarii Favonii ſpirare incipiunt, auctore Columella, quo tempore ſecundum Varronem, veris principium eſt*. Mancinellus.

3 *Bithyni juncti ſunt Thynis, utraque autem gens Ponto conjinis eſt*. Vet. Schol.

Beatum, divitem. Mancinellus.

4 Cum Lambini MSS. et Mancinello repoſui *Fide* pro *Fidei* in Genitivo, more vetuſto. B. Vid. Gell. 9. 14. Etiam qui *fidei* dederunt, voluerunt *ei* diphthongum eſſe. G.

5 *Gygen*; fictum pulchri adoleſcentuli nomen.

Oricum; oppidum Epiri juxta Acroceraunia poſitum. Mancinellus.

6 *Capra eſt in humero ſiniſtro aurigæ*. Hyginus XV. *Cal. Jan. Capra occidit et tempeſtatem ſignificat*; Columella (11. 2. 94.) citante erudito viro Antonio Mancinello. *In manu aurigæ ſunt duo hœdi*. Hyginus. B. *Inſana*, procellas ingentes excitantia. Z.

Frigidas; quia ſolus cubat. *Non ego deſerto jacuiſſem frigida lecto*. Ovid. citante Mancinello.

9 *Atqui*; ἐν ἅδῃ dicitur, ac ſi diceret, eum ſupra quam credi poſſit alterius amore tentatum. B. *Nuntius hoſpitæ*, Internuntius miſſus a Chloë, apud quam tuus Gyges hoſpitabatur, cum eſſet in Thracia. cf. Od. 9. 9. Z.

10 Bene ſubjecit *miſeram*, cum ante poſuerit *ſolicitæ*.

Ut Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
  Casto Bellerophonti
    Maturare necem, refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens:
  Et peccare docentes
    Fallax historias monet,
Frustra: nam scopulis surdior Icarî
Voces audit adhuc integer. At, tibi
  Ne vicinus Enipeus
    Plus justo placeat, cave:
Quamvis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio,
  Nec quisquam citus æque
    Tusco denatat alveo.
Prima nocte domum claude; neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ;
  Et te sæpe vocanti
    Duram, difficilis mane.

---

20 Pellax *conj. Bentl.* Movet *etiam coll. Sax. et facillima confusio.*—22 Spernit *pro* audit *coll. Sax.*—23 Nec *editt. primæ, pulchre!*

---

11 *Ignibus*; sic et Virgilius, *Meus ignis Amyntas.*

13 Notissima est Sthenobœa, sive Anteæ, et Bellerophontis Historia. B. Ex Iliad. 7. 155. Breviter, quem perducere ad amorem et stuprum mulier non poterat, stupri sibi intentati accusat. Prœtus Iobati socero ultionem commendat literis Bellerophonteis: hic Chimæram, et alia pericula objicit, &c. G.

14 *Criminibus* modo pro accusationibus posuit.

17 Peleus eadem ab Hippolyta Acasti uxore passus est, quæ Bellerophon a Sthenobœa. B. Vid. Schol. ad Aristophan. Nub. 1059. G.

18 *Abstinens* jam pro *Continens.*

19 *Peccare*, ad perfidiam et adulterium pelicentes. Z.

20 *Fallax*; h. e. pellax, supra *vafrum* dixit. *Monet* jam pro meminit vel memorat. Minus placet Bentleii *monet*, etsi firmatum auctoritate quorundam Codicum.

21 *Surdi scopuli a periclitantibus dici solent.* Vet. Schol. Proverbiali scilicet Schemate. In *surdior audit* Ὀξύμωρον Figura est. B.

Icarium absolute pro mari Icario, ut *Ionium*, *Ægeum.* G.

22 *Adhuc integer*; Zelotypiam puellæ incutere conatur. *Quasi eum demonstret trabi posse in posterum.* Vet. Schol.

26 *Gramine Martio.* Vide quæ diximus ad 1. 8. 8.

30 *Despice, deorsum aspicias.* Vet. Schol.

32 *Difficilis mane; debuerat Horatius dicere duram, dura mane.* Tanaquillus Faber. Unde novit Faber, quid debuerit Horatius dicere? Crediderim eum sensisse *duram* et *difficilem* idem sonare: sed falsus est. *Dura* est quæ sensu amoris caret; *difficilis* autem amantibus aspera.

ODE VIII.

AD MÆCENATEM.

Matronalibus, quæ Calendis erant Martiis, quo die ab immani arboris ruina vivus evaſerat, atque ob eam cauſam annuo jam ſibi feſto, Mæcenatem ſuum ad hilariter apud ſe agendum invitat; interpoſita etiam publicæ lætitiæ ob Cæſaris ſucceſſus mentione.

METRUM SAPPHICUM.

MARTIIS cœlebs quid agam Calendis,
Quid velint flores et acerra turis
Plena, miraris, poſituſque carbo in
Ceſpite vivo,
Docte ſermones utriuſque linguæ.
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte feſtus,
Corticem aſtrictum pice dimovebit

3 In *omittitur in codd. quibuſdam.*—5 Sermonis *edd. vett.*—10 Demovebit *Lamb. e* 3. *codd.*

1 *Matronalia dicebantur eo quod mariti pro conſervatione conjugii ſupplicabant.* Vet. Schol. *Calendæ autem Martiæ hodie etiam Matronarum dies feſtus eſt.* Idem. *Servis cænas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus.* Mancinellus ex Macrobio. Imo et ſtrenas mittebant, ut vel ex Martiale conſtat.

Cœlebs; ſupplendum *cum ſim. Ut viduæ ſine viris, ita cœlibes ſine uxoribus dicebantur.* Vet. Sch. Ἀπὸ τῦ λείπειν τὴν κοίτην, non a cœleſti vita, ut putide Grammatici de trivio.

Quid agam, moralis elocutio; ἐν ἤθει enim dicitur *Quid agam*, ac ſi diceret, *Quid mihi velim*, tempore alieno feriatus.

Omnes Calendæ in tutela Junonis erant, maxime Martiæ quo die ædes Junonis Lucinæ condebatur. De hac Dea Ovidius in Faſtis.

Ferte Deæ flores, gaudet florentibus herbis
Hæc Dea, de tenero cingite flore caput.
Hæc adnotavit Mancinellus.

2 *Acerra*, arcula thuraria; Landinus ex Feſto: Quadrilatera hæc erat: *Acerra, thuribulum, patina fictilis.* Vet. Schol. Cruq. Alter Schol. *patera fictilis*, corrupte; quem tamen ſequitur Ludovicus Deſprez.

4 Altaria, præſertim autem privata, e vivis ceſpitibus fiebant.

5 *Docte* modo Participium eſt. B. *Sermones* ſunt λόγοι, hiſtoriæ, antiquitates, ſpeciatim ſacrorum, feſtorum. G. Bentleius bene ita: Tu qui et Lat. et Gr. libros accurate legiſti, jure miraris, cur ego cœlebs Calendis Martiis ſacra faciam; cum nihil aut in Graiorum aut in patriis monumentis ſit, quod feſtum illud ad cœlibes quicquam pertinere, ſed ad matronas duntaxat et maritos, ſignificet. Scias itaque, me non publico inſtituto hodie, ſed privatum rem divinam facere, quod hoc quondam die ab interitu ex ruina arboris deorum beneficio conſervatus fuerim. Z.

6 Ethicus; proferendum eſt *Voveram* quaſi voti ſui non oporteret eum eſſe immemorem. B. Vid. Car. 2. 13. G.

Dulces modo pro *ſolito lautiores*, Græcis τὰδεῖα. *Album*; *ſuperis aptior erat alba victima.* Vet. Schol.

7 Bene *Libero*; iſte enim *lætitiæ dator* ſemper aderat conviviis.

Caper Libero dabatur, quod vinetis ſit contrarius. Vet. Schol.

9 *Hic dies*, quaſi exultans dicit.

10 *Corticem*, ſuberis corticem dicit, ut docte Mancinellus. Vernacula noſtra, A CORK.

Pice obturabant vaſa vinaria et fumo durabant. Landinus ex Columella.

Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici
Soſpitis centum; et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis eſto
Clamor et ira.
Mitte civiles ſuper Urbe curas:
Occidit Daci Cotiſonis agmen:
Medus infeſtus ſibi luctuoſis
Diſſidet armis:
Servit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ
Cantaber, ſera domitus catena:
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere; et
Dona præſentis cape lætus horæ, ac
Linque ſevera.

15 Profer *codd. 2. ap. Bentl.*—18 Cotiſontis *libri MSS. ap. Torr. Sed* Cotiſonis *omnes al.*—26 Et *omittit Bentl. et Jan. et mox pro* ac *reponit* et.—27 Rape *quid. libri ap. Bentl. et coll. Sax. et Lamb. e 4. codd.*

Dimovebit, abripiet. Vet. Schol. Cruq. optime. Male nonnulli Codd. *Demovebit.*

11 *In uſum convivii vinum* fumo *inveterabatur.* Vet. Schol. *In* fumario *domus ſuæ collocabant.* Alter Schol. *Fumus, favilla quæ ſidere ſolet ad cooperimentum amphoræ.* Vet. Schol. B. Vid. Col. 1. 6. 20. de ſitu Apothecæ. G.

Inſtitutæ; cœptæ.

12 *L. Volcatius Tullus* Conſul *proximo ante Horatium natum anno*; Cruq. *In fundo nomen Conſulis ſcribebant.* Vet. Schol. *Vinum hoc* 47. *annos habebat.* Cruquius.

13 *Sume* modo pro *bibe*: quod enim bibitur, id prius *manu ſumitur.*

Cyathum cochlearis majoris forma fuiſſe reor, quod Cælius Aurelianus volſellæ quoddam genus, ejuſdem fere formæ, *cyathum* appellarit; et Feſtus *ſimpuvium* huic non abſimile dixerit. Cyathis metiebantur vinum et aquam, quæ in cratere miſcebantur, et denuo e cratere pocula eodem inſtrumento implebant.

14 *Centum*; *verbo uſus eſt convivarum.* Vet. Schol. h. e. Ebriorum *Centum cyathos clamantium.*

15 Bene *perfer* pro *produc*;

—Πίνωμεν, τί τὸν λύχνον ὀβολοῦμεν,
Δάκτυλος ἀμέρα κ. τ. λ.

Alcæus (apud Athen. l. 10. p. 430). B. Hortatur eum, ut tota nocte Genio vacet ſecum. *Schol. Z.*

Eſto pro *erit.* Vet. Schol. B. *Clamor et ira*, cf. ſupra l. 18. 7.: 27. 7. Z.

17 *Mitte civiles; Quia ſunt tuta omnia.* Vet. Schol. B. Conf. 3. 29. 25. G.

Urbe modo pro *republica.*

18 *Cotiſon nomen Regis Dacorum.* Vet. Schol, *h. e.* vernacula noſtra GOD HIS SON. B. Vid. Flor. 4. 12. 19. cui plus tribuam, quam Harduino. G.

20 *Diſſidet armis*; in Phraaten rebellabant Tiridatis partes. B. Vid. Dio l. 55. p. 555. E. *Medus ſibi infeſtus diſſidet*, atque in ſua invicem viſcera graſſatur *armis* ob id ipſum *luctuoſis*, quia in cives ſæviunt. Hæc magis implent ſi non aures, animum certe, quam unius codicis lectio Bentl. *infeſtis—luctuoſus.* G.

22 De *Cantabro* vide Car. 2. 6. 2. et Dion. l. 53. 25. G.

24 *Campos* dicit Scytharum deſerta.

25 Bene *Negligens* de potaturo pro *ſecurus.* B. *Qua*, ſc. parte. *Schol.*

Laboret; modo pro *incommodetur.*

26 *Privatus*; *cum ſis privatus noli arrogare tibi Reipublicæ curam.* Vet. Schol. Permitte Auguſto Reipublicæ curam. Etiam præfectus

ODE IX.

AD LYDIAM.

Lepidiſſima Ethopœia zelotyporum amantium, ſive moralis Dialogiſmus inter Horatium et amicam ſuam, quacum ad ultimum in gratiam redit.

PRIMUS VERSUS GLYCONICUS, ALTER CHORIAMBICUS ASCLEPIADEUS.

HOR.

Donec gratus eram tibi,
Nec quiſquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis dabat;
Perſarum vigui rege beatior.

LYD.

Donec non alia magis
Arſiſti, neque erat Lydia poſt Chloën;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

HOR.

Me nunc Threſſa Chloë regit,
Dulces docta modos, et citharæ ſciens;
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animæ fata ſuperſtiti.

5 Aliam *Glar. et Bentl.*—9 Creſſa *codd. tres ap. Bentl.*

urbi privatus erat Cæſari comparatus. B. *Privatos* dici ipſos etiam conſules, ſi cum Auguſtis comparentur, verbo *privatum* eſſe hac ætate, qui non ſit princeps, ſatis conſtat: multo magis Mæcenatem, qui equeſtri loco contentus vixit. Illud *privatis* miror placere cuiquam potuiſſe: aut laborare ita hic potuiſſe Bentleium. G. *Cavere*, ſolicitus eſſe. *Schol.*

27 Optimi Cruquii Codd. *cape* non *rape*. Si poſuiſſet *fugacis*, probaſſem *rape*. Bene etiam *lætus*, dicturus *severa*. B. *Cape* præferendum: nam vult otioſum eſſe Mæcenatem. G.

ODE IX.

1 Hanc et tertiam Lib. IV. mallet Scaliger ſe compoſuiſſe, quam vel totius Tarraconenſis rex fieri. Bella mehercule comparatio Regni cum re ludicra. Nil tam placuit Scaligero quam numeroſa facilitas in levi materia. B. Eſt carmen, inquit Glareanus, ἀμειβαῖον, cujus natura eſt, ut proceſſu creſcat. Z.

Gratus ad Emphaſin poſuit; vult enim ſignificare ſe non amplius gratum.

2 *Potior* proprie cui jus plus favet; ut eleganter Landinus. Hic autem cui plus favet puella.

4 Efficacius *vigui* quam *vixi*; *vigent* enim quæ in flore ſunt.

5 Nulla videtur idonea cauſa cur Bentleius mutaverit *alia* in *aliam*, cum nihil intereſſet, niſi quo auri ſuæ gratificaretur. Lambinus et Cruquius ex *MSS.* legunt *alia* non *aliam*.

6 Se nominat refricando prioris amoris memoriam.

7 *Multi nominis; magnæ famæ.* Vet. Schol. Carminibus ejus decantabatur.

9 *Regit*, h. e. *agit quo vult: amatorium verbum.* Landinus. Oſtendit ſe eſſe ſub ejus imperio.

11 *Pro qua*; ex veterum opinione de vicaria Ἀντιψύχων morte. Vide quæ ſcripſimus Ode 17. Lib. II. B.

LYD.

Me torret face mutua
  Thurini Calais filius Ornyti;
Pro quo bis patiar mori,
  Si parcent puero fata ſuperſtiti.

HOR.

Quid? ſi priſca redit Venus,
  Diductoſque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloë,
  Rejectæque patet janua Lydiæ?

LYD.

Quamquam ſidere pulchrior
  Ille eſt, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Adria;
  Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

---

14 Ornythi *Gott.* G. Ornithi *edd. vett.*—20 Rej. *omnes.* Ejectæ *Cun.*

---

13 *Face mutua*, igni mutui amoris. *Schol.*

14 *Thurium Brutiorum oppidum erat.* Vet. Schol. Cruq.

Eſto *Ornyti*, quod video placere Bentleio, quod inter nota ſit nomina apud Græcos, *Ornithi* ſecus.

17 Feſtive Præſens pro Futuro; et habet Horatius.

18 *Diductos*, leni verbo uſus eſt, per Charientiſmum. *Diductos* enim pro *aliquantulum elongatos* poſuit. Bene etiam ſubjecit *cogit* pro *conjungit*.

Proverbiali ſermone *aheneus* de dura atque irrupta dicitur.

19 *Excutitur* quod arctius adhæret.

20 *Patet janua;* Quis neget hanc fuiſſe eam ipſam quam Lib. II. Ode 11. *Devium ſcortum Lyden* nominaverat? Videſis quæ ibi adnotavimus.

22 *Levior cortice*, *Proverbialis Hyperbole.* Eraſmus. *Cortice* enim accipiendum pro *ſubere*, ut ſupra. B. In amore minus conſtans. Z.

Improbo jam pro *importuno* et *inexorabili* poſuit.

23 *Iracundior;* Verum hoc: fatetur enim ipſe Epiſt. 20. Lib. I. ſe fuiſſe *iraſci celerem*; ſed *tamen ut* placabilis eſſet.

ODE X.

IN LYCEN.

Ex eo genere eſt hæc Ode quod Græci Παρακλαυσίθυρον *appellant; cum ſcilicet quis, occluſa ſibi a puella janua, projectus ad limen dominæ vel ſubter feneſtram ejus flebiliter cantat.*

METRUM TRIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, QUARTO GLYCONICUM.

Extremum Tanain ſi biberes, Lyce,
Sævo nupta viro; me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſatum tecta remugiat
Ventis, et poſitas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone ſuperbiam;
Ne currente rota funis eat retro.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

1 Tanaim *vulgo, ſed Gr. forma eſt in Ven. Bentl. ex codd. et Jon, Ergo recepi.* Z.—3 Projectum *Bentl. e conj.*—6 Satum *tuetur Heinſ. ad Sil.* 10. 533.: *et ſic etiam Gott.* Situm *Zur. Flor. al.* remugiat.—7 Sentis *conj. Bentl.*—8 Lumine *conj. Scaliger Lect. Auſon.* I. 1. Cr.—10 Retro f. eat rota *vulgo.*

1 *Lyce*, Poeticum puellæ nomen a ſævitia, ſiquidem Λύκη Græcis *Lupa* eſt.

2 *Aſperas*, figurate, eo quod ipſa domina erat *aſpera*, h. e. difficilis et immitis. Et bene *aſperas* cum *Lupam* dixerit.

3 *Porrectum* dicimus proprie de mortuo, et habet Emphaſin, eum diriguiſſe gelu. Mihi placere non poteſt Bentleii *Projectum* pro *Porrectum*, cum ſponte ſua ſe porrigeret ante fores, quo magis moveret amicæ miſerationem: tu vide duos extremos verſus.

Incolas Aquilones dicit, tanquam deos Scythiæ indigenas, Proſopopœia ſatis uſitata.

5 *Nemus inter tecta ſatum viridarium dicit, quod erat in impluvio domus.* Vet. Schol.

6 Uterque Schol. cum tribus Cruquii MSS. et aliquibus Lambini habebant *ſatum* pro *ſitum*, quod et nos prætulimus, etſi parum intererat. B. De re ipſa, Varr. R. R. 3. 5. 12. Plin. 15. ſ. 20. 36. et 40. laudati a Bentleio. G.

7 *Poſitas*, modo *diu manentes* et quaſi *immotas.*

8 Quis ferat Bentleii *Duro numine* pro *Puro?* quod tamen de ſuo poſuit. Quis unquam habuit *Frigus* vel *Glaciem* pro Jove? B.

Puro numine eſt ſereno cœlo, quo frigus intendi ſolet. Bentleii altera conjectura non magis opus eſt. *Audis ut glaciet nives Jupiter* non eſt abſurdum, ſive Zeugma ſtatuamus in verbo *audis*, ſive cogitemus acutos illos ſibilos nivis induratæ, cum calcatur. G.

Jupiter, Cœlum, ſive Æther.

10 *Ne currente; ne tu amans ſimiliter contemnaris.* Vet. Schol. Cruq. *Dominam rotæ Fortunam dixit.* Alter Schol. Crediderim in imagine Fortunæ funem fuiſſe quo dea rotam ſuam regebat. Interpretes de fune iſto nil niſi ſomnia ſua narrant. Recte ſic immutavit Bentleius ordinem hujus verſus; *Ne currente rota funis eat retro;* quod eſt, ne dirumpatur funis: Nihil hoc apertius. Ordinis turbatio videtur deberi initialibus in *retro* et *reta.* B. Quicunque placeat ordo verborum, quod nihil puto referre, ſententiam ita aperiri poſſe arbitror: *Ne* nimium impulſa et *currente rota* tuæ ſuperbiæ ab amatorum precibus auctæ, ruptus ſubito *funis eat* tecum et cum curru fortunæ tuæ, *retro.* Unice huc facit laudatus Lambino locus Ariſtidis Panath. p. 118. lebb. ἐντεῦθεν ἤδη πάντα

O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat; supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior æsculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquæ
Cœlestis patiens latus.

ODE XI.

AD MERCURIUM.

Mercurium rogat atque Lyram, cui præstigiatoriam Mercurii artem inesse dicit, ut obstinatum dominæ animum flectat, et ad miserationem sui pereuntis adducat.

METRUM SAPPHICUM.

Mercuri, (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque Testudo resonare septem
Callida nervis
(Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis)

17 *Sic vulgo: Baxter* esculo. Z.—18 Animo *Brod. et Glar.*

ὥσπερ κάλως μαγίνος ἰσχύρηειν ἐπίσω, καὶ διολίσθο 'Αμαζόσιν ἡ ἀρχὴ κ. τ. λ. Affine est proverbium de arcu nimium intento. Sed hoc de curru in arduum tracto, et ruptis funibus, multo ὑμφυσικώτερον. G.

12 *Tyrrhenus, Italus.* Vet. Schol. Erant autem Tusci simpliciores et subrustici.—*De Tusca Græcula facta est.* Juvenal.

14 *Tinctus viola; bene ut amator amœnitatem floris pallori amantium dedit.* Vet. Schol. B. Luteolas s. flavas violas intelligunt poetæ cum *pallorem* iis tribuunt. G.

15 *Pieria, fidicina;* ut docte Cruquius; cum reliqui pro nomine puellæ accipiant. B. *Vir,* maritus tuus pellicem amans. *Curvat,* te flectit ad me amandum. *Supplicibus tuis,* mihi supplici. Z.

20 Bene *latus,* cum supra posuerit *porrectum.*

ODE XI.

1 *Mercurius laudatur in Amphione discipulo.* Vet. Schol.

2 *Lapides.* Ad Emphasin *lapides* posuit primum, ad significandam Lydes duritiam.

3 Ferunt Mercurium primam lyram e *testudine* fecisse. Sic et Vet. Sch. B. Vid. ad 3. 4. 4. G.

Diodorus auctor est (1. 16.) primam lyram trichordon fuisse, pro numero Horarum scilicet; et Macrobius septichordam lyram (sive barbiton) ad numerum errantium stellarum fuisse effictam; quod miror adeo displicuisse docto viro Henrico Glareano, ut gravissimos scriptores derideret. B. Ridet, nec immerito, Glareanus, qui solas symbolicas rationes quærerent in numero chordarum, neglectis musicis, quas ipse aperire ad hunc quoque locum, plenissime autem ad Boëthium, studet. G.

Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aures:
Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exſultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres comiteſque ſilvas
Ducere, et rivos celeres morari:
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſanieſque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion Tityoſque vultu
Riſit invito: ſtetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulcet.
Audiat Lyde ſcelus atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,

18 Caput, exeatque *conj. Bentl.* Muniunt—æſtuatque *vel* efflat atque—manat *Gun. conj.*

4 *Callida*, docta, quæ ſcite reſonas. Z.

5 Teſtudo enim animal mutum, et terribile potius quam jucundum. G.

6 *Amica templis; fidicinæ hodie in ſacrificiis adhiberi videmus.* Vet. Schol. B. Appoſite Acron. Certe in ſacris choreis adhibitas, poteſt nos docere noſter Car. 4. 6. 36. ubi *pollicis ictus* ad fides refertur haud dubie. Sed cum frequens tibiarum ſit in ſacrificiorum figuris antiquis uſus, non recordor videre tibicinam. At Plaut. Epid. 2. 3. 10. Conducitur *fidicina*, quæ *dum res divina* ſit, cantet. Conf. hic 3. 28. 3. et 4. 11. 6. G.

7 Ut a *De* (h. e. Διὸς) et *ἰστάνω* formatum eſt *Deſtino*, ita ab *ob* et *ἰστάνω*, *obſtino*: eſt autem *ob* a Græco *ἐπί*. B. *Obſtinatas*, quæ preces meas non audiunt: a me ſunt averſæ. Z.

10 *Ludit exſultim:* Anacreonticum illud, Σκιρτῶσα παίζεις, hoc loco expreſſit.

11 *Protervo, importuno, nimio.* Vet. Schol.

12 *Cruda, intacta, immatura, intempeſtiva. Sed animo cruda, i. crudelis, ac per hoc aſpera et horrens maritum.* Vet. Schol. Non erat hæc quam ſupra *Devium ſcortum Lyden* nominaverat.

13 *Tu potes;* Orphei hiſtoriam reſpicit.

15 *Tibi blandienti;* cum ſcilicet Orpheus Eurydicen ſuam repeteret.

18 Offendit Bentleium et Cuningamum vox *ejus:* et eſt ſane rara in bono carmine. Vid. tamen Burm. ad Ovid. Met. 8. 16. Miror neutri in mentem veniſſe *effluatque.* G.

19 *Saniei* quaſi *ſanguies:* eſt enim mortui ſanguinis corruptela, ut tabum vivi; ut bene Servius. *Saniem cadaverum dixit quibus veſcitur Cerberus.* Vet. Schol.

21 *Vultu invito;* h. e. *Malis alienis*, ut alibi Horatius.

23 Vid. Hygi. fab. 168. breviter, Danaus L. filias ſuas fratris ſui, Ægypti, totidem filiis collocat: jubet, ut prima nocte ſuum quæque maritum interficiat. Hypermneſtre ſola parcit Lynceo. G.

Quæ manent culpas etiam ſub Orco.
Impiæ (nam quid potuere majus?)
Impiæ ſponſos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum:
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur; ſocerum et ſceleſtas
Falle ſorores.
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſævis oneret catenis,
Quod viro clemens miſero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quo te rapiunt et auræ,
Dum favet nox et Venus; i ſecundo
Omine; et noſtri memorem ſepulcro
Scalpe querelam.

---

30 *Pro* nam *eſt* num *in uno Bentl. it. coll. Sax.*—52 Scalpe *etiam* G. *ſed* ſculpe *editt. primæ, quod probat etiam Heinſ. ad Ovid. Her.* 14. 128.

---

29 Per Charientiſmum *culpas* poſuit pro *ſcelera*.

Etiam ſub Orco; non ſolum damnantur in aquæ penuria; ſed etiam infernali puniuntur igni. Vet. Schol.

30 *Nam quid potuere majus?* Oſtendit ſe non temere eas impietatis, quod ſummum erat ſcelus, inſimulare.

31 *Duro;* crudeli. Hypallage pro *ipſæ duræ*.

33 Hypermneſtram dicit quæ Linon ſervavit. B. *Lynceus* nomen eſſe, e Græcis oſtendit Ciofa. ad Ovid. Her. 17. pr. G.

34 *Dignæ tanquam majus præmium fœminis non ſit.* Vet. Schol.

35 *Splendide*, glorioſe. B. *Mendax*, quia patri promiſerat, ſe ſponſum necaturam eſſe. Z. *Virginem pro muliere poſuit.* Vet. Schol.

37 *Juveni* ad Emphaſin miſericordiæ poſuit.

43 *Feriam* proprie de gladio: *Miles os feri.* Cæſar olim ad milites.

47 *Numidarum in agros;* ubi ſcilicet feri homines et feræ beſtiæ.

52 Torrentius in omnibus MSS. reperit *Scalpe* non *ſculpe:* ſic et Vet. Schol. Cruquii. Diomedes vix habet *ſculpo* pro Latino, ut idem vir doctus memorat. Poteſt tamen dici *ſculpo* ut *cludo*. B. Querelam talem et epitaphium complexus eſt Ovid. Her. 14. 129. *Exſul Hypermneſtra pretium pietatis iniquum, Quam mortem fratri* (patrueli Lynceo) *depulit, ipſa tulit.* G.

ODE XII.

AD NEOBULEN.

Archilochus olim ſponſam ſuam Neobulen, Lycambis filiam, ad ſuſpendium Iambis ſuis adegerat: hujus igitur nomine Horatius puellam quandam ab Hebro, turpi et vetulo mœcho, corruptam Sotadico et ſatirico rhythmo deridet. (Nihil equidem hic video ſatiricum vel ironicum. G.)

Conſtat hæc Ode Alcaica quatuor decapodiis Ionicis dictis a minore, ἀπ' ἰλάσσονος. Atque hæc eſt unica Oda hujus metri quæ hodie comparet ſive Græce ſive Latine. Quin fidem habeamus antiquo ſcholiaſtæ, Helenio Acroni, ejuſmodi carmina fuiſſe Sotadica, etſi non probet vir magnus. (Pomum quoddam Eridos hic projecit metricis antiquis et novis Horatius. Cum enim omnes pedes ſint Ionici a minore ∪∪—, iique numero XL.; cum dividere verba in duos verſus liceat interdum Lyricis; mirum non eſt tot ſententias de dividendo hoc carmine exſtitiſſe, quarum nullam refellere facile eſt. In re non valde gravi elegimus id, quod ſimpliciſſimum videbatur, quodque Cuningamus probavit. Si cui otium eſt Cruquii, Bentleii, Cuningami diſputationes legat: et puto rationem a nobis initam non improbabit. G.)

Miserarum eſt neque Amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari, metuentes
Patruæ verbera linguæ. Tibi qualum Cythereæ
Puer ales, tibi telas, operoſæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri; 5
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,

5 Liparei *ſcribunt Bentl. Cun. Jani.*—6 *Verſus hic in duobus codd. coll. Sax. et in editis ab Aldo inde poſt verba demum* pede victus *collocatus: in omnibus aliis MSS.* (etiam Brodæi) *editis ante Aldum hic poſitus, reſtitutuſque in h. l. eſt a Cruquio, Bentleio, Cuningamo.*

1 Ironica Ethopœia dicit *Miſerarum*, et habet Emphaſin; eam ſcilicet nondum eſſe extra numerum *Miſerarum:* Illa autem *miſeras* putat qualo et lanificio ſub dura cuſtodia damnatas.

Amori dare ludum: ſuperius monui veteres triſtitiam atque iram Deorum ludis ſcenicis deliniiſſe. Dilogus *dant ludum Cupidini* qui ſtulte amant; nam et ſacra ejus colunt, quæ ludis et jocis conſtant; et ſævum ejus animum Comico explent ſpectaculo. Vid. Ode 33. Lib. I.

Dulci, Metonymicus ab effectu, quod *dulces* et *lenes* reddat.

2 *Antiqua Declinatione dixit lavere.* Vet. Schol. *Lavant mala* qui ad oblivionem uſque potant. Proverbialis Elocutio eſt.

Exanimari dicuntur qui animo fere linquuntur præ metu.

3 *Veteres quod nollent liberis ſuis nimis indulgere, eos plerumque patruis alendos tradebant.* Chriſtoph. Landinus. Atque hinc *patruus* Proverbiali ſermone pro *ſevero*, *Patruæ ſeveræ.* Vet. Schol. V. Sat. 2. 2. 97.

Qualum, calathum; Metonymicus pro lanificio. Vet. Schol. Cruq. Et *qualus* et *calathus* a κάλαμος, lignum, derivata ſunt: Erant enim vaſa rotunda et patentia, e viminibus texta, quibus etiam vina percolabantur.

Vina novum fundum calathis Ariuſia Nectar.
Virg.

Lanarii autem Calathi e mulieribus *Quaſill.* dicti, auctore Feſto et Vet. Schol.

4 *Operoſæ* modo active ſumitur; pro *magnæ operæ;* ſic et Ciceroni dicitur *Senectus operoſa.* Mancinellus, erudite ut ſolet. Notum eſt Minervam ideo Græcis Ἐργάνην dictam, quod lanificæ in ejus tutela eſſent.

5 *Liparæi*, h. e. *Cyclopii*, ob fœdum aſpectum, ut ego cenſeo.

—*Siccato Nectare tergens*
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Juvenal.

Eſt igitur *Nitor* Ironica Antiphraſis. *Urit* [illegible] *Glyceræ nitor.*

Eques ipſo melior Bellerophonte, neque pugno
Neque ſegni pede victus; catus idem per apertum
Fugientes agitato grege cervos jaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum. 10

ODE XIII.

AD FONTEM BANDUSIUM.

Fonti Bandusio, qui in agro Sabino fuerat non longe ab Horatii villa, sacrificium repromittit, et laudes ejus dicit.

METRUM UT IN SEPTIMA.

O FONS Bandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hædo,
Cui frons turgida cornibus 4

7 Bellorophonte *MS. G. et editt. pr.*—10 Arto *vel* arcto *Brod. coll. Sax. Zar. Locher. it. Glar. Lamb. et Bentl.*

ODE XIII.

1 Bandusie *Cun. recte, puto.*

7 *Eques ipso; Vitiose loquitur Horatius, dicam libere et fidenter.* Tanaquill. Faber. Cur non et *impudenter?* Non advertit vir bonus *Nitor Hebri* falsissima Periphrasi dici pro ipso *Hebro*, ut alias, *Sententia Dia Catonis*, pro *Catone* ipso. Salvo pudore dejerare possim hoc loco *Equitis* vitiosum fore. B.

Et crimen, quod Faber impegit Horatio, evanescit, et excusare Poetam nihil opus est revocata lectione antiqua, quam temere mutatam indicavimus. *Nitor Hebri* placet Neobulæ, cum lavantem videt, &c. G.

Melior Bellerophonte; Hyperbolico tumore risum quatit.

8 Ad Emphasin dixit *segni pede*, ac si *segnipedem* diceret. Plenam distinctionem feci post *Victus:* nam sequens versus spectat ad sequentia, quod miror Interpretes latuisse. Vid. Ode 8. Lib. I. Significat eum a campestri exercitio venatum se contulisse.

Ironice stulto dicimus *Catus es.*

Per apertum, absolute, i. e. *per campum.* Vet. Schol. Cruq. Antitheta sunt *apertum* et *latitantem.*

9 *Agitantur* canibus cerui.

10 *Celer* modo de oculis et manibus.

Vitiose alii *arto* vel *arcto* pro *alto* (h. e. *denso* vel *profundo*) quos tamen sequitur Bentleius.

Excipere; ex insidiis capere. Vet. Schol. Quidam Codd. vitiose habent *arcto*, vel *arto* pro *alto*, quod ex glossemate venit; neque enim est in Vet. Schol.

ODE XIII.

1 *O*, cum admiratione verentis est.

Omnes Cruquii MSS. (etiam Gott. et coll. Sax.) cum Vet. etiam Schol. *Bandusiæ* habent pro *Blandusiæ*. Quin et alteri Schol. in Epist. 16. Lib. I. hoc versu, *Fons etiam rivo dare nomen idoneus*, dicitur Fons *Bandinus*, et Vet. Schol. Cruq. *Bandusius. Bandusia Sabinensis agri regio est, in quo Horatii ager fuit.* Vet. Schol. Hoc erat nomen pagi, ubi Horatius degebat; neque longe aberat *Mandela*, *Rugosus frigore pagus*, de quo Epist. 18. Verisimile mihi videtur *Digentiam* rivum ab hoc ipso fonte fluxisse, atque ipsi fonti fuisse nomen *Digentiæ.*

2 *Dulci* modo pro optimo; nam dulcia et lenia vina veteres præcipue amabant, Πίνοντι δ' οἶνον ἡδύν. Anacreon. B. *Digne*, qui admiscearis *dulci mero* temperando, et cum illo mero coroneris in poculo. G.

Primis et Venerem et prœlia deſtinat,
Fruſtra: nam gelidos inficiet tibi
  Rubro ſanguine rivos
    Laſcivi ſuboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere: tu frigus amabile
  Feſſis vomere tauris
    Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impoſitam ilicem
  Saxis; unde loquaces
    Lymphæ deſiliunt tuæ.

ODE XIV.

Bello Cantabrico maximus erat novorum tumultuum a partibus Optimatium metus, ob diuturnam Auguſti Tarracone decumbentis valetudinem, adeo ut vel illud bellum per ſolos legatos geſſerit. Illo igitur jam domum reverſo publicas ferias Palatio univerſæque Romanæ plebi Horatius indicit. (Vid. Dio. 53. 25. ſq. G.)

METRUM SAPPHICUM.

Herculis ritu, modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiiſſe laurum,
Cæſar Hiſpana repetit penates
  Victor ab ora.

6 Liquidos *conj. Bentl. ſine cauſa idonea. Non ſemper reſpondent ſibi epitheta.* G. *Laudat Bentl. locum Epiſt.* I. 16. 13. *ubi dicitur* purior.—16 Nymphæ *V. N. et codd. ap. Bentl.*

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras. Virgil. Ecl. 5. 40. Hæc autem in honorem Nympharum fieri conſueverant. B. Vid. notam præced. G.

5 *Deſtinare*, a Græco Διὰ et ἱστάνω, h. e. firmiter animo ſtatuere. B. *Deſtinat*, conſtituit, decernit. *Schol.*

8 Optimi Lambini et Cruquii MSS. *ſuboles* ſcribebant pro *ſoboles*, quod melius, etſi parum intereſt: Idem autem eſt *oleo* quod *orior*.

9 *Procyon*, ſive *Antecanis* hoc loco *Canicula* dicitur.

10 *Amabile eleganter pro refrigerans calorem æſtivi temporis.* Vet. Schol.

13 *Nobilium* ſuppleo extrinſecus *una*. Bene *Nobilium* ad Me *dicente: nobilia* enim ſiunt quæ Poetarum carminibus in omnium notitiam veniunt. B. *Dicente*, laudante et canente. *Schol.*

16 *Nymphæ* pro *lymphis* ſunt præter MSS. a Brouckhuſio ad Prop. 3. 14. 4. et Bentleio hic laudatos in primis editionibus ſex noſtris, et in MS. Brod. et videtur carmen inde animari exhilararique. Conf. Epod. 16. 48. G.

ODE XIV.

1 Conjicere licet eo tempore percrebuiſſe famam, eum (uti olim Hercules) ab inimicis in belli pericula foras miſſum; forſan etiam et

Unico gaudens mulier marito
Prodeat, juſtis operata divis;
Et ſoror clari ducis, et decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Soſpitum. Vos o pueri, et puellæ
Jam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi feſtus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæſare terras.

5 Unice *conj. Cun. et San.*—6 Caſtis op. ſacris *conj. Bentl.* Sacris *MSS. quidam et Loch. atq. Aſc.*—7 *Pro* clari, cari *MS. apud Bentl.*—11 Non *pro* Jam *conj. Bentl.* Virûm expertes *conj. Cun. et Sanad.* Male domin. *Muret. et Schott. apud Bentl.* Ab inom. *conj. Sanad.* Male inomin. *conj. Bentl.* Male ô omin. *conj. Cun. MSS. et editi vel* male ominatis *vel* male nominatis, *pari fere auctoritate.*

veneno ſublatum. Certe *Modo dictus* habet Emphaſin; ſignificat enim Auguſtum præter ſpem omnem verſum. B. Placet hoc eo magis, quod ſic ratio poteſt reddi, cur plebem, rumoribus turbatam ſcilicet, alloquatur poeta: et ægrotum fuiſſe in expeditione Cantabrica, refert Dio 53. 25. G. Senſus videtur eſſe: Cæſar, qui, tanquam alter Hercules, modo dictus eſt Hiſpanos bello aggreſſus eſſe, jam victor redit domum ſ. in Italiam. Eſt autem *morte venalem petere laurum*, periculo mortis, quæ acquiritur, victoriam petere. *Plebem* alloquitur fortaſſis propterea, quod Auguſtus plebi gratior erat quam Optimatibus. Z.

3 *Penates*; Metonymicως pro *Domum*.

5 *Unico gaudens*; *Liviam dicit ſub caſtitatis laude votum pro Cæſaris reditu ſoluturam*; Vet. Schol. B. Non recte capiunt hunc verſum, qui caſtitatem modo ſic laudari putant. Negat poeta, Liviam habere aliud, quo gaudeat, præter maritum. G.

6 *Operata*; *Operationes veteres ſacrificia dixerunt*. Vet. Schol. *Cum faciam vitula*. Virgil. B. *Juſtos divos* intelligo, quibus juſtum eſt ſacra facere. G.

7 *Soror clari ducis*; *Octaviam Auguſti ſororem memorat*. Vet. Schol.

8 *Supplice vitta*; *non vitta ſupplice, ſed vittis ſolutis ſupplicantes*. Vet. Schol. Vittæ et ſacerdotalis et matronalis ſanctimoniæ inſignia, tempore ſacrificii humilitatis ergo demittebantur. B. Sunt igitur *ſupplice vitta decoræ*, quas decent vittæ ſupplicantium indices. G.

10 *Pueri* modo pro *juvenes*, ſive puellarum *juvenes mariti* poſuit. Nil opus eſt Torrentii *Pueræ*. B. Videtur hac formula, *Vos, o—verbis* monere ætatem laſciviorem, et gaudii intemperantis, ne ad deos accedant temere, aut ſacra turbent. Simile quid puto eſſe hic illi Ter. Adel. 4. 5. 69. *Abi pater, tu potius deos comprecare*, &c. Supplicationes commendat matronis, adoleſcentiam ſecum ad hilaritatem invitat: ſed adoleſcentiam jam Veneris compotem: minor enim impuberum ætas et ipſa ſacris adhibita. *Pueri* et *puellæ* ſunt etiam viginti annorum et amplius. Non valde ſeverum fuiſſe poetam, cum iſta ſcriberet, docent ea, quæ ſequuntur. G.

11 *Male ominatis*; *Quia in ſacrificiis, præcepto ſilentio, bona omina habere videbantur, ne incaute loquentes verbis omina facerent*. Vet. Schol. erudite. Landinus primus legit *male nominatis*, cui reclamant optimi Torrentii atque Cruquii MSS. et Vet. Schol. Horatius non ſemper ſervavit Grammaticorum leges: videmus etiam ultimam ſyllabam in *Siqua* eſſe productam (vid. v. 19). Bentleius de ſuo penu pro *ominatis* repoſuit *innominatis*, quod improbandum cenſeo. B. Hoc effecerunt viri docti, ut in auctoritate librorum vel pari, vel ad *male nominatis* inclinante, neutra lectio indigna videri debeat Horatio. Hiatus plane ſimilis Catulli 8. 19. *At tu, Catulle, obſtinatus obdura*. *Male nominatus* poteſt ſumi ut ἐκ ἀνόματος Homeri et Heſiodi, quod *inominatum ſ. mali ominis* ſignificat. Et quoties apud Homerum ἐκ σ' ὀνόμαζεν *elocutus eſt*? Quod volunt quidam *expertes virûm* eſſe viris privatas puellas, patribus pueros,

I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli,
Spartacum ſi qua potuit vagantem
Fallere teſta.
Dic et argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem;
Si per inviſum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albeſcens animos capillus
Litium et rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem, calidus juventa,
Conſule Planco.

---

eos vetari jacturam ſuam nunc plorare: vereor, ne id ipſum ſit male ominatum, talem hujus rei mentionem facere. Potius poeta, ut emunxerant illi naſum Muſæ, hic aliquid poſuiſſet ſolatii, quam ut ſimpliciter tacere lugentes juberet. G.

13 *Hic dies*, tanquam exultans dicit.

Vere feſtus; ac ſi in ſervandis reliquis feſtis conſuetudini communi tantum inſervierit. Habet enim bonam Emphaſin.

Atras curas dixit horrendos metus.

14 *Tumultum, commotionem bellorum.* Vet. Sch. Eſt enim tumultus incipientis terror belli. B.

Immo plus quam bellum: vis improviſa in proximo, cum urbs ipſa eſt in periculo a ſeditione, vel hoſte ſubito ingruente, &c. G.

15 *Tenente Cæſare terras*; h. e. *incolumi Cæſare.* Vet. Schol. B. Laudat ſapientiam et felicitatem Auguſti. G.

18 *Cadus; lagena, orca.* Vet. Schol. Ejuſdem enim formæ erant, etſi forſan diverſæ menſuræ. Erant enim dolia teſtacea ventricoſa adducto collo. Metreta item et *Keramion*, ſive *Teſta*, cum cado conveniebant, ut bene notavit Lambinus ex Nicandri Scholiaſte.

Memorem Marſi duelli; Vinum quod Marſico bello diffuſum eſt. Vet. Schol. Vinum hoc erat lxiv. annorum, teſte Cruquio.

19 In hoc loco Spartaci jam meminit ob ſervilem Sexti Pompeii manum. Tangit enim optimatium partes. B. *Qua* in *ſiqua* non eſt nominativus, ſed adverbium ex ablativo, *ſi qua* ratione vel via. Raritatem indicat vini tam antiqui, cujus raræ lagenæ effugerint calamitatem belli ſervilis. G.

20 *Teſta, orca*; Vet. Schol. Cruq. h. e. Lagena, vel cado (cadus). B.

21 *Argutæ, Canoræ*; Vet. Schol. Cruq. Erat et hæc *devium ſcortum*, ſeu fidicina. B. Fidicinas ſacris domeſticis accinere juſſas, obſervatum ad Car. 3. 11. 6. De nodo crinium 2. 11. 24. G.

22 *Murreum; Colorem Myrrheum in crinibus hodie quoque dicunt, qui medius eſt inter flavum et nigrum.* Vet. Schol. Pro *Myrrheum* antiquior ſcriptura placuit Bentleio, quod eſt *Murreum*; qua de re equidem non litigandum cenſeo, præſertim cum bonæ notæ Libri habeant *Murreum.* Scholiaſta tamen habet *Myrrheum*, Græco ritu. Poſuit tamen *cohibente* pro *cohibere* nulla cum auctoritate, neque ſane neceſſitate. B. Vigorem et affectum interimit illud *cohibente.* Solent, qui feſtinant, qui valde cupiunt, tali Synecdoche Antecedentis pro Conſequente uti. G.

Nodo cohibere; Quia properare vult illam, in nodum tantum colligere crines præcipit. Vet. Schol.

23 *Si per inviſum; Si tardius ad Neæram ab oſtiario admittaris, redeas.* Vet. Schol. Sic enim repoſui pro *admittatur* et *redeat.*

25 *Animi* Plurali numero ſtomachum, vel altum ſpiritum ſignificant.

26 *Protervæ*; intemperantis, et laſcivientis; quaſi *valde torvæ.*

27 *Calidus juventa; Significat ſe Conſule Planco adoleſcentem fuiſſe; iraſcique mirabiliter ſolitum, ſi faſtidiretur.* Vet. Schol. Alias de ſe; *Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.* L. Munatius Plancus fuit Conſul cum M. Æmilio Lepido anno Urbis 712. quo tempore Horatius 23. annorum erat. Cruquius.

ODE XV.

IN CHLORIM.

Pauperculam quandam mœcham aliena jam ætate laſcivientem, ſatirica hac Ode a re meretricia ad qualum et lanas relegat.

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, ALTERO CHORIAMBICUM.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famoſiſque laboribus:
Maturo propior deſine funeri
Inter ludere virgines,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.
Non, ſi quid Pholoën ſatis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Laſcivæ ſimilem ludere capreæ:

---

1 Ibici *edd. vett.*—2 Pone modum *codd. quidam ap. Lamb.*—10 Thyias *Bentl. ut* 2. 19. 9. *vulgo* Thyas.

---

1 Amarulenta et ſarcaſtica Emphaſi oſtendit beatis id licere.

Namque ibi fortunæ veniam damus: hæc eadem illæ.
Omnia cum faciant hilares nitidæque vocantur:
—Sed
Turpe et adulterium mediocribus;

Ut Juvenalis verbis aliquantulum abutar.

2 *Nequitiæ nunc calliditati et malitiæ: non ut olim nequam dicebatur ignavus et nibili.* Vet. Sch. Sic enim Stephanus ex MS. ſuo reſtituit. Technas meretricias deſignat.

Fige modum bene, quia hactenus vagam et incertam vitam agebat. Vult eam affigi operi lanario.

Quando ego figam aliquid quo ſit mihi tuta ſenectus
A tegite et baculo. Juvenal.

Pone modum, quod plurimis in libris occurrit, ex Gloſſemate eſt; quod et Scholiaſtes Cruquii cum optimis MSS. confirmant.

3 Cum *fama* ſit vox mediæ ſignificationis, et tam ad malam quam ad bonam famam ſpectet; *famoſus* tamen plerumque pro *infami* uſurpatur.

Bene *laboribus*, tanquam de Herculi qui terras omnes peragravit.

5 Figura Tmeſis, pro *ludere inter virgines*. *Ludere* autem jam pro *ſaltare* poſuit.

6 *Et ſtellis; Decens Allegoria.* Vet. Schol.

Candidis Dilogως et de puellis et de ſtellis; magis tamen puellis convenit.

8 Nil neceſſe eſt Pholoën iſtam fuiſſe Chloridis filiam, cum ſatis ſit eam fuiſſe ei ætate filiam; quod etiam magis comicum videtur.

Rectius modo pro *convenientius*; non enim pro *conſultius*, ſed potius *ſanius* uſurpat.

9 *Expugnat*; ſignificat eam fuiſſe cithariſtriam; et vagam, uti Bacchi Mænades. B. Pulchre hic laudat Bentleius Sen. N. Q. 4. præf. Adulationi nos opponere, non claudere *oſtium*, et quidem ſic, quemadmodum amicæ ſolet: quæ ſi *impulit* grata eſt; gratior, ſi *effregit*. Et Plaut. Mil. 4. 6. 35. meretrix, amorem militis fimulans, *Occluſæ*, inquit, *ſunt fores*: effringam, &c. G.

10 *Tympanum*, erat minoris cribri forma.

11 Ad Emphaſin dixit *cogit*: ſignificat enim illam non amplius inſtinctu libidinis coactam.

12 Per Catachreſin *capreæ* modo pro *capræ*. B. Quidni *capreæ*, paullo nobilioris animalis? G.

Te lanæ prope nobilem
Tonſæ Luceriam, non citharæ, decent,
Nec flos purpureus roſæ,
Nec poti, vetulam, fæce tenus cadi.

ODE XVI.

AD MÆCENATEM.

Exſecratur inſanum divitiarum amorem, ſeque parvo beatum oſtendit.

METRUM TRIBUS PRIMIS VERSIBUS CHORIAMBICUM, QUARTO GLYCONICUM.

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robuſtæque fores, et vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acriſium, virginis abditæ
Cuſtodem pavidum, Jupiter et Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter et patens,
Converſo in pretium Deo.
Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentius

15 Purpureæ *cod. vet. ap. Bentl.*—16 Vetula *etiam Brod. coll. Sax. Flor. Ven.* 1486. *Locher. male.*

ODE XVI.

4 Adulteriis *Zar.*

13 *Te lanæ;* Lanificium erat infelicium anuum perpetuum opus.

—*Admotaque lanis Emerita quæ ceſſat acu.*
Juvenal. B.

Senſus eſt: Te vetulam decet lanificium, non cithara canere in conviviis virorum, nec coronari roſis, nec bibere vinum large. Z.

14 *Luceria* Urbs Apuliæ lana et Minervæ fano celebris, ut dudum notavit Mancinellus ex Strabone.

16 Peſſime nonnulli Codices, *Vetula*, ac ſi ad *fæce* pertineret, quod etiam Cruquianus Scholiaſtes et MSS. improbant.

Fæce tenus, Græcis εἰς τρύγα Proverbiali ſermone uſurpatur.

ODE XVI.

2 *Robuſtæ fores* proprie a materia, robora. G.

3 *Triſtes; ſeveræ, ergo incorruptæ.* Landinus. *Munierant* modo pro *muniiſſent.*

4 Belle *Nocturnis; Quia adulteris nox apta eſt.* Vet. Schol.

5 *Abditæ*, h. e. e conſpectu ſummotæ. Significat enim ſecurum fuiſſe Acriſium. B. *Pavidum* alio reſpectu vocat poeta. G.

6 *Pavidum; Solicitum, cautum propter oraculum.* Vet. Schol. Cruq.

7 *Fore enim*, ſupple *norant.* Schol. Z.

8 *Pretium*, proprie noctis pretium eſt.

9 *Satellites, homines devotos.* Landinus. h. e. Sacramento aſtrictos.

Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, et ſubruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces.
Crescentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conſpicuum tollere verticem,
Mæcenas, equitum decus.
Quanto quiſque ſibi plura negaverit,
A Dîs plura feret. Nil cupientium
Nudus caſtra peto; et transfuga divitum
Partes linquere geſtio,
Contemtæ dominus ſplendidior rei,
Quam ſi, quicquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

---

11 Occidit *coll. Sax.*—13 Exitio *Brod. coll. Sax. G. Medioll. tres. Ven.* 1479 *et* 1486. *Locher. Bentl. Sed vett. edd. dant* excidio.—17 Inſequitur. G.—25 Contemptæ *etiam G. Medioll. tres. Ven.* 1479 *et* 1486. *Locher.* &c.—26 Impiger *ſic etiam primæ editt. præter Locher. et Ven. Pinc. Sed* non piger *eſt in Ven. et Glar.*

---

10 *Amat*, φιλεῖ, ex Helleniſmo eſt.

11 *Concidit*, quod ſubito ruit et ſemel. Nota eſt Hiſtoria Amphiarai et Eriphyles. B. Fatale erat, Amphiaraum perire ad Thebas: fato ſubducere ſe conantem prodit Eriphyle uxor, monili corrupta a fratre ſuo Adraſto. G.

12 Ipſe Amphiaraus hiatu telluris abſumptus eſt, uxor ab Alcmæone filio occiſa, atque Alcmæon poſtea in furorem verſus.

13 Optimi Cruquii MSS. atque itidem Torrentii *exitio* habebant pro *excidio*, quod videtur et Vet. Schol. probaſſe, ob vocem *exitiale*, quæ apud eum occurrit. Bene etiam *Demerſa* ob prædictum telluris hiatum.

14 *Vir Macedo*, Philippus, oppidorum emtor. B. Lambinus laudat Cic. ad Attic. I. 16. *Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus auro onuſtus poſſet aſcendere.* Z.

15 *Reges dicit Epiri et Moloſſorum.* Landinus.

Munera navium; ad ſua tempora reſpexit, ut de Mæna Sexti Pompeii liberto. Torrentius. Odit enim Horatius Pompeianarum partium tranſfugas et proditores. B. De iſto Mæna, qui Pompeii claſſe prodita ad Auguſtum tranſiit, vid. Dio XLVIII. 45. et XLIX. 1.

18 *Majorum fames*, augendi cupido. *Jure perhorrui*, ergo recte nolui. Z.

19 *Tollere verticem; dicuntur extollere caput qui divitiis celebres fiunt.* Landinus. Proverbiali ſcilicet ſermone.

20 Bene ſubjecit *Equitum decus:* Mæcenatem enim poſuit continentiæ exemplum, quia manſit in equeſtri ordine. B. Mæcenas Harduino Chriſtus dominus eſt; verſu autem 22. ſqq. deſcribuntur Monachi. G.

22 Quid refert ſcribere *Ab dis* pro *A diis*, etſi ſit hoc factum auctoritate Membranarum, quod advertit inſigniſſimus Bentleius?

Feſtive *Nil cupientium caſtra* dicit Stoicorum ſcholam, quam ſæpe Epicureiſmo relicto ex integro repetit.

23 Feſtive etiam *Nudus* de Philoſopho.

—*Dolia nudi non ardent Cynici.* Juvenal.

25 *Contenta; Compoſitæ et mediocris.* Vet. Schol. Sic et Cruquius et Torrentius legere pro *Contemptæ*. Bentleio tamen nulla idonea

Puræ rivus aquæ, ſilvaque jugerum
Paucorum, et ſegetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit ſorte beatior.
Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt vellera paſcuis;
Importuna tamen pauperies abeſt;
Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam ſi Mygdoniis regnum Alyatteï
Campis continuem. MULTA petentibus
Deſunt multa. Bene eſt, cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu.

---

29 *Pro* Puræ Parce *Zar.*—31 Fulgente *conj. Bentl.*—39 Contracta *Brod. coll. Sax. Zar. Medd.* 3. *Ven.* 1479.—41 Alyatthii *G. al.* Alyattici.

---

de cauſa *Contemptæ* placuit, minus diſerto verbo. B. Auctoritates verbi *contemtæ* ſ. *contemptæ* jam poſui. Sententia eſt Stoica: ſapiens, ſolus dives, fit *dominus ſplendidior* atque honeſtior (ut *ſplendide mendax* 3. 11. 35.) *rei* eo ipſo, quod eam non admiratur, magnam putat; ſed parvi facit, ut nihil cum virtute connexam, et contemnit adeo. Dominus divitiarum eſt, qui poteſt illas contemnere, ſic honorum, dolorum, mortis, &c. Hoc eſt illud *Nil admirari*, de quo noſter Epiſt. 1. 6. 1. G.

26 *Impiger* pro *non piger* legit Vet. Schol. cum Torrentii et Cruquii MSS. Nec repugnat lex carminis, quod in Penthemimeri producit ſyllabam brevem.

28 *Inter opes inops;* in animo habuit Tantalum, vel Midam, quod etiam ſenſit Landinus.

29 *Rivum, Digentiam* dicit. B. Cf. ad Od. III. 13.

31 Bentleii *Fulgente* magis placet quam *Fulgentem*. B. Nempe *fulgens imperium Africæ* eſt Proconſulatus divitis provinciæ: hoc beatiorem prædicat ſuam conditionem; licet illud vulgo lateat. Si omnino *Fulgentem* ſervare placeat, *Fulgens i. f. A.* erit Proconſul, quem fugiat illa Horatii felicitas. G. Revocavi lectionem librorum omnium, et interpretor *Fulgentem imp. f. Afr.* eum qui ſplendidus eſt poſſeſſione fundorum Africæ, et ignoratur, agellum Sabinum, ſeu rivum illius, ſilvam mediocrem et agrum fertilem magis valere ad Horatium beatum reddendum. Z.

32 *Fallit*, latet, ex Helleniſmo eſt. B. ut Epiſt. 1. 17. 10.

34 *Læſtrygones oppidum Campaniæ Formias tenuiſſe dicuntur.* Vet. Schol.

35 *Belle Bacchus langueſcit, quaſi feneſcit, ac per hoc veteraſcit.* Vet. Schol. ex MS. Stephani.

Gallicæ oves pretioſiores habentur, earumque præcipue Altinates. Columella (7. 2. 4.), notante Aſcenſio Badio. Gallicas autem dicit e Ciſalpina Gallia.

37 *Importuna; quæ importunos facit et odioſos.* Vet. Schol.

40 *Vectigalia pro reditibus poſuit.* Vet. Schol. ex MS. Stephani.

Porrigam, extendam, ut optime Landinus. *Ait enim parvo contentum plus ſe videri poſſidere.* Vet. Schol. B. Qua proportione cupido contrahitur, ea porriguntur et extenduntur poſſeſſiones. G.

41 *Mygdones, qui et Macedones et Edonii antiquis temporibus pertinebant ad Thracas, unde in Phrygiam commigravere.* Cruquius ex Solino, et Plinio.

Alyattei; Recte Bentleius, auctoritate bonæ notæ Librorum, *Alyattei* in Genitivo pro *Alyattis;* ut *Achilles, Achillei*, pro *Achillis.*

43 *Bene eſt*, h. e. ſatis beatus eſt, quia tranquillam vitam acturus eſt.

ODE XVII.

AD ÆLIUM LAMIAM.

Facete tempeſtatem in craſtinum augurari ſe fingit, quo tempore ſe ad Ælium Lamiam primæ nobilitatis virum, in villa ſua ruſticana modo agentem, ad porcellum invitat.

METRUM UT IN PRIMA.

Ælı, vetuſto nobilis ab Lamo,
(Quando et priores hinc Lamias ferunt
  Denominatos, et nepotum
    Per memores genus omne faſtos
Auctore ab illo ducit originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
  Princeps, et innantem Maricæ
    Littoribus tenuiſſe Lirim,
Late tyrannus) cras foliis nemus
Multis et alga littus inutili
  Demiſſa tempeſtas ab Euro
    Sternet, aquæ niſi fallit augur
Annoſa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum. Cras genium mero
  Curabis et porco bimeſtri,
    Cum famulis operum ſolutis.

2, 3, 4, et 5 *Refecat Sanadonus, ut commentum inepti hominis.*—4 Faſtus *Venet.*—5 Ducit *conj. D. Heinſ. et Bentl. probata etiam Cun.* Ducis *al.*—8 Lyrin *Venet.*

1 Eruditus vir Lævinus Torrentius hoc loco advertit ab *Ælia* gente fuiſſe etiam Antoninos Imperatores.

Ab Lamo, h. e. *Ob Lamum*, Læſtrygonum regem. Atque hinc (inquit Vet. Schol.) vulgo *Lamium genus*, proverbialiter (ut cenſeo) pro vetuſtiſſimo. *Lamiarum cæde madenti.* Juvenal. 4. extr.

2 *Quando, ſiquidem.* Vet. Schol.

Priores, h. e. Majores tuos.

4 *Memores* modo Active accipiendum, ut docte Landinus.

Faſtos Annales dicit. Mancinellus ex Priſciano. B. Priſcia. l. 6. p. 711. duplicem ſe in hoc loco ſcripturam inveniſſe ait, *faſtos* et faſtus. G.

5 Magis placet *ducis* quam Heinſii *ducit*, etſi probet Bentleius. Neque enim probabile eſt *genus omne* dici in Nominativo. B.

Quin non poteſt eſſe *genus* nominativus: cum *per* regat *faſtos*, *ducis* autem vel *ducit* jungatur cum *originem*. Verbo vix poteſt aliter expediri hic locus, quam ratione Heinſiana, *genus omne nepotum hinc ducit originem*. G.

6 *Formiani potentiores videntur fuiſſe Minturnenſibus, et eorum agros tenuiſſe.* Vet. Schol.

7 *Maricam autem Minturnenſes maxime colunt, cujus etiam lucus in ipſa Minturnenſi civitate eſt.* Vet. Schol. *Marica Nympha fuit a qua fluvius nomen accepit.* Idem Schol. Hinc patet *Lirim* atque *Maricam* fuiſſe duo unius fluminis nomina. Hanc fingunt Poetæ fuiſſe Fauni uxorem et Latini matrem.

9 *Tyrannus, validiſſimus Rex.* Landinus. *Tyrannus alibi pro Domino, alibi pro Crudeli, alibi pro Potente ponitur.* Vet. Schol.

10 *Alga*, vernacula noſtra, WRACK.

ODE XVIII.

AD FAUNUM.

Faunalibus, quæ Nonis erant Decembribus, Fauno hymnum canit. (Conferenda eſt Libri I. Ode 17. G.)

METRUM SAPPHICUM.

FAUNE, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis:
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.

7 Crateri *Venet.*

11 *Ab oriente brumali Vulturnus, quem Græci Eurum appellant.* Plinius, adnotante Ludovico Deſprez.

13 *Annoſa cornix; mille annos vivere affirmatur.* Vet. Schol.

Dum potis; per pluviam ſcilicet. Bentleius *potis*, auctoritate vetuſtiſſimorum Codd. quod et ego probo, pro vulgato *potes*.

14 *Genius*, ſive Lar, Græcis Δαίμων, nobiſcum naſcitur, atque ejuſdem formæ eſt qua nos ipſi. Hunc Maximus Tyrius oſtendit eſſe ipſum animum. *Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce.* Juvenal. 15. 146. *Cæleſtem arcem* Solem dicit, qui Pythagoricis Διὸς πύργος, et Mathematicis Κλῆρος Δαίμονος, h. e. *Pars Genii*, dicitur; uti et Luna Κλῆρος Τύχης, h. e. *Pars Fortunæ:* hujus enim eſt corporis imperium. *Dii Genitales* ſunt igitur Sol et Luna. Tradit etiam Servius unicuique eſſe ſuum *Jovem* atque *Junonem*, h. e. malum et bonum Genium; quod huc pertinet. B.

Quin *Jupiter* virorum genius, *Juno* mulierum: ſi modo eſt tale quid apud Servium. G.

15 *Curabis*, Futurum Indicativi pro Imperativo. *Curant Genium*, qui *Genio indulgent*, et opipare epulantur. Notum eſt veteres in conviviis primitias et vini et dapum in ſalino, quod et patellam appellabant (hæc parvæ ſartaginis forma erat) Geniis, ſive Laribus ad focum appoſuiſſe.

16 *Operum ſolutis; Ab opere feriatis.* Vet. Schol.

ODE XVIII.

1 Ægyptiis *Panau*, vel *Phanau*, Pan dicitur, quod eorum ſermone *Videns* eſt. Sol hic eſt in Capricorno. Mendeſii eum caprina forma colebant: erat enim Caper Hiemis Hieroglyphicon, propter arborum corruptelam, quas dentibus ſuis rodebat: quam ob cauſam eum Oſiridi, ſive Baccho, immolabant. B. Hæc docta, ſed nihil, puto, ad Horatium, cujus ſimplicior mythologia. G.

Amator is dicitur qui multas amat.

3 *Lenis; Aiunt enim Faunum inferum et poſſilentem deum eſſe.* Vet. Schol. Hibernum ſcilicet numen. Ἐντί γε ψιχρός. Theocritus. Etiam noſtrum vulgus diabolum cornipedem et biſulcum putat.

Parvis alumnis; Ruris vernulis, quos maxime Fauni lædere dicuntur. Vet. Schol. Etiam noſtrates credunt deos manes (quos Alphos vocant) vel commutare, vel dementare pueros. B. *Pan* et *Fauni* terrorum auctores, qui ſæpe nocent pueris. Vexat pueros morbus, Ephialtes, quem ita deſcribit Plin. 25. 4. ſ. 10. *Faunorum in quiete ludibria.* G.

4 *Æquus; mitis, innocuus.* Vet. Schol. Cruq. h. e. non commotus ira.

5 *Plena anno; Annuale oſtendit ſe facere ei ſacrificium.* Vet. Schol.

6 *Sodalis Veneris cratera*, quæ ſine Bacchi frigere putetur. Sic *ſodalis hiemis Eurus* Car. I. 25. 19. G.

7 *Crateræ;* ſic omnes legunt cum Bentl.

Ludit herboſo pecus omne campo,
Cum tibi Nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus:
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agreſtes tibi ſilva frondes:
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

ODE XIX.

AD TELEPHUM.

Muræna auguratum adepto, Horatius Telephum Poetam Græcum atque ſodalem ſuum hortatur, uti relictis doctis nugis acriter ſecum potare velit. (An occaſionem dedit cœna ipſa auguralis Murænæ, cui ſe fingat cum Telepho adhibitum? G.)

METRUM UT IN ODE XV.

QUANTUM diſtet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Æaci,
Et pugnata ſacro bella ſub Ilio:

12 *Pro* pagus, pardus *etiam Brod. coll. Sax. it. Zar.*

qui primus *Crateræ* repoſuit pro *Cratere*. Crateribus vina conſecrabantur coronis, et aquæ miſcebantur: crater erat pelvis impoſita tripodi.

Vetus ara; erat enim ara publica: privatæ e ceſpitibus fieri conſueverant. B. *Vetus* dici videtur, quod jam ſæpe Fauno ſacra ſint oblata. Z.

9 *Ludit* modo pro *ſaltat*. B.

Quod Nonis Decembribus *herboſum campum* tribuit, jam pertinet ad poeticam et velut enthuſiaſticam deſcriptionem feſti dici, quo præter naturam, prata herbas habent, agni lupos non metuunt, ruſtici terram contemtim conculcant. G.

11 *In pratis*; *Faunalia in ſilvis et pratis celebrabantur*. Vet. Schol. *Et in compitis pagorum*. Vet. Schol. Cruq.

12 *Pagus*, Metonymicως pro *Pagani*. *Pagus* noſtra Paræceſia aliquanto latior erat, atque inerant ei plures viciniæ. B. Qui *Pardum* pro *Pago* hic poſuere, voluerunt illi lupo inter agnos erranti parem dare. Sed neque Italiæ animal Pardus eſt, neque cetera ferri poſſunt. G.

13 *Inter audaces*; *Fauni miracula recenſet*. Landinus.

15 *Inviſam*; *Naturale eſt omnibus odiſſe laboris ſui materiam*. Vet. Schol.

Foſſor; Vinitor; *Cultu vincarum liberatus*. Vet. Schol.

16 *Ter pede*; *Ter ad Rhythmum retulit*. Vet. Sch. Dactylos ſaltabant. A *Ter pede* tripudiare deducit Turnebus: neque aliunde forſan noſtrum TRIP.

ODE XIX.

1 Ἀπροσδιόνυσα hæc, et ad propoſitum nil facientia. B.

Ne quis erret. Non accuſat Horatium Baxterus; ſed oſtendit, jocoſe accuſari ab Horatio Telephum, qui antiquitatem Græcam inter vina diſputet, quæ nihil ad Bacchum faciant. G.

Quo Chium pretio cadum
  Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, et quota,
  Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ propere novæ,
  Da Noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ: tribus aut novem
  Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
  Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet ſupra
  Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta ſororibus.
  Inſanire juvat: cur Berecyntiæ

---

11 Murænæ *Baxt. cf. Serm.* I. 5. 38. Z.—12 Miſcentur *omnes.* Commodum *conj. Cun.* —15 *Pro* tres, ter *Brod.*—18 Berecynthiæ *edd. vett.*

Univerſa Graiorum Hiſtoria ab Inacho pendet.

2 *Non timidus:* Litotes Figura; plus enim intelligitur quam dicitur. B. Hard. Chriſtum dominum Codri nomine ſignari ab impiis carminum Horatii architectis arbitratur. G.

4 *Homericum eſt* Ἴλιον ἱερόν. Vet. Sch. Notum eſt veteres urbium mœnia pro ſacratis habuiſſe.

6 *Quis aquam temperet; tepefactis aquis ſolebant Græci vina temperare.* Vet. Schol. Præſertim hiberno tempore hoc faciebant, uti nunc. B. Malim de balneo calefaciendo intelligere: quis præbeat hoſpiti calidas balneas? et *quota* hora id fieri ſoleat? G.

7 *Quo præbente domum; Quomodo ſolent dicere, Apud quem? et Quota?* Vet. Sch. Gellio *mutitare* eſt *per vices invitare*, quod huc ſpectare putat vir eruditiſſimus Læv. Torrentius.

8 *Sabiniæ imminebant Peligni montes.* Mancinellus. Imo et Peligni et Samnites Sabini erant generis. Belle autem et feſtive *caream frigoribus*, pro *tota nocte bibam.*

9 Abrupto ſermone cum Telepho, poſcit jam poculis majoribus, et titulos ſ. προφάσεις bibendi quærit, Græco more, quem ex Athenæi 10. illuſtrant viri docti. Nempe deos deaſque, et Reges et amicos et amicas, &c. nominant, cauſæ ſunt mille bibendi. G.

Veteres orientia ſidera ſalutare conſueverunt. *Daphni quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?* Virgil. Bene igitur Lambinus *novam Lunam*, ut *novum Solem* dici exiſtimat. *Veteres ſingulos vini cyathos ſub ſingulorum deorum, aut chariſſimorum ſibi nominibus ſolebant in poculum defundere.* Vet. Sch. B. *Da Lunæ*, da cyathum in honorem Lunæ. Lambinus hic tria tempora deſignari cenſet, tempus veſpertinum, mediam noctem et tempus matutinum. Z.

10 Exſtat apud Onomacritum *Noctis* etiam Hymnus; quam Ægyptii (auctore Plutarcho) etiam diei, ob venerabilem ſcilicet Antiquitatem, prætulere. Feſtive autem *Noctis mediæ* et convenienter præſenti materiæ. B. Conf. §. 28. extr. G.

11 Incertum an hic fuerit Terentiæ Mæcenatis uxoris frater. B.

Incertum etiam hoc videtur, utrum voluerit poeta hic ſimpliciter habere honorem Murænæ novo Auguri: an ſimul ita ſignare tempus illud ſupremum noctis et antelucanum, quo ad auſpicia capienda ſurgunt augures, quo conviviæ de cœna hilariore redeunt. G.

12 Recte Bentleius poſt Heinſium *Miſcentur* pro *Miſcentur.* B. Putant nempe viri docti, modimperatorem hic agere Poetam: et ideo mutant lectionem omnium librorum. At ille philoſophatur forte et oſtendit Telepho, qui ſermones deceant convivium: propoſitoque diſcrimine compotatorum, ſe adjungit his, qui ſtrenue bibant. Illud *commodis* ſignificat, *aptos* eſſe cyathos tres in poculo ſobriis, novem inebriari volentibus. G.

Superius monui *Cyathum* fuiſſe majus cochleare: ſuaviter autem *commodis* pro *plenis.*

14 *Attonitus; quod inebrietur.* Vet. Sch. Sic enim legendum pro *Quod non inebrietur.* B.

Quidquid viderit Scholiaſtes, *attonitus* eſt

Ceſſant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fiſtula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi: ſparge roſas: audiat invidus
Dementem ſtrepitum Lycus,
Et vicina ſeni non habilis Lyco.
Spiſſa te nitidum coma,
Puro te ſimilem, Telephe, Veſpero
Tempeſtiva petit Rhode:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

---

27 Rhode G. *coll. Sax. Bentl. Cun. Bos.* Cloë *editt. primæ.* G. *Hanc lectionem, tanquam rariorem et auctoritate optimorum librorum Bentleii comprobatam, recepi pro al.* Chloë. Z.

---

poetæ epitheton, ἐνθουσιάζοντος, ἐμβροντήτου, agitante Deo incaleſcentis. G.

15 Bene *Vates*, cum jam *Muſas* dixerit et *attonitus*.

Hyperbaton pro *ſupra tres prohibet*.

16 Moderatio bibendi alit gratiam convivii. Conf. mox 21. 22. G.

17 *Gratiæ nudæ pinguntur, veluti ſine dolo, ſine fraude, ſine velamine.* Vet. Schol. Nudi etiam dicuntur qui prope nudi ſunt; veluti Gratiæ, quæ levibus tunicis et diſcinctæ incedebant.

Junctæ, manibus nexis, ut fit in choreis.

18 *Inſanire juvat*; Anacreonticum eſt, Θέλω, θέλω μανῆναι.

Berecyntiæ, Phrygiæ; ad quarum cantus ſolent et convivantes ſaltare. Vet. Schol.

21 *Parcentes; Otioſas, quæ neque lyram percutiant, neque ſpargant roſas.* Vet. Sch. eleganter.

22 *Invidus*; falſe *invidus* de avaro, qui vellet, ſi auderet, ac per hoc audentibus invidet.

23 Ethopœia eſt in voce *dementem*, ita enim Lycus eum appellat.

24 Comice *vicini* dicuntur qui non amant inter ſe. B.

Rutgerſius probat lectionem quorumdam MSS. *habili*: et *vicinam* dici putat mulierem, quîcum habitaret quidem Lycus, ſed cui maritum ſe probare ob ſenectutem non poſſet. G.

Non habilis; quia forſan male conveniebat inter eos, ut plerumque fit inter ſordidos. Licet et quiddam gravius ſuſpicari,

25 *Spiſſa coma; Nam et crinium compoſitio in juvenibus amatur.* Vet. Schol. Notum eſt veteres totum capillitium in ſtrias, ſeu funiculos, interplicuiſſe, et deinde hos funiculos unguentis delibutos extendiſſe; bene igitur ſubjecit *nitidum*.

27 Ideo *petit*, quia *tempeſtiva*. B. *Tempeſtivæ* opponi poteſt *non habili* v. 24. G.

Bentleius ex quibuſdam MSS. repoſuit *Rhode*; verum nil tanti. Librarii Scriptores quædam immutavere animi ſui gratia, vel ſaltem lapſu ſuæ memoriæ. B. Sed potuerunt etiam *Rhodæ*, ignorabili ſibi, *Chloën* notiorem ſubſtituere alii. G.

28 *Lentus ignis eſt qui ſine flamma urit.* Vet. Schol. *Lentus amor*, qui exſpectationis tædio macerat.

Meæ, charæ: nam charos amicos ſuos dicebant.

ODE XX.

AD PYRRHUM.

Eximiam Nearchi delicati pueri formam prædicat, significans ambiguum sibi videri, utri Veneri sit aptior. (Certat cum puella de Nearcho puero formoso Pyrrhus. Z.)

METRUM SAPPHICUM.

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gætulæ catulos leænæ?
Dura post paulo fugies inaudax
Prœlia raptor;
Cum per obstantes juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
(Grande certamen, tibi præda cedat
Major an illi.)
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos;
Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

1 Moveas tumultu *codd. quidam ap. Bentl.*—2 Getulæ *vulgo: sed eum Jan. reposuimus scripturam*, quæ l. 23. 10. in *omnibus est libris*. Z.—3 Dira *Brod.* paullum *Brod. coll. Sax. et edd. pri.*

1 *Movere catulos leænæ* Proverbiali Elocutione positum est, de irritabili mulierum animo: unam autem vult.

2 Etsi doctissimi viri aliter sentiant, plane tamen assentior Veteri Scholiastæ, Poetæ in animo fuisse, ex occasione nominis, alterum Pyrrhum, acerrimum Epirotarum Regem cum Romanis iniquo Marte decertantem. B. Non diffiteor, etiam mihi hic Dilogian non placere. G.

3 *Inaudax raptor*; nove posuit pro *non ausus rapere*: Græcum ἄτολμος expressit, auctore Cruquio. B. Mihi magis placeat, *raptor* quidem, sed parum audax ad pugnandum pro præda: ut jungantur *fugies inaudax*. Nisi rapuisset, non posset illa, quam Leænam vocat, repetere. G.

5 Ad Emphasin posuit *per obstantes catervas*, significat enim universam juventutem ejus amore vel primo aspectu raptam.

6 *Insignem* dixit, quasi nullo negotio discerni possit, vel in turba.

7 Non viderunt Interpretes hæc διὰ μέσου, vel per Parenthesin, dici. Fatetur se nescire utri aptior præda futurus sit.

10 *Dentes acuit*; pulchra Allegoria muliebris ferociæ.

11 *Arbiter est qui totius rei habet arbitrium et facultatem*; ut docte Mancinellus ex Festo.

Bene *posuisse fertur* in Præterito, de re quæ tandem fero deprehenditur: *Fertur* enim nova fama; nam habet pulchram Emphasin. E.

Posuisse, i. positos habere, præsens rei perfectæ. G.

ODE XXI.

AD AMPHORAM.

Virum gravem et ſapientem Meſſalam Corvinum, die quodam feſto apud ſe agentem, recitatis vini laudibus, ad hilaritatem invitat.

METRUM UT IN PRIMA.

O NATA mecum conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixam et inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum;
Quocunque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die,
Deſcende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.
Narratur et priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

---

5 Fœtum numine *conj. Bentl. explodit Cun.*—10 Negliget *omnes noſtri.* Negligit *Bentl. ex MS. et Cun.*—12 Incaluiſſe *Bentl. ex citat. Marii Victorini.*

Nudo ſub pede; Proverbiali dictione oſtendit pueri faſtidium atque utriuſque neglectum. Nudus enim pes neutri minatur.

13 *Et leni recreare vento:* hunc locum imitatus eſt Juvenalis.—*Tyrias humero revocante lacernas Ventilet*, &c. Notum eſt pueros infra pubertatem, præſertim delicatos, non fuiſſe detonſos.

15 *Nireus Græcos omnes excepto Achille ſuperavit.* Vet. Schol. ex Homero.

Aquoſa, Græcis πολυπίδαξ, et πίδήεσσα ob fluviorum fontes.

16 Ganymedem dicit, Jovis pocillatorem.

ODE XXI.

1 Hæc lepide et ex conjectura protulit: noverat enim amphoram ſatis fuiſſe vetuſtam, etſi nondum inſpexerat Conſulem. B. Amphoræ ætatem ſignat, non vini: de amphora dicit, illam nunc querelas gerere, nunc jocos: h. e. eadem amphora nunc vinum habuit, quo in rixas incaluere homines, quo boni bene uſi ſunt, &c. Inſcripta figlinis operibus nomina conſulum, quid habet inſoliti? Pittacium teſtæ appoſitum ætatem vini indicat. Ætatem amphoræ videt Horatius, etiam cum ſtat ſublimis in apotheca: nomen conſulis nondum videt: antiquum tamen vinum novit. G.

Lucium Manlium Torquatum dicit, qui cum Lucio Aurelio Cotta Conſul fuerat Anno Urbis 688. Cruquius. Adverte veteres ſcripſiſſe *Manilium*, *Manlium* atque etiam *Mallium*, quod et veteres Torrentii Codd. et Scholiaſtæ tenuere.

2 Varios vini effectus pro convivantium ingeniis lepide percurrit.

4 *Pia teſta*, Metonymicως quod pios reddat. B. Quin quatenus ſomnum conciliat, ut bene Bentl. G.

7 Notum eſt veteres vina ſua repoſuiſſe in ſuperiore granariorum, vel etiam ædium ſuarum, parte, ſub ipſis tegulis; quem locum Vet. Schol. (ſi incorruptus manſit) *Veteranum* dixit. *Attende Elocutionem, Deſcende promere.* Vet. Schol.

8 *Languidiora; Vetuſtate lenita.* Vet. Schol.

9 *Madet; Fluens eſt.* Vet. Schol. *Perfuſus.* Mancinellus. Extrinſecus madidi ſumus, uvidi intrinſecus, ut ſupra monuimus.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas et arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo:
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque; et addis cornua pauperi,
Poſt te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et, ſi læta aderit, Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugit aſtra Phœbus.

13 Amoves *Brod. et additur gloſſa*, ſeparat.

10 *Horridus, cenſorius, ſeverus.* Vet. Schol. Intonſum Catonem in animo habebat.

11 *Priſci; Antiquioris, non Uticenſis.* Vet. Schol. De minore Catone res nota erat et recens. B.

Priſcus tanquam cognomine vocatur in primis editionibus libri de Re Ruſtica. Sed poteſt *Priſcum* vocare etiam Uticenſem illum, cujus certe mores *Priſci*, et notus amor bibendi vel ex Plin. Epiſt. 3. 12. cum de illo antiquo ſapiente hilaritas quidem epularum, ſed nihil præterea annotatum ſit. G.

12 *Virtus Catonis, ipſe Cato.* Vet. Schol. ut ſupra *Nitor Hebri.* B. Nempe ipſe ille vigor animi, ille ardor agendi, quod oportebat, vino non nunquam auctus eſt. *Caluiſſe* hic ſignificantius mihi videtur, et tenorem quendam caloris notare. G.

13 *Lene tormentum; Blanditur ebrietas, et extorquet plerumque animi gravitatem.* Vet. Schol. Hæc ad Meſſalam dicit. Ὀξύμωρον.

14 *Sapientium*, h. e. Philoſophantium, qualis erat Corvinus.

15 *Arcanum conſilium*, dicit aliquod præcipuum dogma quod alias ſtudioſe celabant.

16 *Bene retegis* poſuit ad Etymon *Lyæi*, quod a Λύειν ſolvere: *Aperit præcordia Liber.*

18 *Addis cornua; Per cornua violentiam, et per hoc violationem cerebri intelligi vult.* Vet. Schol. Proverbialis Elocutio eſt. *Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit.* Naſo, citante Mancinello. *Addis* autem pro *apponis* dicit. B.

19 *Trementi*, cum tremore timenti. *Lamb.* Z.

20 *Regum apices.* Perſarum tiaras dicit, apicibus circumſeptas, ut alias diximus. B. *Iratos Reg. apices*, pro iratorum regum apices, h. e. majeſtatem, faſtigium. *Lamb.* Z.

21 *Læta;* perpetuum Veneris Epitheton.

22 *Segnes ſolvere*, poſuit ut oſtenderet dulces ſodales ægerrime ab invicem divelli. *Nodum* dicit trium ſororum in chorea nexum ægre ſolubilem. B. Per *Gratias* intelligit convivarum hilaritatem ſine rixis et tumultu, et jocorum liberalitatem. Z.

23 Eleganter *Vivæ* pro non *extinctæ*. B. Suaviter quoque *producent*, i. paullatim et velut ſorbilando educent. Una illa amphora alet hilaritatem convivarum ad lucem uſque. Gratiæ amant ſobrietatem v. hic 19. 6. G.

ODE XXII.

IN DIANAM.

Epigramma in Pinum juxta villam ſuam ſtantem et a ſe Dianæ dedicatam. (Quid hic ad ſæculares ludos referri poſſit plane non comminiſcor. G.)

METRUM SAPPHICUM.

Montium cuſtos nemorumque, Virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque leto,
Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus eſto,
Quam per exactos ego lætus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

ODE XXIII.

AD PHIDYLEN.

Phidylen villicam ſuam ob pietatem carmine celebrat, oſtenditque pauperculam hanc anum diis eſſe acceptiorem Pontificibus ipſis. (Lepida certe Dacerii et Sanadoni ſuſpicio, Horatium aſtute diſſimulata Epicurei perſona ſic voluiſſe impedire, ne in villa ſua nimii ſumtus fierent in ſacrificia. G.)

METRUM UT IN PRIMA.

Coelo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente Luna, ruſtica Phidyle;

ODE XXIII.
2 Phidile *edd. vett.*

ODE XXII.

1 *Cuſtodes* dii ſunt earum rerum quæ in eorum tutela ſunt.

3 Bene *ter* ad *triformem*. Quin et *numero deus impare gaudet*.

4 *Diva Triformis*, ob Lunæ tres phaſes, et tria regna, Cœlum, Terra et inferos; et tria etiam nomina, Dianam, Lucinam et Proſerpinam.

5 *Pinus* matri deorum Cybelæ ſacrata arbor; neque hoc ſane diverſum erat numen; ſiquidem Græcum Ἄρτεμις a Phrygio Ἄρτα Μμα deductum *Magnam Matrem* ſonat.

6 *Per exactos annos, quotannis*. Vet. Schol. Exacto enim anno recurrunt feriæ.

7 *Apte Verres immolatur Dianæ quæ eadem atque Ceres, frugum dea, quas corrumpunt ſues*. Landinus.

Meditantis, h. e. etiam ante diem ferire conantis; quod idem videmus in vitulis et gallinaceis pullis.

ODE XXIII.

1 *Supinas dixit ad ſuperiora palmas apertas et expanſas*. Vet. Schol.

Si thure placaris et horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quæ nivali paſcitur Algido
Devota quercus inter et ilices,
Aut creſcit Albanis in herbis
Victima, pontificum ſecures
Cervice tinguet. Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.
IMMUNIS aram ſi tetigit manus,
Non ſumtuoſa blandior hoſtia
Mollivit averſos penates
Farre pio et ſaliente mica.

39 Mollivit *MSS. ap. Bentl. coll. Sax. Med.* 1477 *et* 1502, *Ven.* 1479. Mollirit *Cun. ex uno MS.* Mollibit *al. parvo ſententiæ diſcrimine.*

Tuleris modo pro *ſuſtuleris*.

2 *Naſcente Lunæ; Solent enim ruſticæ mulieres in initio primæ Lunæ preces cælo effundere.* Vet. Schol.

Cum alii legant *Phidile*, alii *Phylire*, aliique *Phillide*, mihi præcipue placet Jacobi Cruquii *Phidyle*, quod etiam MSS. fide confirmat. Græcis Φειδύλοι et Φειδύλαι, *Parci* et *Parcæ* dicuntur.

3 *Horna fruge; Vino novello: nunc uſque Tuſci horna novella vina dicunt.* Vet. Schol. *Horna* a Græco ὥρια, quaſi dicas hujus horæ, ſive tempeſtatis.

4 Bene *Avida porca*, *porca* enim Maniæ matri Larium (h. e. Terræ) immolabatur, quod fruges conſumeret.

7 *Dulces alumni; Quos nutrimentorum commendaret affectio.* Vet. Schol. Accepit enim pro Horatii vernulis, non pro pueris ipſius Phidyles.

8 *Pomifero; Pomorum enim vario guſtu langueſcunt corpora.* Vet. Schol. Periphraſis autumni eſt.

10 *Devota; Diis deſtinata.* Vet. Schol. De porcis autem agit ad ſacrificium paſtis.

11 *Albanis in herbis; In Albano antiquitus monte nullos alios licebat quam nivei tauros immolare candoris.* Arnobius, citante Ludovico Deſprez.

12 Bentleius auctoritate rariorum Codicum pro *ſecures* in Plurali, poſuit *ſecurim*: magis tamen nobis placet plurium Pontificum plures etiam dici *ſecures*. Certe Numerus multitudinis ſolet magis placere Poetis. B. Hic plures et victimæ et Pontifices tanto magis *ſecura* poſtulare videntur. G. *Pontificum*, a quibus publice immolabitur victima major. Z.

14 *Bidentium; Bidentes proprie dicuntur oves duos annos habentes, ſic vocatæ ab eminentioribus dentibus, qui circa duos annos naſcuntur.* Vet. Schol. B. *Tentare*, placare. Z.

15 Bene *parvos* cum ante poſuerit *multa cæde*. Parvula erant pauperculorum numina, uti fere privatorum omnium.

Coronantem; ſiquidem diebus feſtis dii coronari conſueverant, tanquam epulaturi. B. Si coronas. Z.

17 *Immunis; Subaudiendum extrinſecus ſceleris.* Vet. Schol. B. Quid ſi utrumque hic reſpexit Horatius? debuit quidem: *immunem*, quæ conferre nihil poſſit, quæ ſceleris nihil admiſerit. G.

ODE XXIV.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt ſæcula luxu
Divitiæ molles. JUVENAL. 6. 298.

METRUM UT IN ODE XIX.

INTACTIS opulentior
Theſauris Arabum et divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Neceſſitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campeſtres melius Scythæ
(Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos)

4 Apulicum *etiam ex MSS. Lambi. Bentl. Cun.* Punicum *legit Landi.* Ponticum *al.*—5 *Pro* Si *Bentl. conj.* Sic, *et parentheſin facit* (Sic—clavos).—6 Dura *conj. Bentl. et ſic olim legit Schol. Porphyr.* Z.

Tetigit manus: ſacrificantes aram tangebant. Landinus ex Virgilio. Significare volebant puras ſibi eſſe manus.

18 Sentio cum Vet. Schol. *ſumtuoſâ hoſtia* dici in Nominativo caſu, neque moror brevem ſyllabam in Penthemimeri, quicquid contradicant Interpretes. B. Ultima in *ſumtuoſa* etiam producitur ob ſequens *blandior*. Senſus, *Hoſtia* quantumvis *ſumtuoſa* non *blandior* ſ. blandius mollire ſolet deos, quam mollit manus innocens, *farre* ſolo et *ſale* oblatis. Conf. ad Car. 1. 16. 8. G.

19 *Mollibit*, vetuſte pro *Molliet*. Bentleius ex Editione Veneta *Mollivit* repoſuit pro *Mollibit*. Verum nihil opus, cum neque ipſe Horatius ſemper horreat Archaiſmum in declinando. B. Mollivit, mollire ſolet. Z.

20 *Farre pio; Sal enim cum farre incendebatur.* Vet. Schol. Veteres ruſtici *panem et ſalem*, quibus ipſi fere veſcebantur, etiam diis obtulerunt ſuis. Superius (ad 2. 16. 14.) monui ſalem fuiſſe tunc temporis pro butyro. B. *Pium far*, piis manibus, animo pio oblatum. G.

ODE XXIV.

1 *Intactis*, h. e. Romanorum armis nondum tactis.

3 *Cæmentis; Saxis ad fabricandum proviſis.* Vet. Schol. Proprie *Cæmenta* lapidum fragmenta dicuntur, jaciendis fundamentis utilia.

Occupat qui totum in uſum ſuum vertit, neque quicquam aliis relinquit.

4 Trium Torrentii MSS. auctoritate adductus *Apulicum* repoſui, cum alii legant *Punicum*, alii *Publicum*, alii etiam *Ponticum*.

5 Hoc eſt, Si tamen verum eſt moriendum tibi eſſe neque ingentes opes quicquam valituras adverſus fatum. Mire ſe torquet Bentleius ut aliquem eliciat ſenſum, cum omnia tamen ſint plana. Diſplicet eidem erudito viro Epitheton *dira*, et de ſuo reponit *dura*: cum tamen illa efficacior vox ſit; atque hoc facit reclamantibus omnibus. Certe mors prædivitibus *dira* res eſt æque ac *dura*. Verum *i* atque *u* fuere olim ὁμοιόφωνα, quæ poteſt eſſe erroris cauſa. B. Conf. 1. 35. 17. ſqq. Verbo ſi nullius tantum faſtigium eſt, quod fato illum eximat. G. Quandoquidem invicti fati neceſſitas arcte tenet in ſua poteſtate quicquid vel in ſummo poſitum eſt faſtigio. Z.

Superius monuimus *adamanta* etiam duratum ferrum appellatum fuiſſe. V. 1. 6. 13.

6 *Neceſſitatem hic pro morte poſuit.* Vet. Sch. quam clavis et cuneis armatam veteres finxerunt.

Bene ſubjecit *caput*, cum jam *Verticibus* poſuerit, quibus *Neceſſitas* clavos ſuos adegerat: Bene etiam *laqueis expedies*, ac ſi mors nos ex inſidiis invaderet; Metaphora a venatorum retibus deſumta.

Vivunt, et rigidi Getæ,
  Immetata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
  Nec cultura placet longior annua;
Defunctumque laboribus
  Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
  Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
  Conjux, nec nitido fidit adulterο.
Dos est magna parentium
  Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas,
  Et peccare nefas, aut pretium emori.
O quisquis volet impias
  Cædes et rabiem tollere civicam;
Si quæret PATER VRBIVM
  Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
  Clarus postgenitis: quatenus (heu nefas!)

24 Aut pr. mori *coll. Sax. it. Zar.* Aut pr. emori *MSS. aliquot ap. Bentl.* Aut pr. est mori *al.*—26 Aut rabiem *Ven. Glar.*—27 Quærit *codd. ap. Bentl.*—30 Carus *cod. Canteri.* Quatinus *Lamb.*

9 *Campestres; Quod in campis sine tectis vivant.* Vet. Schol. Sive quod silvestrem regionem incolant. B. *Melius*, innocentius. Nam refertur ad sequentia. Z.

10 Hamaxobios describit. G.

11 *Rigidi Getæ; Propter frigora regionum.* Vet. Schol.

12 *Liberas*, quæ cedunt in usum communem. Z.

14 *Annua; Continuæ sedis incerti.* Vet. Sch.

15 *Defunctum, liberatum.* Vet. Schol.

16 *Vicarius* servi servus est. *Vicem laborandi inter se præstare barbaros ostendit.* Vet. Schol. B. *Vicarius* h. l. est qui pari conditione, eodem agro colendo, succedit ei, qui pridie laboravit. Z.

18 *Temperat; Pocula parat.* Vet. Schol. B. Bona certe sententia: noverca innocens *temperat* pocula vel ordinaria vel medica *privignis*, nec abutitur ea occasione. Sed etiam illud promtum, *temperat* i. parcit. G. Posterior ratio placet. Z.

20 *Fidit adultero;* In Ablativo dicitur *adultero:* quasi diceret, ob *adulteri* formam fiduciam sibi sumit, neque erubescit. B.

23 Servatio sancta et constans matrimonii, quæ abhorret alieni viri consuetudinem. Z.

24 Corrupit intelligentiam hujus loci præpositio *e* in verbo *emori* accepta pro *est*. *Dos est magna—castitas*, et quod *peccare* contra legem matrimonii *nefas* putant, *aut* si omnino vel invitis acciderit peccare, ut Lucretiæ, *pretium* illius involuntarii coactique peccati existimant *emori* et ipsas et auctores. Quin peccati talis etiam intentati, nondum peracti *pretium* putant *emori*, ut in Icilia, in tribuno Mariano. G.

Mire *pretium* de mœcha posuit, quæ ab amatoribus *pretium* solebat exigere.

25 Frigidiusculum videtur nobis Bentleii *O! quis, quis* divisim, pro *O! quisquis*. In re gravi atque seria exclamari solet *O*.

26 *Civicam*, vetuste pro *civilem*. B. Intelliguntur bella civilia. Z.

27 Pulchre *urbium*, dissimulat enim se in animo habuisse Augustum Patriæ Patrem.

30 *Clarus postgenitis;* significare vult Augus-

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges, ſine moribus
Vanæ, proficiunt, ſi neque fervidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque ſolo nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutiſque viam deſerit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, ſcelerum ſi bene pœnitet.
Eradenda cupidinis
Pravi ſunt elementa; et teneræ nimis

32 Invidis *conj. Cruſ.*—39 *Pro* ſolo, gelu *conj. Bentl. quem refellit Cun.*—49 Materiam *edd. vett.*

tum ob legem Juliam de adulteriis laboraſſe plurimorum invidia.

Quatinus cum Vet. Schol. Cruquii et Mancinello pro *quatenus* reponendum duxi. *Quatinus Conjunctio eſt tantum; quatenus autem Adverbium temporis et loci.* Vet. Schol. Bentleius tamen male edidit *quatenus*. B. Hujus peccati ipſe quoque reum me fateor, cum pleriſque nempe libris. Cauſa dicta in Theſauro. G. *Quatenus*, ſiquidem.

31 *Virtutem* maluit nominare quam Auguſtum. B. *Incolumem*, dum vivit vir bonus, evergeta.

32 Bene et Pathetice, *Sublatam ex oculis* poſuit, ſubjecturus *quærimus*. B. h. e. deſideramus.

Invidi; Vere enim per invidiam fit, ut boni viri cum amiſſi ſint deſiderentur. Vet. Schol. h. e. ex perverſo et maligno ingenio.

33 *Quid triſtes querimoniæ?* excuſare videtur legis Juliæ atrocitatem. B. Senſus eſt: Querela de corruptis moribus nil prodeſt, niſi ſcelera ſeveris legibus reprimuntur: nec ipſæ leges vim habent, niſi mores corrigantur et diſciplina publica et privata emendetur. Z.

34 Uſitato Charientiſmo adulterium *culpam* vocat.

35 *Sine moribus; Vanæ ſunt leges ſi non obſerventur a moribus.* Vet. Schol.

36 *Si neque fervidis;* παρὰ προσδοκίαν iſta ſubjecit, omnia mala divitiis imputaturus.

44 Nihil opus Bentleii *deſerere* pro *deſerit*. Horatius ſumme delectatur conſtruendi varietate.

Arduæ; in animo habuit Pythagoricum Y, virtutis vitiique ſymbolum.

45 *In Capitolium;* h. e. Jovi Capitolino cum reliquis hoſtium ſpoliis conſecremus.

46 *Faventium*, plaudentium triumpho: *Favere* enim *plaudere* eſt.

Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis. Neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet; ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea:
Cum perjura patris fides
Conſortem ſocium fallat et hoſpitem,
Indignoque pecuniam
Hæredi properet. Scilicet improbæ
Creſcunt divitiæ; tamen
Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

60 Hoſpites *Brod. Med.* 1477, Ven. 1479, *Flor.* 1486, *&c.*

47 *In mare* res exſecrabiles demandari ſolebant.

48 Leniter jam *inutile* pro *exitiabile* poſuit, per Charientiſmum. B. *Lapides*, uniones, margaritas.

49 *Summum malum avaritiam dixit, ex qua vitia omnia procreantur.* Vet. Schol.

51 Bene *Eradenda* de *elementis*, quæ ſunt Alpha, Beta, &c.

52 Per Dilogiam *teneræ* pro *effœminatæ* et *pueriles* poſuit, ut oſtendunt ſequentia.

54 Bentleius ſuo ipſius fretus acumine de *Formandæ* fecit *Firmandæ*, apponitque iſta verba notatu digna: " Aio affirmoque fic ab Ho-" ratii manu fuiſſe ſcriptum." Niſi eruditam habuiſſet aurem, hæc non dixiſſet. B. Non diffiteor, mihi quoque magis placere *Firmandæ*, ſed non ideo alterum abjudicarim Horatio. G.

55 *Hærere* dicitur qui caſuro ſimilis eſt.

57 *Trochus* circulus erat æneus cui crepitacula, vel tintinnabula quædam, appenſa ſunt, et a pueris agebatur.

60 *Conſortem ſocium; Socium ejuſdem ſortis in damno et lucro.* Cruquius. *In Aſſe.* Vet. Sch. Cruq.

Nequeo videre cur magis placuerit Bentleio *hoſpites* quam *hoſpitem*. Certe major pars Codicum non ſemper melior eſt; neque ipſe ita ſentit Bentleius, niſi adſit ſuus calculus. B. Mihi *hoſpites* tanto minus placet, quia non amat Horatius homœoteleuta, *fides—hoſpites*. G.

62 *Improbæ*, h. e. *improbe*, vel *importune et indefinenter*. B. *Properet*, cupide corradat. Z.

64 *Neſcio quid modo pro aliquid. Neſcio quid* dicimus de re quam non plene comprehendimus qualis ſit. *Curtum* autem dicitur quod omnes ſuos numeros non videtur implere. B. *Abeſt*, ſcil. ex opinione avari. Z.

ODE XXV.

AD BACCHUM.

Horatius ſuper mero Bacchi ſpiritu percitus, ſuaviter Auguſti laudes cantat.

METRUM UT IN SUPERIORE.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum! quæ nemora aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova! quibus
Antris egregii Cæſaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inſerere et conſilio Jovis!
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non ſecus in jugis
Exſomnis ſtupet Evias,
Hebrum proſpiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen. Ut mihi devio

---

2 Quæ nemora *Brod. G. edd. primæ, Bentl.* Quæ in nem. *al.* Nemora, quos *Cun. conj. G.* et quos *ed. Ven. et Glar.*—9 Ex ſomnis *Gott. Zar. Ven.* 1479. *Loch. Fabr.* Ex ſomniis *Med.* 1486 et 1502. Et ſomnis *Ven. Pinc.* E ſomnis *Flor.* 1482, et *Ven.* 1486. *it. Cun. et Sanad.* Exſomnis *inde ab H. Steph.* Edonis *ſola conj. Bentl.*—12 Luſtratum *MSS. ap. Torrent. Vid. Heinſ. et Bur. ad Ovid. Met.* 9. 165. Ac mihi *Bentl. ex* 3. *codd.*

1 Admirabundus dixit *Quo me, Bacche, rapis!* Landinus. *Liberum Patrem invocat, eo quod ipſe Muſicus Deus ſit.* Vet. Schol.

2 Per *nemora* et *ſpecus* intelligi vult Nymphas et Satyros Bacchi chorum. Vid. Ode 1. Lib. 1.

3 Bene *velox mente*, de ebrio.

Nova; *Præſentia numinis nova.* Vet. Schol.

Quibus graviter pronuntiandum: eſt enim ſubjunctiva particula, et *Epexegeſis Figura.* Vet. Schol. *Ab antris provenire ſolebant ab aliquo deo immiſſi furores.* Landinus.

4 *Egregii; quaſi unicus inter mortales ſit.* Landinus.

5 *Æternum decus* de novo quodam aſtro intelligendum. *Vos æterni ignes.* Virgil.

Meditans, ſic Virgilius, *Muſam meditaris avena.* Significare vult Auguſti immortalitatem ex parte carminibus ſuis deberi.

6 Plurimi MSS. cum Vet. Schol. Cruquii *concilio* habuerunt pro *conſilio*, quod et Torrentius et Cruquius probarunt. *Quaſi annuat eum in ſignum cæleſte converſum iri: Qua locus Erigonen inter Chelaſque ſequentes Panditur.* Landinus ex Marone Ge. 1. 33. Ex antiquo Apollonii Rhodii Scholiaſte didicimus duodecim Signa Jovi fuiſſe a conſiliis, quæ ideo Βυληφόρους Ægyptii appellaverunt, ut errantes ſtellas Παραβλοφόρους, ſeu lictores, quia horum mandata exſequebantur. B. Locus eſt ad 4. 262. p. 409. extr. G.

8 *Indictum ore alio*; bene hoc, quia præmiſerat *recens*. Et *inſignis* et *recens* erat Carminis ſui materia.

9 *Exſomnis* dixit quod nocturna erant Bacchi Sacra. Bentleius ex conjectura ſua repoſuit *Edonis* ſatis audacter. B. Nemo reprehenderet, credo, *Edonis*, ſi ex bono libro proferretur. Sed nihil eſt cur quæramus aliud, ſive *ex ſomnis* vel *e ſomnis* legatur h. e. e ſomno ſubito evigilans, et auguſtum ſpectaculum magis admirans, ſive *ex ſomnis* vigilans, et nocte ab Luna illuſtri illa proſpiciens. Et vigilias nocturnas, et ſubitum e ſomno motum convenire Bacchis, certum eſt. G.

Evias pro Baccha ponitur. *Evius* autem et *Lenæus* Bacchi erant Autumnalia nomina: e

Ripas et vacuum nemus
Mirari libet! O Naïadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum eſt,
(O Lenæe!) ſequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

13 Rupes *Ven. et Lamb.*—17 Humile *etiam Fl. et Ven.* 1486.—18 Eſt *omiſit Jani. fide duorum librorum.*

quibus *Evius* ab Εὖς quod Græcis *bonum* atque *divitem* ſonat, deducitur, quod auctor ſit frugum, adeoque convenire videtur cum Plutone et Dite Patre: nam et *Bacchum apud Inferos regnaſſe ferunt* (ut verbis veteris Scholiaſtæ utar). *Lenæus* autem a Ληνὸς *torcularis lacus* declinatur, quod calcandis uvis utilis credatur.

12 *Devio; Repleti numinis per devia agi et remota conſueverunt.* Vet. Schol. Exemplo dantur a Rutilio Bellerophon et veteres Monarchi.

13 Omnes fere MSS. *Ripas* pro *Rupes* legebant, quod et Torrentius et Cruquius probabant. Quod et mihi etiam placuit ob ſequentia; *vacuum* ſcilicet *nemus* et *mirari*. *Ripas, fluminum ſcilicet ad voluptatem.* Mancinellus. Bentleio diſplicuit *Ripas*, et de ingenio ſuo repoſuit *Rivos*, cum bene figuratum ſit *ripas* pro *rivos*, nec deſint exempla plurima. B. Sic 4. 2. 31. G.

14 *Naïadum*; i. e. *Muſarum, Nymphæ noſter amor Libethrides.* Mancinellus. B. Non dubium eſt, *Libethrides nymphas* eſſe Muſas, Virg. Ecl. 7. 21. Sed hæ Naides vel *Naiades*, Bacchi comites, an Muſæ? G. *Potens*, Bacche domine.

15 *Valentium; Numinis ejus inſtinctu.* Vet. Schol. h. e. Arte præſtigiatoria, ut oſtendimus ſuperius Ode 19. Lib. I.

17 Quinque Torrentii MSS. habebant *humile* pro *humili*, quod et mihi videtur magis convenire, etſi claudicet Metrum, quod nil moror. Quis enim credat Poetam poſuiſſe *nil humili modo*; cum ſuperius Ode 3. hujus libri dixerit, *Magna modis tenuare parvis*, de Lyrico ſuo carmine? B. Non tam ratio Baxteri me movet, ut *humile* præferam, quam illud, quod videtur gradatio eſſe in *parvum, humile, nil mortale.* G. Cum nec Baxteri nec Geſneri ratio placeret; reſtitui optimorum et plurimorum *humili*, ob metrum, ob *modo*, ob ſenſum: nam vult loqui modo ſublimi. Z.

18 *Dulce periculum*, Ὀξύμωρον Figura. Habet etiam Emphaſin: ſignificat enim ſe *amabili inſania* abreptum neſcire quo deus ducat, libenter tamen ſequi.

19 Si intercludemus *o Lenæe*, ut modo exclamatio ſit, ut *io Bacche, Evöe*, et ſimiles, non allocutio proprie dicta: nihil opus erit conjectura Bentleii, *Te, Lenæe, ſequi ducem.* Venuſtior forte hic verſiculus: ſed alter, quem libri omnes habent, magis Bacchicus. Cui generi illud etiam accenſeo, quod ambigue poſuit *cingentem v. t. p.* quod æque ad poetam, quam ad Bacchum referri poteſt, vitioſa alioqui ratione, ſed tali carmine non indigna. Cæterum recte Baxterus ad poetam refert. G.

20 *Cingentem tempora*; h. e. cantantem et ſaltantem: Nam coronati et cantabant et ſaltabant veteres, ut in ſacris debuere.

ODE XXVI.

AD VENEREM.

Horatius pæne emeritus Cupidinis miles, ægre tamen militiam dimittit. (Amare se desiturum ait, Chloæ pœnam imprecatur, ut amet. G.)

METRUM UT IN PRIMA.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.
O quæ beatam, Diva, tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

---

7 Vectis, secureſque *ſola conj. Bentl.* et harpas *conj. Cun.*—10 Memphim *vulg. ſed Bentl. ex edd. duabus et codd. quibuſdam formam Græcam, quam amat Horatius, recepit.* Sythonia *edd. vett.*

---

1 Ad Emphaſin dixit *nuper idoneus*; nam ſignificare vult ſe jam ob ætatem minus valere: et mire *nuper*, ac ſi paucis diebus conſenuerit.

2 *Non ſine gloria*; *Non ſine opinione boni amatoris.* Vet. Schol. B.

3 *Arma*, ipſam lyram intelligit Acro. Z.

4 Notum eſt veteres cum artem aliquam dimitterent, inſtrumenta ejus artis deo, in cujus tutela fuerant, ſuſpendere conſueviſſe: atque ἐνθάδε poſuit *hic paries*, ac ſi certus jam foret, et immobilis in propoſito.

5 In ſuperiori Templorum parte, parieteque auſtrali anathemata pendebant. Siquidem ipſum numen meridiem ſpectabat. B. Deorum ſedes ſeptentrio. Varro apud Feſtum V. *Siniſtræ aves.* G.

7 *Funalia, faces quibus amicarum januæ urebantur aliquando.* Mancinellus. B. Non ad januas comburendas, ſed ad lucendum. *Vectes* adhibebantur ad fores effringendas. Sed quorſum *arcus*, cum aliis me ignorare fateor. Z. Quorſum *arcus?* Sagittarii non erant Romani: et quis ſagittis peteret puellam? *Foribus minaces* eſſe poſſunt illæ machinæ poliorceticæ, quas recentior certe ætas *arcubaliſtas* nominavit. Hoc malim, quam mutare verba omnium librorum. Interim *harpæ* paullo modeſtiores *ſecuribus.* G.

10 Lucus erat Memphi, Veneris Hoſpitæ, ſive Græcæ, quam nonnulli Helenam fuiſſe credebant. De qua Herodotus 2. 112.

Carentem Sithonia nive; non ſolum Tanaquillus Faber, Acriſia proles, hunc locum reprehendit, ſed etiam vir magnus Lævinus Torrentius. Verum ſi advertiſſent *Scythici*, vel *Thracii*, nomen Proverbiali quadam figura frigoribus frequenter apud Poetas hærere, non invidiſſent Lyrico Poetæ perpetui Epitheti uſum.

Ego nolo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos
Scythicas pati pruinas. B.

Forte ea cauſa fuit poetæ hujus imaginis, quia frigus excuti, injici ignem Chloæ petit. G.

11 *Sublimi* Dilogos uſus eſt, quod et dea

ODE XXVII.

AD GALATEAM.

Sub Galateæ marinæ deæ nomine nobilem quandam amatam a navigando in Græciam deterret: Etsi enim nihil ambigat, quin dii sibi tam piæ puellæ vice auguratum ituro prospera auspicia daturi sint; consultius tamen ducit sibi a procelloso mari, præsertim vero hiberno tempore, cavere, quam auguriis ejusmodi fidere. Deinde adjecto pulcherrimo de Europes raptu Episodio ostendere conatur parum convenire formosis maria trajicere. (Harduino si credimus, auctor Gallicam nobilitatem dehortatur a navigatione et expeditione, quam 1234 Joannes Briennensis comes suscepit in terram sanctam. G.) *(Galateam a navigatione avocare videtur Poëta non tam ominibus infaustis quam Europæ exemplo.* Nam omina mala, *inquit*, eveniant improbis hominibus, et priusquam cornix tempestatem gravem portendat, ego exorabo Deos ut faustum omen mittant. Quare per me eris felix ubique nec ulla avis mala iter tuum impediet. Etsi autem indicia quædam tempestatem gravem portendunt; Dii tamen periculum omne vertant in hostium uxores. Sed ut tu te navi, ita olim tauro se credidit Europa; cujus consilii ipsam vehementer pœnituit.—*Summa igitur carminis venustas maxime cernitur in honorificentissima Galateæ comparatione cum Europa regis filia, pia, casta, quæ ob formam et virtutem uxor Jovis facta et nomen immortale est nacta. Verum si quis locum* 66-71 *malit ad vim argumenti referre quam ad exornationem narrationis et laudes Europæ; is, mea sententia, rectius consilium carminis totius ponet in eo, ut Poëta Galateam timidiorem et dubitantem ad audacter navigandum hortetur. Rem viris doctis judicandam relinquo.* Z.)

METRUM SAPPHICUM.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, et prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes; 4

---

sublimi curru veheretur, et *sublevato ictu vehementer feriret*, ut ait Vet. Schol. Pulcherrimus hic Iconismus est.

12 *Tange semel*, lepidissime ac si diceret, unica hac vice summitate tui flagelli vibicem incute. Ostendit sibi labasse propositum. *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.* B. Vid. argum. *Semel*, ut non sæpius opus sit. G.

ODE XXVII.

1 Ad Emphasin *Impios* statim ab initio posuit; ostendit enim Galateam ob pietatem deos habere sibi propitios.

Etsi nemo Interpretum hactenus explicaverit quænam sit *Parra* avis, ego tamen pro *Pico viridi* (Gallis *Pivert*, et Germanis Specht) accipiendam duco: erat autem hic ex Meropum, sive Melissophagorum genere; quin et ipse Servius Meropem viridem fuisse tradit. Quod etiam vetus Kyranidarum Interpres confirmat. *Merops* (inquit ille) i. e. *Parra, avis omnino viridis.* Hæc avis etiam hodie vulgo nostro pluviarum præsaga creditur. Sæpius etiam eundem cantum repetit, quod voce *recinentis* plane significare videtur. Mecum etiam sentit Albertus Magnus. In Kyranidis etiam pro *Gangrænam Gargrænam* legendum censeo, quod Teutonice *omnino viridem* sonat.

3 *Ravus color dicitur niger mixtus cum fulvo.* Vet. Schol. *Festo inter flavum et cæsium*, ut adnotavit Lambinus; quod idem fere sonat.

Crediderim multos lupos fuisse in agro Lanuvino. Non longe erat hic locus a Via Appia, qua Brundusium ibant.

4 *Fœta* idem est quod supra *prægnans. Canes, lupi et serpentes* etiam Onirocriticis hostes sunt,

Rumpat et ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos: ego quid timebo
Providus auſpex?
Antequam ſtantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicunque mavis,
Et memor noſtri, Galatea, vivas:
Teque nec lævus vetat ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion: ego, quid ſit ater

7 Quid tim. *etiam G. coll. Sax. Brod. Zar. Med.* 1477 *et* 1502, *Ven.* 1479. *Loch.* Cur *Fl. et Ven.* 1486. Cui *MS. ap. Cruq. Fabr. H. Steph. Torr. Rutg. Heinſ. Bur. Bentl. it. Ven. Lamb. et Jani.*—8 *Poſt* auſpex *quidam comma ponunt.*—13 *Ex vitioſa lectione cod. Steph.* navis *corrigit Rutgerſius* nabis.—15 Vetat *Brod. MS. Lambi. et Bentl. it. Cun.* Vetet *al.*

adeoque graviores ſi gravidæ fuerint, ob hoſtium ſcilicet pullulantem numerum.

5 *Rumpat, interpellat.* Vet. Schol. De *Rumpat* Bentleius auctoritate unius Codicis fecit *Rumpit*, quod quis probet? B. Omnino conceſſivo modo hic poſuit *Rumpat*, h. e. vel impediat actu, quod jam moleſtum eſt; vel rumpere conetur, diſſuadeat, cum infortunio non parentis augurio. G.

Inſtitutum; cœptum: nam idem *inſtitutio* quod nos vulgo *Introductionem* dicimus.

6 *Similis ſagittæ*, h. e. uno impetu; Proverbialis dictio etiam hodie. Mire nugantur Interpretes, dum nodum in ſcirpo quærunt.

7 *Manni equi dicuntur puſillis quos vulgo burdos vocant.* Vet. Schol. Burdus ex equo et aſina eſt, uti mulus ex aſino et equa. Burdis et mulis meritorias rhedas trahebant Roma Brunduſium.

Cum Cruquii MSS. repoſui *quid timebo* pro *cui*: ſic etiam in duobus libris Lambinus legerat. Non potuit certe ignorare *cui* timeret. Oſtendit autem ſe nihil timere, cum eſſet *providus auſpex*, adeoque bona auguria conceptis precibus elicere valeret, quod periti et *providi auſpicis* erat. Minus placet Bentleii *cui*; voluit ſignificare ſe nihil timere.

9 *Repetat paludes*; huc ſpectat et Virgilianum illud de cornice (Ge. 1. 389.) *Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena*: nam ad litora maris, et margines ſtagnorum tali tempore ſolæ deambulare ſolent. B.

Irridet illam ſuperſtitioſam diſciplinam: dicit, ſe occupaturum malum pluviæ auſpicium, quod faciat cornix ſolitaria, et prius nunciaturum lætum corvi clarum canentis augurium: ut adeo a ſe bene ominatum iter puella habitura ſit. G.

11 *Oſcines dicuntur aves quæ voce augurium faciunt, præpetes quæ volatu.* Vet. Schol.

Corvum modo cornicem dicit.

12 *Ab ortu ſolis proſpera corvi omina ſunt, adverſa ab occaſu.* Vet. Schol. *Ego vero ab ortu ſolis id verum eſſe expertus ſum pluries.* Mancinellus.

13 *Sis felix; precationis formula hæc erat.* Cruquius. B. Indicat, addicere aves, promittit læta, quantum ad auſpicium: ſed mox aliud magis timendum objicit. Illud lepidum, quod tanquam partem augurii ſui illud quoque ponit, *memor noſtri vivas*, quaſi hac lege promittatur iter auſpicatum. G.

Ubicunque mavis; i. e. *Etſi ſine me eſſe mavis.* Vet. Schol.

15 *Lævus; modo infelix.* Torrent.

Vetat præfero, jungendum cum *licet*: cum *ſis* et *vivas* copularunt, quibus *vetet* placuit. G.

Picus Martius et *parra* oſcines erant et præpetes. Crediderim tamen parram jam dici picum, ut ſupra cornicem corvum.

16 *Vaga*, ſola ſecum ſpatians.

17 Bene *trepidet* et *tumultu*: nam *tumultus feſtinatio motus eſt non ſine terrore.* Vet. Schol.

18 *Pronus Orion*; in *occaſum vergens.* Vet.

Adriæ, novi, ſinus, et quid albus
Peccet Iapyx.
Hoſtium uxores puerique cæcos
Sentiant motus orientis Auſtri, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloſo
Credidit tauro latus, et ſcatentem
Beluis pontum mediaſque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis ſtudioſa florum, et
Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte ſubluſtri nihil aſtra præter
Vidit et undas.
Quæ ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater, o relictum
Filiæ nomen, pietaſque, dixit,
Victa furore!
Unde? quo veni? levis una mors eſt
Virginum culpæ. Vigilanſne ploro

22 *Pro* Auſtri, hædi *Muret. et Lambi. nempe Muretus ſic conjecit ob locum* III. 1. 28.—23 *Sic omnes ante Bentl.* Trementis Verbera ripæ *MS. ap. Bentl.* Trementes Verbera ripas *Baxt.*

Schol. *Sub Decembrem ſcilicet menſem, tum occidit Orion.* Cruquius. *Quia amicam non valet precibus retinere, minis tempeſtatis conatur.* Vet. Schol. B. Harduinus, *Pronus Orion*, inquit, dixit ingenioſe et recte pro labante et inclinato et proximo occaſui imperio Orientis. Tanti eſt ſapere. G.

19 *Novi;* acerba recordatione terret.

Albus jam pro *etſi albus:* proprie autem *albus* et *ater* de cœli facie. B. Iapyx etiam ſereno cœlo extimeſcendus. G.

20 *Peccet, peccare ſoleat.* Stephanus. Iapyx Calaber, vel Appulus ventus ab Iapygibus incolis Græci generis.

21 *Hoſtium uxores; Latinis ſcriptoribus a Græcis invaluit uſus iſtius figuræ ut ſiquid timendum ſit, in hoſtium caput imprecentur.* Eraſmus. Sic et Ovidius: *Hoſtibus evéniant convivia talia noſtris.*

22 *Omnes MSS. habent Auſtri, non hædi.* Torrentius et Cruquius.

24 Cur mallet Bentleius *Verbere*, ſicuti et mox v. 26. *at* pro *et?* Auri ſuæ plerumque nimis hic fidit et indulget. B. *Ripæ verbera* fluctuum *trementes* eſt procellæ periphraſis: *verbera* Græcus caſus poetæ noſtro familiaris. Interea nihil auſim in bona ſententia contra conſenſum librorum. G.

Ripas modo pro *litora* poſuit per Catachreſin.

25 Verecunde jam *niveum latus* pro ventre, vel femoribus poſuit. *Latus* etiam de anteriore parte dixit Ovidius; *Et lateri conſeruiſſe latus*, ſignificans coitum. Neque abeſt laſciva Dilogia hoc loco.

27 *Medias fraudes; In medio dolo cognitas.* Vet. Schol. h. e. Sero deprehenſas.

28 *Audax antea.* Stephanus.

30 *Debitæ;* ex voto ſcilicet.

31 Ad Emphaſin ſolitudinis *ſubluſtrem noctem* nominavit; et bene ſubjecturus *aſtra.*

33 Expreſſit Græcum Ἑκατόμπολιν.

34 *Relictum filiæ*, bene pro neglectum, qui patrem reliquerat.

35 *Quid pietas niſi voluntas grata in parentes?* Cicero, citante Mancinello.

36 *Victa furore* dicitur quod furorem cont

Turpe commiſſum? an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit? meliuſne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratæ! lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monſtri.
Impudens liqui patrios penates;
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque ſuccus
Defluat prædæ, ſpecioſa quæro
Paſcere tigres.
Vilis Europe, pater urguet abſens,
Quid mori ceſſas? potes hac ab orno

39 Vitio *contra omnes libros Bentl.*—48 Monſtri *MSS. plures ap. Bentl. Brod. coll. Sax. Ven.* 1479. *Med.* 1486 *et* 1502. *Talb. Cun.* tauri *reliquorum gloſſa videtur.*

nere non valeat ulterius. B. Queritur pietatem ſuam *furore* ac temeritate *victam*. G.

38 *Virginum* nomine et ſe intelligit, quæ tauro inſidioſo fidem habuerit, et ſuas comites, quæ ſe non retraxerint, eripuerint: et unam mortem nimis levem culpæ pœnam prædicat. G.

Solito Charientiſmo *culpæ* poſuit pro *vitio*.

39 *Commiſſum* gravius culpa eſt, ſignificat enim conſilii negligentiam, et parum caviſſe.

Facile aſſentior hoc in loco magno Bentleio magis hic convenire *vitio* quam *vitiis*. B. Quidni *vitiis* dixerit poeta? Poterat Europe exprobrare ſibi levitatem animi, impietatem, temeritatem, &c. G.

40 *Imaginem vanam* umbram dicit, ut etiam ſuperius: nam *falſa mittunt inſomnia manes*. Virg.

41 *Porta Eburna juxta Homerum vanorum ſomniorum eſt, uti Cornea verorum. Vult enim ſemper latere verum, et cum aliquando ex parte patet, interjecto a nobis velamine videri.* Porphyrius, citante Mancinello. B. Vid. viri docti ad finem Odyſſ. σ, et ſexti Æneidos. G.

45 *Infamem* iracunde protulit pro *turpem*.

48 Rectiſſime Bentleius, ductus plurium Codicum auctoritate, reſcripſit *Cornua monſtri*, pro *cornua tauri*. Et recte *monſtri*, quod ſe in humanam formam mutaverit cum virginem vitiabat.

49 *Impudens, turpiter, Nomen pro Adverbio.* Vet. Schol.

50 *In Euripidis Alceſti Orcus Alceſtidis crinem abſcindit gladio, ut Proſerpina Didus apud Virgilium.* Mancinellus.

52 *Nuda; ſine auxilio.* Vet. Schol. Cruq.

53 *Turpis macies; Ante deteriorationem formæ optat perire.* Vet. Schol.

54 *Succus, viriditas.* Vet. Schol.

55 Miſeratione ſui ſe *teneram prædam* dicit; mox tigribus devorandam, uti ſperat.

Specioſa pro *adhuc ſpecioſa* dicit.

57 Male accepit hunc locum Eraſmus cum *Europæ* legerit in Dativo. *Dubium non eſt quin me pater vilem æſtimet et appellet.* Vet. Schol. B. Et tamen mihi videtur ſententia, conveniens huic loco, *Pater vilis* et contemtus *Europæ*,

Pendulum zona bene te ſecuta e-
lidere collum.
Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant; age, te procellæ
Crede veloci; niſi herile mavis
Carpere penſum.
Regius ſanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remiſſo
Filius arcu.
Mox, ubi luſit ſatis, Abſtineto,
Dixit, irarum calidæque rixæ,
Cum tibi inviſus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis eſſe neſcis:
Mitte ſingultus; bene ferre magnam
Diſce fortunam: tua ſectus orbis
Nomina ducet.

59 Secuta e-lidere *Heinſ. poſt Muret. et MSS. apud Lambi. it. Bentl. Cun.*—71 Jam tibi injuſſus *conj. Bentl.*

vel tibi o *Europe*, nunc *abſens* illam *urguet* et terret, dum minax illius vultus obverſatur oculis. Sic etiam Lambi. Cruqu. cet. G.

Urgemus et manibus et verbis cum properare cogimus.

59 *Zona*; quam ſcilicet Jupiter ſolverat: Ad Emphaſin.

60 *Lædere* modo pro *Elidere* per Aphæreſin. De *Lædere* Bentleius de ſuo ingenio fecit *Elidere*: ſed nihil hoc opus ſententia mea. B. Etiam hic puto dignius eſſe Horatio *elidere collum*, quam ſimplex *lædere*, cujus multo dilutior ſignificatio eſt: nec deeſt auctoritas, ut oſtendi. G. Etiam ſic eſt in ed. Ven. ergo recepi. Z.

65 Bene *dominæ tradi* ſubjecturus *pellex*: *timenti* ſcilicet *meæ pulchritudini*. Vet. Schol.

67 *Perfidum, doloſum*. Vet. Schol.

Remiſſo arcu; *Tanquam qui Europæ jam debellaſſet pudorem*. Vet. Schol.

69 *Ubi luſit ſatis*; *Ridebat enim quod eam imago tauri decepérit*. Vet. Schol.

Homericum eſt, Λῆγε χόλοιο.

70 *Calidæ rixæ*; *Ex commotione animi venientis*. Vet. Schol.

71 *Cum tibi inviſus*; Ironia reſpiciens ad v. 45. ſqq.

Bentleius in notis ex conjectura de *inviſus* fecit *injuſſus*, quod probare nequeo. B. Ipſum *inviſus* habet leporem, qui tibi modo ita *inviſus* eſt, mox vero placatæ carus erit denuo. G.

73 Solando poſuit *uxor* pro *amica*.

Eſſe neſcis; falſe ut rudem et ſubruſticam tangit. *Neſcis te gerere conjugem Jovis*; ut ſcitè Vet. Schol. B. Poteſt etiam Græciſmo ſolenni ſignificare, *neſcis te uxorem eſſe?* et ſic videtur accepiſſe Ro. Stephanus, Bentleius, alii. G.

ODE XXVIII.

AD LYDEN.

Amicam ſuam fidicinam ad potandum ſecum et cantandum Neptunalibus provocat.

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, ALTERO CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

FESTO quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde, ſtrenua Cæcubum,
Munitæque adhibe vim ſapientiæ.
Inclinare meridiem
Sentis; ac, veluti ſtet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, et virides Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
Latonam, et celeris ſpicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Gnidon
Fulgenteſque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis viſit oloribus:
Dicetur merita Nox quoque nænia.

2 Facias *corrigit Bentl. quia in Lydæ domo hæc comiſſatio ſit habita. Sed et ita* faciam *ſuum obtinet locum:* hodie nil melius facere poſſum quam bibere. Ergo, &c. Z.—7 Diripere *ed. Ven. Glar.*—13 Cnidon *Ven. Lamb. Bentl.*

2 Etſi Bentleius de ſuo ingenio, ſatis probabili cum ratione, de *faciam* fecerit *facias*, ego tamen *faciam* ſervandum duco. Certe qui facit per alium facit etiam per ſe. B. Quin Lyde fidicina eſt ad rem ſacram advocata ab Horatio. Vid. ad 3. 11. 6. G.

3 *Strenua*, i. e. *cita*. Vet. Schol. B. Celeriter, non cunctanter. Alii diſtinguunt poſt ſtrenua. Z.

4 Bene *Munitæ* dicturus *adhibe vim. Græci aiunt vim adhiberi ſapientiæ per vinum*. Vet. Schol. Unde conſtat Proverbio fuiſſe apud Græcos: *Dulce eſt deſipere in loco*. B. Expugna vino gravitatem tuam, et da te ludo et hilaritati. Z.

6 *Sentis*, i. e. *cernis*. Vet. Schol.

7 Vocibus *deripere* et *ceſſantem* oſtendit ſe impatientem morarum.

8 *Bibuli conſulis; Conſul hic erat quinto Horatii anno*. Cruquius.
Vina recondebantur et in amphoris et in cadis.

9 *Invicem*, h. e. ego Neptunum, tu Nereidas: nam mares fere deos colebant, et fœminæ deas. B. Vid. Car. 1. 21.

10 *Virides*, *Herbis ſimiles aquæ fucatione*. Vet. Schol.

11 Bene *recines*: nam ut ille incepit a deo, ſic et illa ſua vice repoſuit deas; cui et ipſe vice item ſua ſuccinebat.

13 *Summo carmine*, h. e. *Supremo*. Vet. Schol. Cruq. B. Extrema carminis parte cantabimus Venerem. Z.
Torrentii meliores libri *Gnidon* pro *Cnidon* ubique legerunt, ut et Vet. Schol.

14 *Fulgentes*, ut ſupra *nitentes*, *longe apparentes*. Vet. Schol.

ODE XXIX.

AD MÆCENATEM.

Suadet Mæcenati ſuo, ut æſtuoſo jam tempore, relicta urbe publiciſque negotiis, rure apud ſe aliquantulum ſibi indulgeat. Deinde philoſophico et ſplendidiſſimo exceſſu oſtendit, ſupervacuam eſſe curam futuri et amorem divitiarum.

METRUM UT IN PRIMA.

TYRRHENA regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, et
Preſſa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me eſt. Eripe te moræ;
Ne ſemper udum Tibur et Æſulæ
Declive contempleris arvum et
Telegoni juga parricidæ.
Faſtidioſam deſere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum et opes ſtrepitumque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo ſub lare pauperum

2 Verſum *Brod.*

Credibile eſt Venerem in pleriſque *Cycladibus* fuiſſe cultam.

Modo Bentleius metuit Ὁμοιοτέλευτον; ideoque de Græca Declinatione *Paphon* reſcribit *Paphum:* Quis novit utrum Horatianum erat?

15 *Olores*, columbæ et paſſeres erant in tutela Veneris, currumque ejus trahebant.

16 *Nox* etiam antiquis et thure et fidibus colebatur. Lepide autem ad finem noctem adjecit, cum noctem Lydes exſpectaret, quod etiam ſignificat appoſita voce *merita*. Et bene *Nænia*, quæ puerilis cantio eſt, et ad ſomnum præcipue accerſendum a nutricibus uſurpata. B. Ita Poculum ſuum *Nocti* deſtinat ſupra 3. 19. 11. G. Ipſa Nox cantabitur carmine conveniente. Z.

ODE XXIX.

2 *Non ante verſo*; h. e. pleno et recenti. Inclinata teſta defundebant vinum, non autem ſiphonibus mittebant, uti hodie.

Lene, h. e. vetuſtate lenitum.

4 *Balanus glans unguentaria eſt.* Vet. Schol. Cruq. Græcis Μυρεψάλαινον, unde unguentum balaninum confectum eſt.

5 Bene *jamdudum*, dicturus *Eripe te moræ* et *ſemper*.

6 Torrentii libri legerunt *Nec* pro *Ne*, quod et nos probavimus, etſi Bentleius minus probet. B. Ob ſenſum et fidem omnium librorum reſtitui *Ne*. Z.

7 *Contempleris*, ex ingenti Mæcenatiana turri, unde et infamis Nero urbis incendium proſpectabat, hanc dehinc *molem* dicit.

8 Periphraſis Tuſculi a Telegono conditi. B. Telegonus Ulyſſis ex Circe filius patrem ignotum, ad quem viſendum Ithacam petierat, interfecit: quo facto in Italiam redux condidit Tuſculum. G.

10 Indicat *turrim Mæcenatianam*, ſive illa peculiare ædificium fuerit, in hortis Mæcenatis, ſive tota domus excelſa ita dicta. Vid.

Cœnæ, ſine aulæis et oſtro,
Solicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedæ pater
Oſtendit ignem; jam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis,
Sole dies referente ſiccos.
Jam paſtor umbras cum grege languido
Rivumque feſſus quærit, et horridi
Dumeta Silvani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat ſtatus,
Curas; et urbi ſolicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaiſque diſcors.
PRVDENS futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit deus;
Ridetque, ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruſcum
In mare; nunc lapides adeſos,

17 Andromedes *Ven. et Glar.*—28 Diſſors *conj. Bentl.*—35 Dilabentis *Ven. Glar.*

Meibom. Mæc. 28. 21. et viri docti ad Sueto. Nero. 38. G.

11 Ironia eſt in voce *beatæ*. B. Eſt opulentæ. Z.

12 Ex turba *fumus* eſt; ſic et Juvenal.

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?
Centum convivæ ſequitur ſua quemque culina. B.

Intelligo *fumum* proprie ex fumariis aſcendentem. Z.

15 *Conſuetudo apud antiquos fuit, ut aulæa ſub cameras tenderent, ut ſiquid pulveris caderet, ab ipſis exciperetur.* Vet. Schol. in Sat. 7. Lib. II. Ex *oſtro* lectulorum integumenta fiebant.

17 *Columella ſcribit ſeptimo Idus Julias Cepheum veſpere oriri; Idibus autem Juliis Procyon exoritur: Mane decimo tertio Kal. Auguſti, Sol in Leonem tranſitum facit.* Mancinellus.

Bene *occultum ignem*; ſiquidem occultæ ſunt ſiderum vires, ſenſibuſque noſtris incognitæ. B.

Credo nihil dici aliud, quam Cephei ſidus, *occultum* antea, ortum. Col. 11. 2. 51. *Sept. Idus Jul. Cepheus veſpere exoritur.* Et mox, *Idibus Juliis* Procyon *exoritur mane.* Et XIII. *Cal. Aug. Sol in* Leonem *tranſitum facit.* G.

Lambini Codices cum Vet. Schol. legerunt *Andromedæ*, non *Andromedes*.

22 Bene *horridi* de Silvano piloſo numine. B. Cum reſpectu ad dumeta et vepres. G.

24 Sentio *ripam* jam dici pro maris litore.

25 *Oſtendit Mæcenatem præfectum urbi eo tempore fuiſſe.* Vet. Schol. B. Vid. 3. 8. 17.

28 *Bactra; Straboni Zariaſpa.* Landinus.

Diſcors; Incolæ illius regionis feroces ſunt. Vet. Schol. B. Sive *diſcors* inter ſe, et meretur ea res attentionem amici Cæſaris; ſive *diſcors* et non ſatis pacatus Romanis. G.

29 *Prudens:* conſulto celat arcana ſua deus, quo præſentibus bene utamur.

33 *Componere æquus;* h. e. placida mente in ordinem diſponere. B. Aperte refert illud

Stirpesque raptas, et pecus, et domos,
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinæque silvæ,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum
Quodcunque retro est efficiet; neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sævo læta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces

42 *Pro* licet, decet *Med.* 1477.

παρὸν ἐν διέδαι vel ἐν πουσὶν, quod jam Platonis tempore antiquum ferebatur. Pulchre: nam præsens gravidum futuro. G.

Cætera fluminis ritu; per Allegoriam describit vices vitæ humanæ. Vet. Schol.

35 Lambini et Cruquii Codices *delabentis* pro *dilabentis* reponunt, quod et aptius mihi videtur.

40 *Diluvies nove tempestatem dixit, cum omnes auctores diluvium posuissent.* Vet. Schol.

41 *Ille potens sui*, i. e. *Ille felix est, qui modum vitæ suæ habet.* Vet. Schol. B. Respexit Sen. Epist. 12. *Ille beatissimus est, et securus sui possessor* (hic, *potens sui*) *qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit*, vixi, quotidie ad lucrum surgit. Vid. totus locus et de Benef. 5. 17. G.

47 *Diffinget, convellet.* Vet. Schol. h. e. denuo finget. B. V. Sat. 2. 1. 79.

48 *Vexit*, h. e. secum egit.

49 *Sævo negotio;* ac si sævitia esset Fortunæ negotium, absque qua non esset læta.

50 *Veteribus usitatum Elocutionis genus ludum ludere, sicut vitam vivere.* Vet. Schol.

53 *Quatit pennas;* Iconismus aufugientis Fortunæ.

54 *Resigno;* h. e. *reddo.* Vet. Schol. Demto signo chirographum dissolvimus.

55 *Me involvo; diserte*, i. e. *Me mea virtute munio.* Vet. Schol. Tanquam toga scilicet vel pallio.

56 *Sine dote;* in animo erat Proverbium; *Satis dotata mulier quæ proba est.* Cruquius. B. Nempe Pauperiem facit personam, honest-

Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis præſidio ſcaphæ
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret, geminuſque Pollux.

ODE XXX.

Horatius juſtus operis ſui æſtimator audet vaticinari perenniora fore ſibi libertini filio monumenta Carminum vel æneis nobiliſſimorum virorum ſtatuis et Ægyptiorum regum Pyramidibus. (Videtur Horatius hac ode finire omnino voluiſſe libros carminum. Hinc vetus ſcriptor vitæ ait coactum ab Auguſto tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere. Hoc carmine coronidem impoſitam ſæcularibus carminibus, credat qui poteſt. G.)

METRUM CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei

62 Tum *Loch. et Bentl. ex MSS.* Dum *San.*—64 Ferat *MSS. Bentl. it. Gott.*

ODE XXX.

1 Monimentum *edd. vett.*

tam, multorum bonorum paratricem, ſororem bonæ mentis, virtutis magiſtram, &c. ceterum indotatam. G.

57 *Non eſt meum; Nec vitæ nec propoſiti mei eſt.* Vet. Schol. B.

Hoc dicit, non eſt meum demittere me in eum locum, ubi votis opus ſit. G.

59 *Et votis paciſci;* hunc locum imitatus eſt Perſius: *Nec tu prece poſcis emaci.*

61 *Avaro divitias mari;* ex Proverbio eſt, ob maris ex naufragiis divitias.

62 *Ironice hæc adjecit.* Vet. Schol. Significare vult ſe nunquam operam daturum mercaturæ. B. Si omnino me deprehendat procella, facilius longe cum ſcapha biremi evaſero, quam oneraria nave gravata mercibus. G.

64 Non video Bentleii *Aura ferat* melius eſſe vulgata lectione *Aura feret.*

Geminuſque Pollux; utriuſque et Caſtores et Polluces Poetis dicuntur: Siquidem Veteribus et fratres et ſorores cognomines eſſe conſueverunt. Et Progne erat Philomela, et Philomela Progne. B. Conf. Car. 1. 3. 2. et 1. 12. 27. G.

ODE XXX.

1 *Exigere* verbum Circi. Exacto enim ſpatio finis erat decurſionis. B. Ergo eſt *perficere.*

Hunc locum imitatus eſt Ovidius in Epilogo Metamorphoſeων.

2 *Situ* jam pro ſtructura poſuit.

Πίεμμι Ægyptiorum lingua vir eſt. Quo nomine crediderim eos heroas ſuos, ſive antiquos reges appellaſſe.

3 *Impotens valde potens.* Vet. Schol. h. e. pertinaciter fortis: valet enim *in* in *impotens* idem quod *in* in *impetus.*

5 *Fuga, lapſus.* Vet. Schol. Cruq. h. e. inſenſibilis volatus.

Vitabit Libitinam. Uſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus,
Et qua pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos. Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

12 Regnavit *etiam Lambi. Torr. Bentl. ex MSS. Editi ante Lambi. it. coll. Sax. Br. et Gott.* Regnator.

7 *Libitina, lectulus in quo mortui efferebantur.* Vet. Schol. *Eſt autem Libitina locus in urbe quo conſtituuntur qui efferenda corpora conducunt, et præbent funeribus neceſſaria.* Vet. Schol. in Sat. 6. Lib. II. Deæ Libitinæ ſive Proſerpinæ fanum erat. An *Libitina* quia facit quod libet? Eſt enim imperioſa.

8 *Recens* modo pro *virens.*

9 *Cum tacita; Conſuevere ſacrificaturæ Capitolium tacentes aſcendere.* Vet. Schol. Ad vitanda mala omina ſcilicet. B. Virgines, præſente Pontifice, in actione religioſa, nihil magis decet, quam ſilentium. Ingenioſe Marcilius advocat ſacra Angeronæ, ſilentii Deæ, et Veſtalis quæ referret Muſam Tacitam Numæ, de qua Plut. in Numa, p. 65. B. Sed nihil ſolidi ſubeſt. G.

10 *Aufidus;* præcipue patriam ſuam nominat, quod non fecit Ovidius.

11 *Daunus*, quatenus jam fluvius eſt, *pauper aquæ;* olim rex Apuliæ. Qui *Regnator* cum Rutgerſio, Heinſioque et Burmanno retinent, intelligunt *Et qua obſtrepit* fluvius modo, olim rex Daunus. G.

12 *Regnavit Populorum; Annotanda Elocutio quæ per Genitivum figurata eſt.* Vet. Schol. Sic legit et Servius et tres MSS. Cruquii, cum alii habeant *Regnator*, qui non intellexerunt Helleniſmum.

Equidem fidem Bentleio non puto habendam verba iſta *ex humili potens* ſpectare ad regem Daunum magis quam ad ipſum Flaccum. Quin ſatis ſalvo ſuo pudore Horatius poſſit magnifice de ſe loqui ob gratiam Auguſti, tanti Principis?

Potens modo pro *nobilis.* B.

Potens lyræ, carminis: potens muneribus muſarum, gratia Cæſaris, &c. Quæ quidni de ſe prædicet, qui cetera hujus carminis? *Vates potentes* vocat ipſe Car. 4. 8. 26. G.

13 *Æolide dialecto Alcæus uſus eſt.* Vet. Sch. B. Alcæum vero et Sappho, itidem Æoliam, præſertim expreſſit noſter. G.

14 Bene *deduxiſſe carmen:* eſt enim *carmen* a carpendo; carminantque lanas lanificæ cum non *ſinunt eas eſſe rudes*, verum carminibus ſuis purgant et extendunt. Sic et Ovidius, *Ad mea perpetuam deducite tempora carmen. Deduxiſſe* autem Metaphora eſt a longis nentium filis. *Tenui deducta poemata filo:* Noſter in Epiſtolis.

16 Illud *volens* habet venuſtatem: eſt enim ex formula publica, *volens propitius*, &c. G.

Q. HORATII
FLACCI
CARMINUM
LIBER QUARTUS.

ODE I.

AD VENEREM.

Maximo interjecto intervallo Horatius, Auguſti hortatu adductus, quartum hunc libellum in honorem privignorum ejus edit: (Sic auctor vitæ Horatii) quare ſuaviſſima Allegoria uſus, ſe apud eum excuſat ob alieniorem ætatem rei ludicræ jam minus idoneum; quin et hanc provinciam Paulo Maximo ornatiſſimo juveni tradendam cenſet. Ad ultimum tamen fatetur languidulam amoris flammam ſibi adhuc identidem revireſcere. (Mihi ſic videbatur: cum ſemel placuiſſet novum librum edere, in eum conjectum eſſe quidquid ad manus erat. Dilogia hic quidem non placet. G.)

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, ALTERO CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

INTERMISSA, Venus, diu,
Rurſus bella moves? Parce, precor, precor.
Non ſum qualis eram bonæ
Sub regno Cinaræ. Deſine, dulcium
Mater ſæva Cupidinum,
Circa luſtra decem flectere mollibus

4 Cynaræ *edd. vett.*

1 *Intermiſſa*, h. e. Cum fuerint intermiſſa. R. Scilicet ad *bella* referendum. G.

2 *Moves* ad Emphaſin poſuit, ſignificat enim præter ſpem eveniſſe ſibi, ut iterum luderet.

3 *Bonæ*; ſuaviter recordatur defunctæ; cui (in Epiſtola ad Villicum) ſe *immunem placuiſſe* ſcribit.

4 Proverbiali formula *ſub regno* de mortua Amata. *Dignitatem formæ ejus oſtendit dum reginam ſignificat.* Vet. Schol.

Jam durum imperiis. Abi
  Quo blandæ juvenum te revocant preces.
Tempeſtivius in domum
  Pauli, purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi,
  Si torrere jecur quæris idoneum.
Namque et nobilis et decens
  Et pro ſolicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
  Late ſigna feret militiæ tuæ:
Et quandoque potentior
  Largis muneribus riſerit æmuli,
Albanos prope te lacus
  Ponet marmoream, ſub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
  Duces tura, lyræque et Berecyntiæ

9 Domum *Bentl. ex MSS. coll. Sax. Cun.* Domo *al.*—11 Comeſſabere *edd. vett.*—20 Citrea *ex MSS. Cruq. Lamb. Torr. Bentl. Talb. Sandby. Cun. Sed* Cypria *editt. et MSS. al. omnes.* —22 Berecynthiæ *edd. vett.*

5 Pulcherrimis Antithetis *ſæva* et *dulcium* oſtendit quam male ſibi ſecum conveniat; quod etiam ſignificatur ſupra voce *bella*.

6 Bene *flectere* ſubjecturus *durum*. Equus dicitur durus qui ægre flectitur fræno. Significat ſe ætate *durum*. Perſeverat etiam in Antithetis dicendo, *durum* et *mollibus*: non recuſat enim flecti ſi poſſit. B. *Mollis* ad rem equeſtrem ſic pertinet: V. Burm. ad Ovid. A. A. 1. 9. *Mollis* eſt mobilis. G.

9 *Domum*; ita recte Bentleius.

10 *Purpureis*; *Purpureum pro pulchro Poetæ dicere aſſueverunt*. Vet. Schol. Albinovano etiam nix purpurea dicitur. Quicquid late ſplendebat et candebat per Catachreſin purpureum dicebatur: illud enim in coloribus ſummum erat.

Ales; *Quia currus ejus ab alitibus trahebatur*. Vet. Schol.

11 Non *Comeſſabere* ſed *Comiſſabere* legerunt Lambinus et Cruquius ex MSS. Κῶμος Græcis deorum erat pervigilium. B. *Comiſſari* eſt comiſſatum ire. G.

12 Jecur ſedes amoris etiam, certe Zelotypiæ. Vid. Epiſt. 1. 18. 72. G.

Quærimus quod cupimus. B.

13 *Decens*, pulcher.

14 *Non tacitus*; Litotes Figura; minus dicit quam intelligit.

15 Lepide *Centum puer artium*; ſignificare vult eum etiam Poeticæ operam dediſſe. *Centum* Παροιμιακῶς de eo quod caret numero.

16 *Late ferunt ſigna*, qui longe lateque armis ſuis proferunt imperia.

17 *Quandoque* modo pro *Quandocunque*: ſic alibi: *Quandoque bonus dormitat Homerus*.

18 Sive *Largi* legeris ſive *Largis* tantundem fuerit. Bentleio tamen magis arridet inuſitatior lectio *Largi*. B. *Riſerit*, pro *fuerit*. Z.

19 *Albanus lacus*; *hodie lacus caſtelli Pandolphi*. Mancinellus. *Ubi Paulum dicit optima prædia poſſidere*. Vet. Schol.

20 *Sub trabe Cypria*; *Pro amœnitate Veneris elaborata*. Vet. Schol. *Cypria* modo pro Paphia. Fruſtra ſunt qui reponunt *Citria*, librariorum inſcitia adducti, qui raro ſcribebant T et literas P et T non facile dignoſcebant. B. Quin huc pulchre conveniat *Cypria* et Cedr arbore *trabes*, non poteſt dubitari. Etiam *Cypriam trabem* de navi dixit noſter 1. 1. *Citrea trabes* an quis veterum memoret, neſcio. *Mensæ e citro* jam ſat pretioſæ hac ætate, et lati fundiorum taxatione emtæ. v. Plin. 3. 15. 29.: nedum ut cogitemus trabes et contigna tionem templi. G.

22 Bentleio poſt Heinſium magis placet *lyraque et Berecyntia tibia*; atque hoc auctoritat quorundam veterum Librorum: Ego tame nihil moveo, cum conſtructio ſit magis Hor

Delectabere tibiæ
  Miſtis carminibus, non ſine fiſtula.
Illic bis pueri die
  Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
  In morem Saliûm, ter quatient humum.
Me nec femina, nec puer
  Jam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu! Ligurine, cur
  Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
  Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis ego ſomniis
  Jam captum teneo: jam volucrem ſequor
Te per gramina Martii
  Campi, te per aquas, dure, volubiles.

24 Mixtis *Ven. Bentl. Jan.*—37 *Sic primæ edd. MSS. Bentl. &c.* Te ego *Lamb. Torr. Ven. Chab. Non male, opinor: quia ſic ſingulis ſomnii partibus additur* Te. Z.

tiana. B. Mihi propter alternationem vocalium maxime placet lectio primarum Landini editionum, *lyraque et Berecyntiæ, &c.* G.

24 *Carminibus* modo pro modis Muſicis.

25 *Bis die*, mane ſcilicet et veſpere, quibus temporibus Veteres orientia et cadentia ſidera ſalutabant. B. Obſerva choros puerorum et puellarum, ut in ſacris aliis. G.

27 Veteres etiam ob candorem pedum laudabantur, quia nudis pedibus incedebant. Sic et Anacreon; Χ' ὁ λευκώλενος Θέτις. B. Sic ἀργυρόπεζα Thetis Homero. G.

28 *Saliûm* pro *Saliorum*. Vet. Schol.

Quatient modo pro *ferient*. B. *Ter quatere humum* eſt *tripudiare*, ut in equis *tripedare*. G.

30 *Animi*, amoris. Z.

34 *Rara*; ac ſi furtim laberetur lacrimula; quod oſtendebat lentorem amoris. B. *Sed*, cum me ab amore jam eſſe alienum modo dixerim: *cur* mihi invito lacrima exprimitur? cur, &c. et recenſet alia ſummi amoris et deſiderii indicia. Z.

35 *Parum decoro* dicit ob ætatem.

36 *Cadit lingua*, cum in medio ſermone vox ſubito intercipitur. *Incipit effari mediaque in voce reſiſtit.*

40 *Dure, inflexibilis.* Vet. Schol.

Volubiles dicit *aquas* Tiberis: nam poſt campeſtria exercitia natabant, ut ſupra dictum eſt.

ODE II.

AD ANTONIUM IULUM.

Iulus Antonius Triumviri (ex Fulvia) filius Octaviæque privignus rogavat Horatium, ut Pindarica quædam in Sicambricam Augusti Victoriam conscriberet; cui rei dum simulat se minus idoneum, atque ipsum Antonium id melius præstare posse affirmat, Pindarum nihilominus ipsum sublimitate superat.

METRUM SAPPHICUM.

PINDARUM quisquis studet æmulari, I-
ule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis;
Seu deos, regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ;

6 Quum—salvere *coll. Sax.*

1 *Iulus* Antonii hujus cognomen: ostendit et illustrat Reimar. ad Dio. 54. 26. t. Ne nos turbet Harduinus, qui audacter negat, nomen hoc vel cognomen usquam legi. Utrum in duo versiculos distrahi nomen voluerit Horatius, N. L. nisi quod Græcissat. G.

2 *Ceratis ope*; h. e. *Periculum suæ existimationis incurret.* Vet. Schol.

3 Antiqua vitra sunt etiam adhuc cœrulei coloris.

5 *Monte decurrens; Significat eum in dicendo citum et sensibus abundantem.* Vet. Schol.

9 *Laurea Apollinari*; Credo eum habuisse in animo Certamen gymnicum in honorem Apollinis ab Augusto institutum, quo victores Poetæ lauro coronabantur.

10 —*Nova; Dixeris egregie notum si callida verbum Reddiderit junctura novum.* A. P. 47. B. *Dithyrambus* quasi Διὰ θριάμβου, Carmen Libero Patri proprium.

11 *Numĕris* jam posuit pro Rhythmis: nam Dithyrambica Rhythmis constabant, non metris. Rhythmi autem (auctore Quintiliano) *neque finem habent certum, nec ullam in contexta varietatem: sed qua cæperunt sublatione ad depos tionem usque decurrunt. In his, Lex pedum n quæritur, aut syllabarum, sed æquali sono voc Dithyrambi et æquali Rhythmo cantantur.* Si enim legendus est Vet. Schol. Ejusmodi era etiam Hebræorum Psalmi. B. Vid. quæ di putamus ad Quint. 9. 4. 45. sq. G.

13 *Deos dixit propter Pæanas Pindari, Re*

Sive, quos Elea domum reducit
Palma cœleſtes, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore ſignis
Munere donat:
Flebili ſponſæ juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moreſ-
que aureos educit in aſtra, nigro-
que invidet Orco.
Multa Dircæum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus. Ego, apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operoſa parvus
Carmina fingo.
Concines majore Poëta plectro
Cæſarem, quandoque trahet feroces

23 Deducit *Ven. Glar.*—26 Quotiens *Bentl.*—31 *Pro* ripas *Bentl. conj.* rivos. *Vid. ad* 3. 26. 13.

propter Ἐγκώμια, *quia inter Olympionicas laudavit Hieronem Regem Siciliæ.* Vet. Schol.

Laudavit etiam Herculem, ſive Ixionem et Pirithoum, qui occiderunt Centauros. Vet. Schol.

16 *Bellerophontem laudatum commemorat in Chimæra.* Vet. Sch. B. V. ad Car. 1. 27. *extr.* G.

17 *Sive, quos Elea; Caſtori quoque et Polluci laudes dixit, qui pugilatu et equorum curſu floruerunt.* Vet. Schol.

18 *Cæleſtes;* non ſolum Caſtor et Pollux conſecrabantur, ſed et cæteri Olympionicæ, ut ſuperius oſtendimus. B. *Equum* concoquere hic non poteſt Harduinus. Scilicet neque Horatii putat eſſe illud A. P. 84. *Et pugilem victorem, et* equum *certamine primum.* Non cogitabat, *equorum* in his certaminibus eſſe partes ita magnas, ut mirum non ſit, eos potiſſimum celebrari. G.

20 *Munere*, carmine, quod munus præſtat multis ſtatuis, quæ victoribus ludorum poni ſolent. Z.

21 *Flebili ſponſæ, Etiam in Epitaphiis Pindarum ſignificat magnum.* Vet. Schol. B. Sive epicedio celebrat juvenem morte acerba ereptum ſponſæ triſti, et adeo hujus vires corporis, animi fortitudinem et ſanctitatem morum ſummis tollit laudibus vindicatque ab oblivione. Z.

23 Cum Landino, Lambini MSS. et Cruquio *educit* repoſui pro *reducit*, quod et Stephano placuiſſe video. B. *Aureos mores* ſæculo aureo dignos. G.

24 *Invidet* πάθος et motum addit ſententiæ. Poterat *ſubtrahit* dicere, vel *eripit:* ſed illud longe potentius. G.

25 Thebanus eſt Pindarus: Dirce fons nobilis prope Thebas. G. *Multa levat aura*, alte tollit aura, volat ſublimis. Z.

26 *Antonium alloquitur volentem Pindarum imitari.* Vet. Schol.

27 *Se api contulit pro parvitate.* Vet Schol. Bene etiam *Matinæ* poſuit, quia et ipſe erat Appulus.

28 *More*, quia *hinc inde; modo* quia paucula collegerat.

30 *Plurimum* ad *laborem* refero, ut pingatur ſedulitas apiculæ. Bentleius ad *nemus.* G.

31 *Ripas* maluit hic, puto, quam *rivos* quia apes *ripas* et viridia ſectantur non *rivos.* G.

Bene intulit *operoſa*, cum ante poſuerat *per plurimum laborem.*

32 Bene *fingo* de api: nam apes fingunt ceras.

33 *Concines* modo pro concinere poteris.

Ac ſi negaret ſe eſſe Poetam, Antonium Poe-

Per Sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sicambros;
Quo nihil majus meliuſve terris
Fata donavere bonique divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.
Concines lætoſque dies, et urbis
Publicum ludum, ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ (ſi quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars; et, o Sol
Pulcher, o laudande, canam recepto
Cæſare felix.
Tuque dum procedis, *Io Triumphe!*
Non ſemel dicemus, *Io Triumphe!*
Civitas omnis; dabimuſque divis
Tura benignis.

35 Clivom *Bentl.*—36 Sygambros *Bentl.*—45 Loquor *Bentl. ex codd.*—49 Teque *MSS. apud Bentl. et coll. Sax. it. Brod. et Lamb.* Duxque dum procedit *conj. Heinſ.* Iſque dum procedit *conj. Bentl.* Tumque dum procedit *conj. Cun. et San.*

tam dicit. *Julius Antonius Heroico Metro Diomedeos duodecim libros ſcripſit egregios.* Vet. Sch.

34 *Feroces; Centuriones Romanos crucibus defixere.* Vet. Schol. B. *Quandoque*, cum.

35 Sacer clivus Sacræ viæ adhærebat: Sacra autem via ibatur ad Capitolium.

36 Sive *Sicambros* ſcribas, ſive *Sycambros* tantundem eſt: neque enim olim eodem modo ſcribebantur barbarica gentium vocabula. Hi ſunt qui poſtea, excuſſo ſcilicet Romanorum jugo, Francos ſe appellaverunt. B. Eſt ſine dubio cauſa aliqua, cur *Sicambros* apud Plinium deſideramus. Sed inde argumentari contra ſinceritatem Horatii, ceteris Harduini ſimile eſt. Motus Sicambrorum a Druſo compreſſos in A. V. 742. confert Dio 54. 32. In hæc tempora odas libri quarti, quæ quidem charactera temporis habent, incidere, Bentleio obſervatum eſt. G.

42 Bene *impetrato* propter vota.

44 *Litibus orbum, ob indictum juſtitium.* Mancinellus. B. *Juſtitium* in luctu et re male geſta proprie indicitur: ac neſcio an uſus ſit hujus nominis, ubi propter ſupplicationem, ludos, triumphum, forum caret litibus. G.

45 *Siquid loquar; Sub fuga arrogantiæ hæc loquitur.* Vet. Schol.

48 Non ſeipſum dicit *felicem* (quod putavit Interpres Gallicus) ſed ſolem ſive diem.

49 Cogor etiam a Compilatore Veteris Scholiaſtæ hoc in loco diſcedere. Neque enim ſentio eum alloqui Triumphum, ſed ipſum Antonium. Significare vult ſe in medio plebeculæ, ut pauperculum decuit, cantaturum, *Io triumphe!* dum Antonius vir magnus in ipſo triumpho inter primos procederet. Mirum in modum hic torquetur eruditiſſimus Bentleius, et tandem ſuo de ingenio *Tuque dum procedis*, facit, *Iſque dum procedit*, neque video cauſam. B. Recte ſane. Antonius pars familiæ Auguſtæ proxime currum ſequitur: Horatius in turba adſtans, vel de feneſtra, acclamat Auguſto et Triumpho. G.

Io contractum eſt ex *Iao:* eratque Bacchi nomen, et *Juvenem* ſignificabat, unde et verbum Ἰαίνειν pro *juveneſcere*. Quin et Britannis hujus Inſulæ Aboriginibus, *Iau* [vel *Iou*], et *Jovem* et *Juvenem* ſignificat, neque aliud Græcis Κόρος, quam Latinis Liber, h. e. THE SON; quem Apollinis Clarii Oraculum (auctore Ma-

Te decem tauri totidemque vaccæ,
Me tener ſolvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juveneſcit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cætera fulvus.

ODE III.

AD MELPOMENEN.

Horatius amabili furore captus magnifica et incredibilia de ſe arteque ſua tanquam plane extra corpus ſuum locutus: ad finem ad ſe reverſus, quo evitet vultuoſorum invidiam, apponit nonnihil ridiculi. (Judicium Scaligeri de hac Ode vid. ad III. 9. 1.)

METRUM PRIMO VERSU GLYCONICUM, ET ALTERO CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

Quem tu Melpomene ſemel
Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem: neque res bellica Deliis

crobio) ἀβρὸν Ἰάω, h. e. *tenerum Iao*, appellavit. Quid quod et Deus Lunus Ægyptiis erat Ἰάω. *Triumphus* Græcis Θρίαμβος Bacchi erat pompa a Θρία et ἀμβαίνειν. Aſcendebant enim in arcem aliquam ferulas cum thriis manibus geſtantes, imo et ſaltantes. Erant autem *thria* vitium, ficuum atque hederarum folia thyrſis circumvoluta: nam hæ arbores ob trimembria folia in tutela Priapi ſive Solis erant, ut ſupra oſtendimus 2. 19. 8.

54 *Solvet*, obligabant ſe Chirographo ſuo qui vota ſuſcipiebant.

55 *Juveneſcit*; h. e. incipit fieri juvencus: alias juveneſcere laſcivire eſt. B. *Juveneſcit in vota* Horatii, adoleſcit, ut idoneus fiat hoſtiæ votivæ. G.

58 Multi Codices peſſime legunt *orbem* pro *ortum*. B. Senſus eſt: præditus in fronte nota alba, referente ſpeciem tertiæ lunæ: reliquum corpus eſt coloris fulvi. Z.

59 *Qua notam*; hujuſmodi erat Europæ Taurus, auctore Moſcho. Ægyptiis flavus color Typhonius erat et exſecrabilis; Græcis autem omnium pulcherrimus.

60 *Fulvus, color eſt de ruſo atque viridi mixtus.* Mancinellus.

ODE III.

2 Proverbiali Elocutione dicimus *placidis oculis videre*, et ſentio cum Landino de Geneſi agi. Eſt etiam Θεός in particula *Tu*; familiariter enim compellat eam, ut amicus amicam. Superius oſtendimus *videre* dici frequenter pro *aſpicere*. B. Audirem Landinum, ſi eſſet fidus Melpomenes aut Muſarum, ſub quo naſci aliquis dici poſſet. Nunc puto ſimpliciter intelligendum de ingenio poetico, ut *Minerva* de alia habilitate. Fundus eſt Heſiod. Theog. 82. ſq. ubi Muſæ quem regem *reſpiciunt*, illi eloquentiam et auctoritatem præſtant. G.

Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio:
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et ſpiſſæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
Dignatur ſuboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et jam dente minus mordeor invido.
O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat, ſonum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod ſpiro et placeo (ſi placeo) tuum eſt.

10 Perfluunt *ed. Ven. Glar. Chab.*

4 *Clarabit*; Lucretianum verbum eſt. B. Clarum faciet.

Pugiles, eo quod pugnis valeant. Vet. Schol.

5 Puto *Achaico* jam dici pro Græco cum Vet. Schol. ad ſignificandum *Quadrigale certamen* Olympiæ habitum.

6 *Delia folia*, Apollinea, laurus. G.

10 *Quæ Tibur; Proprie ad ſeceſſum referens hoc dicit Horatius.* Vet. Schol.

Optimi Lambini atque Torrentii MSS. cum Vet. Schol. Cruquii *præfluunt* legerunt pro *perfluunt*.

12 Magnæ artis atque diligentiæ eſt *fingere*. *Æolio; Alcaico.* Vet. Schol. B. Alcman, Sappho, Alcæus, Æoles. G.

14 *Dignatur ſuboles; Nerones vult intelligi.* Vet. Schol. Eſt etiam pulchra Hypallage in *principis urbium*, cum *principis* proprie ſpectat ad *ſuboles*. B. Nihil, credo, aliud hic indicat Horatius, quam ſe *vatibus lyricis*, quod optaverat Car. 1. 1. *inferi*. Et venerat ſane hoc tempore, quod huic libro aſſignamus poſt Bentleium, ad ſummam gloriam ſui generis noſter poeta, ſcribere juſſus carmen ſæculare. Ac poteſt fieri, ut nominatim ad hunc ipſum ſuum honorem poeta reſpexerit. Sed quod Cl. Ancherſius legere nos jubet *Vatem*, et intelligere poetam ſæcularem, quem vel *ſoboles Romæ*, i. pueri illi patrimi et matrimi, *inter amabiles choros* ſuos *poſuerint*; vel *Melpomene inter ſoboles*, id eſt, *choros poſuerit*; ingenium viri placet; pueros eligere ſibi poetam, aut ita contorte ſcripſiſſe Horatium, ut hic intelligat in tertia perſona, quam toto carmine alloquitur, &c. non placet. G.

16 *Jam* ad Emphaſin poſuit: incipit enim *jam* vivus extra invidiæ jaculum poni; quod raro fit.

18 *Temperas*, h. e. componendo miſces. B. Fides temperare eſt intendere ut opus eſt. G.

19 *Magis mutus quam piſcis* Proverbio dicitur, uti et *Cygni cantus*. B. Hæc ſimpliciora ſunt et veriora his, quæ in Tranſactt. Philoſſ. To. 23. n. 282. 3. diſputantur, quaſi hic alludatur ad originem teſtudinis ab animali cognomine. G.

22 *Quod monſtror*, Ridicule hoc adjicit, nam deridebatur Demoſthenes quod ob ſublatum anilem digitum criſtas tolleret. *At pulchrum eſt digito monſtrari et dicier hic eſt.* Οὗτος ἰκανός, inquiebat illa vetula. B. Levitatis accuſat illud Demoſthenis gaudium Cic. Tuſc. 5. 36. Sed Plin. Ep. 9. 23. 5. *jure* ait *lætatum*. Et quis non lætatur? G.

23 Honoratius *citharœdi* nomen; *fidicines* autem et *fidicina* fere contemtui fuere.

ODE IV.

Druſum Auguſti privignum ob devictos Rhætos Vindelicos egregio carmine collaudat.

Hæc eſt Ecloga, propter quam totus hic Liber compoſitus eſt. *Vet. Schol.* (V. Argum. Odes I. h. l. G.)

METRUM DUOBUS PRIMIS VERSIBUS ALCAICUM, TERTIO IAMBICUM DIMETRUM HYPERCATALECTICUM, QUARTOQUE PINDARICUM DACTYLICUM.

QUALEM miniſtrum fulminis alitem
(Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permiſit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo)
Olim juventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inſcium,
Vernique, jam nimbis remotis,
Inſolitos docuere niſus
Venti paventem; mox in ovilia
Demiſit hoſtem vividus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ:
Qualemve lætis caprea paſcuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulſum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

---

6 Protulit *MSS. apud Torr. coll. Sax. Zar. Ven.* 1534.—7 Verniſque 2 *MSS. in coll. Sax. Bentl. Gun. Duc.*—10 Invidus *Brod. Zar. Loch. Pinc.*—14 Furvæ *Brod.*

---

24 *Spiro; Quia ob carminis gratiam Auguſto reconciliatus eſt.* Badius Aſcenſius.

Si placeo, Ἐπιτιμᾷ Si placeo protulit. Vet. Schol. *Fuga ſcilicet arrogantiæ.*

ODE IV.

1 *Miniſtrum fulminis* dicit aquilam, quod fulmina Jovi porrigat ex opinione vulgi. Alias notum eſt Civitatem Romanam in tutela fuiſſe Jovis, adeoque aquilam coluiſſe pro ſigno. Secundum veterem Ægyptiorum diſciplinam anima Jovis inerat huic volucri. Siquidem illi et animalia et plantas pro vivis deorum imaginibus habebant, quæ cauſa portentoſæ ſuperſtitionis fuit.

4 *Ganymede* Jovis pocillator idem ſignificat quod Hebe; hoc eſt, æternam Solis juventutem.

5 *Patrius vigor* inſitum a parentibus ingenium malim intelligere, quam ipſum patrem, qui nido expellat. G.

7 Scaliger in hypercrit. ſ. Poet. 6. 7. p. 341. b. Vinc. reprehendit h. l. quod aquilæ pulli etiam Septembri menſe ſint adhuc invalidiuſculi. Bentleius, ut effugiat crimen, legit, *verniſque jam nimbis remotis.* Chriſtius (diſp. Lipſ. 1746) monet, *vernos ventos* dici poſſe etiam de his, qui Junio menſe, et ultra ſpirant. Tum G. Fabricii et I. A. Thuani teſtimonio oſtendit aquilas jam Junio menſe prædæ aptos: denique ipſum Poetam diſtinguere tempora evolandi et rapiendi; *mox*, poſt illos *niſus inſolitos*

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli:
(Nec scire fas est omnia) sed diu
Lateque victrices catervæ,
Consiliis juvenis revictæ,
Senfere quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

17 Rhætis *conj. N. Heinf. et Bentl. cui favent MSS. (etiam G.) in quibus est* Retii, *et unus* Retis. *Receperunt Cun. et Sanad.* Rhæti—et Vindelici *quidam MSS. ap. Bentl. et ed. Ven. Glar. Chab.*—24 Repressæ *Bentl. ex MSS.*

ergo, rapere incipit. Ergo Bentleiana emendatione carere possumus eo magis, quod ingrate sibilat versus *Vernisque jàm nimbis remotis*, &c. G.

Jam nimbis remotis; h. e. remota hiberna tempestate.

12 *In agnello imbelli amor dapis; In dracone pugnæ.* Vet. Schol.

14 An *ubere* dixit adjective, ut Car. 2. 19. 10. *Uberes rivos lactis?* G.

15 Proprie pro *ablactato* dicitur *depulsus.*

16 *Dente novo; Adhuc inconsueto ad pugnam.* Vet. Schol.

17 Erant et *Rhæti*, et *Rhæti Vindelici*, qui (auctore Servio) fuere et *Liburni.* Etiam alteri Rhæti Druso manus dedere. Frustra igitur Lambinus *et Vindelici* reposuerat. Bentleius tenui auctoritate adductus pro *Rhæti* reposuit *Rætis*; sed nihil opus. B. Etiam Cellarius Rhætiæ nomen latius patuisse ostendit, ut *Rhæti Vindelici*, a Rhætis proprie dictis distingui potuerint. V. 2. 7. 5. Itaque non opus est recedere a consentiente tot bonorum librorum lectione. *Videre Rhæti* illi, qui specialiori appellatione *Vindelici* dicuntur, &c. G. Videre, scil. talem viderunt. Z.

18 *Quibus mos unde;* Tanaquillus Faber miratur hæc ab Horatio scripta, et nollet factum: at ego nollem hoc a Fabro dictum. Plane necessarius est iste locus ad indicandam hostis ferociam.

20 *Amazonia sagaris* duplex erat securis uno manubrio immissa, ut ex vetusto marmore probavit Torrentius, vir usquequaque doctus.

21 *Quærere distuli*; rem tam insignem neque præterire voluit, neque hoc loco tractare. Vetus tamen Scholiastes ostendit *Vindelicos ab Amazonibus sedibus suis ejectos Alpium jugis insedisse.* Servius etiam eos ab Amazonibus ortos tradit. B.

Videtur hoc dicere, de originibus gentis hic quærere nolo; sed etiamsi non sint Amazonum progenies, certe late victrices catervæ fuerant. Quid? si mordet Domitii Marsi poema, Amazonida, in quo nimis operosum fuisse auctorem, colligas ex Martiali 4. 29. Certe nihil fuit cur Fabro ita displiceret totum illud, *Quibus mos—omnia*; multo minus, cur quatuor versus eliminaret Sanadonus. G.

22 *Nec scire fas*, i. e. *Licet aliquid ignorare* Vet. Schol.

24 *Juvenis*; viginti trium annorum fuisse dicitur.

Mire *revictæ* ad *victrices.* Vet. Schol. habet *repressæ*, ex interpretamento, ut puto.

25 *Senfere*, bene, nam habet Emphasin: *Probavere virtutem et institutionem Romanam.* Vet. Sch.

Menti inest prudentia, indoli indicium crescentis virtutis.

26 Bene adjicit *faustis*: quid enim ingenium atque industria, si defuerit fortuna. Bentleius arbitrio suo *sanctis* posuit pro *faustis*: quod equidem ipse vix auderem. B.

Fausta, favoris divini plena, fuere *penetralia* Augusti ipsius privignis. Multo igitur aptius epitheton *fausta* hic quam *sancta.* G.

27 Vaferrime Tiberium adjecit Druso; metuebat enim ne ex voce *paternus* intelligeretur (quod etiam vulgo ferebatur) Drusum fuisse ipsius Augusti filium. *Quia non potest Drusum laudare nunc ut filium Augusti, ab eo educatum et institutum dixit.* Vet. Schol.

Fortes creantur fortibus, et bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen et Aſdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma riſit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Poſt hoc ſecundis uſque laboribus
Romana pubes crevit; et impio

31 Neque *Bentl.*—36 Indecorant *etiam Ven. Pinc. et probat Bentl. recepitque Cun.*—42 It Italas *ed. Glar.*

29 *Fortes;* non ignoravit Horatius agens in Sabinis, Neronem eorum lingua dici *fortem;* quod nos monuit Tranquillus. Britonibus etiam noſtris *Ner* eſt fortis, uti Tuſcis *Nortia* Fortuna:—*Si Nortia Tuſco Faviſſet.* Juvenal.

Et bonis; ſupplendum extrinſecus *Et bonis boni,* quo intelligatur Græcorum Proverbium, Ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοί. Hoc non viderunt qui ſublata diſtinctione appoſuerunt *bonis τῷ juvencis* ineptiſſime. Magnus Bentleius hoc loco, ſicuti alias ſæpe, fruſtra ſe torquet, cum omnia ſint plana.

32 *Aquilæ columbam; Proverbialis ſententia.* Vet. Schol.

33 *Promovet; In melius auget.* Vet. Schol. B. *Doctrina, παιδία,* inſtitutio. Z.

34 *Rectique cultus; bona inſtitutione dicit reddi bonum naturale perfectum.* Vet. Schol.

35 *Utcunque; Ubicunque.* Vet. Sch. B. Quando naturæ bonitas deſtituta eſt recta educatione; illa corrumpitur. Z.

Mores modo dicit *uſum virtutis.*

36 Tres Lambini MSS. cum Vet. Schol. *Indecorant* legerunt, pro *Dedecorant,* quod ex Gloſſemate hæſit in Impreſſis. Probatur mihi iſta vox ut altera liberalior, ſic et *culpæ* intulit pro *vitia;* ſemper enim moderatur ſtilo Horatius. Etſi in Notis ſuis Bentleius probet *Indecorant,* in Textu tamen, ſui puto oblitus, ſervavit vulgatum *Dedecorant.*

38 *Metaurum flumen* poſuit ut alias *Rhenum flumen. Supra quinque et quadraginta millia in Aſdrubalis exercitu cæſa feruntur.* Vet. Schol. Alii ferunt quinquaginta ſex a Claudio Nerone cæſa. B. Vid. tota hiſtoria Liv. 27. 43. ſqq. G.

40 *Tenebras pro Afrorum terrore dixit.* Vet. Schol. Bene igitur *pulcher dies* dicitur, qui *tenebris fugatis ridet.*

41 Plane mihi videtur *Adorea* vox Punica, ſive mavis Hebræa; Hebræis enim אדרת *Addareth* Magnificentiam ſonat: et mirifice convenit huic ſenſui Epitheton *alma,* quod ſupra ſignificare *ſanctum* atque *verendum* oſtendimus. *Adorea, laus bellica.* Vet. Schol. B. Si ſit omnino ex oriente, malim a Lydis Etruſcis invectam. Sed Romani ipſi aliter. G.

42 Sunt qui ab *Afer* derivant *Vafer,* ſatis ſcite, ac ſi eſſet *Veafer.* B. *Ut,* poſteaquam, ex quo.

43 *Tædæ* ſulphure obductæ celeriter conſumuntur.

44 Non dicit poeta *equitaſſe Eurum:* ſed Han-

Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Annibal:
Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere eſt triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuſcis æquoribus ſacra,
Natoſque maturoſque patres,
Pertulit Auſonias ad urbes:
Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monſtrumve ſummiſere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merſes profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum

48 Tectos *Brod.*—65 Merſus *Brod. et edd. pri.*

nibalem ut Car. 1. 2. extr. et ex verbo *equitaſſe* notio motus ad *flammam* et *Eurum* refertur, per frequentem figuram, Zeugma. G.

45 *Laboribus*, prœliis. *Poſt hoc*, ſc. poſt cladem Aſdrubalis. Z.

46 Bene *impio* ob deorum imagines ſedibus deturbatas. *Romana pub. crevit*, Romanæ juventutis opes auctæ ſunt et animus crevit. cf. verſ. 60. Z.

47 *Tumultus* neſcio quid bello terribilius ſonat.

48 *Deos habuere rectos*; nequit ſibi temperare, nactus idoneum locum, deridendi deunculos. B.

Poteſt fieri, ut riſerit poeta Epicureus, cum iſta ſcriberet, cogitaveritque, præclaros vero deos, qui dejiciuntur erigunturque ab hominibus! Sed verba hoc tantum volunt, poſt illam Neronis victoriam nullam amplius urbem vaſtatam, ſignum deorum nullius everſum: quod quidem hiſtoria docet. G.

49 Perfidia fuit plus quam Punica, prodente Livio.

50 Sermocinatio poetica. Livius 27. extr. cum narraſſet cladem Haſdrubalis fratri nuntiatam, *Hannibal*, inquit, *tanto ſimul publico familiarique ictus luctu, agnoſcere ſe fortunam Carthaginis, fertur dixiſſe.* Nihil aliud. G.

Crediderim eum de Romuli *lupa* cogitaſſe.

51 Notum eſt *opima ſpolia* fuiſſe, rege aliquo, vel hoſtium duce exuto.

55 Opportuna eſt iſta numeri immutatio in ore faſtuoſi hoſtis, et peregrini, cui minus nota hiſtoria. B. Nihil hic video ἀνιστόρητον, niſi *maturos*, h. e. confectos ſenio *patres* potius in Sicilia apud Aceſten depoſitos dicere debuit. Sed quis neget, ſi venit in Italiam Æneas, etiam pueros ac ſenes eodem delatos? Verum alioqui forte nimis docta Græce Hannibalis oratio. G.

57 *Ilex cæſa ferro melius pullulat.* Vet. Sch.

58 *Nigræ*, *umbroſæ.* Vet. Schol.

61 *Proverbio erat*, "Τδραν τέμνειν. Torrentius.

63 Proprie ſe ſummittunt plantæ pullulantes. Virgilius, *Se ſubjicit alnus.* B. Simplicius dicas, *ſummittere* eſt alere. Diligenter præter alia explicatum hoc verbum in Theſauro Stephani et noſtro. G. *Monſtrumve*, neque mon-

Cum laude victorem, geretque
Prœlia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis, et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interemto.
Nil Claudiæ non perficient manus,
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

ODE V.

AD AUGUSTUM.

Dum Cæsaris reditum e Gallia, ubi pæne tres annos fuerat, a Populo Romano impatienter exspectari docet, sumta inde occasione incredibilem illorum temporum felicitatem atque securitatem prædicat.

METRUM TRIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM; QUARTO GLYCONICUM.

Divis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes jam nimium diu;

73 Perficiunt *ex MS. Bentl.* Efficient *edd. Ven. Glar. Chab.*—76 Bella *Ven. Glar.*

strum, i. armatos homines ex dentibus draconis aurei velleris custodis a Jasone disseminatis natos. *Thebæ*, intelligit homines armatos quinque ex dentibus draconis ortos. Z.

65 *Evenit, exstitit.* Vet. Schol.

66 Bentleius tenui auctoritate adductus prætulit *proruit—geritque*, cum nihil referret, et plerique Libri repugnarent. Quin et mox de *perficient* ille fecit *perficiunt*. B. *Mersas—luctere*, pro mersa, luctare, h. e. prosterne seu, si vel maxime prostraveris, tamen prosternet, &c. Z. *Integrum* dicit *hactenus nihil passum.*

67 Obiter notandum venit *gerere* pro *sustinere* dici, sumta Tralatione a gerulis, qui onera humeris suis suscipiunt atque gerunt. *Bellum quod susceperat gessit.* Corn. Nepos.

68 Ovid. Her. 1. 30. *Narrantis conjux pendet ab ore viri.* G.

71 *Annibal viso Asdrubalis capite exclamavit, Agnosco te Fortuna Carthaginis.* Vet. Schol.

73 *Hæc jam Poetæ verba sunt, non adhuc Annibalis.* Vet. Schol. B. At rectius alii omnia Annibali tribuunt. Z.

Optimi Lambini atque Torrentii MSS. cum Vet. Schol. legerunt *perficient* pro *efficient*. B. Ominatur felices omnium rerum eventus privignis Augusti. G.

75 *Curæ sagaces; Optima Augusti consilia.* Vet. Schol.

76 *Expediunt, explicant.* Mancinellus.

Acuta belli absolute dicuntur quæ sunt in bello periculosissima. Vet. Schol. *Acuta* modo pro *asperrima* posuit, ducta ab acie ferri Metaphora. B. Ut morbi acuti, i. vehementes, et celerem mortem minantes. G.

ODE V.

1 Ostendare vult Augustum bonum esse deum a diis bonis editum: frustra enim nonnulli *Divis bonis* absolute accipiunt.

Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ:
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit, populo gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem ſpatio longius annuo
Dulci diſtinet a domo,
Votis ominibuſque et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore dimovet:
Sic deſideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæſarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas;
Pacatum volitant per mare navitæ;
Culpari metuit Fides;
Nullis polluitur caſta domus ſtupris;
Mos et lex maculoſum edomuit nefas;
Laudantur ſimili prole puerperæ;
Culpam Pœna premit comes.

---

7 *Bentleius diſtinguit poſt* populo.—9 Uvido *tres codd. Torrentii.*—12 Diſtinet *probat etiam Heinſ. ad Ovid. R. A.* 486. *et Bentl. et favent G. Zar. Med.* 1477, *et Ven.* 1479, *qui habent* deſtinet.—13 Ominibus atque pr. *Zar.* Omnibus atque et pr. *G.* Omnibus atque pr. *Mediol. tres et Ven.* 1486. *Recte, puto.*—14 Demovet *Chab. Lamb. Bentl.*—17 *Pro* rura, prata *conj. Faber et Sanad.*—18 *Pro* rura, farra *conj. Bentl.* Culta *conj. Cun.*

Solent Poetæ declinare Subſtantiva ad formam Adjectivorum, ſic et Ovidius Romam dixit *Urbem Quirinam*, pro Quirini.

2 Bene *Cuſtos* de tutelari deo, vel lare publico.

4 *Sanctum, etſi non ſit idem quod ſacrum, legibus tamen ab injuria munitur.* Cruquius ex Ulpiano. Uſurpatur etiam pro incorrupto et puro.

Concilium a *concalando*; Lambinus ex Feſto.

5 *Lucem; Plus dixit quam ſalutem: Siquidem Lux pro ſalute poni conſuevit; ut, O Lux Dardaniæ.* Vet. Schol.

10 *Carpathii*, i. e. *Ægyptii.* Vet. Schol.

12 *Diſtinet* quod in Lambini et Torrentii MSS. et Vetere Scholiaſte legebatur, hoc loco reponendum cenſui, pro *detinet. Diſtinet; ſeparat.* Vet. Schol. Sic enim legendum.

13 Non ſolum captabantur bona *omina*, verum etiam eliciebantur. Improprie autem jam *ominibus* pro *auguriis* uſus eſt. B. Vid. Var. Lect. G.

14 Melius *dimovet* quam *demovet*, ut oſtendunt Torrentii et Lambini Codices cum Vet. Schol. Non æque placet Bentleii *demovet.*

15 *Icta;* tanquam ſagitta percuſſa foret.

16 *Quærimus* quod abeſſe dolemus.

18 Bentleius de ſuo *rura* vertit in *farra*, ex odio repetitæ vocis; quam ego tamen habeo pro eleganti. Ille nequit ferre *nutriri rura* a Cerere, etſi ſit uſitata Μετωνυμία.

Alma; verenda, ſancta. Vet. Schol. Cruq. Sic enim legendum pro *verecunda.*

Fauſtitas nove Felicitas dicta. Vet. Schol. B

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæſare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit lætus, et alteris
Te menſis adhibet deum:
Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris; et Laribus tuum
Miſcet numen, uti Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, dux bone, ferias
Præſtes Heſperiæ, dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum ſol Oceano ſubeſt.

31 Venit *Bentl. e codd.*—34 Diffuſo *Ven. Glar.*—35 Nomen *conj. Faber et ſic Brod.*—37 *Pro* Dux *MSS. quidam ap. Bentl.* rex.

Favorem divinum licet intelligere. *Fauſtus* cui deus favet. G.

19 *Volitant*, pro navigant quo volunt, demto omni terrore et metu.

20 *Culpari metuit; Tanquam ejus tempore nec creditum, nec depoſitum negaretur.* Vet. Schol.

22 *Morem* modo *virtutis uſum* dicit. Legem autem dicit Legem Juliam de adulteriis.

Maculæ fœda et infamia vitia dicebantur.

23 Suaviſſime Catullus Epithal. extr. *Sit ſuo ſimilis patri—Et pudicitiam ſuæ Matris indicet ore.* Nota obſtetricum gratulatio. G.

24 *Pœna premit comes*; h. e. *Nec differendo vindictam* præſtat *peccandi licentiam.* Vet. Schol.

27 *Fœtus*; tanquam de ferarum catulis loquitur.

29 Bene *condit diem*, quia ſol obit et ſub terra conditur. *Longos memini me condere ſoles.* Virgil.

In apricis collibus vineæ plantantur.

30 Bene *ducit* ad *viduas* poſuit. B. *Viduæ arbores*, quibus nondum junctæ ſeu maritatæ ſunt vites. Z.

31 Bentleius maluit *venit* quam *redit*, neque enſit *redit* dici pro *redit domum ad vina*, quod omen cuivis pateat.

Antiquorum conſuetudo talis fuit, ut ſublata prima menſa ponerentur ſecunda, atque in ea poſitis pomis infuſoque in pateras mero libaretur diis. Vet. Sch. Cruq.

34 Cum Cruquio, Torrentio, Lambino et Stephano *Defuſo* legendum cenſeo, non *Diffuſo*.

Patera, Græcis Scyphus, latior erat calice et ventricoſior; utrinque etiam manicata, vel aurita.

Sunt etiam Lares urbium cuſtodes. Mancinellus. Erant autem Lares terreſtria numina; nam Veteribus Gallis, uti hodie Britannis noſtris, *Laur* terra erat. Ex Senatus conſulto ſcribit Dio (51. 19.) libatum fuiſſe Auguſto tam in publicis quam in privatis conviviis poſt pugnam Actiacam. B. *Lars*, regium nomen apud Etruſcos. G.

35 *Uti Græcia Caſtoris; Quos aut civica animis familiaritas, aut quos labor diligi fecit et virtus.* Vet. Schol.

36 *Athenienſes primi Herculem coluerunt.* Mancinellus ex Diodoro Siculo. Ab Ἥρα Ἡρακλῆς, uti a Διὸς Διοκλῆς. B. Herculis ſcyphus Alexandro fatalis Curt. 10. 4. 18. G.

37 *Longas ferias; Abominando bella hoc dicit.* Vet. Schol. Imo et ſuaviter optat ut diu vivat.

38 *Integro; Cum totus dies reſtat.* Vet. Schol. Cruquii. Integrum enim quod adhuc intactum eſt.

ODE VI.

AD APOLLINEM.

Apollini tutelari Auguſti numini Hymnum canit ob devictos Actiaca pugna Antonium et Cleopatram, quos Niobes et Achillis nominibus callide obvelat. Seculari Carmini viam ſternit. (De dilogia illa ſ. allegoria viderint manes Baxteriani. Mihi ſic videtur. Priori parte ad v. 28. et ipſum ſe poëta, et patrimos matrimoſque pueros et puellas, quas ad carmen ſæculare voce et geſtu bene exprimendum, parare cupit, in enthuſiaſmum quendam concitat. Altera parte peculiariter pueros ac puellas hortatur ad diligentiam chori illius ſæcularis meditationem, i. e. exercitationem. Hactenus ergo ſæculare carmen vocare, ſi cui lubeat, poteſt. Sed in ipſa cerimonia, et ſolemnibus temporibus ac locis, cantatum, mihi nullo modo fit probabile. G.) (Summa carminis eſt hæc: *Phœbe, qui Niobes magniloquentiam et libidinoſum Tityi conatum es ultus, atque Achillem fortiſſimum, qui non dolo, ſed vi et Marte aperto Trojam Trojanamque gentem penitus deleviſſet, niſi tuis Veneriſque precibus commotus Jupiter peperciſſet Æneæ ad urbem meliorem imperiumque Romanum condendum, fortiter proſtraviſti, tu Phœbe, inquam, auctor et præſes carminis lyrici, adjuva me, ut carmen Latinum ſeculare pro ſalute et perpetuitate imperii Romani fundam decore. Jam vero, hac mihi facultate a Phœbo conceſſa, vos, patrimi matrimique pueri puellæque, qui eſtis in tutela Dianæ, ſervate rhythmum numeroſque carminis mei, et adeo rite et ex arte canite laudes Apollinis et Dianæ fruges proſperantis et menſes celeriter decurrere facientis; ita ut, ſi quæ veſtrum, puellæ, aliquando nupta fuerit, dicere poſſit, ego Horatianum carmen Diis gratum diebus ſecularibus feſtis cecini.* Z.)

METRUM SAPPHICUM.

Dive, quem proles Niobea magnæ
Vindicem linguæ, Tityoſque raptor
Senſit, et Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar;
Filius quamquam Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuſpide pugnax.

6 Quamvis *Ven. Glar. Chab. Lamb. Bentl.* Thetidis *Lamb. al.*

1 *Homerus pueros puellaſque ſenos fuiſſe ait: Euripides* 14; *Sappho* 18; *Pindarus* 20. Landinus.

Proverbiali forma dici videtur *Lingua magna*, pro glorioſa, qualis erat Antonii et Cleopatræ. B. Vid. Argumentum. *Magna lingua* eſt μεγαλιγορία, magniloquentia. G.

2 Tityos vim inferre Latonæ conatus, te Apollinis porrectus jacet apud inferos per n vem jugera. G.

3 Apollo apud Virg. Æn. 6. 57. *Paridi rexit tela manuſque corpus in Æacidæ.* Certam Phœbi cum Achille narrat Homerus Il. φ et χ princ. G. *Prope victor*, occiſo Hectore.

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non, inclusus equo Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas et lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis (heu nefas! heu!)
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo:
Ni tuis victus Venerisque gratæ
Vocibus, divûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Levis Agyieu.

10 Impressa *Cun. ex MS.*—19 Latentem *etiam Br. et G.* Latente *Z.* Latentes *edd. vett.* —21 Flexus *Bentl. ex codd.*—25 Ductor *quid. MSS.* Argivæ *MS. ap. Bentl.*—28 Agileu, Agylleu, *MSS. et edd. pri.*

6 Meliores Torrentii Libri habebant *quamquam* pro *quamvis*. Vet. Schol. silet.

7 Non placet Harduino, *turres Dardanas cuspide* Achillis *quati*: sed nec dicit hoc Poeta, sed *cuspide pugnacem* Achillem prædicat, quatientem quacunque arte vel machinis mœnia Trojana. G.

9 *Mordaci ferro*, πριϊφρασικῇς pro securi.

11 Quatuor Lambini Codices duoque Cruquii legerunt *collum in*, pro *collum*, quod plenius et melius videtur.

12 *Teucro*; *Principali pro Possessivo usus est*. Vet. Schol. Sic et supra *Dardanas* pro *Dardanias*.

14 *Male*, h. e. alieno tempore, suoque gravi damno.

17 *Gravis* modo pro *borribilis*.

19 Omnes fere Torrentii MSS. cum Vet. Schol. Cruquii legerunt *latentem* pro *latentes*, quod elegantius videtur. B. Hom. Il. ζ, 58. Μὴ ὄντινα γαστὶ μήτηρ Κῦρον ἰόντα φέροι. G.

21 Bentleius in Edito suo prætulit *flexus*: Verum ista varietas debetur Exscriptori memoriæ suæ lapso. *Flexus* de Glossemate est.

Gratæ; Græcum est χαριέσσης.

23 Aratro ducebant *muros*. B. *Potiore alite*, felicioribus auspiciis, quam olim Trojana mœnia. G.

25 Suaviter *fidicinem* dicit Apollinem, quo significet ejusmodi artifices non adeo videri contemnendos.

26 *Xanthus* iste Troadis erat non Lyciæ, ut putavit Interpres Gallus. Quid mirum Apollinem in Xantho lavisse crines, cum et Aristoteles et Plinius scribant oves quæ in eo laverint rufas fieri, ut dudum ostendere Mancinellus et Cruquius?

27 *Dauniæ*; h. e. Appulæ, vel Venusinæ.

28 *Levis*, *Imberbis*. Vet. Schol. Cruq.

Agyiæ Athenienses lingua vici dicuntur. Varro ait quod ex responso sui oraculi in viis publicis urbis suæ Athenienses statutis altaribus sacrificare Apollini instituerunt et Agyieum appellavere. Vet. Schol. *Villane Apollo, quod in villis et vicis ejus statuæ*

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis nomenque dedit poëtæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Leſbium ſervate pedem, meique
Pollicis ictum;
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite creſcentem face Noctilucam,
Proſperam frugum, celeremque pronos
Volvere menſes.
Nupta jam dices, Ego Dîs amicum,
Sæculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

38 Noctiluca Proſpera *G.* Noctiluca *Ven.* 1479, *Med.* 1477 *et* 1486. *it. coll. Sax.*

erant. Vet. Schol. Cruq. *Apollinis imago forma columnæ acuminatæ præ foribus ſtabat.* Lambinus ex Suida. Columnam autem dicit pyramidalem, ſive titulum, Græcis στήλην. B. Vid. ad Heſych. V. Ἀγυιεύς. G.

29 *Spiritum*, h. e. *divinum furorem.* Landinus. B. Invocationis effectus, enthuſiaſmus poeticus. G.

31 *Virginum primæ; Ter novem pueri prætextati totidemque virgines, patrimi et matrimi Carmen Sæculare Apollini atque Dianæ dicebant.* Torrentius ex Zoſimo L. 2. pr.

33 *Tutela hoc loco Paſſive dicitur.* Lambinus. B. Ut *clientela* pro clientibus. G.

34 *Cohibentis fugaces*, h. e. ferientis. Z.

35 *Servate*; h. e. *Rhythmum operis in canendo cuſtodite.* Vet. Schol. B. *Leſbium*, Sapphicum.

36 *Pollicis ictum; Suaviter quaſi ipſam lyram percutiat.* Vet. Schol.

37 *Rite; Solenni conſuetudine.* Vet. Schol.

38 *Noctilucam*; Simonidi Luna dicebatur Νυκτιλαμπὴς, ut adnotavit Muretus ex Dionyſio Halicarnaſſeo. B. Videntur librarii quidam junxiſſe *noctiluca* cum *face*. G. *Face creſcentem*, cujus lumen creſcit. Z.

39 *Proſperam frugum; Rore nocturno nutrientem.* Vet. Sch. B. *Celerem*, &c. quæ celeriter menſes decurrentes volvit. Z.

41 *Nupta*; h. e. Ubi nupta olim fueris. Græcis eſt φίλον pro *grato*.

43 *Reddidi*; h. e. dixi. Reddimus enim quod mandatum erat memoriæ. Vid. Car. 4. 11. 35. B. *Docilis*, quæ facile et ſtudioſe didici modos ſ. cantus. Z.

ODE VII.

AD TORQUATUM.

Hortatur Manlium Torquatum, fortaſſe filium illius, cujus Conſulatu natus eſt Horatius, uti verno jam tempore dulcia carpat, cum vitæ ſpatium ſit et breve et incertum.

METRUM HEROICUM CUM PENTHEMIMERI HEROICA.

DIFFUGERE nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribuſque comæ:
Mutat terra vices, et decreſcentia ripas
Flumina prætereunt:
Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet
Ducere nuda choros.
IMMORTALIA ne ſperes monet annus, et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris, ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer auctumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœleſtia lunæ:
Nos, ubi decidimus,

12 Recurret *ed. Lamb. Chab.*

1 Scite *redeunt:* nam et redire dicitur crinis, et barba: quod in animo illi fuiſſe oſtendit ſubjecta vox *comæ.*

4 Mire *prætereunt*, cum ante poſuerit *decreſcentia.* Præterimus etiam quos neque ſalutamus omnino. B. Vir doctus, cui placent, ſine auctore, *recreſcentia* præ *decreſcentibus*, non videtur cogitaſſe *choros*, *quos Gratiæ cum Nymphis nudis ducere* vix audebunt per campos inundatos. Tanto magis apparebit, et *prætereunt* hic ſignificare, non attingunt; et *decreſcentia flumina*, non *recreſcentia*, hic locum habere, ſi quis conferat 4. 12. 3. G.

5 *Gratia cum Nymphis;* h. e. Virgines cum novis nuptis eleganti Dilogia, ut ſupra oſtendimus ex Vet. Schol.

6 *Nuda;* h. e. pellucida veſte et incincta, uti fere Gratiæ.

7 Charientiſmo uſus eſt in *Immortalia ne ſperes*, cum intelligi voluerit *Immortalem te fore;* atque per hoc parcum eſſe debere reique familiari addictum.

Almum; verendum et ſanctum, perpetuum pulcherrimarum et magnarum rerum Epitheton. B. *Rapit hora*, celeriter aufert anni tempus. Z.

9 *Proterit;* h. e. calcibus elidit et per hoc enecat: ſuavi Tralatione ducta a calcitroſis jumentis.

10 *Simul;* notum eſt Veteribus tres tantum horas fuiſſe, adeoque auctumnum fuiſſe æſtatis partem: Siquidem ſolſtitiis et æquinoctio metiebantur annum: unde crediderim et ternarium numerum fuiſſe deo proprium. B. Illa de tribus anni horis ſ. tempeſtatibus Baxteri obſervatio cum dubia videri poſſit Latinos tantum legentibus, laudabimus auctoritates Græcas Æſchyli Prom. 452.: Hymnor. Orphic. p. 132. 21. Eſchenb. it. p. 140. V. Diod. Sic. 1. 26. et ibi Weſſeling. Quin Tacitus de Germanis c. 26. ſimile quid memorat. Verum ut hic fidem viri doctiſſ. tuemur: ita emendandum videtur, quod ſcripſit "*Solſtitiis* et *æqui-noctio* metiebantur annum." Nonne enim,

Quo pius Æneas, quo dives Tullus et Ancus,
  Pulvis et umbra ſumus.
Quis scit, an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
  Tempora Dì ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
  Quæ dederis animo.
Cum ſemel occideris, et de te ſplendida Minos
  Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
  Reſtituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
  Liberat Hippolytum;
Nec Lethæa valet Theſeus abrumpere caro
  Vincula Pirithoo.

15 Quo pater Æ. quo Tullus, dives et Ancus *Bentl. ſed ſuſpicatur* pauper et Ancus.—16 Oſſa ſumus *cod. ap. Bentl.*—17 *Pro* ſummæ, vitæ *Brod.*—19 Avidi *conj. Bentl.*

duo ſolſtitia (ſ. *ſolſtitium* et *bruma*) ita *duo æquinoctia* olim illis nota fuere? G.

12 Quatuor Lambini Codices legerunt *recurrit* pro *recurret*, quod videtur longe melius. B. *Iners*, ignava, quæ nil profert. Z.

13 Senſus eſt: Anni tempora ſubinde redeunt, ſed nos in vitam non redibimus. Z.

14 *Decidimus*; cogitavit de Homerico; Οἵη γὰρ φύλλων, γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν. G.

15 Bentleius verſum iſtum ſic recudit; *Quo pater Æneas, quo Tullus dives et Ancus*; de cauſa nulla quam ego cerno.

Sex Torrentii MSS. cum Vet. Schol. legerunt *dives Tullus* pro *Tullus dives*. Divitem autem dicit ob captam Longam Albam; ut dudum Landinus. B. Liv. 1. 31. *in magna gloria, magniſque opibus regnum Tulli ac tota res Romana* dicitur fuiſſe. G.

16 An et hoc Proverbialiter prolatum, uti Græcis Εἴδωλον καὶ σκιὰ, quod apud Sophoclem legerat Ludovicus Deſprez, uti et Πνεῦμα καὶ σκιὰ apud Euripidem.

Sumus modo pro *manemus*.

19 Pulchre Eraſmus legit in Dativo, quo ſenſu puto φίλον ἦτορ apud Pindarum. Hoc debetur Henrico Glareano, qui ab ore ejus dicit ſe adhuc juvenem accepiſſe. Animo (Genio noſtro) damus quod nobis indulgendo inſumimus.

21 *Splendida*; h. e. pro utriuſque dignitate, et Minois ſcilicet et Torquati, viri nobiliſſimi. Sic et ſupra legimus, *Splendide mendax*. B. Homerum ſequitur, ut ſolet, qui Il. λ, 567. Δὸς ἀγλαὸν υἱὸν vocat, i. e. ſplendidum, λαμπρὸν, et aureum illi ſceptrum tribuit, &c. G.

24 *Pietas*, erga Deos.

26 Bene *liberat* quia *liberavit*, ſed iterum Jovis fulmine ictus interiit, una cum medico ſuo Æſculapio. B. Sic Pind. Pyth. γ, 100. Dubie, et de fama loquitur Virg. Æn. 7. 765. beneficio Dianæ ad vitam revocatum, Virbii nomine ſupereſſe. G.

28 *Vincula*; *Volentes Proſerpinam rapere apud inferos remanſerunt*. Vet. Sch. *Theſeus ab Herculè inferis ereptus ſecum voluit Pirithoum attrahere. Hic vero ſuperveniente terræ motu ab eo diremtus ibidem vinculis conſtrictus manſit*. Ludovicus Deſprez, ex Plutarcho atque Diodoro Siculo. B. Conf. Car. 3. 4. extr. G.

ODE VIII.

AD C. MARTIUM CENSORINUM.

Apud virum Conſularem Caiique Cæſaris familiarem, C. Martium Cenſorinum, excuſat ſe, quod pro tenuitate ſua carmina vice ſtrenæ (haud contemnendum tamen munus) ei mittat.

METRUM CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM.

DONAREM pateras grataque commodus,
Cenſorine, meis æra ſodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu peſſima munerum
Ferres, divite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non hæc mihi vis: nec tibi talium
Res eſt aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina poſſumus
Donare, et pretium dicere muneris.

1 Commodis *Glar.*—4 Munera *Med.* 1477.—9 *Pro* nec, non *G. Z. Medd. tres. it. Ven. Glar. Lamb.*

1 *Pateras*; h. e. argenteos ſcyphos, ſeu ventricoſas phialas.

Commodus modo pro *humanus (benignus, liberalis).* Torrentii Codices male *commodis.*

2 *Æra* dixit, ærea vaſa antiqui operis et ſigna.

3 *Tripodas modo non* Ἐμπυριβήτας, *ſive lebetas dixit, ſed* Ἀκύρους, *h. e. Crateras, quibus diluebantur vina.* Cruquius.

4 *Neque tu peſſima*; Litotes Figura eſt.

5 *Ferunt* ſecum qui accipiunt.

Artes dicuntur curioſa opificia et archetypa.

6 *Parrhaſius primus Symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris, confeſſione artificum in lineis extremis palmam adeptus.* Cruquius ex Plinio. Vixit hic 400 annos ante natum Chriſtum, eratque Zeuxidis æmulus.

Protulit, bene de re nova et admiranda.

Scopas erat γλύπτης μαρμάρων, h. e. *Signorum ſculptor.* Vet. Schol.

8 *Sollers, h. e. totus in arte, ab Oſco ſollo et ars.* Cruq.

Ponere nunc conſtituere et fingere. Vet. Schol.

9 *Vis modo pro facultas.* Stephanus.

10 *Res eſt aut animus*; h. e. *Dives es re et animo.* Vet. Schol. eleganter. B. Nec *res* tua deſiderat, quia jam habes, nec *animus* appetit, quia aliis potius rebus, v. c. carminibus, delectaris. Z.

Rara magnique emta a deliciendo *deliciæ* dicuntur, Juvenali *eſcaria*, quod plerumque lauti hiſce rebus ineſcentur.

11 *Gaudes* modo pro *contentus agis.*

12 Si ſexcenti Codices repugnarent, ego tamen cum Vet. Schol. legerem *muneris* non *muneri*, quod Lambinus, Torrentius et Cruquius in ſuis MSS. invenere. [Sic etiam ed. Zar. et coll. Sax.] Eſt enim Περιπαρασκευὴ, ſive præparatio quædam ad ſequentia. Quaſi diceret, non audere cæteros præconia ſuorum munerum adeo decantare, quod ipſe de ſuo munere jam facturus eſt. Idem enim *dicere pretium* quod *dicere laudes*, hoc loco. Bentleio magis placuit inuſitatius *muneri*. B. Sed cum pleriſque edd. recepi *muneri* ob auctoritatem librorum et ſenſus elegantiam: nam *dicere* eſt ſtatuere. Z.

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus et vita redit bonis
Poſt mortem ducibus; non celeres fugæ,
Rejectæque retrorſum Annibalis minæ;
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque,
Si chartæ ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortiſque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori,
Cœlo Muſa beat. Sic Jovis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules;

17 *Totum verſum deleri jubet Bentl.* Impendia *pro* incendia *conj. Cun.*

13 *Publicis notis* poſuit pro *publicis literis*, ſive *titulis*. Nam *notæ* Poetis pro *literis* ſunt.

17 et 18 Nollem Bentleius ita ſe turbaret quod Horatius Scipionum acta in unum fere coëgerit, Poetici compendii ſtudioſus. Certe vel ſummis Poetis ejuſmodi Ἀνισορροπία leve admodum eſt crimen. B. Ut Bentleius hunc verſum adimit Horatio, ita propter hunc verſum totam Oden abjudicat Harduinus. Sed præter poetarum licentiam, ad quam retulit olim hanc σύγχυσιν H. Glareanus, præter *incendia* caſtrorum, de quibus Liv. 30. 5. et 6.; cogitemus, neminem offenſurum fuiſſe, ſi pro *Ejus* legeretur, *utriuſque viri*. Et videtur hæc fuiſſe cauſa, cur præterierunt h. l. Lambinus, Torrentius, Marcilius: quod vero illa diſtributiva ratione uſus eſt, ejus rei ratio videtur, quod unius tantum, ſuperioris nempe, Africani laudes ſuum præconem, Ennium, invenerant. Facta utriuſque Scipionis Africani non clarius indicant laudes *ejus* (uniuſcujuſque illorum) quam Ennius indicat et conſervat laudes Africani prioris. *Impendia Carthaginis*, i. tributa reip. illi impoſita, placere Cuningamo et Sanadono, æquo animo ferendum eſt; ſed etiam hoc, ſi aliis non placeant. Cæſura in voce *Carthaginis* inſolita. Sed quis damnet rara? Æque inſolitam oſtendit Cuningamus Car. 2, 14. 17. G.

19 Naſutulo Fabro vox *lucratus* humilis videtur; ac ſi neſciret Horatius Latine, Faber ſciret. Etiam ingenui hominis eſt lucrum; quæſtus minus liberalis videtur.

20 *Calabræ Pierides* ridicule protulit, ſeipſum Ennio adjungens. *Appulus, Calaber, Tuſcus* etiam Proverbiali ſermone pro *Ruſtico* dicebant. B. Non præſto hanc annotationem: Sed Ennium *Miſerunt Calabri, Rudiæ genuere vetuſtæ* Sil. 12. 397. G.

21 *Feceris* per Enallagen perſonæ dicit pro *fecerit* aliquis.

22 Feſtive *quid* pro quantula res? Quid enim Romulus niſi paſtor et latro, niſi foret per Poetas?

24 *Invida*, hoc donat Romulo ob celebritatem famæ.

26 Proprie plaudentium *favor* eſt, in theatro ſcilicet: vel etiam adorantium in templis.

27 *Divitibus; Quæ ideo beatæ dicuntur quod ibi omnia naſcantur ſine hominum ſtudio, qui et Elyſi Campi dicuntur.* Vet. Schol. *Inſulas dicit quas in Oceano conſtitutas Homerus* Μακάρων Νήσους *dixit, Latini Fortunatorum Inſulas appellant.* Vet. Sch. Cruq. Quibus enim columnæ Herculis mundi terminus habebantur, facile inducebant in animum Fortunatas Inſulas fuiſſe in partibus Inferorum. B.

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

ODE IX.

AD LOLLIUM.

Nequit ſibi temperare Horatius, quin Poeticæ laudem, ſibi cum cæteris Poetis communem, apud Marcum Lollium Caii Cæſaris moderatorem juventæ, ſibique familiarem, dum eximias illius viri virtutes egregio carmine recenſet, ſibi fidenter arrogare conetur.

METRUM UT IN QUARTA.

Ne forte credas interitura, quæ
Longe ſonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis.
Non, ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque et Alcæi minaces,
Steſichorique graves Camœnæ.
Nec, ſi quid olim luſit Anacreon,
Delevit ætas. Spirat adhuc amor,

4 Loquar *editt. primæ.*

29 *Sic*, carminibus poetarum. Z.

30 *Impiger*, fortis. Z.

31 *Clarum; Salubre.* Vet. Sch. h. e. Lætum, hilare et non iratum. B. *Eripiunt*, navigantibus opem ferunt: ergo ſunt Dii, carminibus poetarum declarati. Z.

34 *Vota bonos;* h. e. deus ſit. *Damnabis tu quoque votis.* Virgil. de Daphnide novo deo, Ecl. 5. 80. B. Bacchus vota audit, h. e. eſt Deus, nempe carminibus poetarum. Z.

ODE IX.

1 *Ne circumflexe pronuntiandum eſt*, i. e. *Ne credideris.* Vet. Sch. *Forte* igitur πλεονάζει; vel oſtendit certe ſe neſcire an ita crediturus ſit, necne.

2 *Natus ad Aufidum*, h. e. Etſi Appulus et rudis.

3 *Non ante vulgatas;* oſtendit ſe primum hujus artis apud Romanos conditorem.

5 *Mæonia nunc Lydia dicitur.* Cruquius ex Plinio.

7 *Ceæque Camœnæ;* Simonidem ſignificat Cea inſula oriundum, ut 2. 1. 38.

Minaces; Adeo amarus fuit, ut auſteritate carminis ſui multos civitate ejiceret. Vet. Schol.

8 *Graves; Magnæ, profundæ, nam et ipſe bellorum ſcriptor.* Vet. Schol.

10 Mire *ſpirat* pro *vivit* de puella Sappho; uti et *commiſſi* pro *crediti* ad Emphaſin periclitantis pudoris. B.

Vivuntque commiſſi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non ſola comtos arſit adulteri
Crines, et aurum veſtibus illitum
Mirata, regaleſque cultus,
Et comites, Helene Lacæna:
Primuſve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve ſolus
Dicenda Muſis prœlia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrimabiles
Urguentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.
PAULUM ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum ſilebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Eſt animus tibi

17 Primuſque, *et mox* Sthenelusque *habet Baxt. male: nam* ve *eſt* vel *pro* nec. Z.—31 Silebo *omnes ante Ald.* 1519 *qui* ſileri *dedit, quod probarunt al. etiam Torr. Baxt. Talb. Sandby. Tamen* ſilebo *etiam Ro. Steph.* 1544 *Lambi. ex MSS. quibus add. G. et coll. Sax. Sic etiam Rutg. it. Da. Heinſ. Bentl. Maitt. Cuning.*

13 *Non ſola* Helena amavit amatorem nitidum et ſplendidum, ſed et aliæ mulieres idem fecere, quæ vero non celebratæ ſunt a poetis. Z.

14 Bene *illitum* de opere Phrygionio.

17 *Cydonio;* h. e. Cretenſi, perpetuum Epitheton.

18 *Non ſemel Ilios:* quia et aliæ urbes eandem cladem perpeſſæ ſunt. B. Quin Ilios ſ. Troja ipſa quoque ab Hercule capta, et rapta inde Heſione. Sed loquitur poeta de his rerum commutationibus, quæ literis non ſunt proditæ. G.

22 *Graves ictus; Laniatum corpore toto Deiphobum vidi.* Vet. Schol.

27 *Urguentur* ſuavi Charientiſmo poſuit pro *jacent ſepulti.*

28 Pulchra Dilogia *Nocte* pro *Morte* et *Oblivione* ſimul poſuit.

Ideo *ſacro* quia *vate* dixerat.

29 *Inertia* et *Virtus* Antitheta ſunt. *Iners* ab *Arte* eſt; *Ars* autem ab Ἀρέσκω, quod itidem ab ἄρρην *mas;* ut *Virtus* a viro. B. Contra Bentleium, qui ſuſpicatur, *virtus inertia* poetarum *celata paullum diſtat* virtuti *ſepulte.* Sed vehementior ſententia lectionis omnium librorum. G.

31 *Inornatum;* h. e. *illaudatum.*

33 *Impune;* ſignificat egregium hunc virum

Rerumque prudens, et ſecundis
Temporibus dubiiſque rectus;
Vindex avaræ fraudis, et abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ;
Conſulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honeſtum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obſtantes catervas
Explicuit ſuâ victor arma.
Non poſſidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejuſque leto flagitium timet;
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

40 Quotiens *Bentl.*—41 Et *abeſt a Baxt.*

habuiſſe ſuos obtrectatores. Qualis erat Velleius Paterculus, homo Epicureus, qui et *ſubdoli et verſuti animi et pecuniæ quam recte faciendi cupidiorem fuiſſe* ſcribit.

34 Leni Charientiſmo *Obliviones* dixit ingratas obtrectationes. B. Mihi videbatur *obliviones* Proſopopœia quadam dici *lividas:* cum invidia ſoleant homines impediri, quo minus meritas laudes bonis viris tribuant. G.

35 *Rerum prudentes Philoſophi dicti ſunt.* Vet. Schol. Imo et ipſa Philoſophia Juvenali atque aliis *Prudentia* dicitur. B.

36 *Rectus*, æquabilis, conſtans in virtute. Z.

37 *Vindex, punitor; Vindicare enim apud veteres non tantum defendere, ſed etiam punire ſignificabat.* Vet. Schol.

38 *Ducentis ad ſe cuncta; Pecunioſorum gratiam cuncti ſequuntur.* Vet. Schol. Ac ſi eſſet perpetuum pecuniæ Epitheton.

39 *Conſulque non unius anni; Virtutes tuæ te perpetuum conſulem faciunt.* Vet. Schol. Sapiens enim juxta Stoicos perpetuum magiſtratum gerit. Ecce autem iterum Acriſia proles, Tanaquillus Faber, Horatiomaſtix, non poteſt ferre *animum conſulem, rejicientem vultu.* Neſciebat Poetam eleganti Periphraſi Enallageque Perſonæ poſuiſſe, *Eſt animus tibi* pro *Tu es*, ut liberalem decuit magnum virum compellare. B. Ita vindicavit h. l. contra Fabri et Dacerii reprehenſionem Bentleius, ita frequens eſt non poetis modo, ſed aliis quoque prædicare talia de *animo*, ut nihil opus ſit addere, quam Paraphraſin, Eſt tibi, o Lolli, animus—conſul non unius modo anni, ſed toties conſul, et rex adeo, quoties, tanquam bonus atque fidus judex et æſtimator ſe gerit, &c. Quid hoc eſt aliud, quam tu, Lolli, pro ſapientia tua velut perpetuum conſulatum geris, ſi non in cives, certe in pravas cupiditates, et occaſiones peccandi. G.

40 *Sed* acuta voce pronuntiandum, ſignificat *imo etiam.*

41 *Honeſtum prætulit utili;* Oſtendit eum fuiſſe vere Stoicum: Stoicis enim ſummum bonum honeſtate ſola conſtabat. *Et* etiam poſt *utili* delendum cenſui, quod abeſſet in omnibus Torrentii MSS. et turbaret ſententiam.

44 *Explicuit ſua victor arma;* h. e. *per medios hoſtes victor evaſit:* ut eleganter Landinus.

46 *Occupat; Sibi vindicat.* Vet. Schol.

49 *Callet, ingenioſe novit.* Vet. Schol. *Acute novit.* Mancinellus.

ODE X.

AD LIGURINUM.

Oſtendit delicatum puerum Ligurinum, ubi jam pertranſierit pueritiæ flos, faſtidii ſui ſero pœniturum.

METRUM CHORIAMBICUM ALCAICUM CONSTANS SPONDEO, TRIBUS CHORIAMBIS ET PYRRICHIO.

O CRUDELIS adhuc, et Veneris muneribus potens,
Inſperata tuæ cum veniet pluma ſuperbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc et qui color eſt puniceæ flore prior roſæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hiſpidam,
Dices, Heu! (quoties te in ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

---

2 *Pro* pluma, barba *conj. Bentl.*—5 Ligurine *conj. Bentl.*—6 Quotiens *Bentl. Abeſt* in *a codd. quibuſdam et vett. edd.*

---

1 *O crudelis;* ut Virgilius, *O crudelis Alexi.* Vet. Schol.

Adhuc ad Emphaſin cito avolantis ætatulæ poſuit.

Potens modo pro *ſuperbus.* Sic et Ovidius; *Sed nulla potentia longa eſt.* B. Non quo *potens* idem ſignificet quod ſuperbus: Sed Ligurinus ſibi videtur potens, h. e. ſuperbit. G.

2 *Inſperata;* quaſi dicat: *quod tu nunquam vereberis:* habet enim ὑβρις.

Veniet; h. e. creſcet, vel ſurget.

Plumam pro prima barba poſuit. Vet. Schol. h. e. Lanugine. B.

Pulchre, quia cum illis *plumis avolat* illa quæ hic indicatur ætatula, qua Ligurinus ſuperbit. G.

Veniet ſuperbiæ, eſt enim Dativus: et *ſuperbiam* dixit *formoſas genas* ſuperbiæ cauſam, Metonymice.

3 *Decidunt* comæ a tondente reſectæ. Ineunte decimo ſeptimo ætatis anno ad plenam pubertatem venerunt, quo tempore deponebatur coma.

5 Feſtiva Enallage Accuſativi pro Vocativo. Neque opus fuerat eruditiſſimum Bentleium reponere *Ligurine* contra auctoritatem omnium Librorum atque Membranarum, quod vel ipſe fatetur. Quis autem non videt Enallagen eſſe perſonæ ſecundæ in tertiam more comico?

Hiſpidam; Jam birſuta barba. Vet. Schol. Peſſime hæc omnia de ſenectute interpretatus eſt Theodorus Marcilius.

6 Ἐν ἄλλῳ *alterum* dixit pro *immutatum: Quantum mutatus ab illo!*

7 *Quæ mens eſt hodie;* iſta ex Terentio deſumta videntur.

Eheu! me miſeram! cur non aut iſtæc mihi
Ætas et forma eſt; aut tibi hæc ſententia?
Ita Vet. Schol. Cruq. B.

Mens, animus ad amori obſequendum paratus. Z.

8 *Incolumes;* i. e. *imberbes.* Vet. Schol. Cruq. h. e. integræ.

ODE XI.

AD PHYLLIDEM.

Idibus Aprilis, qui dies Mæcenati ſuo natalis erat, Fidicinam quandam amicam de more ad ſe invitat. Crediderim hanc fuiſſe quam ſupra devium ſcortum Lyden appellaverat ſodali ſuo Telepho adamatam, quam jam ob provectiorem ſcilicet in re tenui ætatem ſibi quam illi et adoleſcenti et diviti, magis idoneum vult videri. (Hariolari meum non eſt. G.)

METRUM SAPPHICUM.

Est mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus; eſt in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Eſt hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara caſtis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno:
Cuncta feſtinat manus: huc et illuc
Curſitant miſtæ pueris puellæ:
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen nôris quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem:

9 Feſtinant *N. Heinſ. et Cun. ex MSS.*—10 Mixtæ *Bentl.*—11 Crepitant *conj. Bentl.*—13 Advocere *conj. Cun. et firmat coll. Sax.*

2 *Albanum vinum ab Eugenia uva a Tauromenitanis tranſlatam ſcribit Plinius*; quod adnotavit Torrentius.

3 *Alcæus frequenter ſe dicit apio coronari.* Vet. Schol.

5 Enallage Temporis; *fulges* pro *fulgebis.* Præcipuus eſt apii fulgor.

6 Non fuit Horatius ita tenuis ut defuerint ei argentea vaſa, quod putavit Dacerius, qui inepte et dure *Ridet argento* interpretatus eſt, ac ſi eſſet *Ridet quaſi argentum.* Et imitatur illud Alcæi, Μαρμαίρει δ' μίγας δόμος χαλκῷ, ut adnotavit Rutgerſius.

Caſtis, puris, ſacris. Vet. Schol.

7 *Verbenæ ſunt omnes herbæ frondeſque feſtæ ad aras coronandas.* Vet. Schol. Opportuit autem eas e locis ſacris decerpi, unde et *ſagmina* appellatæ ſunt Latinis, et Græcis ἱερότομαι. B. Fidicinæ ſacrificiis adhibitæ. Vid. Car. 3. 11. 6. G. *Avet*, pro parata eſt.

9 *Feſtinat manus*, omnium manus ſunt occupatæ. Z.

11 *Sordidum flammæ*; Iconiſmus mira Enargia formatus. B.

Verbum *trepidat* pingit motum celerem flammæ, ut rivi Epiſt. 1. 10. 21. G.

Jure ſolennis mihi, ſanctiorque
Pæne natali proprio; quod ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
(Non tuæ ſortis juvenem) puella
Dives et laſciva, tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambuſtus Phaëthon avaras
Spes; et exemplum grave præbet ales
Pegaſus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,
Semper ut te digna ſequare, et, ultra
Quam licet ſperare nefas putando,
Diſparem vites. Age jam, meorum
Finis amorum,
(Non enim poſthac alia calebo
Femina) condiſce modos, amanda
Voce quos reddas. Minuentur atræ
Carmine curæ.

35 Minuuntur *MS. ap. Bentl. et Cun.*

13 *Ut tamen noris; Fidem facit promiſſæ lætitiæ.* Vet. Schol.

14 *Idus* a Græco Εἶδος plenam Lunæ faciem ſignificare videtur. B. Qui ab *iduando*, h. e. dividendo derivant, iis favet verbum *findit*. G.

16 *Aprilis* in tutela Veneris erat, quod flores eo menſe ſe aperiant.

17 *Solenne* dicitur quod quoquo anno recurrit, ab Oſco *ſollo*, quod *omnis* eſt, et *annus*.

19 *Affluentes;* Oſtendit ſeneſcere jam Mæcenatem æque ac ſe ipſum; *affluunt* enim quæ copia, vel numero abundant.

20 Per Decadas *ordinantur anni* æque ac milites. B. *Ordinatur* quidquid numero et ſucceſſione conſtat. G.

21 *Occupat* qui aliis præripit.

22 *Non tuæ ſortis:* i. e. *Non tuæ mediocritatis.* Vet. Schol.

23 *Laſciva* modo pro *juvenis*, ac ſi Phyllis amoris numeros implere jam minus valeret. B.

25 Exemplo Phaëthontis et Bellerophontis oſtendit, periculoſum eſſe majora, quam quæ alicui conveniant, appetere. *Ambuſtus*, fulmine Jovis ictus. *Avaras ſpes*, cupiditatem conſequendi majora. Z.

26 *Exemplum grave*, quod maximam habet vim coërcendi iſtam cupiditatem. *Ales*, alatus. Z.

27 *Gravatus*, qui ferre gravatus eſt: nam hic œſtro ictus excuſſit equitem, qui, cum mortalis et terris addictus eſſet, cœlum petere auſus erat. Z.

28 *Bellerophontem; Dicitur hic auſus Pegaſo ferri per aëra in terram decidiſſe.* Vet. Schol.

29 *Te digna;* per Hypallagen poſuit pro *quibus tu digna es*.

Frequenter ponitur *ſequi* pro *quærere*, unde et noſtrum, TO SEEK. B.

31 *Diſparem*, non tuæ ſortis juvenem, cui tu non amplius ſatis placere et ſatisfacere ob ætatem potes. *Meorum finis amorum*, quam amare omnium poſtremam decrevi. Z.

35 *Reddimus* quod memoriæ mandavimus. V. Car. 4. 6. 43.

ODE XII.

AD VIRGILIUM.

Oſtendit, quam amabile ſit adulti jam veris tempus et quam aptum conviviis; et ſuaviter deridet Virgilium, quem intellexerat operam dediſſe mercaturæ, adeoque factum lucello attentiorem: Vult enim videri velle ſe cum eo paciſci, eumque ad ſe ſub hac lege invitare, uti dum ipſe in uſum convivii e Sulpicii Galbæ horreis mercaturus eſt vinum, unguentum de ſuo præbere velit. (Vid. ad v. 15. 21. 25. G.)

METRUM QUOD IN QUINTA.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvii ſtrepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina, fiſtula
Delectante deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.

10 Fiſtula Delectante deum *G. Brod. coll. Sax. et Zar. Al.* G. *Sic edidit Gesnerus. Sed revocavi lectionem plurium et optimorum librorum bonam. Nam ſic eſt ſupra* III. 4. 1.: I. 17. 18. Z.—11 Nigræ *Bentl. ex uno cod.*

1 Alias oſtendimus ver, horarum ſcilicet præcipuam, veteribus fuiſſe pro deo: erant etiam diis ſui comites, vel clientes, quos Συνθρόνους et Παρέδρους ſive aſſeſſores appellitabant.

Temperant; h. e. nimios ejus motus in ordinem cogunt.

2 *Animæ Thraciæ; Decimo Calend. Martii (auctore Columella* 11. 2. 21.*) venti ſeptentrionales, qui vocantur Ornithiæ, per dies triginta eſſe ſolent, tum et hirundo advenit.* Mancinellus. Iterum clamat Faber [Epiſt. 2. 24. p. 67.], *graviter erraſſe Horatium*, quod *animas Thracias* appellaverit, quæ ſibi fiabant, ab occaſu, ex prava ſcilicet Homeri imitatione (Il. *ι*, 5). Sed haud magis ineptus eſt, quam eſſe ſolet. Bene autem *animæ* poſuit pro *venti*, cum antea per Proſopopœian *veris comites* dixerit. Siquidem animantium *anima* eſt.

5 *Flebiliter gemens*; fratres atque ſorores Veteribus fuiſſe frequenter cognomines alias oſtendimus. Atque hinc quidem factum eſt quod aliqui dicant Philomelam pro Progne: ſic et Virgilius (Ec. 6. 79.) *Quas illi Philomela dapes.* B.

Diſſenſum ſcriptorum in fabula hac exponit Erythræus in Ind. Virg. Nempe ſunt qui Prognen dicant in luſciniam mutatam, Philomelam in hirundinem. Ambas ſorores cædis auctores facit Ovidius quoque Met. 6. G.

6 *Infelix* modo miſerando poſuit.

Cecropiæ domus: Quoniam Athenienſes fuerunt. Vet. Sch. Pandion enim non erat genere Cecropides.

7 Moderatur ſtilo dum ponit *male* pro *impie*, vel *ſceleſte*. B. *Barbaras*, immanes, crudeles. Z.

8 Tanquam parum ſibi cum regibus conve-

Adduxere ſitim tempora, Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax;
Ad quæ ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena dives ut in domo.

18 Accubat *omnes omnino, etiam G. et coll. Sax.*

niret, *regum* poſuit in Plurali, cum de uno Tereo ageretur. B. Hoc ſcilicet indicare voluit, *quales eſſe ſolent regum.* G.

9 *In tenero, nuper nato.* Landin.

10 *Dicere carmen* rectum eſt: ſed an etiam *dicere carmen fiſtula?* Atqui ſic editum a pleriſque, ab ipſo etiam Bentleio. Cui non placent auctores ſupra poſiti, is certe ſic diſtinguat, *Dicunt—carmina; fiſtula Delectantque deum:* aut doceat *carmina dici fiſtula.* G.

Fiſtula, hæc (juxta Vet. Schol.) etiam *Pandurium* appellabatur; quaſi Παν̀ὸς Δῶρον, ut puto.

13 *Sitim* dicit ut admoneat eum bibendi. Calidius Italis eſt vernum tempus, præſertim adultum.

14 *Ducere* etiam alias pro *epotare* poſuit.

15 *Juvenes nobiles* Nerones dixit, Auguſti privignos, quibus admodum familiariter utebatur Virgilius, adeo ut rarenter veteribus ſodalibus operam daret, quod hic ſignificari vult Horatius. B.

Si recte tempora ſubduxit Bentleius nulla odarum hujus libri ſcripta eſt vivo adhuc poeta Virgilio. Et nihil hic eſt, quod magis ad poetam, quam ad quemvis alium Horatii familiarem pertineat. Quin nihil hic eſt, quod ſpiret talem amicitiam, qualis Flaccum Maroni conjunxerat. Et tamen Bentleius hic Virgilium poetam intelligens ſua vineta cædit. G.

16 Neſcio cur magis placuerit Bentleio *mereberis* quam *merebere*. Verum aurem ſuam fortaſſe conſuluerat.

17 *Onyx; Metallum eſt gemmæ ſimile: de hoc ad unguenta odorata parva fiebant vaſa.* Vet. Sch. Hodie porcellanam vocant, e qua Veteribus *murrhea*, vel *murrhina pocula. Et crocino naves murrheus ungat onyx*, Propertius (3. 8. 22). Dioſcorides tradit onychem fuiſſe conchylium quoddam apud Indos in Nardinis lacubus repertum, ut adnotavit Lambinus. Quæ fabella Porcellanam fuiſſe confirmat. B. Horum fidem non præſtiterim. Multa de diverſa *Onychis* ſignificatione Salmaſius ad Solinum. Ad hunc locum ſatis eſt, *Onycha* eſſe gemmam, marmor, vaſculum unguenti; nomen a colore et levore unguis humani; *murrheum* Propertii epitheton coloris flavi. G.

Eliciet cadum, feſtiva Dilogia uſus eſt: nam et eliciuntur a Magis ſepultorum animæ, et ſignificat ſe etiam ex imitatione Virgilii jam parcum et tenacem fieri.

18 *Hodieque etiam Galbæ horrea vino et oleo ſimilibuſque rebus referta ſunt.* Vet. Schol. B. *Sulpicia horrea dicebantur, ubi nunc Galbæ.* Acron. Fuerunt ergo apothecæ, ubi vina, oleum et alia venalia proſtabant. Z.

Optimi Torrentii MSS. bene *occubat* legerunt pro *accubat*: ſignificat enim cadum iſtum diu ſepultum jacuiſſe, et pæne oblivioni traditum, ob vetuſtatem. B. Torrentius ipſe non habuit fidem ſuis codicibus: in *horreis* nihil *occubat*, i. e. perit: ſed *cadi* ſibi invicem *accubant*. G.

19 *Largus*, quod vinum generoſum eſt, largiter exhilarat animum, et ſpem lætam affert, eximitque curas amaras. Z.

21 *Si properas*; ſignificat enim velle ſe eum properare.

Cum tua merce; ut mercatorem ridet. Bene igitur Vet. Schol. quaſi Titulum fecerat, *Ad Virgilium negotiatorem.* Unde nonnulli (inter quos nollem Torrentium) alium neſcio quem Virgilium unguentarium, ſive myropolam ſomniaverunt. B. Vid. ad v. 15. et 25. G.

23 *Immunis* dicitur qui ἀσύμβολος ad convivium venit, ut docte Eraſmus.

Verum pone moras, et ſtudium lucri;
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

ODE XIII.

IN LYCEN.

Horatius veterum injuriarum memor, amicæ cuidam ſuæ olim faſtidioſæ, jam vero vetulæ factæ, præter ætatem tamen laſcivienti, lepidiſſime inſultat.

METRUM DUOBUS PRIORIBUS VERSIBUS CHORIAMBICUM ASCLEPIADEUM, TERTIO PHERECRATIUM, QUARTOQUE GLYCONICUM.

Audivere, Lyce, Dî mea vota, Dî
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formoſa videri,
Ludiſque, et bibis impudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſolicitas. Ille virentis et
Doctæ pſallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.

Salſe et urbane dixit *non ego meditor*: eſt enim Ironicum et Morale ſcomma.

Tinguere, feſtive ſignificat Virgilium damnoſe bibiturum: non enim *tinguuntur* niſi bene madidi.

24 *Plena dives*; ſignificat eum large ſolitum bibere apud Juvenes Nerones.

25 *Moras* dixit negotia quæ eum morabantur. B. Sed quod addit *ſtudium lucri*, mercatorem aperte ſignat, non ſacrum vatem Virgilium. G.

26 *Nigros ignes*, eleganter exſtinctas rogi favillas appellat, Dilogus etiam monumenti tenebras.

Dum licet miſce.

27 *Stultitiam* dixit quæ ſobriis et parcis videtur. Sic et Landinus.

Conſilia dicit mercatorum de augenda re familiari ſagacia ſtudia.

28 *Dulce eſt*; Anacreontici verſus Parodia eſt: Θέλω, Θέλω μανῆναι. Sed moderatur dicendo *deſipere* pro eo quod erat *furere*, et *in loco*, h. e. *aliquando*, idoneo ſcilicet tempore; nam *locus* etiam de tempore dici ſolet opportuno. Bene etiam *Dulce*: *Namque voluptates commendat rarior uſus*. B. *Deſipere* videntur avaris homines lautiores. Sed Horatius monet amicum ſuum fere ea ratione, ut ille Lenonem Ter. Ad. 2. 2. 8. G.

ODE XIII.

3 *Vis* modo dicit pro velle te oſtendis.

4 *Ludiſque*: expolitio eſt prioris verſus. *Ludis* autem poſitum eſt pro *ſaltas*. *Nemo ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit*, Cicero pro Muræna.

Impudens pro impudenter; *Nomen pro Adverbio*. Vet. Schol.

5 *Cantu tremulo*; Dilogus et ad vocem et ad ætatem poſuit: Perſius ad vocem dixit: *tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu*.

6 *Lentum* dicit, quod carminibus ſolicitatus adeſſe recuſet.

7 Tacetur Chiæ puellæ nomen. Φάλλιν ἄκρον τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι. Suidas.

8 Immobilis eſt qui *excubat*, ſiquidem in ſtatione ſua manet.

Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi
  Dentes te, quia rugæ
    Turpant et capitis nives.
Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ semel
  Notis condita fastis
    Inclusit volucris dies.
Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? quid habes illius, illius,
  Quæ spirabat amores,
    Quæ me surpuerat mihi?
Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies: sed Cinaræ breves
  Annos fata dederunt,
    Servatura diu parem

10 *Pro* luridi, lividi *coll. Sax.*—14 Cari *Brod. coll. Sax. Fl. Ven.* 1486. *Bentl. Cun.*—17 *Sic Bentl.* Quove color decens? *al.* Quo color? heu! decens Quo *Cun.*

9 Quodcunque minus arridet delicatulis *importunum* dicitur. Significat et se olim pro importuno habitum: nam inesse Emphasin puto. *Importunus* in conviciantium puellarum ore satis frequens improperium.

Mire *transvolat* de alato deo.

Festiva est ista numeri Enallage qua vetulas omnes rigidas et quernas dicit.

10 *Refugit* tanquam terriculamentum quoddam vel monstrum.

Luridi; nigri, squamosi. Vet. Schol. Nam a *livere* est et *luror* et *luridus*.

12 Dacerius clamat ferri non posse *capitis nives*, quod apud Fabium (8. 6. 17.) legerat Tralationem istam esse duram. Fateor in Oratore durum fore quod in Poeta Lyrico nitet, præsertim vero de anu frigida agente.

13 *In Co insula vestes tenuissimæ ad delicias muliebres et luxum, optimaque purpura tinguuntur.* Vet. Schol. Cruq. *Pamphile Platis filia prima in Co bombycinam texere docuit*, ut ostendit Mancinellus ex Plinio.

15 *Notos fastos* lepidissime dicit *Auctorum libros*, quorum meminit Juvenalis Satyra nona (v. 84). His enim nascentium puerorum nomina atque natales continebantur. Miror hoc latuisse Interpretes. B. *Notis c. f.* in fastis enim consulum tempora scribebantur, quorum annis tempora præterita noscebantur. *Sch.* Z.

16 Bene *inclusit* cum ante posuerit *condita; Inclusi enim* (juxta Vet. Schol.) *defuncti tumulo dicuntur.* Ostendit conclamatum esse de eo quod præteritum est.

Volucrem diem pro *volatile tempus* posuit: sic et *ante diem* dicimus pro *ante tempus*.

17 *Venus* modo forma dicitur; h. e. elegans partium symmetria, Metonymice. B. Tua forma et gratia. *Schol.* Z.

18 *Motus* dixit Rhythmicos et decoros gestus, præsertim vero cum saltaret. B. *Decens* epitheton *motus*, ut bene monuit Bentleius, ante quem omnes referebant ad *colorem*. G.

Quid; h. e. *quantulum*. B. Quæ sequuntur, indicant aliam nunc plane videri diversamque ab ea, quæ fuerat. G.

19 *Spirabat Amores;* h. e. Odoris fragrantia Venerem et Cupidines æquabat. *Ambrosiaque comæ divinum vertice odorem Spiravere.* Virg.

20 *Surpuerat mihi;* mente alienatum se significat. B. Pro *surripuerat*, quæ nimio amore injecto mentem alienaverat. Z.

21 *Felix facies* est cui omnia ex voto contigere.

Nota; i. e. omnibus decantata. B. *Notus artium*, ut Car. 2. 2. 6. *Notus animi.* G.

Artium gratarum facies; est quæ omnes aspectus astutias tenet. B. Vel, ut pulchre Schol. Cruq. quæ oculis, nutu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius corporis motu placet. G.

Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Poſſent ut juvenes viſere fervidi,
Multo non ſine riſu,
Dilapſam in cineres facem.

ODE XIV.

AD AUGUSTUM.

Etſi Auguſti juſſu hæc Ode compoſita ſit in honorem Claudii Tiberii Neronis, qui fratri ſuo Druſo Vindelico bello conficiendo adjutor fuerat, Auguſtus tamen ipſe fere utramque implet paginam. Noverat uter carior fuerat Auguſto.

METRUM QUOD IN QUARTA.

Quæ cura Patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguſte, virtutes in ævum
Per titulos memoreſque faſtos
Æternet? O, qua ſol habitabiles
Illuſtrat oras, maxime principum;
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,

4 Faſtus *Bentl. et Cun. Vid. ad* Car. 3. 17. 4. Faſtus *etiam coll. Sax.*—5 *Pro* ſol, lux *ap. Lambi. et coll. Sax.*

22 *Breves annos*; lugubri recordatione profertur: ſignificat tamen melius actum fuiſſe cum Cinara, quam cum Lyce.

25 Credebatur Cornicem vivere mille annos.

26 *Fervidi* poſuit pro perpetuo Epitheto, ob juventutis inſitum calorem.

28 Cum Vet. Schol. et Torrentii MSS. *Delapſam* repoſui pro *Dilapſam*: fax enim conſumta in cineres delabitur. Facem autem ἐμφατικῶς dixit, quo oſtenderet flammas ejus in omnes quaquaverſum deſæviiſſe. B. *Dilapſam* et auctoritas major, et ſententia mihi pæne perſuadent. *Cineres facis* dum paullatim ea conſumitur, dilabuntur, diſpergunturque. G. Recte: ergo recepi. Z.

ODE XIV.

1 *Quæ cura patrum; Negat ullos a Senatu, vel Populo Romano dignos honores inveniri.* Vet. Sch. *Curam* dicit in excogitando ſtudium.

4 *Titulos* dicit Epigrammata Statuarum. *Faſti ſunt Annales, qui ad commemorationem bonorum,* vel *rerum geſtarum inventi ſunt.* Vet. Sch.

5 *Æternet*; vox antiqua.

O, præter modum admirantis eſt.

Habitabiles poſuit ut Græci οἰκουμένην pro Orbe terrarum.

6 *Ora* idem eſt quod *litus*; Synecdochice regiones dicimus *oras*.

Princeps primus erat in Republica: abutuntur ea voce, qui reges vocant Principes. Auguſtus *exhorruit nomen Domini*, auctore Suetonio, quid de Regis faceret?

7 *Legis expertes Latinæ* Vindelicos dixit, quod hactenus nunquam Romanorum armis paruerint. Anacoluthon eſt etiam in *Quem didicere quid poſſes*, ex Helleniſmo tractum, ut notavit Stephanus.

Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genauuos, implacidum genus,
Brencosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave prœlium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.

10 Genautos *Brod.* Germanos *Zar.* Gelonos *Loch.* Genaunos *rel.*—11 Bremnos *Flor.* Breunos *Cruq. Bentl. Talb. Sandby.* Brennos *fere rel. Similis varietas est Sueto. Tib.* 9. —13 *Post* acer *interpungit Jani et refert* plus vice simpl. *ad Neronem.*—15 Rhœtos *vett. edd.*—24 *Pro* ignes, enses *conj. Bentl.*

9 *Milite nam tuo; Augustus* (juxta Suetonium) *disciplinam severissime rexit.*

10 Pro *Genaunos* et *Brennos* ex Lambini Codicibus reposui facili negotio *Genauuos* et *Brencos*, uti et a Strabone appellantur. Fortasse *Genauui* erant *Brencorum* Clientes, uti Ἐιλωτις Spartanorum vernæ: Lingua enim Gallorum, qua nostri Aborigines etiam hodie utuntur, *Kenauon* sunt servi, et *Wreng* homo liber est, sed plebeii generis. Siquidem illis *Eng* angustus est, uti et Teutonibus; *æng* vel *eang*, e contra liber, et *Wer* vir vel homo. Idem igitur est *Wreng*, et *Brencus* quod *Francus*, h. e. homo liber et ingenuus: Angli nostri corrupto *Drengos* olim vocabant, unde vulgo nostro corruptum DRUDGES pro DRENGES, quod est *Drengi*, quam vocem vir eruditissimus Henricus Spelmannus in Glossario suo explicare nequibat. Erant autem hæ gentes Cisalpinæ Galliæ, auctore Vet. Schol. Bentleius servavit *Genaunos* et *Breunos* habita nulla nostri ratione: quid enim ego scirem? B. Favet, si non lectioni, certe disputationi Baxterianæ Germanorum *Knabe*, *Knappe* quod famulum non minus quam puerum notat. Apud Strabonem etiam mentio τῶν Βειύνων (Ald. Βείγκων) & Γιναύνων. G.

12 Bene *Tremendis*, ob immanem montium altitudinem.

13 *Acer* est qui moræ impatiens pugnare gestit, vel qui amorem certaminis animo concipit.

Plus vice simplici; h. e. plus semel: Litotes Figura: significare vult eum sæpius hoc fecisse. B. Acron et Porphyr. melius ita, non vicem tantum redditam Barbaris simplicem, sed duplam, alterum tantum cladis inflictum illis, quam dederant. Etiam fortunæ vices possunt intelligi, ut dicat, non sine periculo fuisse expeditionem. G.

16 *Auspiciis secundis*; h. e. Augusto præbente deos, ut mox v. 34.

Pepulit; neque enim prorsus fregit: Suetonius *Coërcitos* dicit.

17 *Spectandus*, verbum circi, et ludorum, quæ spectacula dicebantur.

18 *Devota*; significare videtur Gallorum Soldurios, qui se devovebant, cum ducibus suis perituri.

19 Bene *fatigaret*: siquidem viri fortes non vincuntur nisi pugnando fatigati.

Ruinis modo Active posuit. Ruina horribilis est insultus.

20 *Indomitas undas* τριβραχικῶς pro mari dixit, quod mortalibus indomitum est. De suo posuit Bentleius *Indomitus*, quod quis probet illius tantum calculo?

21 *Exercet* dicitur cui nulla datur requies.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cum fævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu,
Primoſque et extremos metendo,
Stravit humum, ſine clade victor;
Te copias, te conſilium et tuos
Præbente divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandrea ſupplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque et optàtum peractis
Imperiis decus arrogavit.

26 *Pro* Qui, Qua *conj. Bentl.*—28 Minitatur *Glar. et Bentl. e codd.*—30 Dirpuit *Fl.* 1486. *forte pro* diripuit, *ut* ſurpuit.—32 Humi *Ven. et Glar.*

Pleïadum; exiſtimantur choream ducere Stellis. Mancinellus ex Hygino. *Harum ortus tempeſtuoſus eſt.* Vet. Schol. B. *Pleïadum chorus* ſ. Vergiliæ exortu ſuo ver denunciant, quo tempore *Auſter undas* ad illud tempus *indomitas ponit* (vid. Car. 1. 3. 15. et 1. 7. 15.) et mare clauſum aperit. G.

22 *Scindente nubes;* ſignificat Typhonicos ventos, qui ſciſſa nube prorumpere conſueverunt. B.

Quin Pleiadum exortus ſerenitatem adferre ſciſſis diſpulſiſque hibernis nubibus ſolet. Tiberium comparat Auſtro fluctus maris Adriatici ſedanti: fluctus illi, hoſtes imperii. G.

23 *Vexare* modo pro *agitare* poſuit, ſeu *conturbare: vexatur*, cui nunquam uno loco manere licet.

24 *Medios per ignes;* h. e. *Per medium pugnæ fervorem.* Vet. Schol. Ignes enim acres decertantium animos dicit, tam equitum ſcilicet quam equorum. B. Forte hiſtoria eſt, ad quam alluditur. G.

25 *Omnium fluminum famoſorum vultus cum cornibus finguntur propter impetus et mugitus aquarum.* Vet. Schol. Magis propter Bacchum vel Deum Lunum, aquarum Dominum, quem Græci vocabant Διόνυσον ταυρόμορφον, atque ex aquis precibus eliciebant, auctore Plutarcho. B. Vid. Spanh. de num. T. I. p. 394. ſq. G.

28 Sex Codices Lambini cum Vet. Schol. legerunt *meditatur* etſi Nonius Marcellus, qui hunc locum citavit (3. 84.), habeat *minitatur*, quod ex Gloſſemate fuiſſe videtur. Bentleio magis placuit *minitatur:* ſed parum refert. Mihi ſplendidius videtur verbum *meditatur* quod ſit figuratum. B. Par fere auctoritas utriuſque verbi: ſed *meditatur* magis reconditum, magis poeticum. G.

30 *Ferrata*, ferro munita et armata. Z.

31 *Metendo; Sic et Virgilius; Proxima quæque metit gladio.* Vet. Schol.

32 Eſt, qui putarat legendum *ſtravit humi;* ſed hoc multo dilutius: *ſtravit*, i. e. conſtravit, texit *humum*. G.

Sine clade; Sine damno ſuorum militum. Vet. Schol. *Sine ullo detrimento commiſſi exercitus.* Paterculus, notante Ludovico Deſprez.

34 *Divos*, auſpicia tua, quæ tu concedebas ei, qui nomine tuo bellum foris gerebat, ut capere poſſet, ſi opus eſſet. Z.

35 A Græco Ἀλεξάνδρεια, Latinis *Alexandria*, et *Alexandrea*, uti et hoc in loco legerat Priſcianus.

37 *Luſtro tertio: Ita evenit ut poſt annos quindecim Druſus eo die Rhætos Vindelicos vinceret, qua die Auguſtus Alexandriam vicerat.* Vet. Schol. B. Similia Cruquianus comment. et Maſſonus: ſed non probant aliunde. Mihi quidem nihil aliud velle videtur Horatius, quam luſtrum tertium jam procedere ab illo die, quo dedi-

Te Cantaber non ante domabilis,
Meduſque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela præſens
Italiæ dominæque Romæ!
Te, fontium qui celat origines
Niluſque, et Iſter, te rapidus Tigris,
Te beluoſus qui remotis
Obſtrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliæ
Duræque tellus audit Iberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

51 Sygambri *Bentl. et Jani: ut ſupra* IV. 2. 36.

dit ſe Alexandrea. Maſſonus ipſe non niſi XIII. annos ab illo die ad hanc odẽ computat. G.

39 *Optatum decus*; h. e. *Perpetuam Dictaturam.* Mancinellus. *Laudem* dixit, patris patriæ appellationem, ut puto. B. *Peractis imperiis*, &c. bellis et expeditionibus, tuo ductu aut auſpiciis bene geſtis nunc addidit Fortuna novam victoriam, ſ. gloriam ex animi tui tuorumque ſententia partam. Z.

42 *Profugus dicitur qui nunquam eodem loco manet.* Vet. Schol. B. Sueto. Aug. 21. *Indos etiam et Scythas—pellexit ad amicitiam ſuam populiq. Ro. ultro per legatos petendam.* G.

43 Roma erat in tutela Jovis; ſed ille abſens tutela erat. *Nec tam præſentes alibi cognoſcere divos.* Virgil.

44 *Dominam* dicit *Romam* ob Senatum pro cujus principe ſe gerebat Auguſtus.

46 Hæc junctura *Niluſque et Iſter* indicat commune prædicatum, nempe *celaſſe* etiam *Iſtrum* eo tempore ſuas origines: cumque fontibus ſatis propinqui fuerint eo tempore Romani, forte intelligi poterit origo appellationis, h. e. quo loco incipiat *Iſter* vocari. G. Fortaſſis fontium originem ignotam poëta refert ad unum Nilum. Z.

47 *Beluoſus*; h. e. balænis abundans.

49 *Vera perſuaſione rurſus renaſcendi mortem non timebant.* Vet. Schol.

Minus conveniens videtur Bentleii *paventis* Plurali numero.

52 *Compoſitis armis*; h. e. ſub armis de more venerabundi te excipiunt Franci.

ODE XV.

AUGUSTI LAUDES.

Extrema hac Ode civiles Auguſti laudes per capita atque ſummatim dicturus, fingit ſe ab Apolline Auguſti numine admonitum, ne amplius res bellicas lyra ſua tractare velit.

METRUM UT PRIUS.

Phœbus volentem prœlia me loqui
Victas et urbes, increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæſar, ætas
Fruges et agris rettulit uberes,
Et ſigna noſtro reſtituit Jovi,
Derepta Parthorum ſuperbis
Poſtibus, et vacuum duellis
Janum Quirini clauſit, et ordinem
Rectum evaganti fræna licentiæ
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;
Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevere vires, famaque et imperî

1 Volente *conj. Torrent. et Geſneri Theſ. v. increpo.*—7 Direpta *MSS. et editt. pleræque.*—9 Fanum *Brod.* Quirinum *Jani.* Cluſit *Jan. e conj. Cun.*—10 Et vaganti *Ven. Glar.*—11 Emovit *MS. etiam G. et primæ editt.*

1 *Volentem*; h. e. conantem.

2 Non *increpuit lyra*, ſed *loqui lyra*: ſic et Vet. Schol. Levis et indigna tanto Deo eſt altera (Torrentii ſcilicet) Interpretatio. B.

Sed recte dictum *increpuit lyra*, oſtendit antiqua et vera lectio Ovid. Faſt. 6. extr. h. e. tacta aſperius et vehementius lyra ſilentium poetæ impoſuit: ut alias *aurem vellit Cynthius.* Virgilio Ecl. 6. 4. *Increpuit lyra*, in lyra crepitum excitavit et ſonum notabiliorem. G.

3 *Ne parva; Allegoricus ſignificat, ne magnam materiam humili generi carminis committerem.* Vet. Schol. Non ſine periculo Tyrrhenum mare navigatur.

4 Tollenda vox eſt cum Emphaſi morali: vult enim ſignificare, nullam aliam ætatem hujuſmodi miracula dediſſe.

5 *Rettulit uberes; Quia in pace diligentior cultus uberiorem fructum facit.* Vet. Schol.

6 Bene *reſtituit Jovi*; aquila enim Jovis erat ſymbolum. B. Puto in Capitolium triumphali pompa lata, et gremio Jovis impoſita, ut in laurea victoriarum nuntia fieri ſolebat. Vid. ad Plin. Pan. 8. 3. Poſt templo Martis Ultoris, ad eam rem condito, illata ſigna iſta Parthica, docet Dio 54. 8. G.

7 Legimus cum Lambino et Cruquio *Derepta*, non *Direpta* ex veteribus libris.

9 *Janus dicitur Quirinus quaſi bellipotens, ab haſta quæ lingua Sabina Quiris dicitur.* Landinus ex Macrobio (Sat. 1. 9. extr.). Suetonius etiam (Aug. 22.) *Janum Quirinum* dicit, non *Quirini. Secundum Nigidium Diana Jana dicta eſt appoſita litera D.* Landinus. Erat igitur Italis *Janus Quirinus* idem qui Græcis *Apollo Agyieus*, qui ante fores ſub forma haſtæ, vel acuminatæ columnæ, ut ſupra oſtendimus, coli ſolebat. Levis videtur eſſe ratio quod Bentleius prætulerit *Janum Quirini*: præſertim cum veteres libri ſileant. B. Quin ſummo conſenſu *Quirini* ſcriptum et editum video. *Janus* pro ipſo templo dicitur; templum hoc antiquitus

Porrecta majeſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.
Cuſtode rerum Cæſare, non furor
Civilis aut vis eximet otium;
Non ira, quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia, non Getæ,
Non Seres, infidive Perſæ,
Non Tanain prope flumen orti.
Noſque et profeſtis lucibus et ſacris,
Inter jocoſi munera Liberi,
Cum prole matroniſque noſtris,
Rite deos prius adprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Trojamque et Anchiſen et almæ
Progeniem Veneris canemus.

15 Ortus *codd. quidam ap. Bentl.*—18 Exiget *Lamb. Bentl. Jani.*—22 Rumpunt *Fl.* 1482. —24 Tanaim *edd. quædam.*—25 Noſque prof. *MS. Marcil. it. Cun.*—30 Remiſto *Ven. Glar. Lamb. Ghab.*

nihil aliud fuiſſe videtur, quam tranſitus aliquis, quem utrinque portis munivit Numa et belli paciſque indicem facit, v. Liv. 1. 19. et Aur. Vict. V. I. 3. 1. Plut. Numa p. 73. pr. Νεὼς διθυρος, ὃν πολέμῳ μὲν πύλην καλοῦσι belli januam, ſ. quod idem eſt *Quirini* (alterius Martis) *Janum*, vel *Quirinum* ſive Martialem *Janum*: recte dictum utrumque; alterum Horatio, Suetonio alterum placuit. G.

11 *Emovit* pro *amovit*, et ſupra *evaganti* pro *et vaganti* ex Lambini et Torrentii Codicibus repoſui, quod neminem improbaturum puto; *Emovit* etiam confirmatur auctoritate Vet. Schol.

Perpetuo Charientiſmo *adulteria* et *ſtupra culpas* nominat. Nil opus eſt me meminiſſe hoc loco Legis Juliæ de adulteriis.

12 *Veteres artes* vetuſte poſuit, pro *antiquos mores*; vel *virtutes*, Græcis ἀρεταί.

Revocari dicuntur quæ diu deſueta et abolita iterum in uſum reducuntur.

17 *Cuſtos* modo dicitur, ut ſupra *Tutela præſens*, tanquam de numine.

18 *Vis* proprie potentum eſt, qui ſpernunt leges et *Jura negant ſibi nata*.

Multi Codices *exiget otium* corrupte pro *eximet*. Vet. Schol. etiam *exiet*, ex Librarii incuria, ut videtur. Bentleius tamen probavit *exiget*, quod minus probabile eſt.

20 *Inimicat*, *fictum verbum eſt*. Vet. Schol. Imo vetuſtum. Bene autem *urbes* poſuit in Plurali, cum in animo foret Roma.

22 *Edicta Julia*; *Maxime laboravit Auguſtus, ut rata eſſent quæ Julius inſtituerat*. Suetonius, adnotante Badio Aſcenſio.

Getæ, *Gothi*. Vet. Schol. Vandali (a quibus et Vindelici) Νόμαδες erant et Μασσάγαι, contra autem *Gothi* Ἀροτῆρες, ſive Agricolæ: ideoque a divitiis vel bonis ſuis nomen Gothorum ſortiti ſunt.

23 *Infidive Perſæ*; *Quia Craſſum ſimulata pace necaverant*. Vet. Schol. Cruq.

25 *Profeſti dies dicebantur, qui ante feſtos erant*. Vet. Schol. h. e. Omnes non feſti.

26 *Jocoſi lætitiam jubentis*. Vet. Schol.

29 *More Patrum*. Cicero Lib. I. Tuſcul. c. 2. ſcribit eſſe in Catonis originibus, *ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus*. Mancinellus.

30 *Lydis tibiis læta cantabantur, Phrygiis triſtia: tres enim modos habebant tibiarum, Ionicum, Lydium et Phrygium, quem et barbarum*. Vet. Sch.

32 *Progeniem Veneris*; i. e. *Gentem Julian*. Vet. Schol.

Q. HORATII
FLACCI
EPODON*
LIBER.

ODE I.

AD MÆCENATEM.

Imminente jam immani Actiaci belli procella, Horatius Mæcenatis interventu militiæ vacationem impetraverat; Pronum eſt igitur credere aliquem inter eos interceſſiſſe amicitiæ rigorem, ac ſi Lyricus noſter partium medius atque a fortuna pendulus foret. Satisfaciendo igitur et purgando ſe quaſi per ludum et jocum ad iracundos Iambos convertit ſtilum. Primus autem verſus (auctore vetere Scholiaſte Cruquii) πρωῳδεῖται, ſecundus vero ἐπῳδεῖται, h. e. alter præcinitur, alter ſuccinitur. EPODOS *enim, prodente Mario Victorino* (p. 2501.) *brevior verſus eſt longiori ſubditus: Hujus vero metri inventor fuit Archilochus, ut vetus Scholiaſtes monet.* (De *Epodo* idem mihi videtur. Etiam Od. 11. et 13. it. 17. hoc nomine laxius ſumto comprehendi poſſe arbitror. Sed hoc carmine puto Horatium (ſerione an πρωῳδίαι tantum, nihil attinet) ſe offerre ad ſocietatem periculi, delicate profecto, ut vacationem ſibi datam non diſſimulet, bello inutilem ſe eſſe fateatur, et tamen paratum comitem, et præmii nihil ſperantem affirmet. G.)

METRUM IN PRIMO VERSU EST DIMETRUM IAMBICUM, IN ALTERO DIMETRUM.

IBIS Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,

* Nihil melius definitione Hephæſtionis Enchirid. p. 70. Εἰσὶ δὲ ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ οἱ ἀβρένικῶς ὕτω καλούμενοι ἐπῳδοὶ, ὅταν μιγάλῳ τίχῳ στιχτόν τι ἐπιφέρηται, οἷον, Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον, ἰφράσω σόδι; τί σὰς παρήιδας φοίνας; Verſus ſunt Archilochi in ſocerum; unde etiam apparet, Epodorum opus præcipuum eſſe maledicere, ut ſunt pleraque hujus libri. Qui *quintum librum carminum* vocant, (Muretus, Faber, alii) non attendunt ad rationem temporum, de qua in Præfatione. G.

1 *Ibis* modo pro *iturus es.*

Auguſtus Liburnis præpoſuit Mæcenatem. Vet. Schol. *Liburnæ naviculæ ſunt textæ viminibus.* Idem. Hujuſmodi erant et veterum Britanno-

Paratus omne Cæſaris periculum
Subire, Mæcenas, tùo.
Quid nos, quibus te vita ſi ſuperſtite
Jucunda; ſi contra, gravis?
Utrumne juſſi perſequemur otium,
Non dulce, ni tecum ſimul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus; et te vel per Alpium juga,
Inhoſpitalem et Caucaſum,
Vel occidentis uſque ad ultimum ſinum,
Forti ſequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore ſum futurus in metu,
Qui major abſentes habet.
Ut aſſidens implumibus pullis avis
Serpentium allapſus timet,

---

4 *Poſt* tuo *ſignum interrogandi ponit Bentl.*—5 Si *Bentl. et ſic G. coll. Sax. Flor.* 1482. *Loch. et Mancinellus ait, in cunctis omnibus antiquis Codicibus ita eſſe. Al.* ſit. G. Plane abeſt ſit ab ed. *Chab. et nonnullis codd. Bentl. Sed exquiſitius eſt* ſi, *tot librorum ſcriptorum conſenſu comprobatum, ita ut plena oratio efficiatur:* quibus vita eſt jucunda, ſi ſit, te ſuperſtite. Z. —10 Qua *etiam Flor.* 1482, *Ven.* 1544. Quem *coll. Sax. G. Brod. Zar. Ven.* 1479, *Med.* 1486 *et* 1502.—15 *Sic H. Glarea. Torr. Da. Heinſ. Fab. Bentl. &c.* Laborem *al.*—17 Sim *Bentl. e conj. Heinſii.*

---

rum currucæ, ſeu pellitæ naves, levitate inſignes. B. Hoc ipſo bello Actiaco tantam dignitatem aſſecutæ Liburnæ, ut *earum ſimilitudine et nomine uſurpato* ad *earum inſtar claſſem Romani principes texuerint* Veg. 4. 33. Vid. Scheff. de Mil. nav. 2. 2. p. 97. G.

2 *Amicus* eſt vel major, ſeu Patronus: vel minor qui et Cliens, unde et *Majorum* et *Minorum* appellatio originem duxit. *Stoicus occidit Baream, delator amicum Diſcipulumque ſenex.* Juv. 3. 116. B. Plane non dubitabat Horatius *amici* nomine uti apud Mæcenatem. G.

Ut in muro ita et in navibus fiunt propugnacula, poſt quæ dimicantes armati conſiſtunt. Vet. Schol. Turritas Antonii naves ſignificare videtur, a quibus ingens Mæcenati periculum.

5 Duo Torrentii Codices cum Vet. Schol. pro *ſit ſuperſtite* legerunt *ſi ſuperſtite*, quod et vir eruditus Antonius Mancinellus probavit. B. *Quid nos*, ſcil. faciemus? Z.

7 *Otium; Agente Mæcenate Horatius ab Auguſto meruerat militiæ vacationem.* Vet. Schol.

10 Jacobus Cruquius optime punctum interrogativum huic verſui appoſuit.

14 *Pectore, animo μετωνυμικῶς.* Vet. Schol.

15 Omnes Torrentii MSS. *laborem* habuere pro *labore*, quod et mihi concinnius videtur: Scholiaſtæ ſilent. B. Sed *labore* poſtulat ratio carminis.

16 Reſpicit militiam ſuam ſub Bruto, ſeque ab Antonio fugatum meminit.

17 *Comes minore; Humanæ mentis ratio eſt, ut per diverſas ſuſpiciones dilectis plus timeatur abſentibus.* Vet. Schol. elegantiſſime.

Non video quid opus fuerat quod Bentleius poſt Heinſium ex propria conjectura *ſum* verterit in *ſim*. B. Omnino *ſum* retinendum eſt: rationem enim reddit propoſitionis, quam vult videri certam et firmam. G.

19 *Ut aſſidens:* h. e. nuſquam inde ſe movens, B. Ob id ipſum aſſidet quia metuit, &c. G.

Magis relictis; non, ut adsit, auxilî
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratiæ;
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua,
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit. Haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam, ut nepos.

---

21 *Sic plerique et recte:* uti sit *Bentl. cui favet Zar.* ut sit.—25 Alligata *Glar.*—26 Nectantur *coll. Sax.* Mea *Bentl. e codd.*—28 Pascuis *Bentl. Zar. Med.* 1477, *Ven.* 1479.—29 Supini *conj. Bentl.*

An *implumes pullos* Augustum et Mæcenatem putat? Novimus sane Brutum et Cassium ab Antonio superatos, et Antonium ipsum ab Agrippa; non enim tam viribus quam auspiciis Augustus valuit. B. Comparatio plane nulla est in pullis, sed in hoc solo: ut Avis etiam assidet pullis, quos præsentia sua tueri non potest: ita ego te sequar, non quo tueri possim, sed quo minus metuam. G.

21 Nil opus est *relictis* dici in Ablativo, quod putavit Dacerius.

23 *Militabitur bellum*, eleganter et *nove*. Vet. Schol. B.

24 *In tuæ spem gratiæ*: videtur jam amicitiæ rigorem, quem dixi significare. B. Id mihi aliter videri, indicavi, certe vestigium hic nullum deprehendo frigoris in Mæcenate. G. Sensus est: non spe prædæ, sed quia spero, me tibi ita placiturum esse. Z.

25 *Illigata; Hypallage*, h. e. *non ut illigati sub aratra mittantur*. Vet. Schol. Cruq. B. Sensus loci ad vers. 30. usque est: Non militabo ergo, at plura agri jugera possideam; aut pascua sic amplificentur, ut et hiberna et æstiva habeam; aut ut villæ meæ fundus producatur usque ad mœnia ipsa Tusculi. Z.

27 *Ante sidus fervidum; Ante caniculares dies*. Vet. Schol.

28 Hypallage *Lucana Calabris* pro *Calabra Lucanis*. Sic et Vet. Schol. Nam Calabria æstuosior Lucania.

29 *Supernum* dicit Tusculum, quod in edito loco sit situm. B. An *supernum Tusculum* est superius Tusculum? forte arx antiqua, ubi *villa*, quæ continuari posset ad ipsam urbem, Tusculum, a Telegono Circes ex Ulysse filio conditam. Monstrosum pæne est *Circeios* et *Circæum* promontorium cogitare. G.

30 *Circæa mœnia*; h. e. *Nolo continuare agros Tusculanos usque ad Circæum*. Vet. Schol. Quod fortasse Mæcenas fecerat. *Candentem* dixit Mæcenatis villam; h. e. *marmoribus comtam*. Vet. Schol.

33 *Chremes; Nomen in Terentio divitis et tenacis*. Vet. Schol. B. *Terra premam*, defodiam et in terra condam. Z.

34 *Discinctos pro negligentibus solent dicere*. Vet. Schol. Suaviter Mæcenatem suum ridet, qui, ut ait Seneca, *Solutis tunicis in urbe semper incedebat. Malthinus tunicis demissis ambulat*: quem Malthinum Vet. Schol. Mæcenatem fuisse ostendit Sat. 1. 2. 25. B. Si vere ista Schol. mirabor audaciam Flacci, et ingratum animum, qui non maluerit *admissus circum præcordia ludere amici* magni, quam vitia illius humano generi ridenda propinare. G.

Nepotem Veteres prodigum et luxuriosum dicebant, quia revera solutiores delicatioresque victus solebant esse, qui sub avo nutriuntur. Vet. Schol. *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico tangit*. Persius 1. 116. B.

ODE II.

Horatius dubiis hisce temporibus incertus, civiles turbas urbanaque negotia pertæsus forsan et potentis amicitiæ rigorem expertus, humilium colonorum vitæ invidere se profitetur. De ridicula interim Alfii noti fæneratoris persona, urbanissimè et Ironica Allegoria, miranda rusticanæ vitæ præconia referri vult videri. (Videntur sane ultima Odæ superioris hanc velut peperisse. G.) *(Exemplo Alfii fæneratoris ostendit, non facile quemquam a lucri consuetudine recedere. Alfius enim beatum prædicat rusticum, qui nec curis et molestiis, quas fœnoris exercendi studium pariat, vexetur, nec militet, nec mercaturam exerceat, nec causis forensibus det operam, nec potentioribus hominibus gratificari cogatur, sed qui agrum colat. Atque dehinc singula vitæ rustice commoda recenset. At idem homo, qui jamjam rusticus fieri cupiebat, intra paucos dies, mutata sententia, ad lucri consuetudinem repente redit.* Z.)

METRUM UT IN SUPERIORI.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet suis,
Solutus omni fœnore;
Neque excitatur classico miles truci;
Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;

5 Nec *Ven. Glar.*—6 Nec *eædem edd. et Bentl.*—V. 11. *et* 12. *post* 13. *et* 14. *habent MSS. editique omnes præter unum H. Stephani (vid. primæ edit. Diatr. 1. p. 38.) qui sic edidit, ut et G. Fabric. A.* 1570. *itemque Chab. Baxt. et Cun. et Sanadonus. Bentleius vulgatam defendit, quia maritatio vitis curatur Octobri, verno autem insitio.*

1 *Beatos* prædicamus quibus invidere solemus.

Negotia dicit molestias urbanæ vitæ. Vet. Schol. B. Videntur esse negotia pecuniaria, quæ cernuntur in pecunia mutua danda et fœnore exercendo. Z.

3 Lambinus *bubus* legit pro *bobus*, quod Prisciani auctoritate firmat, qui et sic legerat.

Exerceri dicitur quod non finitur quiescere. B.

4 *Solutus o. f.* vulgo interpretantur de eo, qui liber est ab ære alieno: sed, ni fallor, intelligitur is, qui fœnus non exercet, et adeo liber est a metu ne sortem cum usura perdat. Z.

5 *Excitatur*, e somno.

Classicum vocatur turbarum sonitus, a classibus; i. e. *Equitibus qui tubas semper ferebant.* Vet. Sch. Cruq. *Classes equitum ordines vocantur.* Mancinellus ex Prisciano.

8 *Limina; Salutationum Officia dicit.* Vet. Sch.

Aut preſſa puris mella condit amphoris;
  Aut tondet infirmas oves;
Vel, cum decorum mitibus pomis caput
  Auctumnus arvis extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
  Certantem et uvam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
  Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modo ſub antiqua ilice,
  Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
  Queruntur in ſilvis aves;
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
  Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Jovis
  Imbres niveſque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
  Apros in obſtantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
  Turdis edacibus dolos;

18 *Pro* arvis, agris, *ex MSS. et edd. Bentl. Cun. et ſic Brod.*—25 Rivis *MS. Berſm.*—33 Hamite *Brod.*

9 *Adulta; Propago tertio anno a matre ſeparatur.* Mancinellus ex Columella.

10 *Maritat; Arbores ſexto anno, ſi jam firmæ videbuntur maritandæ.* Idem ex Columella. *Propriè maritari arbores dicuntur cum vitibus adjunguntur.* Vet. Schol.

Vitem maximè populus alit. Columella, citante Mancinello. B.

Vid. quæ notavimus ad Col. 5. 6. 4. G.

11 Quid ſi mallet Bentleius *Inutileſve?* an inde ſequeretur Horatium ita ſcripſiſſe?

Amputans; iſte ſignificatur qui parat inſitionem. Mancinellus.

13 *Reducta;* curvata, Tralatio eſt ab arcu.

14 *Errantes; Libere paſcentes.* Vet. Schol.

15 *Mellimeſſio dicitur mellis collectio.* Vet. Sch. Quæ vox non comparet in Dictionariis. Aliis *Mellatio dicitur.*

16 Ruſtici detondent ægrotantium ovium clunes, cum ob infuetæ pabula fluore ventris tentantur, quod non viderunt Interpretes. Occurrit etiam apud Vet. Schol. *Lanitundium*, Lexicographis ignotum. B. Non poſſum putare relatum ab Horatio in voluptatibus agricolarum, tondere clunes ovium fluore alvi laborantium. G. Recte: nam *infirmæ* non ſunt ægrotantes, ſed debiles, injuriæ patientes. Z.

17 *Decorum caput; Poetica Phantaſia finxit Auctumnum quaſi corporalem deum pomis coronatum.* Vet. Schol.

21 *Et munero et muneror in Activa ſignificatione recte dicitur.* Vet. Schol. quod et Priſcianus tradit. *Non guſtabant novas fruges, aut vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent.* Mancinellus.

25 Torrentius, Lambinus et Cruquius ex pluribus antiquis Codicibus repoſuere *Rivis* pro *Ripis;* quod et Adjectivo *Altis* confirmari videtur. Paulum intereſt inter Literas *P* et *V* in MSS. B. *Ripis* præſtuli cum Bentl. quia de æſtate atque auctumno ſermo eſt, quo tempore tenues ſunt aquæ, ripæ altiores. G.

26 *Veteres omnium animalium voces, præterquam hominis, querelam dicebant.* Vet. Schol.

30 *Comparat; Colligit.* Vet. Schol.

32 *Obſtantes; Fugæ aprorum oppoſitas.* Vet. Schol.

33 *Amites hodieque appellantur furculæ quibus*

Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos,
(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum et vetuſtis exſtruat lignis focum
Laſſi ſub adventum viri:
Claudenſque textis cratibus lætum pecus,
Diſtenta ſiccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum,

35 Pavidumve *Bentl. ob ſenſum, quia* ve *ſignificat* aut.—37 Malorum *Ald.*—52 Verrat *conj. Heinſii.*

retia, in venatione, vel in aucupio, ſuſpenduntur. Vet. Schol.

36 *Præmia* modo pro *prædas*, quippe laboris *præmia.*

37 *Malarum quas amor curas:* ex Helleniſmo Solœcophanes. Mirum eſt tot Interpretes intelleXiſſe *amorem* de avaritia.

39 *In partem:* h. e. in mediam partem, vel dimidium curæ.

41 *Sabinos* nominat et *Appulos*, tanquam ſibi notos.

43 *Sacrum; Veſtæ conſecratum: juxta focum dii penates poſiti fuere, Lareſque inſcripti, idcirco quod ara deorum Larium focus ſit habitus.* Vet. Schol. Cruq. Nil opus legi in hoc Verſu *Sacrum et;* neque ſuperius *juvans;* cum ab hoc incipiat expolitio ejus quod generaliter propoſuerat. B. At cum ſingula membra protaſeos copula connectantur: recepi *et* ex ed. Venet. Lambinus autem edidit *Sacrumque.* Z.

45 *Crates a paſtoribus texi conſueverunt, ad mutandas pecudibus manſiones.* Vet. Schol.

Lætum pecus dicitur bene curatum et pingue.

47 *Horna; novella.* Vet. Schol. Quaſi ὡρινὰ, vel hujus horæ, vel anni. *Ruſticæ ſimplicitatis Idioma bornum vinum bibere.* Vet. Schol.

Dolium, teſtaceus cadus erat. *Dolia nudi Non ardent Cynici.* Juvenal.

49 *Lucrina* oſtrea inter præcipua erant, et ſummi pretii.

50 *Scarus;* Piſcis ingens Græci maris, qui et ruminatur et voce utitur; de quo vide Athenæum, Euſtathium et Tzetzen in Lycophronem.

51 *Intonata* dicitur hiems, ob minacem ventorum ſonum tonitrui non abſimilem. B. Nempe *hiems* hic procella eſt, ut etiam tonitrua propria intelligi poſſint. G.

53 *Afram avem gallinam Numidicam dicit, qua*

Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ ſalubres corpori,
Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat paſtas oves
Videre properantes domum!
Videre feſſos vomerem inverſum boves
Collo trahentes languido!
Poſitoſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Hæc ubi locutus fœnerator Alfius,
Jamjam futurus ruſticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere.

63 Verſum *Servius ad Ecl.* II. 66.—67 Alphius *Ven. Glar. Cbab. Lamb.*—69 Redegit *etiam coll. Sax. et Brod. it. Maitt. it. MSS. duo Berſm.*

magna eſt et pinguiſſima, quam et Garamantiam vocant et Africanam. Vet. Schol.

54 *Attagen* Lagopus eſt, vel Aſiatica perdix, quam vulgo Francolinum vocant. *Cum Attagenas Fœminino genere vulgo dicant, attendendum quod Maſculino genere hic dixerit.* Vet. Schol.

56 Vili pretio veneunt *olivæ* apud Italos.

57 *Lapathum* modo dixit Oxalida vel Oxylapathum.

Gravi, h. e. onuſto, ob aſtrictum alvum: *Corpori* enim poſuit pro *alvo*, uſitato Charientiſmo.

59 *Ad excludenda jurgia Terminaliorum dies fuerat conſtitutus, qui per epularum feſtivitatem cæſu agnis ſervari faceret fines conſtitutos.* Vet. Sch.

60 Ad frugalitatem ruſticam refertur. Non mactaturus pater familias hædum integrum, epulatur ereptum lupo, et alioqui periturum. G.

62 Pulchro Iconiſmo, ſive Enargia, poſuit *properantes domum* et ſequentia.

65 *Pueri domi nati vernæ dicuntur.* Vet. Sch. *Examen* quaſi *Exagmen*, ab *ex* et *ago* ducitur.

66 *Focum purum circum verſum quotidie priuſquam cubitum eat habeat.* Cato. *Villicus conſuescat ruſticos circa Larem domini focumque familiarem ſemper epulari.* Columella, citante Cruquio. Rutgerſius tamen *renidentes* ad *vernas* referendum putat.

67 *Vel optima nomina, non appellando fieri mala, fœnerator Alfius dixiſſe veriſſime fertur.* Columella, citante Torrentio.

68 *Futurus ruſticus; comparaturus prædia.* Vet. Schol.

69 Vet. Schol. Cruquii cum optimis Cruquii atque Torrentii MSS. legerunt *redegit* non *relegit*. *Redegit pecuniam* qui ſummam inde conficit. B. *Redegit*, in arcam ſuam, certe in poteſtatem, emturus agrum: vicinum ut ſit verbo *exigere*. Sed *relegit* etiam defendi poteſt, et defenſum eſt a Nic. Heinſio Adv. 2. 4. p. 236. i. e. rurſus colligere ſtuduit. G.

Etiam Idibus exigebantur uſuræ; ut Cicero (Cat. 1. 6.): *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere proximis Idibus ſenties.* Vet. Schol.

70 *Calendis communiter ſolebant ſolvere fœnus.* Torrentius. Manſit igitur quatuordecim dies in propoſito.

Ponere; Deponere. Vet. Schol. Nam quod in fœnus datum eſt Depoſitum dicitur.

ODE III.

AD MÆCENATEM.

Exsecratur alium, quod apud Mæcenatem imprudens deguſtaverat.

METRUM UT SUPERI 8.

PARENTIS olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis alium nocentius.
O dura meſſorum ilia!
Quid hoc veneni ſævit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata eſt ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc Jaſonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam ſiderum inſedit vapor
Siticuloſæ Appuliæ;

3 Edat *Brod.* Alium *etiam G. it. Z.* Aleum *Brod.* Allium *vulgo.*—5 Queîs *Glar.*—6 Non vip. *Cujacius e MSS. Obſ.* 28.—13 Pelicem *G. Z.*

1 *Parentis olim: Siquis parricidium fecerit eo-medat alium pro pœna.* Vet. Schol.

2 *Senile*; h. e. *Tenue et miſerabile collum*, ut Virgilii verbis utar: Ineſt enim τρᾶχυς.

Frangere guttur hoc loco eſt præcidere gulam, vel jugulare.

3 Veteres declinabant *edim, edis, edit.* Vet. Schol. Cruq. Sic et plures MSS. legerunt pro eo quod erat *edat* in Impreſſis.

Alium dicendum ut ſolium, dolium, non ut vulgo oleum. Vet. Sch. Soſipater etiam reprehendit *oleum.* Eſt *alium* a Græco Ἄγλιον, unde ἀγλιόδες aliorum capita dicuntur. Quin et Veteres Torrentii Codices habebant *alium* pro *allium*: eredo etiam olim parum conveniſſe de ſcriptura.

4 *Durus* fortis eſt, qui quidvis poteſt pati: huic contrarium eſt *mollis. Feſſis meſſoribus æſtu Allia ſerpyllumque, herbas contundit olentes.* Virgil. Galeno etiam (notante Mancinello) Alium *ruſticorum Theriacâ* dicebatur.

5 Scita eſt iſta Ellipſis, *ſævit* pro *quod ſævit*, quod et advertebat Lambinus.

Exta homini ab inferiore viſcerum parte ſeparantur membranis quæ Præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur. Mancinellus ex Plinio.

7 *Incoctus*; h. e. quia *incoctus*, et per hoc, *permixtus.*

Malas dapes; Periphraſis eſt veneni, non ſine Euphemiſmo, ut in *Abi in malam rem*, pro in crucem.

8 *Sub hoc Canidiæ nomine, Gratidiam Neapolitanam unguentariam intelligi vult. Sic et Virgilius pro Citharide Lycoridem appellat: Non enim proprium nomen notari decebat in carmine.* Vet. Schol. erudite.

Tractavit, modo pro miſcuit: et ore et manibus tractamus quæ commiſcendo ſubigimus.

9 *Candidum*, formoſum. Z.

13 A Græco Διαλείφειν, *delibuere* dicimus.

Pellicem; *Glaucen dixit Creontis filiam.* Vet.

Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Jocose Mæcenas, precor
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

ODE IV.

IN MENAM.

In Menam amarulenta Invectio. Erat autem hic Menas Cn. Pompeii libertus, Sextoque Pompeio legatus classique Piraticæ præfectus, quam tamen postea majoris spe lucri Augusto proditorie tradidit; ab Augusto deinde ad Sextum defecit, Sextumque iterato Augusto prodidit. Hunc igitur Augustus non solum Tribunum militum classisque Præfectum fecerat; verum etiam mensæ suæ adhibuerat. Quam rem Horatius, in Pompeii domum ut decuit liberalis, indignanter se ferre liberrime hac Ode profitetur. (De hoc Pompeio Mena omnia Dio: porro eum hic peti, Acron et Porphyrio, quales nunc sunt, et V. Schol. Cruquianus tradunt. Mihi hoc scrupulum movet, quod unicum et proprium crimen hominis, perfida levitas, hic illi non objicitur: sed invidia tantum excitatur, &c. G.)

METRUM UT IN SUPERIORE.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,

21 Savio *etiam G. it. Bentl.* Suavio *vulgo.*

Schol. Quam Naphtha arsisse tradit Plinius: alii Creusam nominant.

14 Etiam Ovidius posuit *fugit* pro *volavit.* Metamorph. Lib. II. *Fugit et impressa tellurem reppulit hasta.*

15 *Caniculæ exortu accendi solis vapores quis ignorat?* Mancinellus ex Plinio.

Insedit: sic et Ovidius; *Pallor in ore sedet.*

Vetuste *vapor* pro æstu, ut frequenter Lucretius.

16 *Siticulosæ* ex Homerico ἰτριδίψιος confictum est, ut bene Cruquius.

17 *Efficacis perpetuum Epitheton vult esse.* Vet. Schol. Nihil non effecit Hercules cum nulli labori impar fuerit.

18 *Æstuosius*, scite pro *intolerabilius. Si dixerit æstuo, sudat;* qui nequit calorem ferre, æstuare se dicit. Nil opus est me hoc loco de Deianiræ notissima fabella monere.

19 Comice, et ἐν ἤθει, posuit *siquid tale;* delicias enim facit et exhorret alii nomen.

20 Qui omnes amoris numeros implere norunt *jocosi* dicuntur, tanquam *hilares* et *amabiles*, Græcis ἱμερόεντες. B. *Jocosus*, jocosis gaudens, *Manein.* cui velit suos jocos commendatos esse, *Porphyr.* Z.

21 *Savio: Amoris osculo.* Vet. Schol. Cruq. Quæ posterior vox Lexicographos fugit. [Nempe sphalma est, pro *osculo.* G.] Torrentii etiam vetusti Codices habuere *Savio* pro *Suavio*, quod et Plautum habere video: credo a puellis et delicatis ita proferri consuevisse. *Puellam* autem modo *Terentiam* Mæcenatis conjugem dici nonnulli voluere, prodente Vet. Schol.

ODE IV.

1 Græcis Οἷς λύκος Proverbium est, de inconciliabilibus. Sic et Ovidius in Ibin, *Pax*

Ibericis peruſte funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet ſuperbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videſne, ſacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Prænonis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit?
Sedilibuſque magnus in primis eques,
Othone contemto, ſedet?

16 Contento *ed. prima Venet. a.* 1478.

erit hæc nobis donec mihi vita manebit, cum pecore infirmo quæ ſolet eſſe lupis.

Sortito; Sorte naturæ. Vet. Schol. Cruq. Natura cuique ſuam ſortem ex fato tribuit. B. Hæc eſt illa μοῖρα Græcorum, æterna lex naturæ. G.

2 Inimicitia dictis et factis conſtat; in animo eſt *diſcordia.*

3 *Ibericis; Oſtendit eum fuiſſe Pompeii remigem in Iberia.* Mancinellus. *In Hiſpania plurimum Spartum naſcitur.* Vet. Schol. *Spartum in aquis marique invictum.* Mancinellus ex Plinio. B. Ibericis ex ſparto funibus etiam extra Hiſpaniam locus eſt. G. Eſt periphraſis ſervi, cujus in latere verberum, in cruribus compedum veſtigia exſtant. Z.

6 *Genus* modo naturam dicit et vernilem animum. Alias et ipſe Horatius libertini generis fuerat.

7 Bene *Videſne* ſubjecturus *liberrima* quod habet ἦθος, ſeu moralem Enargian.

Sacravienſes dicti nobiles qui frequenter ſacram viam ambulabant. Ludovicus Deſprez. B. *Sacravienſes* neſcio an memorentur, præterquam apud Feſtum V. *October Equus*, ubi ſunt vicini ibi habitantes, ut Suburrani, &c. G.

Metiente: ſic *ſtabili greſſu metitur litora cornix*, ut ſcite Vet. Sch. quod dixerat *ſuperbus ambules.*

8 *Bis ter ulnarum; Hanc autem juſtæ togæ menſuram intelligendum eſt.* Vet. Schol. *Juſtam togam* dixit qua nulla major conſueverat fieri; quod non intellexit Cruquius dum Scholiaſten reprehendit. *Manicatis et talaribus tunicis, velis amictos non togis* ait Cicero in Cat. 2. Henricus Stephanus. Bentleius nequit ferre *bis ter ulnarum*; ideoque ex arbitrio ſuo reſcribit *bis trium*, ſed nulla ſuffultus auctoritate. Dicit ſe tamen nunquam vidiſſe nequiorem Lectionem. Equidem fateor hæc quæ dicit eſſe ſupra meum captum. B. Feſtinabat, aut commotior erat, cum iſta ſcriberet, vir doctus; *bis ter ulnarum* plane inſolitum eſt et anomalon. Facilius autem intelligo librariorum peccatum (niſi eſt ipſius poetæ error humanus) ſi dictante aliquo, *bis ternûm ulnarum*; ſeu *bis tern' ulnarum*, non modo ûm periit, etiam in ſcribendo, verum etiam litera *n.* G.

9 *Vertat; Detorqueat ab illo aſpectum.* Vet. Schol. *Huc* et *huc* appoſuit, quo oſtenderet a plurimis hoc factum.

10 *Liberum* dicimus qui animi ſui ſententiam abſque verecundia promit. Sic et Ovidius: *En ego liber, Ille ferox tacui.* B. *Indignatio*, h. e. homines indignabundi. Z.

11 *Fures ac ſervi nequam apud Triumviros Capitales ad Columnam Mœniam puniri ſolent.* Aſconius, citante Deſprez. *Nam ut Tribunis plebem, ita Triumviris jus erat alienos ſervos cædendi.* Vet. Schol. B. Subleſtum hoc ſcholion. Tribunis adeo non eſt jus cædendi plebem, ut iis potius commiſſum ſit terga plebis præſtare a plagis immunia. G. *Sectus*, &c. Eſt imitatio hominum indignantium. Z.

12 *Dum noxii cædebantur Præcones tubas inflabant, qui mos hodie in mea patria Velitris ſervari ſolet.* Mancinellus. B. Etiam hæc de tubis nihili eſſe puto: præco voce pronunciat et prædicat cauſam pœnæ. G. *Præconis ad faſtidium* tamdiu cæſus donec etiam præconi faſtidio eſſet. *Mancia.*

Quid attinet tot ora navium gravi
Roſtrata duci pondere
Contra latrones atque ſervilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum?

ODE V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

Inducta Patricii cujuſdam pueri perſona, quem a ſagis Neapolitanis inter ſacra Magica immolatum fama audierat, exſecratur amicam ſuam Gratidiam, Neapolitanam unguentariam, quæ amatoria potione eum pæne dementaverat, pro ſe autem verſute Quintilium Varum amicum ſuppoſuiſſe videtur. (Non auſim iſta præſtare. Vid. arg. Car. 1, 16. G.)

METRUM UT SUPERIUS.

At O deorum quicquid in cœlo regit
Terras et humanum genus!
Quid iſte fert tumultus? et quid omnium
Vultus in unum me truces?

17 *Pro* ora, æra *conj. Bentl.*

ODE V.

1 *Sic Lamb. ex MSS. &c.* Quidquid regis *Zar. Med.* 1477 *et* 1486. *Da. Heinſ. Maitt.* Quiſquis regis *Brod. Flor.* 1482. *R. Steph. Rutg.* Quiſquis regit *Ald.* Quiſquis regis *Ven.* —3 Aut quid *Ven. Glar.*

14 *Falerni agri memineratˌ quo Appia via neceſſe ire.* Vet. Schol.

Deliciarum affluentia eſt equos, vulgo burrichos habere. Vet. Schol. De his ſuperius (3. 27. 7.) diximus, et oſtendimus fuiſſe contrarios mulis. B.

15 *Sedilibuſque magnus in primis, cum vehementi indignatione profertur.* Vet. Schol.

16 *L. Roſcius Otho Legem Theatralem tulerat, ut in quatuordecim Ordinibus ſederent Equites, de quibus in duobus ſederent Tribuni, non tamen ſervi.* Vet. Schol. *Duo primi verſus Tribunis vacabant.* Alter Schol. B. Contemnit ſua cum lege Othonem, qui nihil contra illam admiſit; lex non terret, niſi qui eam violavit. Vid. Sat. 1. 4. 68. De *tribunis* quæ Vet. Schol. habet, ea certe antiqua non ſunt. Tribuni laticlavii inter ſenatores ſedent, cæteri inter equites. G.

17 *Quid attinet;* dolet tantas impenſas fruſtra fieri.

18 *Roſtratæ erant naves ob ſcopulos.* Mancinellus. B. Etiam ut fluctus finderent, ut inimicas naves figerent a puppi vel a latere. G.

19 *Servilem manum; Sextus Pompeius ſexaginta ſervorum millia collegit.* Mancinellus. *Imo et Auguſtus ipſe manumiſit viginti millia ſervorum uno tempore;* quod monet Torrentius ex Suetonio.

20 *Hoc, Hoc,* frendens dicit: neque parcit Auguſto ipſi. B. *Hoc tr.* cum iſte, qui piraticam exercuit et ſervus fuit, nunc tribunus militum ſit. Z.

ODE V.

1 *At, timoris Interjectio.* Mancinellus. Sic et Virgilius: *At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis.* Vet. Schol. *At?* et geminatum *at! at!* a Phrygio et Macedonico Ἄτται, quod et *Patrem* et *Jovem* ſignificabat, deduci videtur. Eſt autem vehementer commoti exclamatio, cujuſmodi fere et Homericum ὦ πόπου. B. Puer

Per liberos te (ſi vocata partubus
Lucina veris affuit)
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro belua?
Ut hæc tremente queſtus ore conſtitit
Inſignibus raptis puer,
Impube corpus, quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomtum caput,
Jubet ſepulcris caprificos erutas,
Jubet cupreſſus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ ſanguine,
Plumamque nocturnæ ſtrigis,

9 Tueris *Med.* 1477.—11 Trementi *Chab. Lamb.*—18 Cupreſſus *etiam Zar. et Med.* 1477.

loquitur dum illum exuunt veneficæ. V. v. 10. G.

Mire *quicquid deorum*, turbata mente et lingua, pro eo quod deberet eſſe *omnes dii deæque.*

Melius *regit* quam *regis*; etſi nonnulli Codices cum Servio legant *regis*. Pro priore tamen lectione ſtare videtur Vet. Schol. et concitatius videtur.

3 *Iſte* Tragice pro *tam immanis*, ἐν ὕβρει.

Fert, vult. Vet. Schol. Cruq. h. e. *in ſe habet.* Sic et *Fert animus*, pro *in animo eſt.*

Tumultus, vel *timultus* a *timeo:* ut enim ab Oſco *facul, facultas*; ſic etiam fortaſſe a *timul, timultus.* Superius monui tumultum eſſe feſtinationem quandam motus cum terrore *Vim dicit rapinæ ipſius quam paſſus eſt.* Vet. Sch. eleganter.

Antitheton eſt in *omnium* et *unum* non ſine gravi Emphaſi.

6 *Veris*; an ſimulavit partum ne videretur anus? B. Epod. 17. 50. accuſatur acerba illa ironia partus ſuppoſiti Canidia. G.

Bene *affuit*, cum dixerit *vocata:* nam *adeſſe* dicuntur qui *advocantur.*

7 Deorum erat purpura. *Prætexta ſacram et venerabilem fieri puritiam credebant Veteres*, ut ex Quintiliano adnotabat vir doctus Ludovicus Deſprez. Erat ob hanc rem Prætexta etiam majorum magiſtratuum. B. *Inane*, vanum, quia non proderat perituro. *Schol.* Z.

Precor modo pro *rogo.*

8 Leni Charientiſmo poſuit *improbaturum*, pro *vindicaturum.*

11 Emphatica Enargia poſuit *conſtitit* pro *nudus ſtetit.*

12 Regiorum puerorum inſignia, prætextæ erant et bullæ. Prætexta toga erat candida purpureo limbo circumſepta; bulla autem aureum faſcinum, quod hodie coralio et bullis conſtat. Βύλλαν ἔμοιαν κομφόλυγι (h. e. *bullæ* ſimilem *bullam*), dixit Plutarchus, in Romulo, quod oſtendit Cruquius. Fuit enim et rotundum et ſuperiore parte perforatum, ut ex Apuleio idem vir doctus monſtravit; unde crediderim eſſe factum ut a nonnullis pro cordis figura acciperetur. Anglorum vox BELL a *bulla* fuiſſe videtur.

13 *Impia*, modo pro dura et immitia.

15 *Brevibus; furiali habitu eam deſcripſit.* Vet. Schol. *Brevibus viperis perpetuo* Ἐπιθέτῳ *dicitur, nam tales ſunt.* Idem.

17 *Caprificus*, quod ex veteribus monumentis plerumque erumperet, arborque eſſet infrugifera, deorum manium fuiſſe credebatur, adeoque infelix. B. De apparatu illo et ſupellectile quaſi veneficarum conf. Sat. 1. 8. et quæ ibi monentur. G.

18 *Varro dicit peras* [pyras, πυρὰς] *cupreſſo circumdari ob gravem uſtrinæ odorem ne populi circumſtantis corona offendatur.* Mancinellus. Nos hodie rore marino utimur. In tribus optimis Torrentii Codicibus et in Cruquiano Schol. *cupreſſus* erat pro *cupreſſos.*

19 *Turpis, grandis, tales enim ranæ vulgo rubetæ dicuntur, et magis venenoſæ ſunt.* Vet. Schol.

Herbaſque, quas Iolcos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et oſſa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana, per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, aſperis,
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus;
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis terque mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo:
Cum promineret ore, quantum exſtant aqua
Suſpenſa mento corpora:
Exuſta uti medulla, et aridum jecur
Amoris eſſet poculum;

---

21 Colchos *Ven. Glar.* Iolchos *etiam Med.* 1486. *Lamb.* Iolcos *Heinſ. ad Ovid. Met.* 7. 158.—22 *Pro* ferax, foras *Brod.*—29 Teia *MS. alter Berſm.* Vera *MS. alter Berſm.* —33 Terve *Ald. R. Steph.* Terque *Editt. primæ.*—37 Exſecta *Brod.* Execta *Z. Med.* 1477 *et* 1486. *Ven.* 1479. Exerta *Ven.* 1486. *Ald. Rutg. Da. Heinſ. alterutrum fere MSS.* Exeſa *vel* Exeſta *N. Heinſ. Adv.* 4. 1. *et ad Ovid. Met.* 14. 208. *it. Bentl.* Exſucta *Gott. Faber, Lambi. Maitt. Talb. Sandby.* Exſucca *Cun. Sanad.*

Non ranæ ova, ſed uncta ranæ ſanguine. Rana enim infernum animal eſt, ut Juvenal. *Et Stygio ranas in gurgite nigras.* Alter Schol.

Sulphure, tædis et ovis luſtrabant ſe veneficæ: Philtris etiam ea immiſcuiſſe vel ex hoc loco patet.

20 *Striges* dictæ, *Quod horrenda ſtridere nocte ſolent*, ut ait Ovidius ſexto Faſtorum, quem vide. Eſt enim Græcis Στρίγξ a Στρίζειν eodem intellectu. *Vulgo Strigiæ*, auctore Vet. Schol. Hanc avem ſibi incognitam ſcribit Plinius: *Sive igitur naſcuntur aves, ſeu carmine fiunt.* Ovidius. Anus enim volaticæ vulgo ferebantur, ex Harpyiarum ſcilicet genere. *Nocte volant pueroſque petunt nutricis egentes; Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.* Ovidius. Eadem tamen videtur quæ et Nycticorax, feralis avis.

21 Cum Beroaldo, Torrentii Lambinique Codicibus et Vet. Schol. *Iolcos* repoſui pro *Colchos*: erat autem Iolcos Theſſaliæ oppidum. B. Iberia, h. l. non eſt Hiſpaniæ pars, ſed regio ad Pontum inter Colchidem et Armeniam. Z.

22 Veteribus idem erat *venenum* et φάρμακον. Φαρμακεύτρια etiam et medica erat et ſaga et venefica, quod herbarum vim ſibi a diis traditam credi volebant.

23 *Jejunæ canis*; ac ſi canis fames etiam oſſi inhæreret, quod et ad augendum amoris deſiderium valere credebant.

24 *Flammis Colchicis; Quales Medea tractavit apud Colchos de lignis infœcundis.* Vet. Sch. erudite.

25 *Expedita ſuccincta.* Vet. Schol.

Sagana. Memini me legere apud Helenium Acronem Saganam fuiſſe nomine, libertam Pomponii ſenatoris, qui a Triumviris eſt proſcriptus. Vet. Schol. in Satyr. 8. Lib. I. *Fœneratoris cujuſdam uxor fuit*; juxta alterum Schol. etſi Fabricius ediderit *Senatoris*, vitioſe ni fallor.

26 *Avernales: ut, Sparſerat et latices ſimulatos fontis Averni.* Vet. Schol.

28 E cancrorum genere dicitur eſſe echinus, echino terreſtri perſimilis. Pecoris ventriculi forma eſt, qui Græcis ἐχῖνος dicitur, a continendo, quod illis ἔχειν eſt: unde et *echinus* pro vaſis genere de quo alias dicturi ſumus.

Interminato cum ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.
Non defuiſſe maſculæ libidinis
Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quæ ſidera excantata voce Theſſala
Lunamque cœlo deripit.
Hic irreſectum ſæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, et Diana quæ ſilentium regis,
Arcana cum fiunt ſacra;

Currens, furens. Vet. Schol. Bentleius fatetur ſe debere ſuum *Laurens aper* unius Heinſii conjecturæ. B. Ea conjectura mihi etiam valde arridet. G.

29 *Abacta*; h. e. *Quæ nulla mala conſcientia remota eſt.* Vet. Sch. Quippe cui omnia credebant veneficæ. B. *Veia*, nomen tertiæ veneficæ, quæ non deterrebatur conſcientia tanti taliſque ſceleris. Z.

30 Superius monuimus *ligonem* eſſe latum ſarculum, quod Græcis μάκιλλα dictum eſt, uti Bidens δίκιλλα. Alii pro *pala* accipiunt.

Per Hypallagen *duris* poſuit, quia ipſa *dura* erat, h. e. patiens laboris.

31 *Ingemens, quaſi vehementer anhelans.* Landinus.

33 Ἐμπαθῶς *Longo die* pro toto: Longus is certe incluſo puero fameque pereunti videbatur.

Terque pro *terve*, ut vere Bentleius. Certe familiaris eſt iſte error Exſcribentibus.

37 Mira in hoc loco lectionum varietas, *exerta, excĕta, exuĕta, extracta*, et *exacta*, quarum tamen nulla mihi placet. Cum tamen *excĕta* et *exerta* ſint optimorum codicum, ex his *exuſta* confeci, quæ voci *aridum* optime convenire videbatur. Credebant hæ malificæ deſiderium cibi atque potus medullæ jecorique miſelli pueri inhærens ad amorem facturum. Notum eſt *Medullam* et *jecur* amoris ſuiſſe ſedes. Bentleio per me placeat ſuum *Exeſa*. B. Cum *medulla* non minus quam *jecur* pueri, ipſo furioſo deſiderio ciborum interfecti, *poculum amoris* ſ. philtron fieri debuerit: ei rei non ita convenire *exeſa* medulla videtur quam *exſecta*, quod eſt antiquiſſimorum codicum typis vulgatorum. G.

39 *Interminato; interdicto.* Vet. Schol.

Cum ſemel ἀθρόως dicitur de re cujus exitum avide exſpectamus.

40 *Pupulæ parvæ oculorum imagines, quas Phyſici dicunt ante triduum morituris non apparere.* Mancinellus. Græcis etiam κόραι appellantur.

41 Dilogia uſus eſt in voce *maſculæ*: nam et virilis libidinis numeros implebat, et erat tribas. B. *Non defuiſſe*, advocatam navaſſe ſuam operam. *Foliam*, nomen quartæ veneficæ, quæ tribas erat, et amore feminarum, ut vir, ardebat. Z.

43 *Otioſa* perpetuum Neapolis Epitheton, quam et Ovidius (Met. 15. 712.) dixit; *In otia natam Parthenopen*, ut adnotavit Bonfinius. *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope ſtudiis florentem ignobilis otî*, Virgilius (Ge. 4. 563.), adnotante Vet. Schol. B. Hic locus enim ob amœnitatem, balnea, thermas maxime idoneus erat ad ſeceſſum. cf. Strab. lib. 5. p. 246. Z.

46 Credebant Veteres veneficas elicere deos e curribus ſuis. *Carmine dii ſuperi placantur, carmine manes.* Putabatur enim venefica diis ſuperior, hujus enim carminibus vel inviti cedebant, uti et ſacerdotum precibus rite peractis.

47 Belle *irreſectum*, nam *ſcalpere terram unguibus ſolebat.* Vide Sat. 8. Lib. I. Dilogus etiam fœdam dicit, ob non reſectos ungues.

48 *Rodens pollicem*; *Habitum et motus expreſſit Canidiæ furentis. Petronius ut monſtraret furentem, pollice ait uſque ad periculum roſo.* Vet. Schol. Pollicem rodentes oſtendere volunt ſibi eſſe famem ultionis, et libenter vel hoſtium carnibus veſci poſſe.

49 *Quid dixit? aut quid tacuit? Oſtendit tam nihil tacuiſſe.* Landinus. Mira βραχυλογία furentis audaciam ſignificat. B. Quæ ſcelera non dixit, aut quæ ſilentio præterire potuit? *Schol.* Z.

Nunc, nunc adeſte: nunc in hoſtiles domos
Iram atque numen vertite:
Formidoloſæ dum latent ſilvis feræ,
Dulci ſopore languidæ,
Senem (quod omnes rideant) adulterum
Latrent Suburanæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarint manus.
Quid accidit? cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent,
Quibus ſuperbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abſtulit?
Atqui nec herba nec latens in aſperis
Radix fefellit me locis.

---

54 Arcum *pro* Iram *Brod.*—55 Formidoloſæ *etiam coll. Sax.*—59 Nec perfectius *Lamb.* —60 Laborarunt *G. Med.* 1482. *Ven.* 1544. *et omnino vett. edd.* Elaborarint *Cun.*—63 Superbam *tuetur etiam Lamb.* Superba *Brod. coll. Sax. G. Ven.* 1479. *Med.* 1482. *Ven.* 1544. *Glar. Cbab.*—65 Infectum *G. coll. Sax. et MS. Berſm.*

---

50 *Arbitræ, conſciæ, teſtes.* Vet. Schol. *Non infideles* dicit, quod celari ſoleant quæ nocte peraguntur.

52 Legibus petita oportuit eſſe *arcana.*

53 *Adeſte;* h. e. opem ferte vocatæ.

In hoſtiles domos; ſcita eſt iſta Enallage numeri, cum de ſolo Varo agatur.

54 *Arcum,* quod pro *Iram* habet liber Brodæi, vix librario videtur deberi. Eſt enim eruditius. Diana arcu formidabilis. G.

55 Cum Vet. Schol. et pluribus MSS. repoſui *formidoloſæ* pro *formidoloſi,* et bene ſubjecturus *latent. Formidoloſas feras* vicinos atque vicinas modo dicit, quos metuit ſcilicet, ne ſcelera ſua vulgentur. Bentleius tamen maluit *Formidoloſi,* contra plures Libros. B. Non placet allegoria: videtur deſcriptio noctis intempeſtæ, cum ipſæ feræ, veſpertino tempore graſſari ſolitæ, latibula ſua repetierunt. Hoc tempore redeuntem a pellicibus ad Canidiam, ipſius philtro excitatum, allatrent canes, ut pro fure comprehenſus, deprehenſus adulter, ludibrio ſit. G.

57 *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* Ovidius.

58 Meretricibus ſcatebat *Subura,* apud quas delitescere Varum, ſive Horatium, ſignificat. *Subura ſub muro terreo Carinorum erat;* ut adnotavit Mancinellus ex Varrone. Dicebatur igitur *Subura a ſub et Urvo,* a quo urbs appellata eſt. Nam ad Carinas antiquus erat urbis murus.

59 Ironico Sarcaſmo *nardum* dicit philtrum ſuum, cui maximam fidem habere ſe oſtendit.

Quale non perfectius. Attende Elocutionem in Solœciſmo conſtitutam. Vet. Schol. ex MS. Stephani. Ex Helleniſmo ſcilicet tractam.

60 *Meæ laborarint manus;* Octo Torrentii Codices unuſque Cruquii legerunt *laborarint,* quod et Lambinus in ſuis etiam invenit, cum alii habeant *laborarunt. Hinc ſcias illam unguentariam fuiſſe.* Vet. Schol. B. Vis argumenti eadem eſt, ſive legas *laborarint,* i. e. elaborare poſſunt, ſ. *laborarunt* unquam. G.

61 *Quid accidit?* Peractis ſacris miratur rem ſibi ex voto non ſucceſſiſſe, ideoque aliquid inſolitum accidiſſe ſuſpicatur.

63 *Superbam, potentem.* Vet. Schol. Omnes fere MSS. *ſuperbam* pro *ſuperba.* Sic et Vet. Schol. Cruq. B. Etiam hic difficile eſt conſtituere aliquid: *ſuperbam* poteſt dixiſſe Glaucen, regii generis puellam: *ſuperba* eſſe poteſt Medea ſucceſſu operis: prius ad invidiam Medeæ aptius. G.

65 *Palla,* Marcello *tunicæ pallium,* ut adnotavit Mancinellus. Imponebatur hæc ſtolæ, e-

Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah! ah! ſolutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non uſitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres; nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Faſtidienti poculum.
Priuſque cœlum ſidet inferius mari,
Tellure porrecta ſuper,
Quam non amore ſic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias,
Sed dubius unde rumperet ſilentium,
Miſit Thyeſteas preces.
Venena magnum fas nefaſque; non valent
Convertere humanam vicem.

---

71 Aha *Bentl.*—81 Mei *Glar. Bentl. Hanc lectionem ex interpretatione ortam puto.* Z.—87 *Pro* magnum, magica—Non vertere humanas vices *conj. Bentl.*

---

ratque fœminis pro toga vel pallio, tergo enim dependebat vice mantelis.

69 *Unctis oblivione.* An opio putat uncta pellicum Suburanarum cubilia? Manifeſtum eſt eam ſe geſſiſſe pro ejus uxore, cum reliquas pellices dicat. B. Puto hoc velle poetam, ſ. Canidiam, Indormit Varus cubilibus pellicum, quæ cubilia adeo illum tenent, ut videantur medicata eſſe unguento oblivionem omnium rerum inducente. Cubilia pellicum uncta ſunt oblivione honeſtatis, &c. G.

71 *Ah! Ah!* repente in mentem venit illi quid acciderit,

Alias notavi *ſolvere* et *ligare* fuiſſe magorum propria vocabula. B. Vid. Car. 1. 28. 34. G.

72 Etiam philtrum *carmen* dicitur.

73 *Vare;* terrendo nominat.

74 Helleniſmus eſt in *fleturum.* Græci enim κλαίειν et οἰμώζειν jubent quibus infeſti ſunt.

75 *Vocata;* h. e. *Mens tua magicis vocibus ſemel evocata nunquam redibit.* Vet. Schol. Obiter hic notandum Veteres ſenſiſſe dementium animas e corporibus ſuis carminibus evocari, uti dii e ſuis ſedibus.

76 Notum eſt Marſos fuiſſe carminibus inſignes. B. Vid. Epod. 17. 29. G.

82 *Bitumen liquidum, quod naphtha dicitur.* Mancinellus. Hoc enim præſtigiatores ad maleſaciendum frequenter uſi ſunt. B.

Et fingit poeta, cum his verbis etiam conjunctum ipſum actum. Sic Virg. Ecl. 8. 80. *Limus ut hic dureſcit,* &c. G.

Atros ignes dicit lignis infelicibus accenſos; taxo ſcilicet, cupreſſo, caprifico et ſimilibus; quod miror Interpretes latuiſſe, cum intelligi poſſit ex Vet. Schol. ſuperius citato.

84 *Impias;* immites, ſævas. Iracunde protulit.

86 *Thyeſteas preces* proverbiali ſermone dicit, quibus ſcilicet Thyeſtes infanticidam Atreum apud Tragicos devovere ſolebat.

87 *Convertere fas nefaſque* per Ἐπεξήγησιν eſt *convertere humanam vicem;* h. e. (ut Vet. Schol. verbis utar) *Merita in contrarium vertere.* Qui enim liberat pœna malos, efficere conatur ut

Diris agam vos: dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram Furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
(Quæ vis Deorum eſt Manium)
Et inquietis aſſidens præcordiis,
Pavore ſomnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc ſaxis petens
Contundet obſcenas anus:
Poſt, inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.
Neque hoc parentes (heu mihi ſuperſtites!)
Effugerit ſpectaculum.

---

90 *Quid ſi* expiator?—102 Effugerint *vel* effugerant *edd. vett. it. coll. Sax.*

---

nefas ſit fas, et e contra. *Magnum* autem dicit *fas* legum legem; h. e. Divinam qua leges humanæ reguntur. Magnus et rex dicitur cui minores reges parent: fruſtra Rutgerſius *magicum* reponit. Magnus Bentleius hoc verſu mirum in modum ſe torquet quod non intelligat *humanam vicem* dici *pœnarum vices*, divinamque vindictam *dicto fatorum tempore*, quod ait Phædrus. B. Mihi ſimplicior videbatur Lambiniana interpretatio, Veneficia poſſunt *fas et nefas convertere*, perturbare omnia officia: non poſſunt *convertere* et mutare conditionem mortalitatis, et impedire, quo minus puniantur veneficæ. Et ſic diſtinxi. G.

89 *Diræ exſecrationes dicuntur.* Vet. Schol. *Deteſtari eſt deum in partes vocare.* Quoties autem hoc ab innocente aliquo cum exſecrationibus fiebat, is qui læſerat defigi dicebatur. Unde et Plinius (28. 2. ſ. 4.), *Defigi diris deteſtationibus nemo non metuit*; quem locum laudavit Ludovicus Deſprez.

92 *Furor*; h. e. in Furiam verſus, vel ea figura, qua Furiæ eſſe creduntur.

94 Nam manes dicuntur et boni et mali; et larvæ ſcilicet et lares. Sic et Virgilius; *Quiſque ſuos patimur manes.* Vox autem *manes* deos bonos ſignificat, uti Græcis Furiæ Eumenides dicuntur. Imo etiam *Dii Manes* famoſiore ſenſu puſilli dii ſunt, quales feruntur Ὀνειροκρίτῃ Artemidoro θεοὶ κατάχθονιοι ſeu domeſtici lares. Certe et Armenis et Britannis *Mân* pro *exiguo* vel *minuto* eſt, ipſis etiam Græcis Μανός. Atque hinc *Immanis* Latinis pro *immenſo* eſt.

95 *Aſſidet*, qui loco in quo eſt pertinaciter adhæret, ducta Tralatione ab hirudine; vel etiam ab ave quæ aſſidet nido. B.

97 *Turba*, ſc. hominum.

98 Bene *contundet* de turba, cum jam dixerit *hinc et hinc.*

Dilogus dixit *obſcenas* et *turpes* et *funeſtas*; erant enim et impudicæ et veneficæ.

99 *Different*; h. e. in diverſa trahent, ſeu dilaniabunt.

100 *Eſquilinæ alites*; *In regione Aggeris, quæ eſt extra portam Eſquilinam ſolita ſunt pauperum corpora vel comburi, vel projici.* Vet. Schol. B. Vid. Sat. 1. 8. 14. G.

101 *Heu mihi ſuperſtites!* Ἐμπαθῶς, *quia et ipſe ſuperſtes eſſe vellet.* Vet. Schol. Parentum vicem una cum ſua deflet.

102 Non auſcultandum his, qui *effugerint* volunt: optat parentes ſuos fructum oculis capere ex ſupplicio Canidiæ. G.

ODE VI.

IN CASSIUM SEVERUM.

A Cornelio Tacito memoriæ proditum eſt (An. 4. 21.) *Caſſium Severum ejus temporis Oratorem libidine quadam viros atque illuſtres feminas procacibus ſcriptis defamaſſe, eaque re inductum Auguſtum cognitionem de famoſis libellis tractaviſſe. Hunc igitur Horatius Iambis laceſſit, ac veluti canem in ſe irritare conatur.* (Mihi non fit probabile, eundem eſſe virum, quem ut maledicum et acerbum oratorem deſcribunt Seneca, Tacitus, Fabius: niſi noſter contumelioſius quam verius de illo poſuit, v. 9. et 10. Si enim adulari potuiſſet ille, in Seriphiis ſaxis non conſenuiſſet. G.)

METRUM UT PRIUS.

Quid immerentes hoſpites vexas, canis,
Ignavus adverſum lupos?
Quin hûc inanes, ſi potes, vertis minas,
Et me remorſurum petis?
Nam, qualis aut Moloſſus, aut fulvus Lacon
(Amica vis paſtoribus)
Agam per altas aure ſublata nives,
Quæcunque præcedet fera.
Tu cum timenda voce complêſti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave; namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.
An, ſi quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

14 Bubalo *Ven. Glar.*—15 Petiverit *omnes.* Appetiverit *Baxt. et Cun.*

1 *Immerentes*, Dilogus et nihil meritos, et nihil merituros. Bene hoc de feminis præcipue.
Vexas, fatigas. Vet. Schol.
2 *Ignavus*, modo *Inaudax.*
3 *Quin, Potius.* Vet. Schol. Cruq. Sic et Mancinellus; quem tamen injuſte reprehendit Glareanus, quod non legerit *Quin* Interrogative.
Per Moralem Enallagen uſus eſt Præſenti pro Futuro. Vet. Schol. Cruq. cum ſex Torrentii Codicibus habebant *verte* et *pete* in Imperativo, quod ex Gloſſemate fuiſſe puto.
5 Epirotici canes fortitudine celebres ferebantur, ut agilitate Spartani. His partibus eos ignotos eſſe oportet.
6 *Amica vis paſtoribus* ex Helleniſmo, φίλη βία ποιμέσιν, h. e. ideo grati, quia ſunt præſidio. Habet etiam Τάνυσιν, ſive Emphaſin, ſe etiam uti canem pro ſuis decertaturum.
7 *Aure ſublata; Ad latratus poſita.* Vet. Sch.
8 Bene *Quæcunque*; neque enim quod tu facis, ob cibi odorem prædam relinquam, cum neque Mæcenati ipſi ſemper parcam. B.
10 *Projectum*, ſpe lucri facta deſinis maledicere. Z.

ODE VII.

AD POPULUM ROMANUM.

Deteſtatio civilis belli ab Antonio et Cleopatra renovati.

METRUM UT PRIUS.

Quo, quo ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parumne campis atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut, ſecundum vota Parthorum, ſua
Urbs hæc periret dextera,
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Nunquam niſi in diſpar feris.

---

12 Nunquam *Fl.* 1482. *Ven.* 1486 *et* 1490. *it.* 1544. *Fabric.* 1555. *Bentl. Sanad.* Unquam *al. omnes.* Diſparibus *edd. vett.* *Pro* feris *Lamb.* genus.

---

11 *Cave, cave;* Terribilis Ironia: Ferocem ſe taurum dicit.

Aſperi proprie dentes, per Metaphoram etiam irritabiles animi.

13 *Lycamben* cum filia Neobule Archilochi lambis laceratum, laqueo vitam finiiſſe omnibus notum.

14 *Bupalus Hipponactem Poetam pro riſu pinxit* (ad legendum *finxit*) *quo ille commotus tali carmine perculit, ut ſe laqueo ſuſpenderet.* Vet. Schol. Contradicit huic fabulæ Plinius, ut oſtendit Ludovicus Deſprez. B. Plin. 36. 5. a Bupalo et Authermo ſculptoribus ludibrii cauſa propoſitum docet Hipponactis vultum fœditate notabilem: negat ab eo compulſos ad laqueum. G.

15 Cum habuerit Vet. Schol. Cruq. *oppetiverit*, ego *appetiverit* malui quam vel illud, vel *petiverit*, quod eſt in Vulgatis. Bentleius ſui judicii ſecurus poſuit *me petiverit*. B. *Atro dente*, maledico aut obtrectatorio ſermone. *Schol.* Z.

16 Hyperbaton eſt in *ut flebo:* eſt enim pro *flebo ut*. Feſtive inſultat Poeta. B. *Inultus puer*, infirmus, qui non poteſt injuriam ulciſci. Z.

ODE VII.

1 *Eleganter in tumultu ab Exclamatione incipit.* Vet. Schol. B. *Ruitis*, temere et ſine conſilio ferimini. Z.

2 *Aptantur dexteris;* h. e. ταῖς δεξιαῖς προσάπτονται vel, *Cur ſtringitis*, ut ait Vet. Schol.

7 *Intactus;* h. e. bello nondum tentatus.

Deſcenderet; Erat ſacra via declivis a Carinis ad forum, et acclivis a foro ad Capitolium. Lambinus. B. Deſcenderet flexu ſiniſtro de ſacra via in carcerem ibi ſtrangulandus, quo facto demum ſacrificia in Capitolio incipiunt. V. Cic. Verr. 5. 30. G.

9 *Secundum vota Parthorum; Qui occiſo Craſſo metuebant Romanos.* Vet. Schol.

10 *Urbs hæc:* ad miſerationem poſuit *hæc.*

11 Moraliter *hic* pro *tam immanis.*

12 *Nunquam* vere poſuit Bentleius pro *Unquam, Nunquam feris*, non *Nunquam fuit*. B. Sunt hæ poſteriores viri docti cogitationes. In priori editione probarat lectionem vulgatam, *Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus Unquam, niſi in diſpar, feris*, i. e. Neque unquam fuit feris lupis neque leonibus hic mos, niſi in diſpar genus: non pugnant lupi cum lupis, &c. ſed con-

Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent: et ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est; acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

ODE VIII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

In vetulam quandam beatam, amorem sine viribus affectantem, amarulenta Invectio.

METRUM UT PRIUS.

Rogare longo putidam te sæculo,
Vires quid enervet meas!

13 Cæcos *ex MSS. Bentl.*—16 Percussæ *Br.*

ODE VIII.

1 Putridam *MS. Bersm.*—2 Quod *ibid.*

tra dispar ac diversum genus animalium. Argumentum ipsum neque observatione nititur, neque alias cohæret, licet non solis poetis placuerit: ceterum vis illius, si qua est, in lectione a Bentleio defensa melius exprimitur. Nam HIC *mos* non est mos pugnandi simpliciter (quis enim hunc Romanus Romanis exprobraret?) sed mos pugnandi in suum genus, in suos cives. Itaque certe debuit Horatius scribere, ut scripsisse illum vult post alios Bentleius. G. *Feris*, qui nunquam nisi in animalia diversi generis sæviunt. Z.

Absolute *dispar* pro eo quod dispar erat. Nonnulli *dispar genus* legere pro *feris*, ex Glossemate. Est autem Hyperbaton in *feris*: est enim et *lupis* et *leonibus* Epitheton. Ordo est *fuit in* non *feris in*, quod ostendit Glareanus. B. Hæc jam non bene cohærent, scripta ad lectionem vulgatam declarandam, quam tunc probabat vir doctus. G.

13 *Vis acrior? Numquid deorum ira?* Vet. Schol. Bene *vis* de potentia deorum, quæ facit quod sibi placet. Sic et Virgilius *vi superûm*, pro Tyrannide vel impotentia posuit. Bella enim factionibus deorum duci credebantur. *Acrior* nunc pro *incitatior* dicitur.

14 Solito Charientismo *culpam* dicit *scelus*.

15 *Tacent; Elegans jocositas* (sic enim legendum pro *otiositas*, quod ostendit Stephanus) *quasi conjuncti steterint*. Vet. Schol. Iconismum vult intelligi, seu Moralem Enargian.

Magis arrisit Bentleio inusitatior ordo quarumdam Membranarum: *et albus ora pallor inficit*; nobis utcunque probatur communis. Verum nil tanti. Hujusmodi varietates plerumque debentur lapsæ Exscribentium memoriæ.

17 *Sic est*: quasi jam dubitare desinat. Ob silentium scilicet atque pallorem.

Fata; sive ulciscendi decreta bene dixit *acerba*, quod molliri nequirent.

Agunt; h. e. non relinquunt, Metaphora a venatoribus ducta.

18 Dilogos de Julio Cæsare atque Remo.

19 Ἐμπαθῶς *fluxit in terram* posuit. B. *Ut*, quia, postquam. Z.

20 *Sacer nepotibus* per Hypallagen posuit, quod nepotes sacros sive devotos efficeret. B. Quem suo cruore expiaturi erant. *Schol.* Z.

ODE VIII.

1 *Rogare*; ista Admirative sublevatisque oculis proferenda sunt: et subintelligendum

Cum ſit tibi dens ater, et rugis vetus
  Frontem ſenectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates
  Podex, velut crudæ bovis.
Sed incitat me pectus, et mammæ putres,
  Equina quales ubera,
Venterque mollis, et femur tumentibus
  Exile ſuris additum.
Eſto beata; funus atque imagines
  Ducant Triumphales tuum;
Nec ſit marita, quæ rotundioribus
  Onuſta baccis ambulet.
Quid? quod libelli Stoici inter Sericos
  Jacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
  Minuſve languet faſcinum?
Quod ut ſuperbo provoces ab inguine,
  Ore allaborandum eſt tibi.

18 *Pro* mihuſque, magiſque *conj. Gui. et Bentl. inutilis.*

extrinſecus, *Quis ſatis miretur*; vel aliquid tale.

Putidam; h. e. fœtidam. FULSOME.

Hyperbolice *ſæculum* dixit vetulæ ætatem.

2 Turpiculum quid latet in verbo *enervet*: ac ſi faſcinatum eſſet ei faſcinum.

3 *Vetus ſenectus* dixit, ac ſi olim ſenuerit: longum enim ſæculum vixerat.

6 *Crudam bovem* excoriatam vaccam dicit, ut ego ſentio: quippe evulſas habuerat nates. LIKE RAW BEEF. B. Cruditatis in bubus ſigna et curationem tradit Col. 6. 6. G.

7 Sublata voce proferendum *ſed*; ſignificat enim *Imo etiam*, vel *Præterea*, ut ſæpe alias.

Incitat; h. e. percellit, vel commovet: *Revera incitat*. Vet. Schol. cum plerique Ironiam putent.

8 *Quales ubera pro Qualia, more Græco*. Vet. Schol. Cruq. B.

Abſurde etiam hic Harduinus, *quales* a metri neceſſitate deducit. G.

11 *Eſto beata*; h. e. *placeas tibi licet generoſitate et divitiis*. Vet. Schol.

Solebant in funere nobiliſſimi cujuſque imagines majorum præferri, ad oſtentationem nobilitatis, quod adhuc obſervari videmus in funeribus principum virorum. Vet. Schol. Cruq.

13 *Marita*, oſtendit eam eſſe matronam.

14 *Onuſta*; ad Emphaſin poſuit: ſignificat enim vel numerum, vel magnitudinem unionum auribus geſtari ſolitorum.

15 *Libelli Stoici; Solita erat hæc libros Philoſophorum etiam in lectis repoſitos habere ad tegendam libidinem, ut adveniente amatore ſimularet ſe Philoſophiæ ſtudere*. Vet. Schol. Cruq.

16 *Pulvilli ſunt lecti*. Vet. Schol. Cruq. Lectos jam Lucubratorios dici exiſtimo. B. Nempe in lectis ſ. lecticis legunt, ſtudent, commentantur: unde *cubicula* dicta. *Lecticulam lucubratoriam* Auguſti memorat Sueto. c. 78. Quærebat mulier prætextum conſuetudinis cum viris. *Amant* eſt ſolent. G.

17 *Illiterati num*: Vult ſignificare eam libellos iſtos in Horatii ſemiſtoici gratiam comparaſſe: quo ſcilicet gratior ei videretur, ut particeps ſtudiorum. Fruſtra Dacerius legit *Illiteratæ* de ſuo ingenio. B. Dicit, Quid tibi cum doctrina, mulier, quid cum libris, qui nihil ad tuam rem faciunt? num minus *rigent*, i. e. frigent *nervi* mei, ſi tu docta es? Noli putare, ſunt *illiterati*, &c. Pudet diſertum eſſe. Sed nolim homines hic eſſe ingenioſos ad mutandam lectionem bonam, id eſt nequam. G.

18 *Faſcinum pro virili parte poſuit, quoniam præfaſcinandis rebus hæc membri deformitas apponi ſolet*. Vet. Schol. *Lingua enim detorſa fronte*

ODE IX.

AD MÆCENATEM.

Allata Actiacæ victoriæ fama, Poeta se publicæ lætitiæ moram impatienter ferre ostendit. Interim insanum Antonii amorem Iambis suis tangit, Ægyptiamque militiam deridet.

METRUM UT PRIUS.

QUANDO repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta (sic Jovi gratum) domo,
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit, ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu! (posteri negabitis)
Emancipatus feminæ,

---

1 O repostum *Bentl. ex emendat. Heinsii.*—5 Mistum *vett. edd.* Mixtis *Bentl. e duobus codd. Lambini.*

---

mulieres amputare se infantibus putant fascinum. Alter Schol. *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur ne quid obsit, bonæ scævæ causa.* Varro, notante Mancinello. Hoc etiam hodie coralii et bullarum forma repræsentari supra monuimus.

19 *Superbo, fastidienti.* Vet. Schol.

Provocare modo est foras elicere.

20 *Ore adlaborandum; Lingua et nefariis osculis.* Vet. Schol. Cruq.

ODE IX.

1 *Ad festas dapes*; h. e. *Ad hoc repositum, ut non nisi ad festas epulas proferretur.* Vet. Schol.

3 *Sub alta domo; Mæcenatiana Turri.* Torrentius.

Sic Jovi gratum; Οὕτως Διὶ φίλον. Vult significare Augustum deorum ope præter spem omnem fuisse superiorem. Quis enim crederet quingentas naves etiam turritas, tantæque molis, a CCL. decem horarum spatio vinci potuisse?

4 *Beatum* dicimus cui ex voto omnia cedunt.

5 Bentleii Textus præfert *mixtis*, sed hæsitanter.

6 *Hic notandum est modos Musicos esse septem, Dorium, Hypodorium, Phrygium, Hypophrygium, Lydium, Hypolydium, et Mixolydium.* Vet. Sch. E quibus Dorius maxime serius erat et sedatus quo usus est Alcæus, quem ipse in carminibus imitatus est.

Tres modos habebant tibiarum, Ionicum, Lydium et Phrygium, quem et Barbarum. Vet. Schol. ad Ode 15. Lib. IV. Mirum est Glareanum et Cruquium, atque illos qui hos sequuti sunt modos Lyricos cum modis tibiæ confudisse. Erat autem Phrygia, sive Berecynthia, tibia ebrietati atque insaniæ accommodatissima. *Cur Berecynthiæ Cessant flamina tibiæ?* Ode 3. 19.

7 *Actus freto; Sextus Pompeius freto Siciliensi victus fugatusque est.* Vet. Schol. Vult significare magnam fuisse fugato Pompeio Romæ lætitiam, ob metum scilicet servilis manus. B. *Ut nuper*, scil. bibimus, et victoriam Augusti de Sexto Pompeio celebravimus. Z.

Neptunius Dux; Eo stultitiæ processit, inflammatus marinarum rerum felicitate, ut Neptuni filium se diceret, et Cyanea veste obduceretur. Vet. Schol. Erat enim trecentarum quinquagintanavium dominus, ut scribit Aurelius Victor. B. Vid. Dio. 48. 19. et ibi Fabric. § 78. G.

Fert vallum et arma miles, et ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt;
Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopium.
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæſarem;
Hoſtiliumque navium portu latent
Puppes ſiniſtrorſum citæ.
Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus, et intactas boves:
Io Triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportaſti ducem,

17 Adhuc *Ven.* 1479. *Med.* 1486 *et* 1502. Ad huc *Schol. Cruq.* Ad hunc *al.* Verterint *conj. Berſm.*—19 In portu *codd. duo Berſm.*—20 Sitæ *codd. Cruquii duo.*

8 Fugit in Aſiam ubi ab Antonianis occiſus eſt.

10 Perfidia vernilitatis perpetua comes; nequit enim fides ſine libertate conſiſtere.

11 Et *Romanum* et *militem* dicit Antonium, meminitque ejus non ſine gemitu, ut decuerat, præclari et potentis viri. B. Nihil hic, directe quidem, de M. Antonio. G.

12 *Emancipatus; Pro mancipio Cleopatræ datus.* Vet. Schol. Emancipari dicitur, qui non amplius vel ſui, vel etiam alieni, juris eſt, contraria plane ſignificatione: nam mancipium legitima poſſeſſio Juriſconſultis dicitur. Mancipium autem dicit quod neglecta ſumma rerum reginam e prœlio fugientem ſecutus ſit.

13 *Valli ſunt ſuſtes quibus vallum munitur.* Mancinellus. Hæc autem adjecta ſunt, ut videatur gregarium militem, non ipſum Antonium velle: ſinguli enim milites duodecim vallos cum armis et pluſquam dimidii menſis viatico ſecum ferebant? ſexaginta librarum pondus, ſi Vegetio fides.

14 *Rugoſos* dicit eunuchos, eo quod eſſent imberbes et vetularum ſimiles: his etiam ducibus utebatur Cleopatra.

16 *Solem*, Jovis oculum, Veteres maxime verebantur, quod omnia videret.

Conopeum genus eſt retis ad muſcas et culices abigendos, quod ſupra lectum tendebatur. Vet. Schol. Cruq. *Nam Κώνωπες Culices Græce dicuntur. Conopeo maxime Alexandrini utuntur, quia ex Nilo culices abundant.* Alter Schol. Non tam turpe Conopeum, quam mulier Ægyptia, quæ Conopeo ſuberat. Libenter aſſentior Bentleio in hoc verſu reponenti *conopium*, κωνώπιον, pro *conopeum*, κωνώπειον.

17 *Ad hunc; Contra Antonium: quia ad Cæſarem confugerunt et equos adverſum Antonium* CVM SISTRO *converterunt.* Vet. Schol. Melius tamen [pro *Ad hunc*] reponas *Ad hoc* Adverbialiter ſumtum, quaſi dicatur *Conſpecto hoc.* B. Si eſt ex hiſtoria, (et quidni ſit?) *Antonius* CVM SISTRO, hoc indicatur, non ſolam Cleopatram feciſſe, quod narrat etiam Virg. Æn. 8. 696. *patrio vocat agmina ſiſtro:* ſed ipſum quoque Antonium illo incitamento et velut claſſico uſum. Cultam ab Antonio (qui Oſiris videri volebat) Cleopatram pro Iſide altera (cujus eſt ſiſtrum) objicitur illi a Cæſare, ſuos ad Actiacam pugnam cohortante, apud Dion. 50. 24. ſq. Galli, de quibus hic agitur, id eſt Gallogræci ſecuti ſunt ducem ſuum, Deiotarum, de cujus ad Cæſarem tranſitu Plut. Anto. p. 945. C. G.

18 Gallogræci hi erant: et bene canentes; quia Galli canentes prœlium committere conſueverunt.

20 *Hoc quaſi augurium fuit victurum Auguſtum, nam ſiniſtrorſum eſt Alexandriam verſus.* Vet. Sch. Cruq. Sexaginta Cleopatræ naves in Actio ad fugam paratæ erant.

Alii legunt *ſitæ*, quod non probo; etſi Dacerius dicat *ſiniſtrorſum citæ* non eſſe Latinum. *Elocutionem attende mirandam* συνηθεστικὴν περίφρασιν. Vet. Schol. B. Conſtat ex Dione et Plutarcho, Cleopatræ naves primum poſt reliquam Antonii claſſem in portu ſtetiſſe, deinde, re neutro inclinata, fugiſſe Cleopatram, et traxiſſe poſt ſe Antonium. Cum ſcriberet hanc Oden Horatius nondum de eventu conſtabat: ſed hoc tantum, deſertum ab ipſis Ægyptiis Antonium. Horum hoſtiles naves cum *portu* aliquamdiu latuiſſent, deinde evectæ *ſiniſtrorſum citæ* abierunt. Quæ enim navis Actiaco portu egreſſa Italiam petit, ea dextram verſus citatur; ſiniſtrorſum, quæ Ægyptum. Hinc

Neque Africano, cui ſuper Carthaginem
  Virtus ſepulcrum condidit.
Terra marique victus hoſtis, Punico
  Lugubre mutavit ſagum;
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
  Ventis iturus non ſuis;
Exercitatas aut petit Syrtes Noto;
  Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, ſcyphos,
  Et Chia vina, aut Leſbia;
Vel, quod fluentem nauſeam coërceat,
  Metire nobis Cæcubum.
Curam metumque Cæſaris rerum juvat
  Dulci Lyæo ſolvere.

25 Africanum *MSS. apud Torr. it. Gott. tum edd. ſæculi* XV. *plures.*—34 Aut Chia *conj. Bentl. et refert ad ſeq. metire.*

auguratur poeta, claſſem hoſtilem vel in Cretam, vel in Syrtes delatum iri, quæ regiones ſiniſtræ ſunt ſolventibus ab Actio. Romanæ naves combuſtæ, demerſæ, captæ. G.

21 Perſonam facit *Triumphum*, ut Hymenæum in nuptiis, Bacchum vel Lenæum in vindemia et epulis. Eſt autem adſtantis multitudinis acclamatio. Vid. Car. 4. 2. 49. Sic *victoriam* clamant, *&c.* G.

22 *Intactas*; i. e. *indomitas*. Vet. Schol. B. Jugum non expertas, ut 2. Sam. 7. 7. G.

23 *Non tanta gloria triumphavit Marius de Jugurtha*. Vet. Schol.

25 Quid hic facit *Africanum* a Bentleio poſitum? B. *Africanum* int. Scipionem, melius convenit cum relativo *cui*; et habet magnas auctoritates. Si *Africano* retinemus, ſupplendum eſt, *Neque Africano* bello ducem illum, *cui*, &c. Quæ cum paulo durior videretur ratio, prætulere alii *Africanum*. G. Vulgatæ lectionis ſenſum puto hunc: quod, ſc. bellum, virtute Romana eſt finitum et ſepultum, deleta Carthagine. Z.

Super Carthaginem; h. e. *Super victoriam Carthaginis*. Vet. Schol. Cruq.

26 *Virtus ſepulchrum condidit; Cum victor rediret ab Africa, neque eum Romanus populus recipere vellet ob invidiam; ille eſt reverſus in privatum agrum Linterni, ubi tanquam a Romanis in exſilio poſitus vixit: quare juſſit in tumulo ſuo ſcribi quod patria careret ſepultura*: Vet. Sch. Cruq.

27 *Depoſuit coccineam chlamydem Antonius, et accepit nigram; utrum ob luctum victarum partium hoc fecit; an ut fuga lateret*. Vet. Schol.

28 *Sagum*, Græcis χλαινὶς vel χλαμὺς. lacerna erat militaris, vel paludamentum.

29 *Antonius fugiens quinqueremi, ut Cleopatram aſſequeretur, ab illa in ſua navi receptus eſt, ſicque ad Tænarum appulit*. Mancinellus ex Plutarcho.

30 *Non ſuis; Non aptatis, non proſperis*. Vet. Schol. B. Totus hic locus oſtendit, ſcriptam eſſe hanc oden ad primos nuntios prælii, cum nondum conſtaret, quid factum eſſet claſſi fugienti, et ſpeciatim Cleopatræ atque Antonio. G.

31 *Exercitatas*; h. e. Agitatas.

Antonius a Tænaro diſcedens Libyam pervenit. Mancinellus.

32 *Incerto mari*; i. e. *ipſe fertur incertus conſilii*. Vet. Schol.

34 Bentleius elegantius putat *Aut Chia vina*, ſed unde novit ille Horatium ſcripſiſſe quod ille elegantius putat? Plurima vel a doctiſſimis ſcribi ſolent ferente impetu atque immediate.

35 *Fluentem*; i. e. *Potu nimio profluentem*. Vet. Schol. B. *Fluentem* intelligo, μαλακὴν, quæ imbecillum ventriculum oſtendat. G.

36 *Metiri* jubet poeta vinum, cum reſpectu ad æqualem numerum cyathorum, vel in temperando vino, vel infundendo convivis, obſervandum. G.

Cæcubum: Quia auſteriſſimum eſt vinum meritò nauſeam coërcet. Vet. Schol.

37 *Curam metumque*; i. e. *Solicitudinem et metum de abſentia Cæſaris*. Vet. Schol. *Horatius nondum ſecurus quod viveret adhuc Antonius*. Torrentius.

ODE X.

IN MÆVIUM POETAM.

Poetæ Mævio homini duro et maledico, ſæculique ſui ingeniis infeſto, in Græciam naviga-turo naufragium optat.

METRUM UT PRIUS.

Mala ſoluta navis exit alite,
  Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
  Auſter, memento fluctibus;
Niger rudentes Eurus, inverſo mari,
  Fractoſque remos differat;
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
  Frangit trementes ilices;
Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
  Qua triſtis Orion cadit:
Quietiore nec feratur æquore,
  Quam Graia victorum manus,
Cum Pallas uſto vertit iram ab Ilio
  In impiam Ajacis ratem.
O quantus inſtat navitis ſudor tuis,
  Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
  Preces et averſum ad Jovem,

---

4 Flatibus *conj. Burm. ad Flac.* 1. 639.—8 Frementes *Cun. neſcio unde.*—18 *Sic Flor.* 1482. *Ven.* 1486. *Loch. Med.* 1502. *Ald. R. et H. Steph. Bentl.* Adverſum *al.*

---

1 *Soluta;* retinaculis ſoluta.

Alite; attende alitem Fœminino genere dixiſſe, alibi Maſculino. Vet. Schol. B. *Mala alite,* malo auſpicio. *Schol.* Z.

2 *Olentem; putentem.* Vet. Schol. *Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos.* Virgilius (Ecl. 3. 91.) de eodem Mævio. Erat hircus in alis, ut fere in obeſis.

3 *Utrumque latus* ut verberet Auſter, oportet navim a procella circumagi. G.

5 *Niger Eurus,* quatenus turbat cœlum; *albus,* cum ſerenat. G.

Inverſo mari; ab imis vadis refuſo. B. *Rudentes,* funes nautici.

6 *Differat;* in diverſa ferat.

8 *Trementes;* vacillantes.

10 *Triſtis Orion: In occaſu ſigni ipſius maxime tempeſtates emergunt.* Vet. Sch. V. Car. 1. 28. 21.

14 *Ajacis; Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei,* Virgilius Æn. 1. 41.

15 *O quantus;* tanquam vates quæ futura ſunt manifeſta Enargia prævidet.

16 *Luteus; Luteus mortis propinquæ color.* Cruquius. B. Populi viciniores ſoli, et aduſtioris coloris, cum pallent flavi fiunt. Hinc illud apophthegma Diogenis, *aurum pallere,* quod multos habeat inſidiatores.

17 *Et illa;* Ἐναργῶς.

Ionius udo cum remugiens ſinus
Noto carinam ruperit!
Opima quod ſi præda curvo littore
Porrecta mergos juveris;
Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna Tempeſtatibus.

ODE XI.

AD PECTIUM.

Apud contubernalem ſuum Pectium liberrime queritur ſe amoris laqueis perpetuo irretitum carminibus ſcribendis non vacare.

METRUM PRIMO VERSU IAMBICUM TRIMETRUM, SECUNDO ELEGIAMBICUM EPODICUM, QUOD CONSTAT PENTHEMIMERI DACTYLICA ET DIMETRO IAMBICO. B. (Tricolon faciunt hanc Oden et XIII. Lambinus, et H. Stephanus, qui ſe veterum librorum auctoritate fretum, aſſentientibus etiam quibuſdam Lambini exemplaribus, hoc ita ait inſtituiſſe, Diatribe prima p. 37. ſq. Sequuti ſunt Torrent. 1608. Rapheleng. 1612. Rutgerſ. apud Ro. Steph. 1613. Dan. Heinſ. 1619. Faber, Burm. Maittair. Talbot. Francis circa XIII. non item circa hanc. Et ſane commodiſſima eſt diviſio, et poteſt pæne videri neceſſaria, quoties Penthemimeris vel hiatum efficit, ut v. 14. et 24.: vel in ſyllabam brevem exit, ut v. 6. et 10. et 26. it. Od. 13. 10. et 14. Sed acriter pugnat pro dicolo Bentleius, et habet auctores Hephæſtionem et Terentianum. G.)

PECTI, nihil me, ſicut antea, juvat
Scribere verſiculos amore perculſum gravi;

19 Sinus *G. Z. Flor. Med.* 1486. *Ven.* 1486. *Loch. Med.* 1502. *Ald. R. et H. Steph. Torr. Bentl.* Sinu *al.*—20 Noto *etiam Fl.* Notus *quæd. edd. anti.*—22 Juveris *etiam H. St. Rutg. Da. Heinſ. Bentl. &c.* Juverit *edd. primæ et quid. MSS.* Paverit *coll. Sax.*

ODE XI.

2 Percuſſum *MSS. ap. Beſ. Animadv.* p. 51. *it. Brod. et Gott. it. ed. Flor. Vid. ad Æneid.* 9. 197. *it. Bentl. e codd. quia* percuti *dicatur in re leviore, quæ non evertatur aut conſternatur: ſed* percelli *in graviore.*

Ejulatio; Gemitus flentis, τρόπος ὀνομαστοποιΐα. Vet. Schol.

20 *Carina totius navis compago eſt.* Vet. Schol. *Ionius autem modo poſuit in Maſculino, Græco more, uti Juvenalis* (6. 93.), *Sonantem Pertulit Ionium.* Rutgerſius.

21 *Opima; Apparet pinguem fuiſſe.* Vet. Sch.

22 *Porrecta; Mortui pedes porrigunt.* Schol. Cruq. Etſi Bentleius ſuo periculo jubeat reponi *Projecta* pro *Porrecta*, ego tamen ſuſtineo manum, neque periculum hoc aditurus ſum. B. Etiam Acron Fabric. *Porrecta* exponit *extenta.* Et vix aliter jacent, quos fluctus in litus ejicit. Quid ſiquis ſacrificale verbum dicat, hominem ſacrum deberi mari et avibus? Certe nihil mutandum. G.

MSS. Lambini et Vet. Schol. Cruq. *juveris* legunt, non *juverit*, quod tamen placuit Torrentio.

23 *Libidinoſus*, perpetuum capri Epitheton. *Caper;* ob tetrum Mævii odorem.

24 *Agna Tempeſtatibus immolari eſt ſolita.* Vet. Schol. *Et nigram Hyemi pecudem*, Virgil. Æn. 3. 120.

ODE XI.

1 Codices habent *Petti, Peti*, et *Pecti.*

2 Bene *verſiculos* de metris lyricis.

Amore, qui me præter omnes expetit
  Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo deſtiti
  Inachia furere, ſilvis honorem decutit.
Heu! me, per Urbem (nam pudet tanti mali)
  Fabula quanta fui! conviviorum et pœnitet,
In queis amantem et languor et ſilentium
  Arguit, et latere petitus imo ſpiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
  Pauperis ingenium! querebar applorans tibi;
Simul calentis inverecundus Deus
  Fervidiora mero arcana promorat loco.
Quod ſi meis inæſtuat præcordiis
  Libera bilis, ut hæc ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
  Deſinet imparibus certare ſummotus pudor.

---

8 Ut *pro* et *Bentl. conj.*—9 Langor *edd. pr.*—14 Fervidiore *Lamb. Chab. Bentl. MSS. Berſm. it. Mancin.*—15 Inæſtuet *Lamb. Chab. Bentl.*—17 Allevantia *Glar.*

Perculſum dicit adeo attonitum, ut nullum ſtare ſibi poſſit animi conſilium. Non probo Torrentii *percuſſum.*

Gravi nunc poſuit pro impotenti et ſævo.

3 *Præter omnes*, παρὰ πάντας ἄλλους. Oſtendit ſe præter cæteros obnoxium Amori, h. e. Cupidini.

4 Mire et παρὰ προσδοκίαν poſuit *in pueris* et *in puellis urere*, acſi pro ignibus eos haberet. *Altera tela arcus, altera tela faces.* Ovidius de Cupidine.

6 Nobilis erat hæc et potens, quare ab antiquo Inacho Inachiam eam dicit.

Sic et Virgilius; Frigidus ut ſylvis Aquilo decuſſit honorem. Vet. Schol.

7 *Tanti mali;* quod innotuerat univerſæ urbi ejus adulterium.

8 *Convivia* nocturnas dicit compotationes; quæ produnt animi conſilia.

9 *Languorem* Dilogως dicit, et ſtuporem animi et pallorem oris.

10 *Arguit; Media ſyllaba producta pronuntiandum; quia Præteriti Temporis eſt.* Vet. Sch. Sic enim legendum pro *Præſentis*, ut patet ex Schol. Cruq.

Et latere; In ſuſpirando conſtat latera laborare. Vet. Schol.

11 Novem Torrentii Codices cum Vet. Sch. Cruq. legerunt pro *Contraque, Contrane;* quod et mihi ob Ethopœian mirifice placet.

Lucrum; munera rivalium ditiorum: Vet. Sch. Cruq. B. In avaritia igitur Inachiæ ponit cauſam, cur amare eam deſierit. Z.

Candidum ingenium; commendatio et nobilitas ingenii. Vet. Schol. Cruq. h. e. aureos Horatii mores. Hoc ex Anacreonte traxit: Σοφίη, σεῖο πρὸς πατρὸς πατεῖται, Μόνον ἀργυρέον βλέπουσιν.

13 *Calentis; inebriari incipientis.* B. *Simul*, ſimul atque, poſtquam. Z.

Inverecundus deus; Liberum vult intelligi. Vet. Schol.

14 *Fervidus* dicitur qui nequit ſe continere.

Promorat loco; h. e. *Excluſerat a cordis ſecreto.* Vet. Schol. Eleganti Metaphora *promoveri loco* dicuntur quæ modo naſcentia ex utero (qui Veteribus Τόκος et *Loci* dicebatur) excluduntur, vel in lucem prodeunt.

15 *Quod ſi; Et hoc tibi in conviviis aliquando dixi.* Vet. Sch. Cruq. B. *Quod*, quia, nam.

Inæſtuat; Incandeſcit. Vet. Schol. Cruq.

16 *Libera bilis; Irati liberius loquuntur.* Vet. Schol. Cruq.

Ingrata; Nihil gratiæ apud Inachiam habentia. Vet. Schol. Cruq.

Ventis tradimus, ex proverbiali ſermone, quorum penitus obliviſci cupimus. Sic et Anacreonti projiciuntur curæ Ἐς ἀλικτύπους ἀύτας, et ſuaviter *dividat: dividit* enim qui largiter dat, et nihil ſibi relinquit. B. V. Car. 1. 26. 1.

Ubi hæc ſeverus te palam laudaveram,
Juſſus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos (heu!) mihi poſtes, et (heu!)
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc, gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia, amor Lyciſci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera conſilia, nec contumeliæ graves;
Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

28 Longa renidentis coma *coll. Sax.* Renidentis *etiam Flor.* 1482.

17 Querelas ſuas *fomenta* dicit, quod magis irritent vulnus, quam levent.

18 *Imparibus*, ditioribus æmulis.

Summotus dicitur qui a potentiore rivali cedere cogitur.

Pudor, h. e. mea dignitas. Nihil magis contra pudorem eſt, quam uſque injurias pati.

19 *Severus*; triſtis, ſeu Philoſophum agens.

Laudaveram; h. e. voce probaveram, *Video meliora proboque.* B. Senſus eſt: Cum libere apud te profeſſus eſſem, me fore tam ſeverum et conſtantem, ut Inachiæ amorem penitus ex animo meo ejicerem. Z.

20 *Juſſus abire domum*; h. e. a te admonitus ut recta via domum abirem.

Ferebar incerto pede. Pulcherrimus ebrii Iconiſmus. *Incerto* autem dilogως dicitur; vacillabat etiam ei animus.

21 *Ad non amicos*, &c. h. e. Heu, proh dolor, repente mutato conſilio, temere ob vim amoris et animi impotentiam ferebar e convivio ebrius ad ædes Inachiæ me ſpernentis et limina mulieris inexorabilis, ad quæ per noctem cubabam haud molliter. Z.

22 *Infregi latus; Dormiens in humo dura.* Vet. Schol. Dilogia igitur eſt in voce *dura* quam præmiſerat.

23 *Gloriantis* non accipio de voce et jactatione Lyciſci: ſed indicari ſplendidam venuſtatem pueri arbitror: ut καταχαυχᾶται ἴλεος κρίνως laco. 2. 13. G.

Cum contemtu et faſtidio poſuit *mulierculam.*

24 Sibi habeat Bentleius *Vincere mollitie*, ſi tanti putat; Etſi parum incommodi fuerat ab hiatu duorum *a* in Synalœpha. B. Atqui non de Synalœpha hic ſermo eſt, ſed de hiatu metrico, qui ſuaſit aliis, ut ibi verſiculum finiri vellent: quem hiatum molliri, intereſt Bentleii, qui viribus omnibus pugnat, ne dividatur carmen hoc in trina cola, ſive verſiculos. G.

Lycus Alcæi erat amaſius, ex quo effinxit diminutive ſuum *Lyciſcum.* B. V. Car. 1. 32. 11.

Bene *tenet*, ſubjecturus *Expedire*; ſignificat enim ſe irretitum.

26 Bene *Libera* de Pectio quem verum ſentit amicum, quem ne nominaret Plurali uſus eſt numero.

Contumelias dicit ipſius pueri. Vet. Schol.

Grave eſt quod moleſte ferimus.

28 *Teretis; Obeſuli.* Vet. Schol. Cruq.

Renodantis; In nodum colligentis; quod ex imitatione puellarum catamiti facere conſueverant. B.

Quidſi verum eſt, quod e Bodleiano codice habet coll. Sax. *renidentis*, ſive *longa coma*, ſive ut eſt in Flor. *longam comam.* Tum ſignificaretur hoc verbo nitor et ſplendor ab unguento. *Renodantis* nuſquam obſervatum adhuc præterquam apud Val. Flac. 5. 381.: ſed ibi *renoduta pharetris*, quæ ſolvit ac depoſuit humeris pharetras. Secundum hæc *renodans comam* fuerit non quod vult Schol. Cruq. ſed potius ſolvens, et ludibria ventis permittens, vi Carm. 2. 5. 23. G.

ODE XII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Invehitur in eandem anum, cujus meminit Ode VIII.

——— Optima ſummi
Nunc via proceſſus vetulæ veſica beatæ. JUVENAL.

METRUM PRIMO VERSU HEXAMETRUM HEROICUM, ALTERO TETRAPODIA DACTYLICA EPODICA.

QUID tibi vis, mulier nigris digniſſima barris?
Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obeſæ?
Namque ſagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat ſus.
Quis ſudor vietis, et quam malus undique membris
Creſcit odor! cum pene ſoluto
Indomitam properat rabiem ſedare; nec illi
Jam manet humida creta, colorque

3 Nec naris *Ven. Glar.*—9 Properant—nec illis *Glar.*

1 *Quid tibi vis?* h. e. Perdis operam: nam nihil proficies.

Nigris Dilogus poſuit pro fœdis et pro Æthiopicis; ſic et Juvenalis; *Nigri manus oſſea Mauri.*

Barrus vox Punica; nam et Hebræis *Baar* eſt Belua. Oportet autem Barros eſſe bene mutoniatos.

2 Bentleius quod non ſapiat Horatianum varietatem, repoſuit *quid mihi* pro *cur mihi.*

Tabellas; Epiſtolas Diptychas. Vet. Schol. Cruq.

3 Significat ſibi jam defeciſſe calorem juvenilem.

Naris obeſæ; h. e. *occluſæ.* Vet. Schol. Caruncula ſcilicet aliqua.

4 *Unum* ſe dicit ex mille odorandi facultate præcellentem.

5 *Polypus* Græcis fœdus tumor narium. Prima ſyllaba producitur ob Liquidam *L*, uti prima vocis *Melos* in Prologo Perſii.

Grave non humeris tantum verum etiam omnibus ſenſibus, atque ipſi animo, dici ſolet.

Suaviter *cubet hircus* pro *hircinus inſit odor;* quem Vet. Schol. *olentes titillos* nominavit.

6 *Acrem* dicimus et oculis et naribus, atque etiam animis.

Feram ſuem dicit. An et ſuem vocat amicam?

7 *Quis* admirando dicit pro *Quantus!* Probabilior Bentleio videtur altera ſcriptura *Qui ſudor*, quod ſit minus nota, etſi nihil interſit; ſicuti et mox *Creſcat* pro *Creſcit.* Novi illi diſplicuiſſe literam *s* in *Quis.* B. Hic potuit jure diſplicuiſſe propter ſequentem *S.* Nec fuit in libro Brodæi. G.

Vietis; marcidis. Vet. Schol.

8 *Creſcit*, inſtar viſci ſcilicet. B. Quid ſibi cum *viſco* hic velit vir doctus, non aſſequor. Sed illud *creſcit* explicat Plaut. Moſt. 1. 3. 119. *Ubi ſeſe ſudor cum unguentis conſociavit*, &c. G.

Pene ſoluto; h. e. opere jam finito. Antiquis *penis* erat pro cauda a *pendendo.*

9 *Indomitam*, h. e. indomabilem.

Immutat Perſonam, quia mox v. 14. erit opus ſecunda.

10 *Humida; Humefacta ſudore.* Vet. Schol.

Creta; Solent meretrices ceruſſa, purpuriſſo quod ſtibio adhibetur, et ſtercore crocodili effingere fuſcum. Vet. Schol. Cruq.

Stercore fucatus crocodili; jamque ſubando
Tenta cubilia, tectaque rumpit;
Vel mea cum ſævis agitat faſtidia verbis;
Inachia langues minus, ac me:
Inachiam ter nocte potes; mihi ſemper ad unum
Mollis opus: pereat male, quæ te
Leſbia, quærenti taurum, monſtravit inertem;
Cum mihi Cous adeſſet Amyntas,
Cujus in indomito conſtantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhæret.
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? Tibi? Nempe
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier ſua quam te.
O ego infelix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos, capreæque leones.

---

12 Rumpis *et mox* agitas *Glar.*—25 O ego non felix *noſtri omnes.*

---

11 *Crocodilum* dicit terreſtrem.

Subare proprie ſues dicuntur cum libidinantur. Vet. Schol.

12 *Tenta cubilia; reſtibus, ſive faſciis ſubtenta.* Vet. Schol.

Lecti cœlum *tecta* dicit.

13 *Agitat; Inſectatur*, Metaphora ducta a venatoribus.

14 De Inachia Epod. 11. 6.

16 *Mollis* eſt qui parum laboris ferre poteſt, *Durus* contra qui multum.

Male pereat, imprecandi formula, ex Euphemiſmo, pro *abeat in crucem.*

17 *Leſbia, aut lena, aut obſtetrix.* Vet. Schol. Cruq.

Quærenti, deſideranti, vel opus habenti.

Charientiſmo uſa eſt in voce *monſtravit*, parcit enim lenoniis verbis.

Inertem, lentum in amore.

18 *Adeſſet*; h. e. in promptu eſſet, et ad manum.

20 *Novam arborem* dicit novellam et vegetam, quæ firmis radicibus collibus inhæret.

21 *Iteratas muricibus lanas* dibaphas veſtes dicit; quod et Vet. Schol. oſtendit.

22 Ad Emphaſin *properabantur* poſuit. Significat enim in poſterum non properatum iri.

Sic diſtinguendum cenſeo, cum antea eſſet *Tibi nempe*, ſatis frigide. Oſtendit eam, ut zelotypam, ingratitudinis eum arguere.

25 *O ego infelix*; ſic duo Torrentii codices cum uno Canteri, pro *O ego non felix.* Sic et olim Soſipater Chariſius legerat. Librarii de ingenio ſuo immutavere, uti alias conſuevere, ſiquid minus arrideret. Sic et in proxima, *Threicio Aquilone*, abſque eliſione. Prætulit tamen Bentleius vulgatum *O ego non felix*, quod hercule alio tempore nollet facere.

ODE XIII.

AD AMICOS.

Ex occaſione hibernæ tempeſtatis Horatius hortatur lepidos ſodales ad hilariter agendum, atque imminentis civilis belli exitum fato permittendum monet.

METRUM PRIMO VERSU HEXAMETRUM HEROICUM; ALTERO ELEGIAMBICUM; H. E. DIMETRO IAMBICO ET PENTHEMIMERI ELEGIACA CONSTANS. (DE METRO VID. DICTA AD EPOD. XI. G.)

HORRIDA tempeſtas cœlum contraxit, et imbres
Niveſque deducunt Jovem; nunc mare, nunc ſilüæ
Threïcio Aquilone ſonant. Rapiamus amici
Occaſionem de die; dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.
Tu vina Torquato move conſule preſſa meo.
Cætera mitte loqui: Deus hæc fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice. Nunc et Achæmenio
Perfundi nardo juvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora ſolicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno;
Invicte mortalis, dea nate puer Thetide,

8 Achæmenia *Flor.* 1482. *Ven.* 1486. *Med.* 1502. *it. Talb. Bur. Sandb.* *Sed* Achæmenio *rell. ante Ald. it. G. Brod. Cun.*

1 *Horridum* dicitur quicquid aſperitate ſua animum ex aſpectu terret.

Non revera contrahitur cœlum, ſed apparet cum nubibus oppletur. Landinus.

2 *Deducunt Jovem*; Onomacriti hymnis Jupiter ideo Καταιβάτης dicitur, quod imbribus deſcendere videatur. *Jupiter et lato deſcendit plurimus imbri.* Virgilius. Quin et Ægyptiis aqua Jovis effluxus dicebatur, ut Plutarchus in Iſide et Oſiride oſtendit.

3 Etſi nullus codex id firmet, Bentleius tamen de *amici* fecit *amice.* Poetica Figura poſſit Poeta alloqui plures, cum unum tantum vellet. Indefinita enim elocutio eſt. B. Potuit etiam unum v. 6. de pluribus excerpere. G.

4 *Dicitur occaſio opportunitas temporis caſu proveniens.* Mancinellus ex Feſto.

De die; h. e. de præſenti tempeſtate operi faciendo minus idoneo.

Dumque virent genua; Proverbialis elocutio, ut monſtravit Eraſmus.

5 *Et decet*: per ætatem ſcilicet. B. *Obducta*, i. in rugas contracta, ac per hoc ſevera ac triſtis. Sic ergo et *ſenectutem* pro gravitate ac ſeveritate accipe. *Porphyr.* Z.

6 *Tu*, corripiendo dicit *Tu* et ὑ ἅθυ.

Oſtendit ſatis diu ſtetiſſe cadum dicendo *move.*

Conſule meo; *Quo ipſe natus ſum.*

7 Per Ἐντιλισμὸν *Cætera* dicit reipublicæ curas.

8 *Reducet in ſedem*; h. e. in priſtinum ordinem et locum. Male Bentleius *Reducit*; niſi fortaſſe error ſit præli.

Vice; *non ſi male nunc et olim ſic erit. Deus vices rebus humanis conſtituit.* Vet. Schol.

Recte Bentleius pro *Achæmenia nardo* repoſuit *Achæmenio nardo*, auctoritate vetuſtiſſimorum Codicum ante Aldum. Erat enim et *nardum* in Neutro genere.

9 *Fidem Cylleneam* dicit lyram Cyllenei Mercurii inventum.

10 Convenientior atque efficacior videtur hoc loco vox *diris* Bentleiana *duris.*

11 Chironem *Nobilem* dicit fama artis atque doctrinæ.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simoïs;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ
Rupere; nec mater domum cœrula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.

ODE XIV.

AD MÆCENATEM.

Mæcenati suo quærenti quod Iambos (dudum promissum opus) non absolvat, respondet sibi non licere per Amorem potentem deum.

METRUM IN PRIMO VERSU HEXAMETRUM HEROICUM, IN ALTERO DIMETRUM IAMBICUM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,

15 Curto *conj. Bentl. pulchre.* Substamine *G. coll. Sax.* Subtegmine *Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl. Med.* 1486. *Ven.* 1486. *Loch. Pinc. Ald. Ro. Steph.* Subtemine *H. St. &c.*— 18 Ac *ante* dulcibus *inf. conj. Bentl.* G. Et dulcibus *est in edd. Ven. Glar. sed plures et meliores libri omittunt recte.* Z.

Bene *grandi*; neque enim parvulo ejusmodi admonitio conveniebat. B. At Lambinus intelligit *grandem* de genere, animo, indole et spe rerum gerendarum. Z.

12 *Invicte mortalis*; in Oxymoro isto latet Emphasis; vinci scilicet posse animo invictum, cum sit corpore mortalis. Sunt autem hæc per Dilogian de Augusto accipienda, cui ne quid humanitus accidat veretur. Allucinari hic videtur Bentleius dum interpungit inter *invicte* et *mortalis*. B. Non diffiteor, mihi placere, ut incidatur post *invicte*, ut oxymoron sit potius in *mortalis dea nate*: dilogian autem illam plane indignam videri Horatio. Est enim hic sermo non metuentis, sed celerem interitum denuntiantis. G.

15 *Subtemine*; *filo quod stamini intexitur*. Vet. Schol. A subtexendo ut puto: modo autem pro quolibet filo, ut apud Persium *trama*.

16 *Rupere* modo pro *abscidere* posuit. Et spes et sperata abscindi dicuntur, et quicquid repente et per vim abripitur: Metaphora a re medica petita. Sic et inferius Ode 16. *Reditus abscindere dulces*.

Per matrem Thetidem Μητρωνυμικῶς *mare intelligamus*. Vet. Schol. Cruq.

18 *Deformem* dicit ægrimoniam, quod deformem efficiat vultum.

Vinum et *cantum dulcia* dicit *alloquia*, ut docte Lambinus, Muretus et Cruquius, quos secutus est et Lubinus in Paraphrasi. *Adlocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causa*. Torrentius ex Varrone. B.

Dubitari non potest, quin *alloqui* sit consolari. Sed illud adhuc exemplo caret, *alloquium* ut dicatur de *vino* et *cantu*, quatenus iis solamur ægritudinem. Placet igitur, quod Bentleius conjicit, particulam *ac* haustam a duabus literis, in quas exit nomen *ægrimoniæ*. G.

ODE XIV.

1 *Mollis* sustinendo labori ineptus dicitur, cui contrarium est *durus*.

Sic et Virgilius; *Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas*: sic enim animi profundum appellat: ut ne sit vel angulus usquam quo vel tantillum memoriæ lateat.

Pocula Letheos ut ſi ducentia ſomnos
Arente fauce traxerim,
Candide Mæcenas, occidis ſæpe rogando:
Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promiſſum carmen, Iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teium;
Qui perſæpe cava teſtudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipſe miſer; quod ſi non pulchrior ignis
Accendit obſeſſam Ilion,
Gaude ſorte tua; me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

3 Veluti ducentia *codd. quidam ap. Bentl.*

3 *Pocula* modo ἁπλῶς pro *medicata pocula*: ſic et alibi; *Sirenum voces et Circæ pocula noſti.* *Ducentia* pro *adducentia* per Aphæreſin.

4 *Traxerim* modo per Καταχρησιν pro *hauſerim*, vel *duxerim*.

5 Ἐμπαθῶς *Candide*: hoc enim auget illi dolorem, quod tanti candoris rationem habere non potuerit.

6 *Nam* modo Particula firmiter aſſeverantis eſt.

8 *Ad umbilicum adducere pro finire et conſummare, quia in fine libri umbilici ex ligno aut oſſe ſolent poni.* Vet. Schol. *Obe! jam ſatis eſt, Obe! Libelli Jam pervenimus uſque ad umbilicum.* Martialis, citante Mancinello. Veterum volumina circumvolvebantur bacillis, in quorum ſummitate umbilici iſti fuerant.

12 *Non elaboratum ad pedem*; genio valuit Anacreon magis quam ingenio; neque enim vel pluteum cædere, vel ungues demordere conſueverat.

13 *Jucunda hæc miſeria eſt.* Vet. Schol. *Non pulchrior ignis*; *In honorem Mæcenatis gratificatur Terentiæ, Helenæ eam comparans.* Vet. Sch. Vid. Epod. 3. B. Quin Car. 2. 12. 13. G.

15 *Me libertina*; dum riſum quatiat, neque ſibi ipſe parcit.

Uno contenta, Charientiſmi formula de medio ſumta. *Unus Iberinæ vir ſufficit, ocius illud Extorquebis ut hæc oculo contenta ſit uno*, Juvenal 6. 54. *Neque tu uno contenta eras*, Terentius Eun. 1. 2. 42.

ODE XV.

AD NEÆRAM AMICAM.

Horatius perjuræ amicæ et rapaci nuntium se missurum minatur.

METRUM QUOD PRIUS.

Nox erat, et cœlo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu, magnorum numen læsura deorum,
In verba jurabas mea,
Arctius atque hedera procera astringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis;
Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute, Neæra;
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem;
Nec semel offensæ cedet constantia formæ,
Si certus intrarit dolor.

1 *Nox erat; Noctis silentium, serenum, et luna lucebat.* Vet. Schol. Noctem maxime verebantur Veteres nostri, præsertim vero serenam, quod eo tempore sidera dictorum et factorum omnium conscia viderentur.

2 *Inter minora sidera*; h. e. cum minoribus sideribus.

3 Ad Emphasin impudentis impietatis posuit *Tu*. Istud Provocabulum alias frequenter Morale est.

Læsura ad eventum refert. Vet. Schol. Quin et nescire se significat an et animo fallendi juraverit.

4 *In verba*; h. e. *Mea per verba conceptum jusjurandum.* Vet. Schol.

6 *Lentis, tardis, diuque in amplexu adhærentibus.* Vet. Schol. Cruq. Ducta tralatione a visco quod lentore suo diu manet in adhæsu.

8 Bentleius nulla auctoritate nisus reposuit *Turbarit* et *agitarit*, neque quicquam retulit hoc feciſſe in tam tenui Temporum discrimine. B. Mihi vero vitiosa etiam esse videntur *turbarit*, *agitarit*. Sunt enim ex *turbaro*, *agitaro*, futuri exacti: illud vero tempus non habet conjunctivus modus, quo hic opus est. Nusquam magis latus Johnsono præbuit Bentleius. Abripuit virum doctum consuetudo, qua conjunctivo futurum illud plerumque adscribitur. G.

9 *Intonsosque*; significare vult perpetuam sedis juventutem: intonsi enim juvenes pubertatem usque.

10 Figurate *hunc amorem*, pro jam pactum inter nos amoris fœdus: *Hunc* autem appositum ad Emphasin summi pretii.

11 *O dolitura*; *acerbiter* comminando insurgit. B. *Virtute*, fortitudine et constantia mea, qua ego te contemnam. Z.

12 Mire *viri*, nam a viro virtus.

13 *Potiori*; *Qui apud te potior est.* Vet. Sch. Potest et Dilogως accipi etiam de divitiore, ut ostendunt sequentia.

14 *Parem dicit puellam quæ illum amet.* Vet. Schol. Cruq. Neque illum credat sibi imparem: amara Dilogia.

At tu, quicunque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea;
Eheu! translatos alio mœrebis amores:
Ast ego vicissim risero.

ODE XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

Imminente jam horrendo Antoniani belli tumultu, Horatius tot mala pertæsus, et summæ rerum miserrime metuens (nescio an et ipse aliquo meditatus fugam) consilium dat saniori parti, uti exsecratis sedibus huic orbi valedicant, et secum Elysium navibus petant.

METRUM PRIMO VERSU HEXAMETRUM HEROICUM, ALTERO TRIMETRUM IAMBICUM.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit:

17 At *G. etiam, et primæ editt.*—23 Heu heu *G. et primæ editt.*

ODE XVI.

2 Ut ipsa, *b. e. ex quo, conj. Barth.*

15 Ethicῶς *semel* posuit: nam implacabilem posthac se fore significat.

Offensæ; h. e. *tui offensæ*, non *formæ offensæ*. *Offensam* autem modo Active dicit. Arbitrio sui ingenii magnus Bentleius reposuit *offensi* pro *offensæ*; quo sibi puto magis quam mihi placeret; atque hoc quidem ausus est cum crederet *offensam formam* dici ipsam Neæram. Verum non advertit vir eruditissimus *formæ* modo dici in Dativo, *offensæ* vero in Genitivo. B.

Ergo hæc erit paraphrasis: neque mea constantia cedet pulchritudini puellæ in qua semel offendi. Sed nihil impedit, *formam*; ut solet, hic etiam poni pro puella formosa, quod simplicissimam parit sententiam. G.

Constantiam stabilem dicit sententiam, et firmum animi consilium.

16 *Dolore* et odium et ira constant.

17 Omnes fere Torrentii Codices cum Vet. Schol. *Et tu* legerunt pro *At tu*.

18 *Superbus incedis*; h. e. superbus haberis. Sic et Virgilius; *Ast ego quæ divûm incedo regina*. Significat sibi ex fama innotuisse ejus superbiam; siquidem tanquam de ignoto sermonem habet. B. Novit ingenia Amatorum Flaccus, et vel sic laudat Neæram. G.

Malum dicit infortunium suum.

21 *Te fallant*; h. e. lateant.

Renatum dicit Pythagoram ob Μετεμψυχώσεως dogma ab illo traditum.

23 *Heu!* magis tamen suam quam rivalis vicem gemit. B. Morata oratio exprimit gemitum rivalis sui. G.

24 Suaviter et festive Modo Dubitativo usus est. B. Querente adhuc et indignante novo amatore, jam risit Horatius. Futurum exactum non dubitat per se. G.

ODE XVI.

1 *Teritur* quod lento damno consumitur. *Nec res atteritur longo sufflamine litis.* Juvenal.

Ætatem dicit unius hominis vitam, ob tædi-

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi,
Minacis aut Etruſca Porſenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Noviſque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cœrulea domuit Germania pube,
Parentibuſque abominatus Annibal:
Impia perdemus devoti ſanguinis ætas;
Feriſque rurſus occupabitur ſolum.
Barbarus, heu! cineres inſiſtet victor, et Urbem
Eques ſonante verberabit ungula;
Quæque carent ventis et ſolibus, oſſa Quirini
(Nefas videre) diſſipabit inſolens!
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.

8 Parentibuſve *conj. Bentl.*

um ſcilicet bellorum. Quod videtur ſignificare etiam Landinus.

2 *Suis et ipſa; Hoc eſt quod Titus Livius ait; ut magnitudine laboret ſua.* Vet. Schol. *Et ipſa* poſuit ad Emphaſin; ſignificat enim nil præter ipſam Romam ſtare: jam enim Romanis viribus ruerant cætera.

3 *Marſi;* hi duce Popedio univerſam Italiam in urbem Romanam concitavere; quod bellum et Sociale et Italicum appellatum eſt.

4 Operæ quæcunque *manus* Veteribus appellabantur.

5 *Æmula, inquit, quia imperium ereptum iri Romanis ſperavit.* Vet. Schol. Promittebat enim Hannibal eam deleta Roma fore Italiæ caput.

Spartacus Gladiator, ſervilis belli dux.

Acrem dicimus geſtientem pugnare, et per hoc fortem.

6 Bentleius vult ex propria conjectura *Noviſve* ſcribi pro *Noviſque*. Non noſtrum eſt tantas decidere lites. B. Certe exemplis et ratione vulgatum defenditur a Johnſono P. 2. p. 62. G.

Allobroges Galli Ruſi, et Sequanici dicti, incolentes illum tractum Alpium, qui eſt a Viſontio in Germaniam, Lentulo et Catilinæ in principio conſenſere, ſed poſtea illos Senatui prodiderunt, timore magis quam amore affecti. Vet. Schol. Cruq. Nam C. Pomptinius *repreſſerat eorum motum;* ut oſtendit Torrentius ex Cicerone. Veteribus Celtis Alienigenæ et Hoſtes *Galli, Alli* et *Gualli* dicebantur. Aboriginibus noſtris etiam hodie *Galanas* inimicitia eſt; (idem enim, ut ait Cicero, veteribus et *hoſtis* et *peregrinus:) Brosch* etiam illis *Lentiginoſus* dicitur, vel rubris maculis conſperſus.

7 *Cærulea ad oculos retulit, quos γλαυκοὺς habent.* Vet. Schol. Vult ſignificare Teutones et Cimbros a Mario fuſos.

8 *Abominatus;* cujus vel ipſum nomen dirum erat, et malo omini: nam *abominari* eſt avertere malum omen a ſe et ſuis.

9 Bene *Impia* ſubjecturus *devoti:* Impii enim ſunt qui dant pœnas apud Inferos, ut contra pii, qui in Elyſio verſantur. B. *Impius* eſt qui non amat et colit eum, qui amore et reverentia eſt dignus. Ergo ſenſum puto hunc: Nos hujus ætatis homines, qui impii erga patriam ſumus et morti devoti ad ſcelera majorum expianda, eam perdemus. Z.

Veteribus legibus devoveri conſuevere majores nocentes et piaculares; quæ quidem devotio juriſconſultis Romanis capitis diminutio major appellabatur.

10 *Rurſus occupabitur;* h. e. jure poſtliminii recuperabitur. B. *Rurſus*, ut antequam Roma condita eſſet. Z.

11 *Barbarus victor;* h. e. Cleopatræ miles. Ode 6. Lib. III. *Dacus* et *Æthiops.*

Cineres inſiſtet; ſic et Virgilius, *Sceleratum inſiſtere limen.* Landinus.

12 *Eques; Omnes antiqui ſcriptores ut hominem equo inſidentem, ita et equum cum portaret hominem Equitem vocarunt.* Mancinellus ex Macrobio Sat. 6. 9. B. Vid. Burm. ad Virg. Georg. 3. 116. G.

13 *Oſſa Quirini; Varro pro Roſtris* (alter Schol. *poſt Roſtra) ſepulcrum Romuli dixit, ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuiſſe ere-*

Nulla ſit hac potior ſententia; Phocæorum
  Velut profugit exſecrata civitas,
Agros atque Lares patrios, habitandaque ſana
  Apris reliquit et rapacibus lupis;
Ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
  Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet ſuadere? ſecunda
  Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc: Simul imis ſaxa renarint
  Vadis levata, ne redire ſit nefas,
Neu converſa domum pigeat dare lintea, quando
  Padus Matina laverit cacumina,
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus,
  Novaque monſtra junxerit libidine
Mirus amor: juvet ut tigres ſubſidere cervis,
  Adulteretur et columba milüo,
Credula nec ravos timeant armenta leones;
  Ametque falſa levis hircus æquora.

---

19 Proprios *edd. vett.*—21 Ite *conj. Bonfin.* Ferunt *edd. vett.*—32 Miluo *etiam G. Flor.* 1482. *&c. alii dant* milvio.—33 Fulvos *Lamb. et MSS. Berſm. ſed* flavos *Ven. Glar. Chab.*

---

tus conſtat, unde factum eſt ut pro Roſtris mortui laudarentur. Vet. Schol. Cruq.

14 *Nefas videre;* h. e. aſpectu pollui. Aliquot Codices cum Vet. Schol. Cruq. legerunt *videri*, quod quia lædebat metrum jure diſplicebat Glareano.

15 Si quid mutare omnino placeat; ponamus cum Bentleio *quod expediat!* votiva parentheſi, ut, *quod bene vertat!* e. i. g. a. Sed ſi ſervanda eſt lectio omnium librorum; verbum *expedire* accipiamus ut in formulis illis, *expedire conſilia ſua* Tac. Hiſt. 3. 73. i. e. ſuperatis difficultatibus exſequi; *expedire ſalutem* Cic. pro Milo. c. 4. i. e. depulſis periculis conſervare. Deinde *carere malis laboribus* Græciſmo Horatiano ſubſtantive et accuſandi caſu intelligamus, ut Epiſt. 1. 19. 9. *adimam cantare ſeveris:* add. Sat. 2. 5. 68. et Epiſt. 2. 2. 183. Senſus ergo erit, Forte quæritis, vel univerſi, vel meliores, quid expediat ἀκροτάτην, quid adferat laborum malorum carentiam, &c. G.

Communiter, κοινῇ, facto ſcilicet communi omnium concilio.

16 *Malis carere;* Enallage modi ex Helleniſmo, pro *ut malis careatis.*

17 *Phocæi relicto patrio ſolo in Galliam venerunt Maſſiliamque urbem condiderunt.* Vet. Schol. Ab Harpago ſcilicet Cyri Præfecto obſeſſi.

18 *Exſecrata;* Ἐκοιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας. Herodotus; ut adnotavit Dacerius.

19 Lambini et Cruquii Codices legerunt *lares patrios* pro *proprios*, quæ lectio non improbatur a veteribus Scholiaſtis.

21 *Ire, pedes quocunque;* Elocutio de medio ſumta et proverbialis. B. *Ire*, ut eamus. refertur ad antec. Nulla ſit hac potior ſententia. Z.

23 *Sic placet?* Impatienter exſpectat reſponſum, et rogat ſententiam veluti in Senatu.

Vet. Schol. ſentit *melius ſuadere* dici modo pro *meliorem ſuadelam.* Mihi videtur *Suadere* eſſe pro *quod ſuadeat;* ut ſupra *carere* pro *ut careatis.*

24 *Occupari* vult ratem dum adhuc licet; illud enim eſt *ſecunda alite:* et bene *moramur:* nam in occupando fuga eſt moræ.

25 *In hæc:* h. e. *In hæc verba.* Vet. Schol. Cruq.

Saxa; Phocæi μύδρον σιδήρειον in *mare projecere*, ut Torrentius adnotavit. Etiam ferrum e lapide liquefacto conflari ſolet. B. Nempe totum hoc expreſſum ex Herod. 1. 165. ubi

Hæc, et quæ poterunt reditus abſcindere dulces,
Eamus omnis exſecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exſpes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus eſt virtus, muliebrem tollite luctum,
Etruſca præter et volate littora.
Nos manet oceanus circum vagus arva: beata
Petamus arva, divites et inſulas;
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret uſque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha deſilit pede.

36 Omnes *MS. Berſm.*—37 Levior *id.*—41 *Vulgo diſtinguunt* circumvagus: arva, beata *&c.*

Phocæi maſſa ferri in mare dejecta jurant, ſe non prius redituros in Phocæam quam maſſa illa rurſus emergeret. G.

29 *Procurrerit;* h. e. prominuerit.

31 *Subſidere* Lucretianum verbum eſt, ut bene adnotavit Stephanus.

32 *Jucunde adulteretur.* Vet. Schol.

Omnes Torrentii codices legerunt *Miluo* pro *Milvio;* quod et ex ſuis confirmavit Cruquius.

33 Recte Bentleius *ravos* poſt Jacobum Cruquium quatuor veterum Manuſcriptorum fide. Certe *ravos* ignotius erat vocabulum quam *flavos.* In minus notis vocabulis plerumque cæcutire ſolent librarii.

34 *Salſa levis; Duplex diverſitas, ut amet æquora hircus, et ut levis fiat, cum alioquin ſetoſus ſit.* Vet. Schol.

36 *Exſecrari* hic etiam eſt, ut v. 37. ſub exſecrationibus et diris devotionibus aliquid promittere, vel ſe facturum declarare. G.

37 *Grege; fere imperitorum ac deteriorum major modus eſt,* τὰ χειρίονα νικᾷ. Vet. Schol. B.

Exſpes, quæ non audet ſperare ſalutem, ſed Romæ perire mavult, quam ſervari exilio. G.

38 *Inominata, nulla religione condita, et ideo infelicia.* Vet. Schol.

Perprimat; continuo ſcilicet cubando.

Mire ſubjungit cubilia, nam præmiſit grege. Vet. Schol. Cruq.

39 Bene *muliebrem,* cum a viro ſit *virtus.*

41 *Oceanus circumvagus* per ſe nihil habet expetendum: ſed *Oceanus vagus circum arva* eſt deſcriptio inſulæ extra mare mediterraneum, Romanoſque adeo fines, poſitæ, quæ deinde porro ut beata deſcribitur. Diſtinctio, quam elegi, videbatur mihi affectum poetæ optime exprimere. *Divites* inter *arva* et *inſulas* ad utrumque referri, duriuſculum. Cæterum Acro ad h. l. *In quo,* inquit, *ſunt inſulæ Fortunatæ, ad quas Salluſtius in hiſtoria dicit victum voluiſſe ire Sertorium.* Firmat hoc Plutar. in Sertor. p. 571. E. Vid. Freinſh. Supplem. Liv. 90. 23. G.

42 Neſcivere *divites* pertinere etiam ad *arva* qui inter *arva* et *beata* poſuere Subdiſtinctionem. Juxta Vet. Scholiaſten Beatorum Inſulæ ſunt quas Fortunatas dicimus. Diodorus in Oceano Meridionali poſuit, Plinius ultra Aquilonem, alii ad ortum ſolis; Scholiaſtes autem Cruquii ſupra Orcades noſtras Elyſios Campos deſcripſit. Omnes ut puto inferius hemiſphærium voluere, quod nos hodie Americam dicimus. B. Cf. Odyſſ. ϑ, 563. ſqq. Z.

43 *Reddit Cererem, ut reddit ova, reddit urinam,* et ſimilia.

44 Illud *uſque* etiam ad ea quæ ſequuntur referendum eſt, *Germinat uſque—ornat uſque.* Nam alias nihil dicat inſoliti. *Pulla ficus* Rutgerſii nimis longe, ex Indis, petita mihi quoque videtur: *pulla* colorem maturæ ficus notare poteſt: quotannis matureſcunt ficus. G.

45 *Termes dicitur extremus ramus olivæ, ſicut vitium palmes.* Vet. Schol.

46 *Suam; Eleganter et ſuam et ornat.* Vet. Schol. *Suam naturalem, non inſitam.* Stephanus. Rutgerſius *pullam* ficum ſentit dici ficum Indicam ex propaginibus ſuis ſæpius repullulantem, quod mihi minus videtur.

48 Bene *crepante pede* ſubjecturus *deſilit.* B. Nempe *Lympham* perſonam facit, ut *Nymphas,*

Illic injuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec veſpertinus circumgemit urſus ovili,
Nec intumeſcit alta viperis humus:
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquoſus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis urantur ſemina glebis,
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem,
Non huc Sidonii torſerunt cornua nautæ,
Laborioſa nec cohors Ulyſſei.
[Nulla nocent pecori contagia, nullius aſtri
Gregem æſtuoſa torret impotentia.]
Jupiter illa piæ ſecrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum:
Ære, dehinc ferro duravit ſæcula; quorum
Piis ſecunda, vate me, datur fuga.

---

51 Ovile *etiam G. it. Med.* 1477. *et Fl.* 1482. *&c. recte, puto.* G. *Quotquot vidi libros, omnes habent* ovile, *quod revocavi.* Z.—60 Ulixei *Bentl.*—65 Ærea *MSS. ap. Bentl.*

---

quod habent quidam codices. Vid. ad Car. 3. 13. 15. G.

49 *Mulctrum*, mulctra, et mulctrale idem ſonant.

51 *Proprietatem expreſſit urſorum in verbo gemere.* Vet. Schol. Cruq.

Quatuor Cruquii MSS. legerunt *ovili* quod probo: Scholiaſtæ ſilent. Male Bentleius *ovile*, contra fidem Codicum. B. Vid. Var. Lect.

52 Hypallagen hic hyperbolicam ineſſe puto. Proprie intumeſcit vipera irata humo ſe dum attolit. Hic ipſa humus elevari et intumeſcere viperis dicitur. Ceterum poſt hunc verſum collocandi videntur, qui nunc ſunt 61. et 62. Rationem dixit vir doctus Miſcell. Obſervatt. a Burmanno editis vol. 2. p. 381. Ne quidem opus videtur alia ratione, quam ut attente quis legat primo vulgato ordine, tum ita uti diximus. Librarius antiquiſſimus, quos verſiculos incuria omiſerat, eos paulo poſt poſuit, et minutis notis ad ordinem ſuum revocavit. Illæ notæ perierunt, &c. G.

53 *Felices*; h. e. jam facti felices. Tanaquillus Faber Horatio doctior mavult *præſentes*: ego ſum a partibus Horatii.

54 *Radat*; h. e. *urat*, vel *edat*. B. Copioſi nimis imbres locis clivoſis ſæpe ſtratum ſupremum telluris, fertile, auferunt, et ſic *radere arva* videntur. G.

59 *Sidonios* modo pro *Tyrios* poſuit mercatoribus.

Cornua: Capita velorum cornua dicuntur: Cornua velatarum obvertimus antennarum. Vet. Sch.

61 Hi duo verſus, uncis ideo incluſi, reponendi videntur poſt v. 52. uti dixi. G.

66 *Vate me*: h. e. *conſilio meo*. Vet. Schol.

ODE XVII.

AD CANIDIAM.

Horatius urbaniſſima Ironia Gratidiam ob propinatum ſibi philtrum proſcindit. (Conf. dicta ad Car. 1. 16. et Epod. 5. G.)

METRUM IAMBICUM TRIMETRUM.

HORATIUS.

JAM jam efficaci do manus ſcientiæ
Supplex, et oro regna per Proſerpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Defixa cœlo devocare ſidera,
Canidia, parce vocibus tandem ſacris,
Citumque retro ſolve, ſolve, turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem ſuperbus ordinarat agmina
Myſorum, et in quem tela acuta torſerat.
Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,

1 Manum *Br.*—5 Defixa *coll. Sax. Zar. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Ro. Steph.* Refixa *Gott. Flor.* 1482. *Ald. H. Steph. Lambi. Torr. Bentl. Talb. Cun. Sandb.*—7 Volve, volve *Lambi. ex conj. Aurati, contra omnes libros.* G. Solve, volve *Chab.*—11 Unxere *Zar. Med.* 1477. *H. Steph. MSS. plures ap. Lambi.* Luxere *G. Flor. R. Steph. Lambinus, Bentl. Sandb.*—12 Hectora *MS. Berſm.*

1 *Jam jam* metu trepidantis eſt: nam habet θάρσος, et bene, cum ſit ſubjecturus *ſupplex*.

Do manus; h. e. *Fateor me victum.* Landinus. Proverbialis formula captivis, qui manus ſuas præbent victori vinciendas.

3 *Non movenda;* h. e. *Non laceſſenda ut moveantur.* Vet. Schol. Neque enim alia Diana quam ipſa Proſerpina, irritabilis Dea.

5 *Defixa;* ſic legendum cenſeo cum Vet. Schol. cum omnes libri habeant *Refixa*. Neceſſe enim *defigi* ſidera priuſquam devocentur cœlo. Defiguntur autem qui vel carminibus, vel diris obligati, aliena vi aguntur attoniti. Bentleius fatetur longe plures libros habere *Defixa*, et tamen ipſe repoſuit *Refixa*, nulla quod ſciam cum ratione. B. Ratio magna ſatis hæc videtur, quod *defigere* eſt motum auferre, *refigi* autem debent ſidera, cum *devocantur*, et moventur loco ſuo. G.

6 Bene *Canidiam* dixit Gratidiam, jam anum factam. B. *Canidia* ſecundum hæc alludet ad *canos*. G.

Dilogus nunc de ſacris, quia ſacrum religioſum et exſecrabile ſignificat. Vet. Schol.

7 *Retro ſolve:* h. e. reſolve, uti alias *cedit retro*, et *fugit retro*, pro *recedit* et *refugit*. Oſtendi ſupra quid eſſent *ſolvi* et *ligari*. B.

V. ad Car. 1. 18. 34. Ingenioſa eſt illa mutatio in *volve*, quam *indicavi:* ſed eo minus neceſſaria, cum turbo ille ſ. rhombus *ſolvi* videatur, quoties incipit currere, illigatus antea. G.

Turbinem dicit quod quaſi obligaverit mentem ejus. Vet. Schol. docte. Siquidem *turben* is rhombus erat, cui licia circumtorquebantur ad obligandas defixorum mentes. *Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid volcat virus amantis equæ.* Ovidius (Am. 1. 8. 7.) citante Torrentio. B.

Poſtquam relictis mœnibus rex procidit
(Heu!) pervicacis ad pedes Achilleï.
Setoſa duris exuere pellibus
Laborioſi remiges Ulyſſeï,
Volente Circa, membra; tunc mens, et ſonus
Relapſus, atque notus in vultus honor.
Dedi ſatis ſuperque pœnarum tibi,
Amata nautis multum et inſtitoribus.
Fugit juventas, et verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus eſt odoribus.
Nullum a labore me reclinat otium:
Urget diem nox, et dies noctem, neque eſt
Levare tenta ſpiritu præcordia.
Ergo negatum vincor ut credam miſer,
Sabella pectus increpare carmina,

16 Ulixeï *Bentl.*—17 Circe *omnes præter Bentl. ex Val. Probo.*—18 Relatus *etiam G. Med.* 1477. *et Ven.* 1479.—23 *et* 24 *Verſus omitti vult Guyetus.*

8 *Movit* ſc. ad miſericordiam. Z.

10 *Torſerat*, ſc. Achilles, qui haſta Telephum vulneraverat. Z.

11 Omnes Torrentii MSS. cum Vet. Schol. Cruquii legerunt *Unxere*, cum alii haberent ex interpretamento *Luxere*. Notum eſt illud; *Tarquinii corpus bona fœmina lavit et unxit. Luxere* magis arridet Bentleio, qui plerumque ſolet in diverſa ire.

Addictum, deſtinatum, damnatum. Vet. Schol. Cruq. Vox juris.

12 *Alitibus atque canibus*, ex Homero tractum, Ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

Imitari voluit Homerum, qui illum ἀνδροφόνον nominat. Vet. Schol. Cruq.

14 *Pervicaces dicuntur, qui in contentione uſque ad pervincendum perſeverant.* Vet. Schol.

16 *Laborioſi* ex Homerico ταλαυρίφρων. Perpetuum epitheton.

18 Plerique Torrentii codices legerunt pro *relatus, relapſus*, quod et Lambinus invenerat in ſuis, præterquam in quinque. Diſerte autem poſuit *relapſus*, ut oſtenderet vim magiæ, ſic et Ovidius de Io; *Ungulaque in quinos dilapſa abſumitur ungues.*

Honor; h. e. κάλλος, nam καλὸς honeſtus. B. Facies priſtina humana. Z.

20 *Amata nautis; Urbaniſſima contumelia.* Vet. Schol. Quia παρὰ προσδοκίαν protulit.

Inſtitores dicit quos alibi *Foraneos* Scholiaſtes nominat. PETTY CHAPMEN AND PEDLARS.

21 *Verecundum colorem eleganter pro rubore poſuit.* Vet. Schol.

22 *Oſſa pelle*, ἐναργῶς et παροιμιακῶς. Hoc eſt, reliquit me jam factum oſſa tantum. Quas turbas hic ciet Bentleius de rubro colore oſſium deridicule! Neſciit Hypallagen. Peſſime Bentleius *ora* pro *oſſa*. B. *Oſſa pelle amicta* plane idem valent, quod pellis inducta oſſibus. G.

Lurida; Tabida, nigra. Vet. Schol.

23 *Capillus albus; Nunc oſtendit quare ſupra dixit, Fugit juventas.* Vet. Schol. et jocatur in canos ſuos. B. Videtur illi obiter exprobrare unguenta noxia, quibus feſtinentur cani. Vid. Epod. 5. 60. G.

Salſe *odoribus* de unguentaria.

24 *Laborem* modo pro *inquietudine* dicit. Significat etiam cæteros a labore quieſcere, ſe autem perpetuis vigiliis urgeri.

25 *Neque eſt; Figurata Elocutio pro neque contingit.* Vet. Schol. Sic et Græci loquuntur.

26 *Tenta ſpiritu*; h. e. inflata.

27 *Negatum:* h. e. quod antehac ut Epicureus non credideram.

Vincor ut credam; h. e. *adductus ſum ut credam Sabellis carminibus deſigi mentes humanas.* Vet. Sch.

28 *Sabella carmina pro Marſis poſuit.* Vet. Schol. Nam Samnites, Peligni et Marſi erant Sabini generis.

Veneficæ *pectus increpant*, cum terribilibus verbis terrendo mentem deligunt. Figurate autem conatum poſuit pro ipſo effectu.

Caputque Marsa dissilire nænia.
Quid amplius vis? O mare et terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Urens in Ætna flamma. Tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide pœnas luam,
Paratus expiare, seu popoſceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari: tu pudica, tu proba,
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,

29 Desilire *MS. Bersm.*—30 O terra *Bentl.*—33 Urens *etiam coll. Sax. Brod. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl. Ald.* Furens *H. Steph. et Bentl. it. Sandb.* Virens *etiam G. Lamb. Talb. binc* vivens *conj. Bentl.* Tua, donec, *et mox* Calet *Bentl. e conjectura*, haud inepte. Z. —35 Colchidis *Brod.*—39 Juvencis *Bentl. ex MS. Battelian.*

29 Cantiunculæ vulgi per Ἐντιλισμὸν Næniæ dici consuevere. B. *Dissilire*, disrumpi, furore corripi. Z.

30 *O mare et terra!* Sic et Terentius, *O cælum! O terra! O maria Neptuni!* Vet. Schol. Cruq.

33 *Urens*; in uno vel altero MS. *virens*, cæteri *urens* et *furens*. Torrentius. Lambinus in duodecim reperit *virens*: ego nec sexcentis haberem fidem. Efficacissima vox est *urens* et huic loco convenientissima: *Uritur* enim quod vel lento, vel indefinenti igne torretur. Nescio cur placuerit Bentleio *Furens*.

Moraliter et cum questu proferendum est *Tu*.

34 *Injuriosos* dicit ventos, quibus ludibrio futurus sit, jam in aridum cinerem redactus.

35 *Calet* qui vehementer irascitur, et ultionem sitit.

Ipsam mulierem officinam venenorum diserte dixit. Vet. Schol. Est autem *officina* tanquam *opificina*, ut et apud Ciceronem occurrit scriptum.

36 *Certis enim stipendiis milites otia merebantur.* Vet. Schol. B. Marcilius *stipendium* multam intelligit, ut ἐψώστιον in sacris. Bene certe convenit cum his quæ sequuntur. G.

37 *Cum fide, fideliter.* Vet. Schol. Cruq. Diserta Elocutio.

39 *Centum juvencos*; Hecatomben; ac si potens esset numen. B. *Mendaci lyra*, carmine fictas laudes continente. Z.

41 *Perambulabis astra*; h. e. *Consecraberis et tu, et recipieris in numerum siderum.* Vet. Schol. Cruq. Suavis Elocutio.

42 *Infamis Helenæ*; *Stesichorus*, *Poeta Græcus, scripsit Helenæ vituperationem: quare irati Castor et Pollux illi lumina ademerunt: sed postea monitus Stesichorus illius laudem decantavit; quare oculos iterum illi reddiderunt.* Vet. Schol. Cruq. B. Vid. Plato Phædro p. 343. D. G.

Vicem dicit Helenæ, injuriam quam perpessa est: *infamis* enim erat Stesichori versibus. Bentleii *vicem* auctoritate pendet unius Manuscripti libri, neque quicquam valet.

46 *O nec paternis; Urbanissima Ironia; fingit enim se negare quod affirmat.* Landinus.

Obsoletum ab *obs* et *oleo* est, ut ait Prisciamus, et rancidum, vel fœtidum significat ex vetustate.

Sordes humilium natales dicebantur, ob immunditiam scilicet victus atque cultus.

Nec in ſepulcris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.
Tibi hoſpitale pectus; et puræ manus;
Tuuſque venter Pactumeius; et tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exſilis puerpera.

CANIDIA.

Quid obſeratis auribus fundis preces?
Non ſaxa nudis ſurdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus ſalo.
Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis?
Et Eſquilini Pontifex veneficî
Impune ut Urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditaſſe Pelignas anus,

50 Pactumeius *etiam Bro.* Partumeius *H. Steph. Sandb.*—56 Cocytia *Glar. ſed* Cotyttia *recte Ven. Chab. Lamb. &c.*—57 Sacra *MS. Berſm.*—60 Proderat *Bentl. ex MSS. et ſic etiam coll. Sax. Al.* proderit.

47 *Pauperum; nam divitum ſepulchra ſuis cuſtodibus erant curæ.* Vet. Schol. Cruq. *Humilium maxime umbræ a magicis ſuſcitari ſolent.* Vet. Sch. Cruq.

Prudens, gnara, docta. Vet. Schol. Cruq.

48 *Novendiales pulveres; Cineres Reliquiarum vult intelligi: nam novendiale dicitur ſacrificium, quod mortuo fit nona die, qua ſepultus eſt.* Vet. Schol. *Apud majores ubicunque aliquis extinctus fuiſſet, ad domum ſuam referebatur, ibique ſeptem erat diebus; octava die incendebatur, nona ſepeliebatur.* Servius, quod adnotavit Lambinus. B. *Diſſipare*, ſc. ad uſum artium magicarum. Z.

49 *Hoſpitale*; h. e. *Mite, bonum, benignum.* Vet. Schol. Cruq.

Puræ a ſcelere in innocentes. Vet. Schol. Cruq. quos ſupra (Epod. 5.) dixit eam immolare conſueviſſe.

50 *Tuuſque venter*; i. e. *Tuus partus et filius.* Vet. Schol. Cruq. Quo videretur juvenis puerum ſibi ſuppoſuit.

Pro *Pactumeius* ex Aldi conjectura Lambinus repoſuit *Partumeius*, contra fidem Scholiaſtarum atque omnium librorum. Vir longe eruditiſſimus Lævinus Torrentius, Henricus Stephanus (Vid. Var. Lect.) et Lubinus *Pactumeium* retinuere. Joculare nomen eſt hoc loco: ſiquidem ut a *Lucius Luceius*, et a *Pompo Pompeius*, ita a *Pactum Pactumeius* figuratum eſt. *Pactumeius* ipſius nomen erat gentis: *Androſthenes Pactumeium Magnam, Pactumeji Magni filiam, hæredem ex aſſe inſtituerat.* Torrentius ex Paulo Juriſconſulto L. ult. de hær. inſtit. B. Placet tamen Turnebo, Lambino, Torrentio *Partumeius*, a *partu* et *meiendo*, ut volunt, ridicule dictus. Offendit homines non obſervata *ventris* pro filio poſiti ſignificatio. *Pactumeium* et *Pactumeiam* laudavit etiam Glandorpius ex Cod. Juſtin. l. 2. de Pactis, et l. 4. de condict. indeb. Pulchre illuſtravit h. l. Bentleius. G.

51 *Rubros pannos; Cacemphaton in ſenſu.* Vet. Schol. Ferri tamen poteſt in hujuſmodi Iambis.

52 *Fortis exſilis; Illud argute dictum, exſilis fortis puerpera, quia fortem vult intelligi eam ſi licet quæ non peperit.* Vet. Schol.

54 *Non ſaxa ſurdiora*; Proverbialis elocutio.

Nudi pauperculorum perpetuum fere Epitheton. *Inquiſitores agerent cum remige nudo.* Juvenal. *Dolia nudi Non ardent Cynici.* Idem.

56 Angelus Politianus (Miſc. 10.) ex Georgii Antonii Veſputii Florentini codice primus *Cotyttia* repoſuit, cum antea in omnibus libris hæreret *Cocytia*, turpi errore. Vetus etiam Cruquii Scholiaſtes hanc lectionem tuetur, et Juvenalis verſum (2. 92.) apponit; *Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.* Cotys, Cotytto, vel Bendis Thracum erat Venus, ſive Luna, turpitudinum præſes.

57 Bene vulgata dicturus *ſacrum*; nam ſacra vulgari nefas.

58 *Extra portam eſquilinam, hoc eſt, in aggeribus religiones et ſepulchra erant.* Vet. Schol.

Velociuſve miſcuiſſe toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent.
Ingrata miſero vita ducenda eſt, in hoc,
Novis ut uſque ſuppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus ſemper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat ſupremo collocare Siſyphus
In monte ſaxum; ſed vetant leges Jovis.
Voles modo altis deſilire turribus,
Modo enſe pectus Norico recludere;
Fruſtraque vincla gutturi nectes tuo,
Faſtidioſa triſtis ægrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques;
Meæque terra cedet inſolentiæ.
An, quæ movere cereas imagines,
Ut ipſe noſti curioſus, et polo

62 Sed tard. *ſic cum Bentl. etiam Brod. Gott. Med.* 1477, *Ven.* 1479. *Flor.* 1482. *&c.* G. *Verum* ſi *habent Ven. Glar. Chab. Lamb. cum ſigno interrogandi poſt manent.*—64 Laboribus *Bentl. ex edd. quibuſdam, haud male; nam hujus gloſſema videtur eſſe vulg. doloribus.* Z. —65 Infidi *et* infidus *æquas fere auctoritates habent.* Infidi *etiam Brod. et unus coll. Sax.* —72 Innectes *coll. Sax. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor.* 1482. *Ro. Steph. Lamb. Talb. Johnſ. P.* 2. *p.* 65. *Chab. et Glar.*

Pontifices de ſacris judicant. Vet. Schol. Græcis Ἱεροφάνται. B.

Reſpicit ad Sat. 1. 8. ubi ſub perſona Priapi enarrat ritus veneficos in Eſquiliis a Canidia celebratos: cujus nunc *ſacri Pontificem*, quaſi inſpectorem quendam et arbitrum dicas, ex Canidiæ perſona ſe appellat. G.

60 Indicat Canidia, ſe pretio didiciſſe magicas artes a Pelignis mulieribus, quæ tota Sabinorum, Marſorumque vicinia eo nomine male audiebat, ut in Græcia Theſſalæ. Primum ergo indignatur tarditatem ſucceſſus: deinde ſolatur impatientiam ſuam. Non ſtatim perimunt te veneficia mea, ſed manent te fata votis tuis tardiora. Miſerrimum eſt quærere mortem et non invenire. G.

61 *Velocius, et tardiora* Antitheta ſunt: *Velocius toxicum* dicit quod citius necat.

64 *Suppetas; Sufficias.* Vet. Schol.

65 Plurimi manu exarati Codices Lambini, Torrentii et Cruquii cum Cruquiano Scholiaſte legerunt *infidi* pro *infidus*. *Myrtilum Pelops præcipitavit in mare per quem vicit.* Vet. Schol. Cruq. Ego tamen *infidus* prætuli; quod *Tantalus* ut Horatius, deorum arcana prodiderit. Quin et Siſyphus et Prometheus et fures fuere et fallebant deos. Bentleius prætulit *infidi*. Certe et pater et filius malæ fuerant fidei.

66 Mire *benignæ*: quid enim minus benignum Tantali pomis? B. *Maligna* ſunt poma Tantali, quæ immineant quidem, ſed a captantis ore refugiant. Optat ergo tandem *benignam dapem*. G.

71 *Noricum*, perpetuum Epitheton.

72 Nil opus eſt legi *innectes*, quod nonnulli volunt.

73 *Faſtidioſi* ſunt quibus nihil placet.

74 *Vectabor humeris*, ephialtæ ritu, ſive Fauni.

Inimicis; h. e. non amicis, vel inviſis.

75 *Terram* dicit totum orbem, et per hoc omnes mortales.

Inſolentiam indomitam dicit potentiam, quæ ſcilicet neque legis, neque moris modum tenet.

76 *Movere*; h. e. animare. Credebant enim veneficæ ſe defigendorum animas corporibus ſuis evocatas carminibus, cereis imaginibus infigere potuiſſe. *Devovet abſentes, ſimulachraque cerea fingit, Et miſerum tenues in jecur urget acus.* Ovid. Her. 6. 91.

Deripere Lunam vocibus poſſim meis,
Poſſim crematos excitare mortuos,
Deſideriqụe temperare poculum;
Plorem artis in te nil habentis exitum?

78 *et* 79 Poſſim *omnes MSS. Bentl. etiam Brod. coll. Sax. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl.* 1482. —80 Pocula *Bentl. ex MSS.*—81 Habentis *Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor. Ald. Ro. et H. Steph.* Agentis *G. Brod. Zar. Ven. Pinc. Talb. Bentl.* Exitus *pro* exitum *Cun. it. Cha-bot.* Valentis *dat Ven. et* nullum habentis *Lamb.*

77 *Ut ipſe noſti;* κἰθαν῀ς adjecit iſta quo intelligeretur, unde hæc didiciſſet Horatius.

78 Bentleius bis poſuit *poſſim* pro *poſſum*; quod quidem forſan non male fecit, auctoritate tot Librorum ſuffultus.

80 Bentleius ſi mallet *pocula*, equidem non repugnabo. Homoioteleuta ſunt illi gravi odio, mihi non æque.

81 Ut ſupra *Inultus ut flebo puer? Plorem artis*; Genitivus Cauſæ, ex Helleniſmo; ſic et Virgilius (Æn. 11. 126.) *Juſtitiæne prius mirer, belline laborum?* Verum hoc ab aliis adnotatum eſt. B. Et tamen vix concoquo illam conſtructionem. Neque *exitum* participium Horatio auſim tribuere. Itaque jungo *ploro exitum, exitum* autem *artis in te nil agentis*, v *babentis* eo ſenſu, quo eſt apud S. Johannem 14. 30. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. G.

Quot capita, ut dicitur, tot ſententiæ: alii codices *nil agentis exitum*; alii *nil habentis exitus*; alii *nil habentis exitum*. Muretus et Paullus Manutius, *nil valentis exitum*. Cruquius, *nullum habentis exitum*. Cum autem *nil habentis exitum* plurimorum ſit Codicum, illud cæteris prætuli. *Exitum* autem modo Participium eſſe exiſtimo. Magis enim Comicum et morale eſt *exitum* quam *effectum*. Verum de hoc diſpiciat ipſe lector. Bentleius maluit *nil agentis*, puto quod non haberet *exitum* pro Participio, uti ego. B. Vid. no. præced. Cæterum recantatio hujus Odæ quibuſdam videtur eſſe Car. 1. 16. G.

Q. HORATII
FLACCI
CARMEN SÆCULARE,
PRO INCOLUMITATE IMPERII.

Cum Sæculares ludos Auguſtus celebraret ſecundum ritum priſcæ Religionis a virginibus pueriſque prætextatis in Capitolio cantatum eſt. Vet. Schol. (Secundum hæc non modo luſit hoc ſæculare carmen Horatius, ſed imperio Auguſti ad ipſum actum ludorum ſcripſit; quod confirmat etiam Suetonius in vita poëtæ noſtri, et forte Ovid. Triſt. 2. 25.: et aperte Cenſori. de die nat. 17. Viſum eſt primum Sanadono, deinde nuper etiam Ancherſenio, ingenioſis ſane hominibus et doctis, ſeligere ex reliquis Horatii carminibus quædam, et velut drama quoddam ſæculare inde formare. Et ille quidem hoc ordine Carm. I. 32.: 3. 1. 1.—4. 6.: 1. 21.: denique ipſum hoc noſtrum. Ut facile eſt inventis aliquid addere, ita Ancherſenius auxit hoc ſyſtema nuper hoc modo: Car. I. 32. et 4. 6. *in ſcena campi Martii* cantata dicit, *primo die ludorum ſæcularium:* 3. 1. *ſecundo die in Capitolio* 3. 22. et 1. 21. *nocte, quæ tertium diem præceſſit, in templo Dianæ Aventinæ:* 1. 31. et præſens carmen, *tertio die in templo Apollinis Palatini:* 3. 30. *eodem die, ſub finem Ludorum in campo Martio,* cecinit vel ipſe Horatius, vel chorus puerorum et puellarum. Mirum ſane, ſi carmina unius argumenti, eodem tempore ſcripta, ita ſpargi per libros plures potuere. Actum eſt de tota chronologia Bentleiana, quam ſupra propoſuimus et firmavimus. Sed tamen conſideravi plus ſemel ipſos verſus ea quidem mente, ut ſi quid in iis deprehenderem ſæcularibus ludis proprium (de quibus jam anno noſtri ſæculi XVII. diligenter me quæſiiſſe, diſputatio tum edita teſtis eſt, in qua non multa emendanda XXXIII. anni, ſæculum juſtum, me docuere), deſererem potius chronologiam illam, quam lepido ſane et non ineleganti invento repugnarem. Quid deprehenderim, ſingulis locis adſcripſi: hic profiteri cogor, ſolidi me nihil dum invenire, cur viris doctis aſſentiar. Gloriam ingenii neutri abjudico; verum illos, vel alterutrum vidiſſe, nego. Diſſenſum talem indigne ferre nemo debet, minime omnium, qui receptas ſententias oppugnandas ſibi ſumſere. Cæterum, qui legere hoc ſæculare carmen jucundius volunt, illi prius cognoſcant certe locum Zoſimi lib. 2. pr. præſertim verſus, qui ibi recitantur Sibyllinos, quos quidem diſſertatione ante

citata explicare ipſe quoque olim conatus ſum. Illud addimus unum: alternis cecinisse pueros ac puellas, interdum vero junxisse voces, probabile facit ipsa ratio carminis: quid autem unicuique hemichorio aut choro toti sit tribuendum, uniuscujusque lectoris ingenio permittere, cum libri taceant, malumus. G.)

METRUM SAPPHICUM.

PHOEBE ſilvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, O colendi
Semper et culti, date quæ precamur
Tempore priſco;
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas pueroſque caſtos
Dîs, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliuſque et idem
Naſceris, poſſis nihil urbe Roma
Viſere majus.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

4 Priſco *etiam coll. Sax. unus.* Sacro *alii omnes.*—5 Quod *MSS. duo Berſm.*—14 Hilythia *G. Flor.* 1482. *&c.*—16 Genitiva *conj. Cun. ſed dedit* Genitalis.

1 *Potens;* h. e. *Domina.* Stephanus. B. Apte videntur hic inprimis Apollo et Diana hymno celebrari, quia Sol et Luna tempora deſcribunt et regunt. Z.

4 Omnes Libri habebant *tempore ſacro*, nos tamen ex Vet. Schol. repoſuimus *priſco: Tempora ἁπλῶς* dicuntur *Feſta* etiam Ovidio in Faſtis. Bentleio placuit *ſacro*, ex interpretamento. Gloſſis maxime delectatur Bentleius.

5 Nonnulli Codices pro *quo* corrupte legunt *quod.*

Vide de hac re Sibyllinos verſus apud Zoſimum.

6 *Lectum* dicimus quod præcipuum eſt in ſuo genere.

Caſtos dicit patrimos et matrimos, parentum ſcilicet funere non funeſtatos. Veteres enim mortem Apollinis atque Dianæ iratis ſagittis tribuebant.

7 *Diis, quibus;* Sæcularibus ludis diis omnibus peragebant ſacra. Vid. v. 73.

9 *Alme;* h. e. Venerande, Sancte. B. Qui foves et nutris, alis, omnia. G.

10 *Alius* ex opinione imperiti vulgi. B. *Poſſis* int. precamur. Z.

12 Bene *Viſere* quia ſol quotidie eadem loca reviſit.

13 *Aperire* modo pro detegere et nudare poſuit.

14 Græcis Εἰλείθυια et Ἐλευθὼ, Lucina, *Myſtico nomine* (ut ait Vet. Schol.) quod ea ſcilicet faciat ut partus in lucem veniat.

15 *Probas vocari;* Veteres omnia deorum nomina et Epitheta in Hymnis recitabant, quod neſcirent quod maxime probarent.

16 *Genitalem vocavit Dianam, quam et Lunam intelligi voluit, quia ut calore Solis animantur fœmina, ita Lunæ humore nutriuntur; penes ipſam enim et corporum omnium ratio eſſe dicitur et potęſtas.* Vet. Sch. Nollem eruditiſſimum Bentleium de ſola conjectura repoſuiſſe *Genetyllis*, cum poſſit *Genetyllis* Latine reddi ab Horatio

Diva, producas ſubolem, Patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novæ feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes.
Voſque veraces ceciniſſe Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervet; bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecoriſque Tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant fœtus et aquæ ſalubres
Et Jovis auræ.

---

21 Ut denos—Orbis et *Med.* 1502. *Ald. Baſ.* 1531. *Fabric.* 1593. *Lud. Vives apud Cruqu. MSS. apud Lambi. Da. Heinſius.* Undenos—Orbis ut *reliqui omnes.*—23 Totienſque *Bentl.*—26 Stabilis Quirini *conj. Rutg. quam ipſe damnavit.* Dictum ſtabilis per ævum *conj. Bentl.*—27 Servat *Ven. Glar.*—31 *Suſtuli comma poſt* aquæ, *quia concinnius videbatur* ſalubres *referri ad* aquæ. Z.

ſatis idonee *Genitalis*: quin et Scholiaſtes hæc firmat. Sed ille vulgaria temnit. B. Nec ego auſim *Genitalem* genendi et pariendi præſidem damnare, quam omnes in univerſum libri agnoſcant: cum præſertim *Genetyllis* ſit Latinis inauditum, et Græcis turpiculum fere, Veneris potius epitheton laſcivæ, quam Dianæ. Diminuendi formam habet, unde apud Lucianum non *Genetricem* reddere me memini; ſed *genetriculam*. *Genitalis hora*, et ſimilia faciunt, ut commodum Dianæ partus adjuvantis epitheton videatur. Laudavit hic opportune Harduinus nummum Criſpinæ Commodi DIS GENITALIBUS, de quo Oiſel. 42. 4. et Theup. p. 208. Exſtant ejuſdem Criſpinæ in numis *Juno Lucina* et *Venus*. *Natalis Juno* eſt Tib. 4. 6. 1. G.

18 *Super jugandis*; Legem Juliam dicit de *Maritandis Ordinibus*. Cum enim bello civili prope octoginta armatorum millia interiiſſent, ne deficeret populus Auguſtus legem Juliam augendæ proli inſtituit.

20 *Marita*, pro *maritali*, vox antiqua et Plautina, ut adnotavit Vet. Schol. B. *Lege marita* per notam metonymian, quæ maritos facit; nec enim placet, *marita* eſſe imperativum. G.

21 *Undenos decies*; *Sæcularis Carminis duplex devotio eſſe conſueverat: aut enim pro ſedanda aut vitanda peſtilentia; aut pro certo et conſtituto numero annorum: Centeſimo enim decimo anno in Capitolio a pueris et puellis impuberibus cantabatur.* Vet. Schol. Ter novem nobiles pueri, totidemque puellæ tribus diebus et noctibus ſex diſtinctis choris Solis et Lunæ laudes recitabant. B. *Undenos decies*, i. e. centenos denos legit etiam Cenſorinus c. 17.: nec potuit aliter Horatius, qui Auguſti et quindecim virorum mentem non ignoraret. G.

22 Pro *et cantus referatque ludos*; ita reponendum duxi juxta Vet. Schol. *ut cantus referat que ludos*: neque enim *que* ſemper Encliticum eſt; et peſſime nonnulli *ut denos* pro *undenos*. B. Horatianum eſt, *que* adjungere ad verbum commune, quod ſic velut geminatur, quaſi eſſet, *ut cantus referat, referatque ludos*. Vid. ad Car. 2. 19. 28. G.

25 *Parcis furvæ agnæ maclabantur*. Mancinellus. Et parcæ quaſi Πάρεδροι *furvæ*.

26 *Stabilis* nunc poſuit pro *ſtabilitor*. *Tu populos urbeſque et regna ingentia finis*. Ovidius de deo Termino.

27 Omnes Torrentii MSS. et quinque Cruquii cum Vet. Schol. legerunt *ſervet* pro *ſer-*

Condito mitis placiduſque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regia bicornis audi,
Luna, puellas:
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæque
Littus Etruſcum tenuere turmæ,
Juſſa pars mutare Lares et urbem
Soſpite curſu;
Cui per ardentem ſine fraude Trojam
Caſtus Æneas patriæ ſuperſtes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Dî probos mores docili juventæ,
Dî ſenectuti placidæ quietem
Romulæ genti date remque prolemque, et decus omne.

45 *et* 46 Docilis—ſenectutis *etiam G. it. coll. Sax. it. MSS. duo Berſm.*

vat. Sylleptis eſt, ex verbo enim Singularis numeri ſervet, Pluralis naſcitur ſervate, (ita enim legendum eſt in Vet. Schol. pro *ſervent*, ut ex codice ſuo monſtravit Cruquius). Rogat enim Parcas, ut et ipſæ et Terminus ſervent quod dictum eſt ſemel. Crediderim et Terminum fuiſſe Paredrum, ſive aſſeſſorem Parcarum in hoc ſacro. Metri cauſa uſus eſt Enallage perſonæ in *Terminus ſervet*. B. *Voſque o Parcæ, veraces* in canendo ſ. prædicendo, *jungite fata bona jam peractis*, id *quod ſemel dictum* ſ. prædictum *eſt* a vobis, quodque precamur ut *ſervet Terminus ille rerum* omnium, *ſtabilis* et conſtans deus, qui ſede ſua olim in Capitolio cedere noluerit, eaque re, ut ait Liv. 1. 55. *firma ſtabiliaque cuncta portenderit.* Sic non opus erit ingenioſa quantumvis Bentleii conjectura, quam refellunt Lamb. Bos animadv. p. 54. et Johnſon. P. 2. p. 67. G.

28 *Fata* Parcarum ſunt decreta. *Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.* Virg.

30 Ruſtici Cererem *ſpicea corona* donare conſueverant. *Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona Spicea.* Tibullus, citante Stephano.

31 Poſui ſubdiſtinctionem poſt *aquæ*, quod *ſalubres* ad *auræ* magis pertinere crediderim, quaſi diceret *aquæ Jovis et ſalubres auræ Jovis:* nam et ſiccitatem, et peſtilentem aërem deprecatur. B. Opportune huc advocat Rutgerſius Apollo. Rhod. 2. 527. ἰτάσιοι ἰκ διὸς αὔρεαι. Eteſiæ nimio calori reſiſtunt, exurique ſegetes prohibent. G.

32 Divipotes, qui et Samothracum Cabiri, *cælum* erant et *terra;* major Jupiter ſcilicet, et major Juno; ut oſtendit Varro. Sol minor erat Jupiter, ſive Liber; et Luna minor Juno, ſive Libera. Græcis Κόρος et Κόρη.

33 *Condito mitis telo; Hic ſenſus ſecundum eorum opinionem conceptus eſt qui Apollinem peſtilentem deum putant eſſe.* Vet. Schol. Eadem enim interitus cauſa quæ et ortus. Huc ſpectat et vetus dictum, *Omnes animæ ab Apolline et ad Apollinem.* Atque hinc Apollo poetis Ἐκηβόλος et ἄγγιος appellatur.

37 *Veſtrum opus;* h. e. ædificium: in animo erant Trojani muri ab Apolline conditi: hoc autem loco Lycias et Delias ſortes ſignificat, quarum monitu Æneas Italiam petiit, ut vel ſequentia demonſtrant.

38 *Etruſcum* dixit a mari Hetruſco: et Coritus Dardani patria erat in Hetruria. B. Hic tamen non ad illas plane antiquas migrationes reſpicitur; ſed ad Æneæ appulſum in litore Etruſco ad oſtia Tiberis. G.

41 *Sine fraude*, eleganti Dilogia. *Et ſine damno, et ſine dolo;* ut dilueret veterem Æneiæ proditionis famam: ſic et Servius olim cenſebat.

42 *Caſtus pro religioſo.* Vet. Schol. Caſtus enim qui caret macula, vel labe: ſiquidem idem *caſtus* quod *caſſus* et *caritus.*

Quique vos bubus veneratur albis
Clarus Anchiſæ Veneriſque ſanguis,
Imperet, bellante prior jacentem
Lenis in hoſtem.
Jam mari terraque manus potentes
Medus Albanaſque timet ſecures:
Jam Scythæ reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper, et Indi.
Jam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
Priſcus, et neglecta redire Virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur et fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptuſque novem Camœnis,
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus aras:
Remque Romanam, Latiumque felix,

---

49 Quæque *etiam G. et coll. Sax. probatque cum Cruq. Bentl. et Cun. Bos Animadv. p.* 55. *Sed* quique *Z. Med.* 1502. *et ab Aldo inde fere omnes, etiam Lamb. Torr. Talb. Maitt. Sandb.* —51 Impetret *etiam coll. Sax. Sed* imperet *reliqui: etiam antiqui; in quibus* quæ *legitur.* —53 Manum potentem *conj. Bentl. ſolus.*—65 Aras *etiam MSS. apud Bentl. Sed editi, credo, omnes* arces *vel* arcis.

---

43 *Daturus;* h. e. oſtenſurus, vel repræſentaturus.

44 *Relictis* pro *amiſſis*, per Charientiſmum.

45 Bentleius magis probat alteram Lectionem per Genitivos *docilis juventæ* et *ſenectutis placidæ;* quod minus concinnum videtur. Movit illum credo Poeticum Ἀσύνθετον ante *Romule genti.*

48 *Et decus omne;* magnifico compendio vocem tollit.

49 Plerique Torrentii Cruquiique codices pro *quique* et *imperet* legerunt *quæque* et *impetret*, cui quidem lectioni ſuffragatur Cruquianus Scholiaſtes; duo etiam Lambini libri pro *bobus* habebant *bubus* ut ſupra. B. Retinui lectionem adeo acriter defenſam Bentleio, et Baxtero probatam. Sed nec diſſimulo, et auctoritate tutiorem mihi videri, et ſenſu meliorem alteram, *qui veneratur*—id eſt, Auguſtus, *imperet.* Credibilene eſt, *pro imperio* Auguſti vota non eſſe facta ludis ſæcularibus? *Imperet* Auguſtus, qui ita clemens eſt in devictos, quia majeſtatem Romanam ita auget. Pulchrum et dulce eſt *impetret* (propter) *quæ vos veneratur:* ſed in novo imperio magis neceſſarium eſt *imperet!* G. Ob Geſneri rationes revocavi plurium librorum lectionem. Z.

Qui multa deos venerati ſunt. Cicero, citante Torrentio.

Notum eſt albas hoſtias diis ſuperis immolari conſueviſſe, ut nigras inferis.

51 *Bellante prior;* h. e. poſtquam bello ſuperior evaſiſſet, contentus victoria, temperavit viribus neque in jacentem ſæviebat; et per hoc diis erat commendatior.

54 *Medus* et *Albanas* pro *Parthus* et *Romanas;* nam vetuſta nomina in carmine magis ſplendent.

Secures modo pro faſces poſuit.

55 Deorum erant *reſponſa.* Sic et Virgilius protulit: *Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti.*

57 *Fides, Pax, Honor, Pudor,* et *Virtus,* ferreo ſæculo una cum Aſtrea in cœlum avolaverant.

58 *Neglecta,* per Charientiſmum dixit pro *contemta.*

59 *Audet;* h. e. *Nil jam dubitat.* Vet. Sch.

60 *Copia* eadem quæ et *Fauſtitas* et *Felicitas* appellatur, quæ in nummis comparet.

Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper,
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hæc Jovem ſentire, deoſque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phœbi chorus et Dianæ
Dicere laudes.

68 Proroget *noſtri omnes: et mox* curet, applicet *Med.* 1477. *et* 1486. *Ven.* 1479. *Flor. &c. uſq. ad Cruquium, cui obſecuti Baxt. Bentl. Cun.*—75 Phœbo *Bentl. et Cun. ex MS.*

62 *Novem Camœnæ* chorus ſunt Apollinis, adeoque illius Paredræ.

65 Plurimi MSS. legerunt *aras* pro *arces* cum Vet. Schol. quod et nos prætulimus. Vult ſignificare templum Apollini ab Auguſto in monte Palatino dedicatum. Bentleius prætulit *arces*, quod minus videtur. B. Certe pulchre convenit *aras* ad feſtos dies, quibus fumabant omnes aræ, quas *reſpicit Deus* etiam ſtilo orientis. G. *Æquus*, propitius. Z.

67 *Luſtrum* jam pro ſæculo ponitur: erant et in ludis ſæcularibus luſtrationes. B. *Luſtrum* pro ſæculo accipi, nihil eſt opus, ſi, quod ut certum ſumit Scaliger de emendat. temp. L. 2. p. 182. nec refelli facile poteſt, Ludi ſæculares in luſtrum incidere. Incidiſſent neceſſario, ſi et luſtri quinquennalis rationes, et ſæculi C. vel CX. annorum, h. e. viginti, vel duorum et viginti luſtrorum, accurate Romani obſervaſſent. Jam utriuſque periodi perturbatas valde eſſe rationes, nimis experiuntur, qui volunt eas ordinare. Vid. modo Cenſori. c. 18. de luſtro, et de ſæculo c. 17. Luſtris vero etiam ſacrificia adhibita, et nuncupata vota proximo luſtro ſolvenda, dubitare nos non ſinit Sueto. c. 97. G.

68 *Proroget; dilatet, differat, et eſt tempus pro tempore; prorogabit.* Vet. Schol. Bentleius poſuit *prorogat*, invito Vet. Scholiaſte. B.

Nempe omina eſſe, non amplius vota, ponit Bentleius, a verſu inde 53. Mihi videntur preces contineri ad v. 52.: deinde commemorationem præſentium bonorum, cum laude Auguſti ad v. 60. Hinc vota proprie dicta concipi, ut temporum Præſides et *luſtrum* et *ævum* proximum ſ. *ſæculum* fortunare velint. Denique a v. 73. chorus *præſentia numina ſentit*, ut eſt Epiſt. 2. 1. 134. G.

69 *Aventinum:* in hoc colle erat Dianæ templum celebre. vid. Zoſim. II. 5. atque Algidus mons erat amœnus Deæ ſeceſſus. Carm. I. 21. 6. Z.

70 *Poſtquam conſules e plebe creati ſunt pro duumviris quindecemviri ſacris procurandis creati ſunt.* Torrentius.

71 Quatuor Cruquii MSS. cum antiquis Scholiaſtis legerunt *curat* et *applicat* pro *curet* et *applicet*, ſubintellecto ſcilicet *ſi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*, et *proroget ævum in alterum luſtrum*, ut ſupra. Atque hoc vehementer probo. Baxt. Vid. ad v. 68.

73 Non deſtiterunt a canendo et ſaltando donec aliquod vel boni, vel mali ominis carminibus ſuis elicuiſſent; uti neque veneficæ in ſacris ſuis. Jovem autem dicit ob Capitolium in quo canebant. B. Nempe ſentit hic *præſentia Numina chorus*, et hoc ipſo omen facit, oſtendit litatum eſſe: et poteſt fieri, ut hoc ipſo loco aliquis actus, aut ſignificatio haruſpicum interceſſerit. G.

W. BAXTERI*

PRÆFATIO

AD SATYRAS.

Satis notum eſt Eruditis Poeticam atque Choreas Liberi Patris Choro deberi: Nam Aſcripſit Liber Faunis Satyriſque Poetas, *ut vel ipſe ait Horatius. Immolato enim hirco huic Deo, ob piacularem demorſæ vitis injuriam, temulentus ruſticorum Chorus* Τραγῳδίαν *(quaſi tu dicas* Hircinum Cantum) *Jocularia ſcilicet, Opprobria, et Feſcennina Carmina Satyrorum habitu decantabant. Inſtituto vero poſtea a Theſpide Dramate, Chorus iſte inter Scenas, quo moraretur populum; ſub nova Exodiorum appellatione Satyrica ſua ſaltando cantabat. Cum vero tandem de licentia iſta vetus Comœdia naſceretur, atque hæc iterum Macedonum juſſu conticuiſſet, ex ejus interitu Romana Satyra initium cepit; quam Lucilium primum hexametris tentaſſe conſtat.* Verum tamen ſciendum *(inquit Vetus Interpres)* quia Satyrum Carmen a primo omnium Lucilio repertum eſt. Horatii autem Satyra inter Lucilii eſt et Juvenalis; nam et aſperitatem habet quam Lucilius, et ſuavitatem quam Juvenalis. Denique niſi Juvenalis ſcripſiſſet iſto nemo eſſet melior. *Quod ad nomen attinet, fuere etiam olim nonnulli, qui Satyram a* Satyra *Bacchi Cereriſque lance, omnigenarum frugum primitiis referta, nominatam exiſtimabant; quod et Vetus Interpres monuit, et Chriſtophorus Landinus, vir non ineruditus, ante Caſaubonum ſuperiore ſæculo luculenter tractavit. Verum neque Scholiaſten ipſum his fidem habuiſſe conſtat ex his quæ in Artem Poeticam conſcripſit: ibi enim ſignificat eam dictam a Satyris, et natam a Tragœdiis. Quin et ipſa Lanx* Satyra *Satyris nomen ſuum debet; neque recte ſentit Caſaubonus dicendum fore ex Analogia* Satyricam *magis quam* Satyram; *cum et Vetus Scholiaſtes, Judice Henrico Stephano, non ineptus auctor Latinitatis, et* Satyrum

* Relinquimus nempe hic etiam ſua viro docto: ſiquis meam de Satira ſententiam requirat, a Caſauboniana non abhorrentem; diligenter propoſitam, et confirmatam quantum ſatis eſt, inveniet in Theſauro noſtro Stephaniano. G.

Opus *et* Satyrum Carmen *dicat. Denique quod attinet ad Titulos* Sermonum *et* Epiſtolarum, *eadem eruditiſſima Scholia rem omnem paucis abſolvere.* Quamvis hoc opus *(inquiunt illa)* Satyrum eſſe Horatius ipſe profiteatur cum ait; *Sunt quibus in Satyra videar nimis acer, et ultra Legem tendere opus;* tamen proprios titulos voluit eis accommodari, Primos Libros Sermonum, Poſteriores Epiſtolarum ſcribens. *Quibus patet et Epiſtolas olim pro Satyris fuiſſe habitas. Sermones autem nominavit ob remiſſiorem ſtylum et pene Comicum atque Civilem: atque hoc ut obviam iret obtrectatoribus et malignis; et ut ne videretur ſe gerere pro Poeta.*

Advertendus eſt Lector, nos Porphyrionis admonitu adductos duo puncta dignoſcendis Perſonis in Satyris a Veteribus adhibita, Recentiorum vero negligentia hactenus omiſſa, tandem in ſedem ſuam repoſuiſſe; quin et Eclogarum Lemmata tam in Satyris quam in Odis, quo melius inſtituto noſtro convenirent, nova feciſſe omnia. Baxt. Pro illis duobus punctis nos hoc ſignum ¶ præpoſuimus, quoties perſona mutatur.

Q. HORATII
FLACCI
SERMONUM
LIBER PRIMUS.

SATIRA I.
IN AVAROS.

Deridet falſe ſtultam ac perverſam rationem avarorum, qui quamquam de ſua ſorte conqueruntur, nolunt tamen, ſi optio detur, ſuam cum aliena permutare: ſed aiunt, ſe labores perferre et opes colligere, ut habeant unde in ſenectute vivant. At nunquam ſatis habent, corradunt temere, nec utuntur quæſitis, nec heredum amorem merentur, atque omnem vitam trahunt miſeram, ſuntque in maximis opibus pauperrimi.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu Ratio dederit, ſeu Fors objecerit, illa
Contentus vivat? laudet diverſa ſequentes?
O! fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus auſtris,

2 Fors *etiam G. Ald. Steph. &c. Bentl. Cun.*

1 *Qui circumflexe pronuntiandum.* Vet. Schol. Sine offenſione Mæcenas compellari poſſt, quia argumentum, quod hic tractatur, ab ejus moribus abhorrebat. Z.

2 *Seu Ratio; Signate dixit, Ratio dederit, Fors objecerit: aut Ratione animus propoſitum vitæ, aut Fortuna.* Vet. Schol.

Torrentii Codices legerunt *Fors* quod magis figuratum eſt quam *Sors*, nec Vet. Schol. abludit.

3 *Laudet* ad Emphaſin poſuit invidiæ. *Diverſa*, h. e. *ſtudia.* Vet. Schol. Cruq. *Sequentes*, Διώκοντας ſive proſequentes.

4 *Gravis*; h. e. onuſtus, et per hoc tardus

Militia eſt potior: quid enim? concurritur: horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille datis vadibus qui rure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc (adeo ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Si quis deus, En ego, dicat,
Jam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu, conſultus modo, ruſticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus. Eia,
Quid ſtatis? Nolint. Atqui licet eſſe beatis.
Quid cauſæ eſt, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet? neque ſe fore poſthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Præterea, ne ſic, ut qui Jocularia, ridens
Percurram; (quanquam ridentem dicere verum

8 Aut cita *Glar. Lamb. Bentl. ſed in MSS. Berſm. abeſt* aut.—10 Cantu *coll. Sax. G. edd. pr.*—14 Laſſare ut valeant *conj. Bonſin.*—19 Nolunt *Ven. Glar.*—23 Prætereo *conj. Anon. ed. Sandby.*

et ſegnis. B. *Gravis armis*, id eſt, quem gravant arma, conjicit neſcio quis in edit. Sandby. G.

5 *Fractus*; h. e. fatigatus, inutilis et plane victus.

7 *Quid enim? Quaſi interpellante affectu hoc dicit, et eſt etiam conſuetudinis noſtræ.* Vet. Schol. *Quare non? et eſt Comicum.* Alter Schol.

8 *Cita mors* cum Torrentio et Vet. Schol. repoſuimus, pro *aut cita mors*. Et bene *cita* cum ante poſuerit *jactantibus*, *quaſi diu navim jactantibus*, ut ait Vet. Schol. Bentleius tamen auctoritate ſui genii mavult *aut cita mors*. Sed quid mea? B. Metuit Bentleius, ne ominoſum et infauſtum ſit *cita mors*, non præmiſſa particula disjunctiva. Sed ſolet in tali re poni pars deterior disjunctionis: et *cita* mors melior tamen hic ponitur lento cruciatu inter ſpem et metum. G.

9 *Juris legumque*; *Lex eſt ars juris*, prodente Budæo.

10 *Conſultus eſt qui docet, conſultor qui diſcit.* Vet. Schol.

11 *Vas in re capitali eſt, Præs in re civili*, ut bene Cruquius ex Auſonio. Abutitur tamen hac voce Horatius.

12 *Clamat*; *Ruſtici morem exprimit, et aſſeverationem ſignificat*, ut docte Landinus.

13 *Cætera de genere hoc*; *Hemiſtichium Lucretianum.* Lambinus.

14 *Fabius Maximus Narbonenſis, equeſtri loco natus, Pompeianas partes ſecutus, aliquos Libros ad Stoicam diſciplinam pertinentes conſcripſit.* Vet. Schol. Bellis hominibus gratificari vult Horatius, dum durum et provincialem Stoicum deridet, veretur enim ne et ipſe exagitando divitias nimium videatur Cynicus.

15 *Quo*, h. e. quam brevi compendio ad propoſitum properem.

Deducam, in breve cogam, vel deorſum ducam. B. Malim, ad quem finem querelarum ſuarum homines illos μυψιμοίρους deducam. G.

17 *Conſultus modo ruſticus*; *Eleganter affectata ambiguitas.* Vet. Schol.

18 *Mutatis partibus*; veluti de ſcena loquitur. Quid enim vita niſi mimus?

19 Omnes Lambini Codices legerunt *nolint*, quod magis comicum et morale eſt quam *nolunt*. B. *Nolunt* eſſet magis comicum, et perſonas ipſas induceret. Sed pendet oratio a v. 15. *Si quis deus*, &c. G.

Quid vetat? ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima)
Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Seſe ferre, ſenes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum ſibi ſint congeſta cibaria: ſicut
Parvula (nam exemplo eſt) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunque poteſt, atque addit acervo,
Quem ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quæ, ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum,
Non uſquam prorepit, et illis utitur ante
Quæſitis ſapiens; cum te neque fervidus æſtus
Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum;
Nil obſtet tibi, dum ne ſit te ditior alter.
Quid juvat immenſum te argenti pondus et auri
Furtim defoſſa timidum deponere terra?

---

25 Quis *Han. pro* ut, et *conj. San.*—35 *Pro* ac, aut *Han. it. MS. Berſm.*—38 Sapiens *etiam MS. Bos Anim. p.* 56. *et omnes Cruq. it. prima omnium editio Zar. H. Steph. &c. Sed* patiens *MS. Han. Gott. coll. Sax. editt. vett. etiam Ald. et Ro. Steph.* Potieris *pro* potiens *Flor. Ven.* 1486. *Loch.*—39 Demoveat *Lamb. Bentl.* Nec hiems *Bentl.*

---

20 *Cauſæ*, h. e. prætextus.

21 *Buccas inflet*, Græcis Proverbiali forma dicitur ἐφῦς ἀναστῷν et γνάθους φυσᾷν, de his qui immaniter vilipendunt quibus iraſcuntur.

22 *Facilem* parcendo dixit, cum ſtolidum vellet.

23 *Jocularia*, ruſtica dicit Exodia, vel fabulas Atellanas. De quibus vide Liv. Lib. VII.

24 *Percurram*; Metaphora a campo, vel circo; h. e. decurram ad metam uſque.

25 *Olim*, h. e. aliquando; nam modo Indefinitum eſt.

Cruſtula et Lucilius dixit; Guſtavi cruſtula ſolus. Vet. Schol. Eadem erant cruſtula quæ et placentæ. CHEESECAKES. *Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo.* Juvenal.

30 *Proprie currunt*; ut (Æn. 3. 191.), *Vaſtumque cava trabe currimus æquor.* Vet. Schol.

Hac mente, hoc conſilio, hoc propoſito. Vet. Sch.

32 *Congeſta cibaria*; ac ſi jam de formica acceretur.

33 Ἀντίθεσον *Parvula eſt magni.* Vet. Sch. *Nam exemplo eſt*; excuſat humile exemplum a materia, et conſuetudine ruſtica: poſuit enim *eſt* pro *eſſe ſolet.* B. Ad excuſandam ſuam habendi cupiditatem ſolent uti exemplo formicæ. Z. Non amplius exemplo erit in poſterum, quando diligentia illam ſua et providentia privavit ætas noſtra, nimis maligna virtutibus animalium. Forte tamen facient in formica poetæ, quod in cycnis. G.

35 *Haud ignarâ*; Comice gravis eſt in levi materia, et ruſticum deridet acumen.

36 Scite *inverſum*, ac ſi videri vellet hiemem ex inverſa Aquarii urna defuſam. B.

38 Tres Torrentii Codices cum quinque Lambini et Vet. Schol. Legerunt *ſapiens* pro *patiens*, quod longe melius videtur; exprobrat enim avaro ſtultitiam.

Si tamen forte *patiens* ſit verior lectio, interpretabimur *quantumvis patiens et parca.* Sed nec *potiens* ineptum. Cic. Tuſ. 3. c. 18. *Fore ut natura his potiens dolore careat.* Et interdum putare ſubit, ex *potiens* rariuſculo ortum *patiens*; hoc cum diſpliceret, mutatum in *ſapiens.* G.

¶ Quod, ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem.
¶ At ni id fit, quid habet pulchri conſtructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus quam meus: ut, ſi
Reticulum panis venales inter onuſto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? ¶ At ſuave eſt ex magno tollere acervo.
¶ Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Ut, tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas; Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantundem ſumere. Eo fit,
Plenior ut ſi quos delectet copia juſto,
Cum ripa ſimul avulſos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget quanto eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſo;
Nil ſatis eſt, inquit; quia tanti, quantum habeas, ſis.

---

43 In aſſem *MS. Berſm.*—46 Hinc capiet *Glar.*—48 Accipies *MS. Berſm.*—55 Malim *Bentl.*—57 Delectat *MS. Berſm.*—59 Tantulo *coll. Sax. G. Z. it. MS. unus Berſm. it. Lamb.* Quantum *Bentl.*—60 Nec vitam *MS. Berſm. it. Bentl.* Amittet *MS. Berſm.*—61 Ut *MSS. III. Berſm.*

Cum te; Inſurgit in avarum hominem. Vet. Schol. Cruq.

39 Hoc equidem mallem quam Bentleii *Demoveat.*

42 Quod in terra defoditur proprie theſaurus appellatur.

Deponitur et fidei commiſſum, et quod ſervandum traditur.

43 Hic verſus reſponſionem avari continet. *Quod* cauſale eſt: cujus gloſſam habet liber Hanoveranus, *Nam.* G.

Comminuas; maxime cavent avari ne quid de rotunda ſumma decedat.

44 *Quid pulchri?* Τί Καλόν; B. Senſus eſt: At niſi per moderatum uſum deminutio quædam fit, ſ. niſi tu uteris: non eſt quod acervus iſte laudetur aut magni fiat. Z.

45 *Millia*, ſcil. modiûm.

46 In duobus Libris Bentleius ſcribit reperiri *ac meus* pro *quam meus*, quod ut uſitatius eo magis illi placuit.

47 *Reticulum rete eſt, quo in urbe panis portari ſolet.* Vet. Schol. Æſopi panarium tangit, ut vult Torrentius; et ridicule avarum bajulo et mancipio comparat.

Venales; ſervos. Vet. Schol.

49 *Intra naturæ fines:* egregie Seneca, *Si ad naturam vives nunquam eris pauper; ſi ad opiniones nunquam eris dives.* B. Epiſt. 16. fin. et Epicuro. G.

52 *Haurire;* jam animo conceperat Aufidum.

Relinquas, concedas. Vet. Schol. Comicum et morale verbum.

53 *Laudes*, mireris.

Cumera, vel *cumerum* vas erat forma dolii, ſive cadi, vimineum, palmeum, ſparteum, vel etiam teſtaceum, acuminato cooperculo camerato, unde et nomen ſuum accepiſſe videtur. Erat autem diverſi generis. *Cumerum dicimus vas ingens vimineum in quo frumenta reconduntur, et vaſa fictilia ſimilia doliis et vaſa minora qua*

Quid facias illi? jubeas miſerum eſſe libenter
Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, et tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quo valeat nummus? quem præbeat uſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque dieſque

63 Miſeram *Bentl. ex conj. Cun.*—73 *Pro* quo, quid *Han. et Gott. it. Venet. et Glar.*—76 Invigilare *MS. Berſm.*

capiunt quinque ſive ſex modios, quæ lingua Sabinorum Trimodiæ dicuntur. Vet. Schol. Punica et Syra vox קמטרא a Græco Κάμωλος eſt: atque hinc Latinis *Cumera*, vel *Cumerum*.

54 *Liquidi, aquæ, more Græco.* Vet. Schol. Cruq. Τῷ ὕδατι.

Notum eſt urnam et cyathum nomina eſſe menſurarum.

55 Quinque Lambini MSS. legerunt *malim* pro *mallem*; ego tamen nihil muto. Bentleio placuit *malim*; quid inde?

57 *Juſtum* dicitur, ſumta Metaphora a ſtatera, cum nihil vel ſupereſt, vel deeſt.

58 Credo enim de Apulo aliquo, vel Calabro cogitaſſe, qui ſe puero tali modo perierat.

Acer, Ὀξὺς, Græco more.

59 Oſtendit ſe egere qui cupit.

Bentleius repoſuit *quantum eſt opus*, verum ex ingenio ſuo, non meo.

61 *Bona nunc pro magna dictum, ut ſæpe Ennius et alii veteres.* Vet. Schol.

Decepta, allecta; proprie decipiuntur voluores ab aucupibus.

62 Ex Lucilio tractum; ſic enim ille: *Quantum habeas, tanti ipſe fies, tantique habearis.* Quanto melius Juvenalis 3. 143. *Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca, Tantum habet et fidei.* Sententiam origine Euripideam oſtendit Eraſmus.

63 *Quid facias illi?* Pro conclamato relinquendum cenſeo.

Jubeas miſerum eſſe; dictat formulam valedicendi inſulſo capitoni. B. *Miſeram* neceſſarium putat Bentleius, quia referatur ad *bona pars*. Sed frequens nimis eſt in talibus Syneſis: nimis grata talis negligentia, quam ut corrigendam putem manum Flacci, non modo librariorum. G.

Eſſe modo pro *manere* poſuit; et vehementer probo Torrentii diſtinctionem inter *eſſe* et *libenter*. B. At ego ſuſtuli diſtinctionem, ut integrum certe relinquam lectori, quo velit illud *libenter* referre: equidem ad *miſerum eſſe*, ut ſit oxymorum. G.

64 *Id facit*; h. e. miſer eſt: Moraliter et comice. B. Quia hoc agit, ut miſer ſit, ſ. ut non fruatur quæſitis. Z.

Incertum ex qua Comœdia hæc hauſerit. Vetus Scholiaſtes auctor eſt eum Timonem dicere Μισάνθρωπον Athenienſem, de quo vide lepidiſſimum Luciani Dialogum huc ſpectantem.

65 *Voces; quia ſolebat populus ingreſſis Theatrum bene meritis plaudere, malos exſibilare.* Vet. Schol. Imo et vocibus infremere.

67 *Contemplor; conſidero.* Vet. Schol.

68 *Tantalus a labris; Commendandum eſt hoc pronuntiatione.* Vet. Schol. Quo ſcilicet moveri poſſit ſequens riſus. B. Perſonam Tantali inducit, ut oſtendat, adeo miſerum eſſe hunc plauſorem ſui ipſius, ut comparari poſſit cum exemplo pœnarum infernalium. G.

69 *Quid rides?* H. e. Non eſt quod fabulam iſtam de pœna Tantali tanquam abſurdam rideas: nam convenit in te. Z.

70 Mirus Iconiſmus vigilis hujus Draconis.

71 *Inhians*; ſolicitudine et metu defixus et

Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes: hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit; habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget ut te
Suſcitet ac reddat natis cariſque propinquis?
Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet quem non merearis amorem?
An, ſi cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis ſervareque amicos;
Infelix operam perdas; ut ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere frænis?
Denique ſit finis quærendi: quoque habeas plus,

79 Optarem *G. Z. MSS. II. Berſm.*—81 Affixit *etiam H. Z. Med.* 1477 *et* 1503. *Ven.* 1479. *Flor. Leob. Ald. R. Steph. et plerique alii.* Aſſlixit *G. coll. Sax. H. Steph. &c.*—83 Natis reddat cariſque *Bentl.*—88 At ſi *edit. primæ, Ald. Ro. Steph. Fabric. Rutgerſ. &c.* An ſi *H. G. Glarean. in edit. Ven.* 1544. *f. duo Cruqu. aliquot Torrent. Bentl. Cun.* Atqui *Baxt. Sandby.*—91 Campum *Ven. Glar. Ald. MS. Berſm.*—92 Quamque *vel* cumque *H. G. Z. Glarean. Lamb. Bentl. MSS. IV. Berſm.*

attonitus: eſt etiam Oxymorum in *Indormis inbians*; nam vigilanti ſimilior erat etiam ubi dormiebat.

Tanquam parcere ſacris; Hyperbaton eſt, et Proverbialis Elocutio.

73 *Neſcis*; Interrogando graviter corripit et exagitat inſenſatum.

74 *Panis ematur*, iſta ex Menandro defumta ſunt, cujus iſta ſunt verba apud Stobæum, ut olim monebat Cruquius; Τ' ἀργύριον εἶναι μειράκιόν σοι φαίνεται, Οὐ τῶν ἀναγκαίων καὶ' ἡμέραν μόνον Τιμὴν παρέχειν δυνατόν, ἄφνω ἀλφίτων, Ὄψου, ἐλαίου μείζονος δ' ἄλλου τινός.

75 *Queis humana; balnea dicit uſumque muliebris, et alia hujuſmodi.* Vet. Schol. Menandri verecundiam, imitatus eſt, idem enim apud illum eſt, μείζονος δ' ἄλλου τινός.

Vox *humana* excuſationem continet ineptiarum atque libidinis.

76 *Exanimis* mortuo proximus videtur.

77 *Malus*, Græcis πονηρὸς, callidus eſt ad malefaciendum: bonum Epitheton.

78 *Compilent, expolient.* Vet. Schol. *Compilare eſt cogere in unum et condere, ex quo furari.* Feſtus. A Græco πιλεῖν, quod eſt ſtipare.

Horum comice pro *talium*.

80 *At*; h. e. *quinimo*, vel *imo etiam*.

Tentatum frigore; *aëre aut aqua vexatum.* Vet. Schol. Tentatur quod undique contrectatur, et per hoc vexatur. B. Forte intelligitur pleuritis a frigore poſt æſtum contracta. Conf. Ser. 2. 6. 45. G.

81 Efficacior vox *afflixit* quam *affixit*: atque hanc lectionem et Lambini et Cruquii Codices tuentur, et probavit Stephanus; Scholiaſtæ ſilent. Stat tamen Bentleius pro *affixit*. B. *Affixit* mihi magis hic placet, quia vehementia et primus impetus morbi, quem exprimit *afflixit*, non tam eget amicorum auxilio quam ejus duratio et longa moleſtia, quam ſignat *affixit*, ut ſurgere, et rebus ſuis ſupereſſe miniſtrare ſibi neceſſaria, non poſſit. Reſpondent ſibi *affixit* et *aſſideat*, quod conſtantiam præſentiæ notat. Vidit hoc etiam Marcilius. G.

82 *Aſſideat*, h. e. juxta te ſedeat, et vigilando tecum pernoctet.

83 *Suſcitet*, i. e. *ſanum faciat*. Vet. Schol.

Reddat gnatis; ſuavi Sarcaſmo hæc proferuntur.

85 Ut neminem prætermittat etiam puerorum et puellas de trivio arceſſit.

86 *Poſt omnia ponas, Tmeſis Figura.* Vet. Schol.

Pauperiem metuas minus; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas; ne facias quod
Ummidius quidam (non longa eſt fabula) dives
Ut metiretur nummos; ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo melius veſtiret; ad uſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.
¶ Quid mi igitur ſuades? ut vivam Nævius? aut ſic
Ut Nomentanus? ¶ Pergis pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componere? non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Eſt inter Tanaim quiddam ſocerumque Viſelli.
Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines,

94 Nec facias *Ven. Glar. Lamb. MSS. IV. Berſm.*—95 Longe *H.*—100 Tyndariarum *conj. Cun.*—101 Mævius *Glar. ſed* Mænius *Ven. Lamb. et Bentl. quod comprobatur loco Epiſt.* 1. 15. 26. Z.—105 Tanain *Bentl.* Catium *MS. Fabric.*

88 *Atqui velis*, h. e. imo etiam ſi coneris. Sic enim reponendum duxi pro *Atſi*, cum in novem Torrentii Libris eſſet *An qui*. Prætulit Bentleius *An ſi*. B. Torrentius, *An* pro *At*, inquit, habent libri aliquot veteres. Reliquas auctoritates ſupra poſui. Sententia hæc, An putas te fruſtra conſumturum operam (quod proverbiali formula exprimit) ſi cognatos a natura tibi jam conciliatos retinere in amicitia velis? Præter rem quidem ita putares. G.

Nullo labore; hos enim non adeo neceſſe fuerat officiis demereri.

89 *Quos tibi dat*; ſupple *amicos*: nam Zeugma eſt a poſteriore.

90 *Infelix* eſt cui nihil ſuccedit.

Ut ſi quis aſellum; *Proverbiale Schema eſt docere aſinum currere*. Vet. Schol. Cruq. Ὄνον διδάσκειν. *Campum* autem dicit Martium, vel quodvis ſtadium. B. Hoc proverbio ſignificatur idem quod, *operam perdere*. Z.

92 Neſcio cur Bentleius repoſuit *cumque* pro *quoque*, nulla de cauſa.

93 *Pauperiem metuas minus*; cujus contrarium a te factum video.

94 *Quod avebas*; i. e. *Quantum avidus fueras quærere*. Vet. Schol. Nam comice *quod* dicitur pro *quantum*.

Pro *Nec facias* omnes fere manu exarati Codices, cum antiquo Grammatico Soſipatro Chariſio, legerunt *ne facias*, quod longe melius mecum putat Cruquius.

95 Mira Lectionum varietas, *Ovidius*, *Ubidius*, *Fuſidius*, *Vividius*, *Vinidius*, *Umidius*, *Vimidius*, *Ummidius*, *Umidius*, et apud Chariſium *Numidius*, pro quo legendum cenſeo *Humidius*; nam et Lambinus probavit *Umidius*, quæ optima Codicum Lectio: erat etiam et gens *Umidia*, ut oſtendit Dacerius. Pro *Humidius quidam* Bentleius ſatis ridicule reſcripſit *Ummidius qui tam*. B. *Ummidia* gens vel *Umidia* ſatis hodie ſtabilita ex Varro. R. R. 3. 3. 9. et nummis apud Spanh. T. 2. p. 7. Lectio Bentleiana *Ummidius*, *qui tam* placuit ipſi Cuningamo et Sanadono. Certe ingenioſa eſt et commoda, et modeſta, licet non neceſſaria. G.

Dives ut metiretur nummos; Μεδίμνῳ ἀργύριον ἀπομετρεῖν inſtar Proverbii erat, ut Ludovicus Deſprez adnotavit ex Suida.

98 Eleganti Euphemiſmo diem mortis *ſupremum tempus* nominavit.

99 Incauti ex improviſo *opprimuntur*.

Conſtat ex mentione *Tyndaridum* libertam iſtam fuiſſe ei uxorem; quod et Lambino viſum eſt. B. Certe pro uxore. Hæc liberta ergo fuit altera quædam Clytæmneſtra, interfectrix mariti. G.

100 *Fortiſſima*, tanquam plaudat libertæ ob forte facinus.

Tyndaridarum modo a Nominativo *Tyndarida*, ut ab Eraſmo præceptore ſuo didicerat olim Glareanus. *Clytæmneſtra Agamemnona maritum ſecuri percuſſit*. Vet. Schol. B. Certe ſub patronymico *Tyndaridæ* feminæ etiam poſſunt comprehendi. G.

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo; nemon' ut avarus
Se probet? at potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat:
Ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum

108 *Pro* nemo *Baxteri reposui scripturam Ven. Glar. Lamb. Bentl. quæ et sensu et sono comprobatur.* Z.—115 Suis *MSS.* 3. *Bersm.*—117 Unde *MS. Bersm.*

101 Cum *Nævius* sit omnium Codicum, frustra sunt qui ex conjectura reponunt *Mænius* qui non erat hujus sæculi. Vet. Schol. corrupte *Mævius:* erant hi duo diversi in luxuria. Bentleius stat pro *Mænius*, levi de causa, vel nulla omnino.

102 *Ut Nomentanus; L. Cassius Nomentanus adeo sine respectu bonorum suorum prodigus, ut sestertium septuagies gulæ ac libidini impenderet: hujus cocum nomine Damam P. Sallustius Crispus Historiarum Scriptor fertur centenis millibus æris conductum habuisse.* Vet. Schol.

Pergis componere, h. e. an compositurus es? Nam *pergere* est ad opus properare, seu recta procedere.

103 *Frontibus adversis;* uti arietes pugnant.

104 *Vappam* Nævium dicit, quem Sat. 2. 2. 68. *Simplicem appellat*, hoc est, ineptum; quod insano sumtu stolidas sequeretur delicias. Nos hujusmodi homunciones FOPS dicimus; an et hoc a *Vappa* quærant alii.

Donatus *nebulonem* deducit a νὴ et βυλὴ, quod nullum habeat animi sui consilium. Nebulones nihil habent pensi quid profundant. *Nebulonem* autem dicit *Nomentanum.* Vernacula nostra RAKES dicuntur, qui ex tempore vivunt.

105 *Est inter Tanaim; Sumsisse hoc ex Proverbio Græco, sub Nominibus relatum est; illi enim ita dicunt: Quod tamen in Latino sermone usurpari scimus.* Vet. Schol. Dicit se in eo libro quem de Nominibus Horatianis conscripserat, plura de hac re dixisse. Vide an tali modo concipi potuerit hoc Proverbium, Διάνιγκί τι Τανάϊς καὶ Βισέλλῳ ἰκυρός. Non enim dubitavi pro *Viselli* reponere *Bisselli*, cum Græcum sit Proverbium, et Lambinus in nonnullis Codicibus repererit *Bisselli* (etsi pro comperto habuerim fuisse Romanis et Gentem *Visellium*, quæ forte causa erroris fuit). *Bisselli* hujus socero (quisquis is tandem fuerit) immanis erat hernia, et e diverso Tanai Spadoni omnino nihil, nam demetebantur ei omnia, ut a Vet. Sch. monemur. Quis credat vel Mæcenati, vel Planco libertum fuisse e Græco Proverbio? Apud Veterem Scholiasten æra commiscentur lupinis, ut norunt eruditi. B. Latinum nomen Latina litera scribamus: suum morem relinquamus Græcis. G.

106 *Est modus;* Græcum est, Τὸ μέτρον ἄριστον. Sic et Vet. Schol.

In rebus; h. e. in omnibus rebus. Sic et Persius; *Quantum est in rebus inane!*

107 *Rectum* in medio est; a statera ducta Metaphora. B. Vel a linea recta s. rigore, a qua quidquid recedit pravum est. G.

108 Cum antiquissimo Cruquii Codice reposui *nemo ut avarus!* Est autem *hæc admiratio pronunciantis.* Vet. Schol. Grammaticastri fecere *nemon'?* quos Bentleius sequitur. B. Sensus est: Itane nullus avarus sua sorte contentus est, s. nunquam se satis beatum putat? Z.

109 Legendum plane cum Cruquii Codice *at* pro *ac.*

110 *Gerat distentius uber; Proverbio usus est quo et Ovidius, Vicinumque pecus grandius uber habet.* Vet. Schol. B.

112 *Hunc atque hunc*, &c. locupletiores divitiis superare contendat? Z.

113 *Sic festinanti*, qui isto modo ad divitias ampliores contendit, et tum demum se beatum putat, si non sit ditior alter; is nunquam se beatum putabit, quia semper locupletior alicuis reperietur. Z.

114 *Carceres*, Græcis Κάρχαρα Septa sunt: Stabula erant Circi, unde et initium Curulis Decursionis fuerat. THE STANDS.

Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva ſatur, reperire queamus.
Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

IN MOECHOS.

Homines ſtulti et impotentes perſtringuntur, qui media via incedere neſciunt, ſed, dum vitium alterum vitant, in alterum contrarium incidunt. Sic Tigellius, erga homunciones alienos et perditos liberaliſſimus, contra ſuos autem inopes tenaciſſimus erat. Fufidius dives, ut infamiam nebulonis fugiat, fœnus inſanum exigit ab adoleſcentibus, et in ſe ipſum duriſſimus exſiſtit. Malthinus molliter diſcinctus incedit, alius tanquam expeditus et laborioſus prodit tunicis ad inguen uſque ſubductis. Hic olet odores, ille hircum. Alias venatur matronas, alias non niſi meretrices ſectatur. Cupiennius, qui v. c. non niſi matronas miratur, rem periculi plenam aggreditur: Salluſtius, qui modum excedit in amore libertinarum, rem familiarem perdit et famam bonam. Etſi vero uterque amor eſt noxius: id tamen diſcriminis intereſt, ut ex matronis plus laboris mali hauriatur, quam ex re decerpatur fructus: res contra rectius procedat in togatis.

AMBUBAIARUM collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne

118 Vita *etiam G. it. Cun. it. MSS.* 3. *Berſm.*—121 Suppilaſſe *MS. Berſii.*

SAT. II.

2 Baratrones *H.*

Miſſos, Miſſio vox Circi eſt.

Ungula pro *equis τρέχτῳ συνεδοχῇ dicitur.* Vet. Schol.

116 *Præteritum*, modo Paſſive dicitur.

118 *Dicat*, h. e. fateatur, Comica loquela. Si *exacto tempore* ſatis plenum crederem, aſſentirem Torrentio et Cruquio reponentibus *vita*, auctoritate quorundam Codicum. Bentleius tamen aſſentit, nam edidit *vita Cedat uti conviva ſatur.*

119 *Uti conviva ſatur;* Lucretii eſt (3. 951.) *Cur non ut plenus vitæ conviva recedis?* Hoc adnotavit Lambinus.

120 Suaviter commendat ſe Epicureis ſuggillando Stoicos. *Criſpinus iſte* (auctore Vetere Scholiaſte) *Poeta fuit qui Sectam Stoicam Verſibus ſcripſit* in tantum garrulis, ut *Aretalogi* nomen ei hæreret.

Lippus perpetuum convicium aſſidue potantium. *Lippi; inſulſi.* Vet. Schol. Cruq. *Hos pueris monitus patres infundere lippos Cum videas.* Perſius. Simulabat iſte Curium, et Bacchanalia tamen vivebat. Mirandum unde Bentleio in mentem venerit *lippum* eſſe reponendum pro *lippi*, quo Horatius ſe ipſum, non Criſpinum tangat. Quid? an magnum putavit Flaccus poſſe a ſe lippo compilari ſcrinia Criſpini? Ni hoc tamen eſſet dictum ab Horatio, et *ſtolidus* eſſet et *inhumanus* ſi tu Bentleium audis. Aſſidui potatores vulgari convicio *lippi* audiebant: atque horum in numero erat Philoſophaſter Criſpinus.

SAT. II.

1 *Ambubaiæ dicuntur mulieres tibicinæ lingua Syrorum.* Vet. Schol. *Jampridem Syrus in Ti-*

Mœſtum ac ſolicitum eſt cantoris morte Tigelli;
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus eſſe
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere poſſit.
Hunc ſi perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata ſtringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coëmens obſonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Reſpondet: Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exſecat; atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urguet;
Nomina ſectatur, modo ſumta veſte virili,
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
Jupiter, exclamat, ſimulatque audivit? ¶ At in ſe
Pro quæſtu ſumtum facit hic. ¶ Vix credere poſſis,
Quam ſibi non ſit amicus: ita ut pater ille, Terentî

6 Propellere *coll. Sax. editt. vett. Cun.*—7 Percuncteris *Lamb.*—8 Inglubie *H.*—10 Parvi quod *Chab.*—14 Mercedes exigit *Ven. Glar.*—18 Exclamet *Ven. Glar. Chab.* At ipſe *Ven. Glar.*—19 *Vulgo diſtinguunt poſt* facit. *Sed ſecutus ſum Bentleii rationem, quia ſic et in interrogatione et in reſponſo* hic *recte adhibetur.* Z.

berim defluxit Orontes, Et linguam et mores et cum tibicine chordas Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum Advexit. Juvenal. 3. 62. Syris אנבובא *Anbuba*, tibia eſt.

Collegia proprie mercatorum ſunt et artificum; modo ridicule tibicinarum greges.

Pharmacopolas medicos dicit circumforaneos. B.

2 *Mendici*, ἀγύρται, Chaldæi, harioli, Iſis ſacerdotes, qui præſtigiis ludendo plebem ſtipem colligebant. Z.

Balatrones perditos dicit nebulones per jocum a *Servilio Balatrone, cujus in ſecundo meminit*, ut ait Vet. Schol.

3 *Per invidiam Cantorem pro Muſico obtrectatorie dicit.* Vet. Schol.

Marcus Tigellius Hermogenes, Muſicus peritiſſimus et vocis eximiæ Caio Cæſari Dictatori et poſt Cleopatræ acceptiſſimus, Auguſto quoque Cæſari amiciſſimus. Porro autem cauſam inſectandi hominis non mediocris ingenii habuit Horatius, quod carmina ejus parum ſcite eſſe modulata dicebat. Vet. Schol. Quid mirum parum conveniſſe veteri Aulico et Cæſariano, cum novo et Pompeiano? B. Vid. Sat. 1. 3. 4. 1. 4. 72. et 1. 10. 90. G.

4 *Benignus erat*; ſic enim illi dicebant prodigum.

5 *Amico*; ſive cognatus, ſive cliens is fuerat.

8 *Ingrata, nulli grata*; ut belle Landinus: h. e. illaudata, vel devota.

Stringat, h. e. tanquam uno morſu deglutiat; Metaphora a voraci aliqua volucri. Stringitur enim quod uno raptu devoratur. B.

Simpliciora mihi videntur verba Vet. Schol. Cruq. *Stringat, conſumat, attenuet, deminuat, radat: ſumta metaphora a ramis, quos ſtringimus, quando illos nudamus foliis.* Alias in metallis *ſtringere* eſt conflando in maſſam redigere, quod ſpectavit forte, poſt Cruquium Baxterus. G.

Quod ob diritatem abominamur exſecrando, *malum* dicimus: ſic et malum omen pro diro, et malam rem pro patibulo dicere conſuevimus per Euphemiſmum.

9 *Conducuntur quaſi nummi, pro quibus merces ſolvitur.* Vet. Schol. B. Pulchre: nam ut *locat* pecuniam, qui fenori dat, ita qui mutuo ſumit, *conducit*. G.

11 *Laudatur ab his*, alii, qui ſimilibus gaudent, probant Tigellii rationem, alii improbant. Z.

Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quærat, Quo res hæc pertinet? Illuc;
Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demiſſis ambulat; eſt qui
Inguen ad obſcœnum ſubductis uſque facetus:
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum:
Nil medium eſt. Sunt qui nolint tetigiſſe, niſi illas,
Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte:
Contra alius nullam, niſi olente in fornice ſtantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice; Macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.

---

25 Malchinus *etiam G. it. Ven. Glar.*—27 Gargonius *etiam G. et coll. Sax.*—30 Olenti *edd. vett.*

---

12 Hunc *Fuſitium* dixit Catullus atque Dion, ut adnotavit Dacerius.

Vappa nec vinum, nec acetum eſt. Vet. Schol. Superiori jam Satyra (v. 104.) oſtendimus quid ſit inter vappam et nebulonem.

14 *Quinis centeſimis fœnerat.* Vet. Schol.

Exſecat capiti; h. e. *de ſorte deducit.* Vet. Sch. Qui caſtrant animalia et *exſecare* et *deducere* dicuntur. *Exſecat, graviter lædendo debitores,* ut ait Vet. Schol.

15 *Perditior,* ſumtibus inſanior, et per hoc deploratior.

Acrius urguet; Gravioribus uſuris onerat. Vet. Schol. Urgere enim deprimere et obruere eſt. Nunquam parcit fœnerator; nullius miſeretur.

16 *Nomina ſectatur;* h. e. ut debitores faciat venatur. Debitores enim *nomina* dicebantur, poſtquam in codices relati ſunt.

Veſte virili; toga pura.

17 Qui depoſita jam prætexta ad forum deducebantur, tirones appellabantur. *Non licebat per Senatus conſulta tironibus fœnerari.* Vet. Sch.

19 *Pro quæſtu ſumtum facit; Largiter potitur cenſu, et bene procurat corpus ſuum.* Vet. Sch.

20 *Pater ille, Terenti:* Menedemus Heautontimoroumenos.

21 Miſer eſt, qui cruciatur animi.

Fugato, h. e. in exſilium acto. B. Qui patris convicia non ferens militatum abierat. G.

22 *Atque pro quam.* Vet. Schol.

23 *Pertinet,* h. e. tendit: et *tendo* et *teneo* a Græco τείνω ſunt.

24 Ex diſciplina Stoica *Stultos,* h. e. inſanos Philoſophiæ dicit expertes.

25 Hoc rectius quam Bentleii *Malchinus.* Permiſcentur literæ *e* et *t* in veteribus Membranis, cum ſint fere nullo, vel admodum exiguo diſcrimine. A Luciliano verbo *maltha,* quod pro *molli* poſitum eſt, *Malthinum* effinxit; et *Mæcenatem tangit* teſte Vet. Schol. Hunc etiam dicit Paterculus *otio et mollitie ultra fœminam* fuiſſe. *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit.* Perſius (1. 116). Eſt autem *Maltha* (prodente Vetere Theocriti Scholiaſte) κηρὸς ἀμόλγη συνιζημένος, καὶ ἐν ᾧ βίῳ λοιδόρημα. Alias πισσόκηρον ita dicitur, h. e. *Pix cum cera mixta;* auctore Paulo Diacono. B. Nullo modo mihi fit probabile, ſic illudere Mæcenati ſuo, aut Agrippæ adeo, voluiſſe Horatium. *Amicus* ille apud Perſium Flacci eſt unuſquiſque lector. Aulicus, ſi quis alius, fuit Horatius. G.

Tunicis demiſſis; Cui laticlavi jus non erit, ita cingatur ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant; nam infra mulierum eſt, ſupra Centurionum. Quintilianus.

Ambulat, h. e. foras prodit.

Sunt qui hunc volunt fuiſſe Agrippam Auguſti generum.

26 *Facetus, non verbis ſed factis.* Torrentius.

27 *Paſtilli diaplaſmata ſunt,* vel *aridi odores* ad exſiccandos ſudores; quod confirmat Vet. Schol. Cruq.

Conſtat *Rufillum* iſtum atque *Gorgonium* fuiſſe alicujus notæ, quod Satyra quarta ſignificet hunc verſum ſibi invidiam feciſſe.

Bentleius oſtendit frequentius ſcribi *Gargonius* in veteribus Inſcriptionibus; atque ita ille edidit in ſuo Horatio. Sed varietas iſta ſatis frequens eſt in nominibus, operarum inſcitia.

28 *Proprie tetigiſſe, unde et intactæ virgines dicuntur.* Vet. Schol.

29 *Quarum ſubſuta; Matronas ſignificat: hæ enim ſtola utuntur ad imos pedes demiſſa, cujus imam partem ambit inſtita aſſuta.* Vet. Schol. B. Diſputamus de h. l. in Theſ. Stephan. G.

Nam ſimulac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire eſt operæ pretium, procedere recte
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter ſæpe pericla.
Hic ſe præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæſus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud

33 Tenta *conj. anon. in edit. Sandb.*—36 Culpennius *H.* Cupennius *Ven. Clar.*—38 Mœchos *Aſcenſ. Bentl. Cun.*

Inſiita eſt tenuiſſima faſciola quæ prætexta dicitur, τὸ περιπόδιλον. Vet. Schol. *Duas inſitas ancilla protulit de ſinu, alteraque pedes noſtros alligavit, altera manus.* Petronius Arbiter (c. 20.) citante Cruquio.

30 *Stantem*, h. e. *proſtantem*, per Aphæreſin.

31 *Notus homo, honeſtus et nobilis. Catone tranſeunte, quidam exiit de fornice, quem cum fugeret, laudavit et revocavit: poſtea cum frequentius eum exeuntem de eodem lupanari vidiſſet, dixiſſe fertur, Adoleſcens, ego te laudavi tanquam huc interdum venires, non tanquam hic habitares.* Vet. Sch.

Suaviter Luciliano ſtylo Catonis Cenſorii verba protulit. *Laudibus ferunt, mactant bonoribus.* Cicero, referente Lambino. *Macte inquam virtute, ſimulque his verſibus eſto.* Lucilius. Puto *Macte* Oſcum eſſe verbum et indeclinabile, et ſignificare magnum, vel amplum. Gothis MACHT potentia eſt, quod refertur ad Μίγιθος.

32 *Sententia dia Catonis:* ſic et Lucilius, *Valerî ſententia dia*, pro ipſo Valerio: eſt enim Periphraſis ipſius Catonis.

33 *Tetra*, ferox et indomita: Tetrum enim dicitur quodcunque animo vel ſenſibus, vel aſperum eſt vel dirum. Etiam Perſius *venam* poſuit pro virili membro: *Cum numeroſa vago ſingultiet inguine vena.*

34 *Huc deſcendere*; ad meretrices ſcilicet: nam ad viliora deſcenditur. Male de ipſo loco accipiunt Interpretes. B. Non male. Z.

Æquum eſt; neque jus, neque cenſores vetant, et excuſationem habet vox *Juvenes.*

35 *Permolere*; Theocrito μύλλειν eſt: Veteres inſerto in foramen baculo molam trudebant, Τῇ κώνῃ τὰς μύλας ἐθοῦντο, inquit Theocriti Scholiaſtes. *Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere c—is.* Lucilius.

36 *Cupiennius Libo Cumanus Auguſti familiaritate clarus, corporis ſui diligentiſſimus, ſectator matronarum.* Vet. Schol.

Album felix et beatum eſt; quod Interpretes latuiſſe miror. *Quia tu gallinæ filius albæ Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.* Juvenalis. Octavius Ferrarius de Re Veſtiaria oſtendit matronarum tunicas, ſive ſtolas, fuiſſe purpureas et ſegmentis ſive vittis aureis diſtinctas, et nunquam albus veſtibus præterquam in luctibus uti conſueviſſe. In Epithalamio tamen Thetidis apud Catullum legimus, *Veſtis Candida purpurea talos incinxerat ora*; quem locum citavit vir doctus Lud. Deſprez. Verum et flammeus color candidus eſt, et cœruleus purpureus. B. *Album* hic mihi videbatur nihil aliud notare, quam teneritatem et mollitiem ſtolatarum, pulveris ac ſolis impatientium. G. *Cunnus albus* eſt haud dubie matrona veſte alba induta. Nam etſi Ferrarii ſententia ſatis certa eſſet, tamen hoc tempore cum lege Julia luxus muliebris coërcitus eſſet, tunica aut ſtola ſine purpura fuiſſe videtur. Z.

37 *Urbane abutitur Ennianis verſibus; Audire eſt operæ pretium procedere recte, Qui rem Romanam Latiumque augeſcere vultis: ſed illud urbanius, quod Ennius Vultis dixerit, hic Non vultis intulerit.* Vet. Schol.

Opera modo dicitur pro tempore impenſo.

Nihil *rectum* judicatur quod non procedit ex voto: nam animus vulgo eſt norma recti, uti ratio ſapientibus.

38 *Laborare* dura pati eſt hoc loco.

39 *Corruptum* dicitur cui aliquid tetri vel amari guſtus admiſcetur.

40 De communi uſu *cadat* ponit pro *contingat*, quod magis comicum.

41 *Ille flagellis; Salluſtius Criſpus in Fauſta*

Accidit, ut quidam teſtes caudamque ſalacem
Demeteret ferrum. Jure omnes. Galba negabat.
Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda!
Libertinarum dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui mœchatur: at hic, ſi,
Qua res, qua ratio ſuaderet, quaque modeſte
Munifico eſſe licet, vellet bonus atque benignus
Eſſe; daret quantum ſatis eſſet, nec ſibi damno
Dedecorique foret: verum hoc ſe amplectitur uno:
Hoc amat, hoc laudat; Matronam nullam ego tango:
Ut quondam Marſæus, amator Originis, ille
Qui patrium mimæ donat fundumque laremque,
Nil fuerit mî, inquit, cum uxoribus unquam alienis;
Verum eſt cum mimis, eſt cum meretricibus; unde
Fama malum gravius, quam res, trahit. An tibi abunde
Perſonam ſatis eſt, non illud, quicquid ubique

45 Quidam—ferro *etiam H. G. Sax.* Cuidam—ferrum *H. Steph. et Chab.* Quoidam—ferrum *Cun.*—48 In qua *Bentl. et Cun. ex MSS. it. Sax.*—49 *Pro* At, ut *ex MS. Bent. it. Bos et G.*—54 Et laudat *Ven. Glar. Bentl.*—56 Mimæ cenſum donavit avaræ *coll. Sax.*

filiæ Syllæ adulterio deprehenſus, ab Annio Milone flagellis cæſus eſſe dicitur, quod Aſconius Pædianus in Vita ejus ſignificat. Vet. Schol.

42 *Ad mortem;* Comica Hyperbole. B. *Horribile* tamen *flagellum.* Vid. Sat. 1. 3. 119. G.

43 Fures *prædones* dicit, qui nocturno tempore per urbem graſſati ſunt, ut ex Juvenale patet. *Pro obſcœna parte corporis.* Vet. Schol. B. *Pro corpore* ad redimendam vexationem quamcunque corporis, cujus genera enarrat deinde. Poterat memoraſſe etiam *raphanoſque mugileſque* Catulli et Juvenalis. G.

44 *Perminxerunt;* ſic et Perſius, *Patriciæ immeiat vulvæ.*

Calones ſunt miniſtri militum, liberi homines, lixæ vero ſervi eorumdem. Vet. Schol. A ſcindendis lignis quæ *calas* Veteres dicebant a Græco Κᾶλον. *Scinde puer calam ut caleas.* Lucilius.

Illud in frequenti uſu eſt pro *hoc.*

45 Nil opus eſt *cuidam* reponi pro *quidam* contra fidem tot Codicum, cum ſit *quidam* etiam in Dativo: Sic et Virgilius, *Qui non riſere parentes,* pro *Cui.*

Salacem; Dicitur membrum illud, in quo libido eſt, eſſe ſalſum. Vet. Schol.

46 Bentleio magis arridet inuſitatior ſcriptura *Demeterent ferro,* calones ſcilicet.

Amare Servium Galbam Juriſconſultum perſtringit, quaſi contra manifeſtum jus pro adulteris reſpondentem, quia et ipſe adulter eſſet. Vet. Schol.

49 Dilogus *inſanit* et de ardore libidinis et de immodicis ſumtibus; et eſt Præteritum, pro *inſanivit.* B. Præſenti potius intelligam: per Antonomaſian enim ponitur Salluſtius. G. *Mœchatur,* qui cum uxore alieria eaque ingenua adulterium committit. Z.

50 *Qua,* h. e. *in quantum, deeſt tenus.* Vet. Sch. *Res* occaſio eſt, ſive præſens negotium. B. Videtur eſſe res familiaris: et *ratio,* bona exiſtimatio. Z.

Modeſte, h. e. *moderate.*

51 Omnes fere Lambini et Cruquii Codices legerunt *munifico eſſe licet* pro *munificum:* Scholiaſtæ ſilent.

53 *Se amplectitur;* gratulans ſibi plaudit. He hugs himself.

54 *Matronam nullam;* Ethopœia.

55 Cytheris, Origo, et Arbuſcula hoc tempore inſignes erant mimæ, quarum prima Virgilii erat Lycoris.

56 *Donat* modo Præteritum eſt pro *donavit.*

59 *Fama trahit gravius malum; Intelligi vult ex nimio mimarum aut meretricum amore vexari quidem cenſum, ſed multo graviora damna famæ accidere.* Vet. Schol.

60 *Perſona* dignitatis eſt nomen: ſic et Cice-

Officit, evitare? bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum eſt ubicunque. Quid inter-
eſt in matrona, ancilla, peccesve togata?
Villius in Fauſta Sullæ gener, hoc miſer uno
Nomine deceptus, pœnas dedit uſque ſuperque
Quam ſatis eſt; pugnis cæſus, ferroque petitus;
Excluſus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic ſi mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus; Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum depoſco conſule cunnum
Velatumque ſtola, mea cum conferbuit ira?
Quid reſponderet? Magno patre nata puella eſt.
At quanto meliora monet, pugnantiaque iſtis,
Dives opis natura ſuæ, ſi tu modo recte

63 Peccesne *Lamb. Chab. Bentl. male.* *Nam* ve *eſt ſive, quemadmodum ſenſus poſcit. Ancilla enim et togata, h. e. meretrix,* ad *idem membrum ſeu genus pertinent, quod opponitur matronis.* Z. —68 Videnti, *quod Bentl. reduxit, etiam H. G. Sax. et primæ edit.*—71 Mea tum cum inferb. *coll. Sax.*—74 Tu ſi modo *Ven. Glar. Bentl. non male.* Z.

ro dicit eſſe qui ſentiant Philoſophiam indignam eſſe *Perſona.* Cornelius Celſus plene *Splendidam* dicit *Perſonam:* modo matronam dicit *Perſonam;* præſertim vero honoratiorem. B. Cic. de Fin. 1. pr. quo reſpicit vir doctus, *ſuam* aperte *perſonam* intelligit. *Perſona* tam indignitatem et ſordes, quam dignitatem et honorem notat. G.

Mira brevitate poſuit *ubique* et mox *ubicunque* temporis Adverbia pro perſonis quibuſcunque.

62 *Oblimare, deterere, tractum a lima.* Vet. Schol.

63 Bentleius, auctoritate quorumdam Librorum, repoſuit *peccesne* pro *peccesve;* quod tamen nobis tantundem videtur. Librariis ipſis nihil erat penſi ſuper tali materia.

Matronæ quæ a maritis ob adulterium repudiabantur togam accipiebant, ſublata ſtola propter ignominiam. Nam proſtare ſolebant cum pullis togis. Vet. Schol.

64 Facile aſſentior Dacerio, Villium fuiſſe nobilem, et Longarenum contra ignobilem quendam. B. Villius familiaritate Milonis (de qua Cic. fam. 2. 6.) abuſus videtur ad ſtuprum conandum uxoris illius Fauſtæ, Sullæ filiæ: quam cupiditatem in illo hoc ipſum incendit, quod ſic dictatoris *gener* quodammodo fieret. *Gener* etiam de ſtupri conjunctione, ut vulgo in Germania *affines* jocoſe dicunt. Itaque carere licet emendatione propoſita in Miſcell. obſervatt. Burm. vol. 2. p. 88. ſq. *genere*, ut Fauſta *genus* Sullæ pro filia dicatur. Sed quidni manemus in antiqua interpretatione quæ tum Acroni tum Porphyrio adſcribitur a Fabricio: *Villius pro Annio dixit. Annius autem Milo maritus fuit Fauſtæ, Cornelii Sullæ filiæ, qui a familia* (ſervis) *Longareni rediens a cœna ante ædes ſuas, ne adulterum* (Longarenum) *deprehenderet, pugnis cæſus eſt, et ferro petitus.* Sic *gener* proprie dicetur, et pulchre conſtabunt omnia, niſi quod miror, cur Annium non ſuo nomine compellarit. An Fauſta Milonis poſt exilium hujus nupſit Villio? an prius quam Miloni nuberet fuit in matrimonio Villii? G. *Villium* non maritum Fauſtæ eſſe, ſed adulterum, ſequentia ſatis comprobant. Z.

Hoc ex Villii ſententia dicit ſatis feſtiva Ironia.

65 *Deceptus*, allectus et inviſcatus.

66 *Pugnis cæſus; A familia Longareni mœchi.* Vet. Schol. B. Sunt qui Milonem maritum intelligant. At vero non apparet cauſa, cur non verum nomen ponere maluerit auctor. Z.

68 Lucilianum eſt *muto*, et a Græco Μυτὶς, quod ſummitas eſt Naſi. *Læſo jam lacrimas mutoni abſterget amica.* Lucilius. B. Non miror *videntis* magis placuiſſe viris doctis, licet major ſit auctoritas alterius lectionis. Vividior enim fit et magis poetica oratio, ſi pars quæ hic loquens introducitur, vidiſſe dicatur mala. Quid vero opus erat tam gravi oratione, ſi vidiſſet Villius mala tanta? Sapientior eſt pars libidinoſa ſuo domino. G.

Diſpenſare velis, ac non fugienda petendis
Immiſcere! Tuo vitio, rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne pœniteat te,
Define matronas ſectarier, unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos virideſque lapillos
Sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum eſt femur, aut crus
Rectius; atque etiam melius perſæpe togatæ.
Adde huc, quod mercem ſine fucis geſtat; aperte
Quod venale habet, oſtendit; nec, ſi quid honeſti eſt,
Jactat habetque palam, quærit quo turpia celet.
Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur, opertos
Inſpiciunt; ne ſi facies (ut ſæpe) decora
Molli fulta pede eſt, emtorem inducat hiantem;
Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte? ne corporis optima Lynceis
Contemplere oculis, Hypſæa cæcior illa
Quæ mala ſunt ſpectes. ¶ O crus! O brachia! ¶ verum

---

81 (Sit licet hoc Cerinthe tuum) *vulg.* tuæ *conj. Cun.*—82 Togatæ eſt *Bentl.*—84 Neque *Bentl.*—86 Opertos *etiam Sax. G. H. et editi ante Landi. Huic, Lipſio, Fabro, Dacerio, placuit* apertos.—90 Tu corporis optima Lyncei contemplare—ſpectas *conj. Bentl.* Hoc illi apte: næ tu—contemplans—ſpectas *conj. Cun.*

---

69 In *animo* conſilium eſt et ratio.

Quid vis tibi; h. e. Quam rem tu agis? An mentis bene ſanæ es?

71 *Stola* tunica erat muliebris, et propria matronarum.

Iram dicit libidinis inſaniam. *Ira furor brevis eſt.*

73 Ridicule philoſophatur in re turpicula. Nam Philoſophiæ eſt ad naturam vivere.

74 *Dives opis*; nihil quod ſui muneris eſt naturæ deeſt.

Recte diſpenſat qui ſapienter utitur: nos etiam dominæ naturæ diſpenſatores ſumus.

76 *Vitio noſtro laboramus, ſi dolemus cum deſit phaſianus; rerum natura laboramus, ſi dolemus cum deſit panis.* Vet. Schol. B. *Tuo vitio*, tua culpa, ſi amas matronam, *rerumne*, an neceſſario, ſine culpa tua. Z.

Labores; *miſer fis*; nam et labor miſeria eſt.

79 *Ex re*, potita ſcilicet.

80 *Niveos virideſque lapillos*; *uniones et ſmaragdos.* Vet. Schol. Cruq.

81 Bentleio placuit ita hunc verſum emendare, *Sit licet, O Cerinthe, tuo.* Non videtur mihi vidiſſe *tuum* dici pro *quale tuum*. Æquari voluit hic Cerinthi femur femoribus matronarum, imo et præferri. Nihil opis eſt a Manuſcriptis. Et Bentleii Textus nimis involutus et obſcurus videtur. B. Huic nobili matronæ, licet jaceat inter gemmas et margaritas, femur ideo non eſt magis tenerum, neque crus rectius *quam tuum*, Cerinthe. Sic Vet. Schol. *Quam tuum* idem eſt, quod *tuo*: ut reſtituit feliciter Bentleius. Quod autem *hoc* in *o* mutavit, nihil opus videtur: eſt enim *hoc* idem quod *ideo*, *ob hoc*, &c. G.

Pulcherrimus erat iſte puer, Sulpiciæ et matronarum deliciæ, de quo Tibullus. Significat hunc vel ipſis matronis præferendum.

83 Mire *geſtat mercem* de meretrice, quod proprie faciunt circumforanei mercatores.

84 *Honeſti*, i. e. *pulchri.* Vet. Schol.

86 Veteres potentes patronos dicebant *Reges*; neque enim alii Reges primis temporibus.

Vetus Scholiaſtes non diſſentit a Lambini et Torrentii Codicibus, quorum plerique pro apertos legerunt *opertos*. Stat contra Faber. *Operiunt eos ne pulchritudine inducti emant equum pedibus mollioribus.* Vet. Schol. quem dixi.

87 *Faciem* dicit membrorum ſymmetriam.

Depygis, naſuta, brevi latere ac pede longo eſt.
Matronæ, præter faciem, nil cernere poſſis,
Cætera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te
Hoc facit inſanum) multæ tibi tùm officient res;
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ;
Ad talos ſtola demiſſa, et circumdata palla;
Plurima, quæ invidiant pure apparere tibi rem.
Altera, nil obſtat: Cois tibi pene videre eſt
Ut nudam; ne crure malo, ne ſit pede turpi;
Metiri poſſis oculo latus. An tibi mavis
Inſidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem oſtendi? ¶ *Leporem venator ut alta*
In nive ſectetur, poſitum ſic tangere nolit:
Cantat, et apponit, *Meus eſt amor huic ſimilis; nam*
Tranſvolat in medio poſita, et fugientia captat.

93 Depugis *Bentl. Cun.*—106 Sectetur *etiam H. et G.* ſectatur *al.*—107 Captat *Lamb. ex conject.*

88 Bentleius ſcribi vult *ducat* pro *inducat*, neque novi cauſam.

Admiratione dicit *biantem*, et quaſi oculis atque animo defixum.

90 *Recte*, ordine, et per hoc ſapienter. B. *Hoc illi recte faciunt*, eademque te monent, *ne corporis*, &c. Si hæc ita connexa cogitaſſent viri docti, de mutatione vix erant cogitaturi. G.

Lynceis oculis, Proverbium eſt. *Lynceus tantam vim in acumine oculorum dicitur habuiſſe, ut trans parietem videret, et dum ſtaret in Sicilia, videret claſſes de Africa exeuntes.* Vet. Schol. Eraſmus et Cruquius legerunt *Lyncei*; ſed nil opus fuerat. Bentleius poſt Eraſmum legit *Lynceï* in Genitivo: Verum quid intereſt? Quin et pro *Ne contemplere* poſuit *Tu contemplare*, ſed tenui ſub auctoritate.

91 De *Lynceis oculis* falſe novum ipſe finxit Proverbium, dum nobilem mœcham, *Hypſæam Plautiam* vitioſis oculis utentem, per tranſitum percutit. Nam Plautiorum *Hypſæus* erat cognomentum, auctore Torrentio.

93 *Depygis ſine natibus, ſicut Callipygis.* Vet. Schol.

Naſuta, quæ grandi eſt naſo.

Deforme eſt in fœminis furcam latere habere majorem. Vet. Schol.

95 *Ni Catia eſt; Hæc adeo vilis fuit, ut in Æde Veneris Theatri Pompeiani adulterium cum Valerio Siculo Colono Tribuno Plebis obducto velo admiſerit.* Vet. Schol. *Hæc neglecto pudore propter pulchritudinem crurum, elata veſte utebatur.* Alter Schol.

96 *Interdicta*, h. e. ideo quia interdicta. *Plus incendimur, quo difficilius pervenimus.*

Vallo circumdata; Metaphora a caſtris.

98 *Sed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?* Juvenal. Torrentius putat lucubratoriam dici lecticam.

Ciniſiones et cinerarii eadem ſignificatione apud Veteres habebantur ab officio calamiſtrorum. Vet. Schol.

99 *Palla pro peripodio poſuit quod dicunt tunicæ pallium.* Vet. Schol. (ita enim legendum pro *tunicopallium*;) erat enim et muliebre pallium.

100 *Rem* modo poſuit pro merce.

101 *Altera*; Comice pro *quod ad alteram attinet*; eſtque Ἀναπόλυθον.

Cois; bombycinæ veſtes a Pamphila Coa repertæ, ut alias monuimus.

103 Feſtive *metiri oculo*, pro percurrere.

105 *Leporem venator*; *inducit quaſi canticum amatoris.* Vet. Schol. En tibi Callimachi verſiculos ex Daniele Heinſio et Scaligero: Ὡ ſειυτὴ, Ἐπίκυδες, ἐν ὕρεσι πάντα λαγωὸν Διφᾷ, ἢ πάσης ἴχνια δορκαλίδος, Στείβῃ ἢ νιφετῷ * κιχαεμένος· ἦν δέ τις ἴσῃ, Τῇ τόδι βίβληται Θηείον

* Κιχαεμένος pro Κιχεμένος repoſuit nuper ad Callimachum magnus Bentleius, natus emaculandis Græcorum ſcriptis. B. Eſt Epigr. 33.

¶ Hiſcine verſiculis ſperas tibi poſſe dolores,
Atque æſtus, curaſque graves e pectore pelli?
Nonne cupidinibus ſtatuit natura modum? quem,
Quid latura, ſibi quid ſit dolitura negatum,
Quærere plus prodeſt, et inane abſcindere ſoldo?
Num, tibi cum fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia præter
Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num, ſi
Ancilla aut verna eſt præſto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem, facilemque.
¶ Illam, *Poſt paulo; Sed pluris: Si exierit vir;*
Gallis; hanc, Philodemus ait, ſibi, quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, cum eſt juſſa, venire:
Candida rectaque ſit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Hæc, ubi ſuppoſuit dextro corpus mihi lævum,
Ilia et Ægeria eſt: do nomen quodlibet illi.

110 Tolli *etiam coll. Sax. it. Cun.*—111 Statuat *MSS. et Schol. it. H.*—121 *Vulgo diſtinguunt* Gallis hanc, Philodemus ait; ſibi, *&c. ſed ſecutus ſum Bentleium. Nam* illam *h. e. matronam, quæ tam difficilis eſt in re concedenda, et ſolet his verbis remorari mœchum,* Poſt paulo redi, Pluris copiam tibi faciam, ſi maritus foras prodierit, *atque* hanc, *h. e.* quæ neque magno ſtet pretio, *&c. ſibi opponuntur. Illam igitur Philodemus Gallis, h. e. Cybeles ſacerdotibus, ſpadonibus relinquendam eſſe ait.* Z.—125 *Pro Baxteri lectione* dextrum c. m. lævo *revocavi lectionem Ven. Glar. Chab. Lamb. Bentl.*

ἐκ ἔλαβεν. Κύμος ἕως τοῖς δὲ τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσῳ κείμενα παρίσταται.

106 Recte Bentleius *ſectetur*, et quidam etiam ſcripti Codices. B. Accipiendum *ſectetur* potentiali modo, ſectari poteſt. G.

107 *Apponit; Addit ad Cantum.* Vet. Schol. Hoc ingenioſe et ſolerter Dacerium ſubodoratum fuiſſe ſcribit Ludovicus Deſprez.

110 Quidam Libri habent *tolli*, quod prælatum video Bentleio ſuo more.

111 Rarior ſcriptura *ſtatuat* placet Bentleio. B. Nonne ipſa natura præfixit modum et cancellos veluti cupiditatibus? quem modum, hoc eſt, *quid latura—negatum*, diligenti attentione exquirere, et inania, quibus carere poteſt, reſecare, utilius eſt, quam indulgendo eas alere in immenſum. Hoc jam exemplis illuſtrat. G.

112 *Quid ſit dolitura*; ſic et in prima; *Queis humana ſibi doleat natura negatis.*

113 *Inane abſcindere ſoldo; Allegoricῶς inutilia aut vana ab utilibus ac neceſſariis recidere ac ſeparare.* Vet. Schol. Hoc faciunt qui veſcuntur caſeo, vel pomis.

119 *Parabilem*; Græcis Εὐπόριστον.

120 *Illam, poſt paulo:* pulcherrima Ethopœia licitantis mœchæ. *Hi verſus ex Philodemo tranſlati ſunt. Poeta fuit hic Epicureus, qui Græce ſcripſit multa Epigrammata.* Vet. Schol. Cruq. Cruquius ipſe Philodemum Gadaræum fuiſſe ſentit, quem Strabo Philodemum Epicurum nominavit, ſi veri ſunt Codices.

121 *Gallis hanc*; h. e. ſuperbis, ſtolidis et γυναικομανέσι, qui hujuſmodi affectant delicias. Quin et Martialis Gallos ſtolidos et oſtentatores hoc Diſticho ſignificat: *Tu tantum accipies, ego te legiſſe putabo; Et tumidus Galla credulitate fruar.* Sed pene oblitus ſum Veteris Scholiaſtæ; *Relegat tales ad Gallos* (inquit ille) *qui magno adulteria mercantur.* Hodiernis Gallis minus conveniunt hæc Veterum improperia.

123 *Munda*, h. e. culta.

Longa; ſunt enim (ut ait Vet. Schol.) quæ

Nec vereor ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus ſtrepitu reſonet, vepallida lecto
Deſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet;
Cruribus hæc metuat, doti deprenſa, egomet mî;
Diſcincta tunica fugiendum eſt, ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miſerum eſt: Fabio vel judice vincam.

129 Vepallida, veh pallida, væ pallida *MSS. et primæ editt. nuſquam* ne.

proceritatem ſibi ſtaturæ mentiuntur ſuppoſitis crepidis.

125 *Dextrum corpus mihi lævo.* Sic et Lambinus et Cruquius ex veteri Codice repoſuere (quos et ſecutus eſt Lubinus) pro eo quod erat, *Dextro corpus mihi lævum*, quod vel prima fronte vitioſum eſt. *Hoc eſt quod Lucilius ait in quinto, Et cruribus crura dilaxat.* Vet. Schol.

129 *Vepallida, una pars eſt Orationis ſicut veſana, et ſignificat valde pallida, ſicut apud Perſium* (1. III.) *Ut ramale vetus vegrandi ſubere coctum.* Vet. Schol. Cruq. Bentleius ſua auctoritate acriter contendit pro *vepallida* legendum eſſe *ne pallida*; atque hoc adverſante antiquo Scholiaſte. B. Recte legit Vet. Schol. ſed male interpretatus eſt. *Ve* in compoſitione ſemper vitium notat, *vepallida* male pallida eſt. *Ne* curſum orationis intercipit, et eam reddit languidam. G.

130 *Conſcia; Ancilla conciliatrix.* Vet. Sch.

131 *Cruribus; Metuit ne cruribus truncetur.* Vet. Sch. Cruq. Erat autem *crurifragium* peculiare ſervorum ſupplicium.

Etiam ante Legem Juliam deprehenſa in adulterio dotis parte multabatur, ut ex Val. Maximo Jacobus Cruquius oſtendit. Nihil opus erat Bentleium repoſuiſſe *doti hæc deprenſa* ſola inductum conjectura. Neque ſane pari gradu heram et ancillam decuit nominari hoc loco. B. Et *deprenſa* proprie non dicitur niſi matrona, nempe ea, cujus et crimen et periculum eſt. G.

132 *Diſcincta tunica* Ἐνεργῶς *expreſſa perturbatio adulteri, de ipſo lecto ſubito fugientis.* Vet. Sch.

133 *Ne nummi pereant; quibus adulteri redimebant adulterium.* Vet. Schol.

Aut pyga; raphaniſmo ſcilicet, mugili vel calonibus.

134 *Miſerum eſt;* Ἐμπαθῶς.

Fabio vel judice; Satis urbane hominem ſeverum percutit, et Provincialem Stoicum; cujus meminit etiam in prima. Alii Juriſconſultum putant. Forſan utrumque verum eſt.

SATIRA III.

IN OBTRECTATORES ET SUPERCILIUM STOICUM.

Cum Tigellium ob ſummam levitatem et inconſtantiam in dictis et factis reprehendiſſet; tranſit inde ad vituperandam conſuetudinem peſſimam iſtam et admodum vulgarem vitia vel leviſſima aliorum acutius obſervandi et acerbius perſtringendi. Æquius eſt, inquit, ſi ob virtutes majores vitia leviora feruntur leniter: veluti, ſi quis eſt iracundior, aut ejus odor minus gratus eſt naribus acutis aliorum, aut in cultu corporis et veſtitu parum elegans reperitur; idem forte eſt vir bonus, tibi amicus, et ingenio magno præditus: præſertim cum fortaſſis vitiis tute ipſe labores, ſive a natura inſitis ſive a mala conſuetudine contractis. Quodſi imitamur amatorum aut parentum morem, qui vitia corporis amicarum et filiorum extenuant et elevant, adeo ut parcus nobis dicatur frugi, nimis ſedulus et ardelio vocetur amicorum ſtudioſus, vehementior in congreſſu et ſermone liberior habeatur doli expers et generoſus, pronior ad iram et jurgia numeretur inter animoſos; hoc magis ad amicitiam conciliandam conſervandamque valet, quam ſi contra virtutes amicorum in vitia detorquemus: ſi v. g. probus vocatur humilis et abjectus; cautus, ſtupidus; prudens et diligens in cavendis inſidiis, fictus et aſtutus; non ſatis cautus et qui, quemadmodum ego ſæpe, ſed ſine offenſione, Mæcenatem interpello, amicum legentem aut meditantem ſermone non neceſſario interpellat, moleſtus dicitur et ſenſus communis expers. Cum nemo ſine vitiis ſit; probetur is, qui minimis eſt infectus, et alter alterius vitiis ignoſcat. Si enim, ex ſententia Stoicorum, nos cæteri ſumus ſtulti, nec a vitiis liberi eſſe poſſumus: cur non ſumus æqui judices, et pœnas peccatis æquales irrogamus? Nam ſi inſanus habetur, qui ſervum ob tepidum jus deguſtatum cruci affigit; nonne gravius eſt amicum pro levi errore odiſſe et fugere. Iſtud enim Stoicorum, omnia peccata eſſe paria, convellitur a natura rerum, ſenſu cujuſque, ipſa utilitate communi et conſuetudine populorum. Ad extremum ridet Stoicorum faſtum, qui ſapientem ſolum jactabant eſſe divitem et regem, et dicit ſe malle eſſe ſtultum et privatum, quam cum Stoicis ſapere et regnare.

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
Injuſſi nunquam deſiſtant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæſar, qui cogere poſſet,
Si peteret per amicitiam patris atque ſuam, non
Quicquam proficeret: ſi collibuiſſet, ab ovo

1 Supra (ad Sat. 1. 2. 3.) oſtendimus Tigellium Horatii Carmina ut parum modulata reprehendiſſe; cujus injuriæ adhuc memor de Obtrectatoribus acturus initium ab iſto ſumit. Significat autem perverſum hujus hominis ingenium non minus Arti ſuæ quam patriæ Sardiniæ deberi. Elevando autem Muſicorum Profeſſionem *Cantoribus* poſuit. *Inter amicos*; ſupplendum extrinſecus *etſi*.

3 Hunc ipſum Tigellium etiam Cicero in Epiſtolis *patria ſua peſtilentiorem dicit*. Et *Licinius* (inquit Vet. Schol.) *de Hermogene agens: Sardi Tigelli putidum caput venit*.

4 *Ille* ad Emphaſin poſuit nobilitatis. *Quaſi de noto dixit Ille*. Vet. Schol.

5 *Patris*; Divi Julii, cujus in Comitatu fue-

Uſque ad mala citaret, Io Bacche! modo ſumma
Voce, modo hac, reſonat quæ chordis quatuor ima.
Nil æquale homini fuit illi: ſæpe velut qui
Currebat fugiens hoſtem; perſæpe velut qui
Junonis ſacra ferret; habebat ſæpe ducentos,
Sæpe decem ſervos: modo reges atque tetrarchas
Omnia magna, loquens: modo, Sit mihi menſa tripes, et
Concha ſalis puri, et toga quæ defendere frigus,
Quamvis craſſa, queat. Decies centena dediſſes
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis: noctes vigilabat ad ipſum
Mane, diem totum ſtertebat; nil fuit unquam
Sic impar ſibi. Nunc aliquis dicat mihi, Quid tu?
Nullane habes vitia? Imo alia, et fortaſſe minora.

7 Bacchæ *edit. Med.* 1477.—8 Reſonans *Glar.* Reſonat chordis quæ qu. *Lamb.*—9 Animi fuit *Chab.*—10 Velut ſi *Lamb.*—11 Alebat *Bentl. ex ſcriptura cod. Voſſiani* Halebat.—20 Et fort. *MSS. et primæ editt. uſq. ad Ald. qui* haud *poſuit, quod ſecuti alii.*

rat; illud enim ſignificatur voce *amicitia* hoc loco.

6 *Ovum initium cœnæ erat, quippe quod in guſtu ſtatim a balneis offerebatur; mala vero in ſecundis menſis erant.* Vet. Schol.

7 *Citari dicuntur qui clara voce vocantur: hinc præcones citare dicuntur.* Vet. Schol. Cruq. Pro *citaret* Bentleius, ſolita ſua fiducia, nullo ſub auctore, poſuit *iteraret*; imo et negavit poſſe dici *citare* ſatis Latine, pro *clamare*, cum tamen *citare* nihil aliud ſit quam *vocem ciere*. B. Cic. de Orat. I. c. 59. etiam *citare* eſt frequenter pronunciare. G.

Io Bacche; Bacchi Hymnus perpetuus fere conviviorum comes: hunc autem nominat ob inſaniam. Nil opus eſt Turnebi *Bacchæ* nimium caventis de Metro.

Modo ſumma; i. e. *Modo clara voce, modo craſſa, et a Tetrachordo hoc deſumtum videtur, in quo eſt graviſſimi ſoni chorda quæ ὑπάτη dicitur.* Vet. Schol. Τπάτην Saturni fuiſſe oſtendit Cruquius, uti Νήτην Lunæ. B. Tigellius modo utebatur ea voce, quæ ſumma chorda Tetrachordi, τῇ ὑπάτῃ reſonat, h. e. graviſſima; modo ea, quæ ima chorda, τῇ νήτῃ, eademque acutiſſima, reſonat. Trajectio locum aliquantum obſcurat, ut Carm. 2. 13. 1. Non jungendum *ſumma voce*, ſed *ſumma chorda*. G.

9 Hanc inconſtantiam pulchre deſcribit etiam Ser. 2. 7. 7. G.

10 Κατὰ Σύλληψιν Figuram ex *currebat* ſuppleudum *currit*. Hoc voluit Vet. Schol.

11 Καπηλεῖον *apud Aibenienſes hodieque dicuntur, qui ſacra in capite portant, et lento gradu incedunt.* Vet. Schol. Proverbiali forma hæc proferuntur, quomodo et Græci Ἥρωιον βαδίζειν. B. Conf. ad Ser. 2. 8. 13. G.

Alebat rariſſima erat Lectio, ideoque prælata a Bentleio, etſi et iſta Membrana tantum illam repræſentaverat, ut vel ipſe advertit.

12 *Tetrarchæ dicuntur qui quartam partem Regni* [*Imperatoris*] *habent.* Vet. Schol. Regnum Imperatoris Judæam dicit: erat enim hæc Præſidialis Provincia, et Imperatoris propria, cum veteres Provinciæ Senatus eſſent, adeoque Proconſulares dicerentur. Ludovicus Deſprez Tetrarcham dicit *Quatuor Provinciis Præfectum*, infelicem Andreæ Dacerii errorem ſecutus. Quis non ferat homuncionem de Trivio ſubinde allucinantem, cum tanti viri neſcierint quid ſit Tetrarcha? B. Vocem *Imperatoris* non habet Vet. Schol. Cruq. Et turbat ea ſententiam, niſi addas *Imperatoris conſeſſe*, vel *indulgentia*, vel tale quid. De provinciis Cæſaris et Senatus hic diſputari non debebat, neque hoc modo. Vid. Spanhem. Diſſ. 13. Tetrarchas habuere Gallogræci ante quam imperii Ro. pars eſſent, &c. G.

13 *Loquens*; *Loquendo imitabatur.* Vet. Sch. Cruq.

Menſa tripes; *Menſa Delphica* (pauperiorum propria). Sic et Vet. Schol. Cruq.

14 *Concha ſalis*; *Pauperiores in marina concha ſalem tritum habere ſolent, quo cum pane veſcantur.* Vet. Schol. *Cum ſale panis Latrantem ſtomachum bene leniet*; ut ait alias noſter.

Mænius abſentem Novium cum carperet; Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mî ignoſco, Mænius inquit.
Stultus et improbus hic amor eſt, dignuſque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus et illi.
Iracundior eſt paulo? minus aptus acutis
Naribus horum hominum? rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, et male laxus
In pede calceus hæret? At eſt bonus, ut melior vir

---

21 Mævius *G. Z. Med.* 1477. *Glar.* Nevium *Venet. Glar. Chab.*—25 Prætereas *conj. Meruil.* Male *Muret. ex MS.*—29 Aduncis *conj. Bentl.*

Puri; perpetuum ſalis Epitheton: *Purum et ſine labe ſalinum:* nam et religioſum dicitur purum. Quin et ſalinum patella erat deorum manium, qua menſa conſecrari conſueverat. Poteſt et ineſſe Dilogia, ut ſit *puri* etiam pro *ſimplicis* et *ſine condimentis*, quod putavit Vet. Schol. Delicatuli enim et condiebant ſibi ſalem.

15 *Decies centena*, ſupple millia ſeſtertiûm. Docte monet Turnebus Romanos uſitata loquendi formula uſos fuiſſe hac ſumma pro immani. Sesterium est. H. n. S.

16 *Huic parco*; falſe et Ironice hæc protulit.

17 Enallage Modi pro *Nil eſſet*.

18 Ἐν ἅπασι *nil* poſuit pro *nemo*, ac ſi hominem negaret. *Conveniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.*

20 Lambini et Cruquii MSS. Codices legerunt *et fortaſſe*, cum omnes [poſt Aldum] Impreſſi habeant *haud*: Ego tamen cum Vetere Scholiaſte *at* reponendum duxi, quod ſæpius uſurpatur pro *atque*; quod Librarii non intelligentes fecerunt *et*. Omnium autem peſſimum eſt *Haud*. B. Nulla plane auctoritate nititur *at*: *et* ſummo conſenſu eſt in libris, et pulchrum ἄθος habet, quaſi non acriter contendentis. G.

21 *Qui de perſonis Horatianis ſcripſerunt aiunt, Mænium ſcurrilitate notiſſimum Romæ fuiſſe: hic poſt patrimonium obroſum, Calendis Januariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum æris alieni haberet. Quærente quodam quid ſibi vellet, quod tam ſolenni die æs alienum optaret habere, Noli mirari, inquit, Octoginta* [*habere*] *debeo. Hic fertur domo ſua, quam ad forum ſpectantem habuerat, divendita, unam columnam ſibi ibi excepiſſe, unde Gladiatores ſpectaret, quæ ex eo Columna Mœnia nominabatur; cujus et Lucilius ſic meminit; Mœnius Columnam cum peteret.* Vet. Schol. B. In hac narratione verbum *habere* redundare videtur. Ad *quadraginta* et *octoginta* minimum *millia* intelligi debent: vel potius notæ numerales legendæ per adverbia *quadragies*, *octogies*. G.

Fortaſſe nomen avari cujuſdam apud Lucilium: melius enim conveniſſet inter eos, ſi uterque fuiſſet nebulo. Novii Fratres in ſexta acres erant fœneratores; ſed hic fuit illis antiquior.

22 *Dare verba non tam fallere eſt, quam latere.* Cruquius.

24 *Improbus* modo poſitum eſt pro *impudens*, vel *importunus*.

Notari, ignominiæ nota, qua Cenſores eos notabant qui quid indecentius aut dicerent aut facerent. Cruquius. *Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.* Perſius.

25 *Pervidere* eſt quaſi de longinquo videre; quod mire poſuit de lippo. Petrus Victorius voluit Græcum eſſe παραβλέπειν, quod non placet. Bentleii *prævideas* non mihi ſoli diſpliciturum cenſeo, etſi proveniat ex conjectura Rutgerſii, et ab Heinſio ſit commendatum. Vertit etiam *mala* in eodem verſu in Adverbium *male*, arbitrio tantum ſuo. B. Nondum oſtenſum eſt *præ* poſitum pro *præter* in tali verbo. Etiam cum *pervidere*, h. e. accurate recenſere *mala* noſtra volumus, *lippi* ſumus ab amore noſtri nimio, *inunctos* habemus oculos collyriis adulationis, &c. *Male lippus* placet, ut mox v. 46. *male parvus*, ut *tuſſire male* Sat. 2. 5. 107. Poſſis etiam ita: *Cum tua* vitia *male* pervideas. G.

Lippus inunctis; velut ſi lippiens unctus ſit.

Non alius quiſquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore. Denique te ipſum
Concute, num qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
Illuc prævertamur; amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnæ.
Vellem in amicitia ſic erraremus, et iſti
Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum.
At, pater ut gnati, ſic nos debemus, amici
Si quod ſit vitium, non faſtidire: ſtrabonem
Appellat Pætum pater; et Pullum, male parvus
Si cui filius eſt, ut abortivus fuit olim

35 Inſederit *Bos* p. 57. *Sax.*—43 Ac *MSS. quidam et edd.*—44 Vitii *ex conj. Cun.*

Vet. Schol. Vult videri in ſeipſum jocari, qui lippus fuerat.

27 *Quam aquilâ;* Proverbiali utitur Elocutione.

Epidaurius de Hiſtoria Romana additum videtur, de quo vide Val. Maximum Lib. I. Cap. 8. Cruq.

29 *Iracundior; An ſeipſum vult?* Imo Dilogos ſe conjungit Virgilio. *Dicitur pulſare Virgilium.* Vet. Schol.

Minus aptus; h. e. ineptus, vel inconcinnus ſuavibus ſodalibus; qualis videbatur Virgilius nonnullis; Perſ. 1. 130. *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit.* B.

Sed conf. dicenda ad Epiſt. 1. 1. 95. G.

Acutis naribus; Ironice dictum eſt, et habet Emphaſin; ſignificat enim defuiſſe tanto acumini judicium. B. Ad illuviem aliquam corporis et fœtorem reſpici puto, quem ferre non poſſunt *acutæ nares.* Huc refert v. 35. incultum corpus. G.

30 Moralis eſt iſta Numeri Enallage, cum unum ſignificet, ut vel ſequentia oſtendunt.

31 *Toga deſſuit;* ruſticiores dum ambulabant, non componebant togam.

Male, h. e. inconcinne.

32 *Hæret;* h. e. quaſi reſolutus pendet. Sic et Virgilius; *Vix oſſibus hærent.*

33 *At tibi amicus; Pronunciandum eſt ut ſignificatio ejus exprimatur.* Vet. Schol. *Colligit amicorum vitia ſi ſint levia, eſſe ferenda, juxta illud; Amici mores noveris, non oderis.* Alter Schol.

34 Bene *latet; Quia non facile probat aliquis ſapientem eſſe cum, qui male veſtitur.* Vet. Sch.

35 *Concute,* Metaphora a ſacculo nummario, quem etſi vacuum, tamen ſubinde concutimus: ſic et Juvenalis; *Et ſe Concuſſere ambæ.*

36 *Mire duo dixit; vitia enim aut naſcuntur, aut mala conſuetudine trahuntur.* Vet. Schol. B. Si quid veri habeat lectio *inſederit; naturam vitiorum* interpretabimur vitia naturalia, vitioſamve naturam. G.

38 *Illuc* modo dicitur pro *Huc,* ut frequenter *Illud* pro *Hoc.*

Prævertamur; h. e. convertamus ſtylum. Tralatio ab equitibus ſubito divertentibus de via. B.

Prævertamur eſt, potius nos convertamus. G.

Quod, h. e. *in quantum;* vel quod cernimus uſu venire. Maluit *quod* quam *ut,* quod ponderoſius videretur. B. Hunc locum de amatorum conſuetudine in extenuandis amandiſque adeo earum quas amant vitiis poſt Platonem de rep. 5. p. 466. pulchre tractavit Lucret. 4. 1154. Ovid. Art. 2. 657. Plut. de diſcr. adul. et am. p. 56. G.

40 *Balbinum; Lucilliana urbanitate uſus, in tranſitu amaritudinem aſperſit.* Vet. Schol.

Polypus. Fœdum narium vitium. Producitur prima ſyllaba ob Liquidam.

Cum duobus Torrentii Codicibus pro *Agnæ* legimus *Hagnæ;* nam Græcum eſt Ἀγνη.

42 *Virtus;* ut de errore fieret virtus.

43 *At;* imo etiam.

45 *Pætus dicitur qui tremulis eſt oculis et leniter declinatis.* Vet. Schol. Ipſa Venus pæta eſt. B. Et ſunt cognomina nobilium hominum et familiarum *Pætus, Varus, Scaurus.* Cum vero

Siſyphus: hanc Varum, diſtortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit? frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paulo eſt? concinnus amicis
Poſtulat ut videatur. At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber? ſimplex fortiſque habeatur.
Caldior eſt? acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res et jungit, junctos et ſervat amicos.
At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare. Probus quis
Nobiſcum vivit? multum eſt demiſſus homo. Illi
Tardo, cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Inſidias, nullique malo latus obdit apertum?
(Cum genus hoc inter vitæ verſetur, ubi acris

54 Jungat—ſervet *e conj. Cun.*—57 Eſt *abeſt ab edd. Venet. Glar. et Bentleii, qui locum omnino ſic diſtinguit et mutat locum:* multum demiſſus homo ille, Tardo ac cognomen pingui damus. *Ergo* probum *et* demiſſum *tanquam virtutes propinquas et cognatas notantia refert Bentleius ad membrum prius, quibus in membro poſteriori reſpondeant* cognomina tardi et pinguis. Z.—58 Pinguis *Chab. Lamb.*—60 Verſemur Bentl. ex vet. cod. Cruquii.

Pullus non ita ſit nobile, quamvis non inauditum; optabam invenire in libro bono *Paullum:* quod adhuc non contigit. Sed *Pullum* etiam appellatio eſſe poteſt, ut Sueto. c. 13. Caligulam vocant *ſidus, pullum, puppum.* G.

Male, h. e. *dedecoroſe.* Vet. Schol. Ut ſupra *male laxus.*

46 *Abortivus*; et per hoc pumilio. *Filius Antonii, nepos Mariti Cleopatræ fuit pedalis: alii dicunt fuiſſe intra bipedalem ſtaturam, ingenii ignei.* Vet. Schol. Pedalis erat cum natus eſt, poſtea intra bipedalem ſtaturam manſit. Cruquianus Interpres ſcripſit eum M. Antonio Triumviro fuiſſe pro pumilione.

47 Blande *Siſyphus*, qui fuerat Heros, et ob ingenium. B. Sic nempe appellavit ſuum nanum, Scholiaſta teſte, Antonius. G.

Varum et *Scaurum* dicit nomine nobilium familiarum, ut bene Torrentius. Atque iſta nata ſunt ex Siſyphi nomine. *Varus* appellabatur cui crura modice introrſum inflexa ſunt; non prorſus diſtorta: ſic et *Scaurus* cui exſtabant tali, neque tamen erant admodum pravi.

48 *Suaviter dixit Balbutit Scaurum: ſic enim blandientes infantibus infringere linguam ſuam ſolent, ut eos imitentur.* Vet. Schol. Apage Dacerii *Scaulum* et Rutgerſii *Hillum.* B. *Balbutire* eſt ὑποκορίζεσθαι pueros loquendo vel fingendo imitari. G.

49 *Ineptum* dicit importunum, garrulum, et ἀδόλεσχον. B.

Propria illa notio, qua *ineptus* eſt, qui in re parva magnos conatus adhibet, etiam huc convenit: negotioſus, ardelio, operam ſuam jactat. G.

50 *Concinnus; ſuavis.* Vet. Schol. Cruq. Hoc eſt, aptus ſodalibus.

51 *Truculentior*; h. e. loquela agreſtior, et immanior.

52 *Plus æquo liber eſt, qui quod ſentit tacere non poſſit.* Vet. Schol.

Simplex, non bilinguis, ſed qui quod ſentiat dicat. Vet. Schol.

Fortem generoſum dicit et honeſtum.

53 *Caldior*, h. e. commotior ad iram.

Acres dicit animoſos.

55 *Invertimus; dicentes quæ bona mala.* Vet. Schol.

56 *Sincerum cupimus; virtutem polluere vitio; Ἀλληγορικῶς hoc dicitur. Incruſtari autem vas dicitur cum aliquo vitioſo ſucco illinitur atque inquinatur; ſecundum quod et Lucilius in decima octava Satyra ait, Nam vel regionibus illis Incruſtatu' calix ruta caulive bibetur. Vaſa dicuntur etiam incruſtari quando cooperiuntur, vel argento, vel auro.* Vet. Sch. Quin et fracta vaſa et gypſare et pelliculare Veteres conſuevere. *Sincerum* autem integrum eſt, a *ſine* et *querela* (Græcis ἄμεμπτον) ut *ſimplex* a *ſine* et *plica.* B. *Gypſantur* et *pelliculantur* vaſa plena ad ærа et ſordes excludendas, &c. *Sincerum* proprie mel *ſine cera*, vel, quod magis huc pertinet, vas non ce-

Invidia, atque vigent ubi crimina) pro bene ſano
Ac non incauto, fictum aſtutumque vocamus.
Simplicior quis, et eſt, qualem me ſæpe libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis ſermone? moleſtus!
Communi ſenſu plane caret, inquimus. Eheu
Quam temere in noſmet legem ſancimus iniquam?
Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis urguetur. Amicus dulcis, ut æquum eſt,
Cum mea compenſet vitiis bona, pluribus hiſce
(Si modo plura mihi bona ſunt) inclinet: amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.

63 Siquis, qualem me *Venet. Glar. Chab.* Quis at eſt qu. *Lamb.*—65 Impellam *Venet.* Appellet *Lamb. Chab. Schol. Acro, ſed Bentleius conjicit* impediat. *Cæterum reliqui diſtinctionem Geſneri: quamquam Bentleii rationem haud ineptam puto, qui* moleſtus *refert ad antecedentia.* Z.

ratum: nam a ceratura odorem vel ſaporem trahit. G.

57 *Vivit*, h. e. agit, verſatur.

Demiſſus, h. e. inaudax et abjectus.

Vitioſe reſcribitur Bentleio *homo ille* pro *homo: illi.* Demiror acerrimum virum non vidiſſe *quis*, *illi* et *hic* Indefinita eſſe Pronomina.

58 *Tardo*, h. e. cauto. Vide *quam ſit tautus is, quem iſti tardum vocant.* Cicero, citante Ludovico Deſprez.

Legimus *pingui* pro *pinguis* cum Veteribus Scholiaſtis et Cruquii Codicibus. Eſt autem *pinguis* idem quod *craſſus*, et Græcorum παχύς. Metaphorice *ſtupidus et inſenſatus.*

59 *Malo*, h. e. inſidioſo: *Malus* enim dicitur ad malefaciendum callidus, Græcis πονηρός.

Apertum, et per hoc vulnerabile.

60 Miror neminem vidiſſe *vitæ* modo dici pro *in hac vita*, quomodo apud Juvenalem, *Magna otia cæli*, pro in *cælo.* Sic et Perſius *compoſitum jus fáſque animi*, pro *in animo;* quod hic obiter adnotandum duxi, quod et doctiſſimos fugiat.

Pro *verſetur* Bentleius poſuit *verſemur;* puto ne *verſetur* haberetur pro Paſſivo Verbo. Interim ad nullum Exemplare provocat.

Acris modo pro *infeſta* dicitur et *fera:* acres enim ſunt hoſtium vultus cædibus intenti.

61 *Crimina* falſæ ſunt accuſationes et mendacia.

62 *Fictus* dicitur qui omnia fingit, cuique ἀδὶν ὑγιὲς, ſive ex animo eſt. Sic et Juvenalis; *Vitia ultima fictos Contemnunt Scauros.*

63 *Simplicior;* h. e. incompoſitus, nec ſatis fictus. B. *Simplicior quis* eſt, *et eſt* talis, *qualem—ſermone? moleſtus* eſt! *Communi*, &c. Sic diſtinxit etiam et intellexit V. Comment. Cruq. G.

Pro *ſiquis*, omnes Torrentii et Cruquii Codices legerunt *quis et eſt?*

Libenter obtulerim; quia tu non facis quod cæteri: neque enim inſuavior tibi videor ob iſtam ſimplicitatem. Miror hoc Interpretes latuiſſe. Cavet enim ne Mæcenatem ſuum alieno loco percutere videatur.

65 *Aut tacitum*, meditabundum; quomodo et Virgilius, *Tacitus mecum ipſe voluto.*

Impellat ad Emphaſin dixit; ſignificat enim defixum eum fuiſſe ante et immotum. Pro *impellat*, quod omnium Librorum eſt, Bentleius poſuit *impediat.* B. Sic *ſenſus impellere* Lucret. 1. 304. G.

Quovis ſermone, nullius forſan momenti.

Proprie moleſtum dicimus qui alieno tempore occupatum interpellat.

66 Sic et Phædrus (1. 7.) *Senſum* communem *abſtulit:* Et Juvenalis (8. 73.), *Rarus enim ferme communis ſenſus in illa Fortuna.* B. *Communis ſenſus expers*, qui non videt, quid tempus, perſona, locus requirat. Z.

67 *Iniquam* dicit legem quæ pœnam irrogat culpa majorem; et per hoc duram.

68 *Vitiis nemo ſine;* Hyperbaton.

69 *Urguetur, gravatur.* Vet. Schol.

Dulcis; ſuavis et bonus.

70 *Cum mea compenſet;* alterum Hyperbaton, et *compenſet* modo poſuit pro una penſet. B. Mea bona comparet cum meis vitiis. Z.

71 Mire *inclinet* pro propenſior ſit, Metaphora de præſenti materia ſumta: nam inclinatur lanx quæ propendet.

72 *Trutinæ* ineſt examen; ſiquidem bilancis foramen eſt, Græcis τρυτάνη. *Examenve improbum in iſta Caſtiges trutina.* Perſius (1. 20). B.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcet verrucis illius. Æquum eſt,
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt ſtultis hærentia: cur non
Ponderibus moduliſque ſuis ratio utitur? ac res
Ut quæque eſt, ita ſuppliciis delicta coërcet?
Si quis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus
Semeſos piſces tepidumque ligurrierit jus,
In cruce ſuffigat, Labeone inſanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furioſius atque
Majus peccatum eſt? Paulum deliquit amicus;
(Quod niſi concedas, habeare inſuavis, acerbus,)
Odiſti et fugis, ut Ruſonem debitor æris?

74 Ignoſcet *cum Bentl. etiam G. Med.* 1477. *&c.* Ignoſcat *al.*—76 Quatinus *edd. vett.*—82 Labieno *conj. Bentl.* Labione *ed. Glar.*—85 *Bentleius* acerbus *refert ad ſeq. odiſti, non male. Atque idem pro* Quod *conj.* quoi *i.* cui. Z.—86 Druſonem *Aldus demum invexiſſe videtur.*

73 *Tuber gibbus eſt.* Vet. Schol.

74 *Poſtulat,* exſpectat.

76 *Excidi* dicuntur quorum radices exſecantur; ſic et Virgilius, *Novas incidere lites;* hac voce utuntur Medici. Bene autem *excidi* cum ante *tubera* et *verrucas* nominaſſet. *Paulatim eo deſcendit; ut adverſus Stoicos diſputet, qui dicunt peccata omnia paria eſſe.* Vet. Schol.

77 Ex Stoicorum ſententia *ſtulti*, et inſani omnes ſunt præter ipſos Stoicos; et bene *hærentia*, cum nequeant avelli.

78 Bene *Rationem* modo Philoſophiam dixit: hæc enim omnia ad Rationem, ut ad pondera et menſuras exigit: *Suis* autem adjecit, quaſi diceret, ſibi propriis, et de quibus tantopere jactare conſuevit.

79 *Delicta* ſunt quibus rarenter peccamus; interjectis ſcilicet quibuſdam intervallis atque ſpatiis.

80 Teſtacea patina elixabantur piſces. Hinc etiam noſtrum PAN.

81 *Ligurrierit; deguſtaverit.* Vet. Schol. Nam *Ligurrire* eſt ſuavia deguſtare, a *Lingendo* et *Lingua*, ut ego ſentio.

82 *M. Antiſtius Labeo, Prætorius, Juris etiam peritus memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adverſus Cæſarem dixiſſe et feciſſe dicitur, propter quod nunc Horatius adulans Auguſto, inſanum eum dixit.* Vet. Schol. Vide etiam Suetonium et Gellium. B. Eripere infamiæ, qua hic adſpergitur, magnum ICtum, et ſectæ Proculianæ primum auctorem, ſtudet Bentleius, et multa de viro honorifice dicta colligit. Sed non Scholiaſtæ modo antiqui de illo intelligunt h. l. verum Gellius 13. 12. ex perſona æmuli illius Ateii Capitonis AGITABAT (verbum vehemens et intemperias indicans) *hominem libertas quædam nimia atque* VECORS: et ex ſua perſona *vanam* viro *fiduciam* exprobrat, et, *Quæ malum! autem ratio fuit*, inquit, *vocantibus nolle obſequi, quos confiteare jus habere prendendi?* Exempla contumaciæ ipſius alia refert Dio 54. 15. Igitur mirum non fuerit, a Satirico inſaniæ poſtulari virum Stoicum, quod genus hic taxat, abnormi in quibuſdam certe rebus ſapientia, licet alioqui doctiſſimum. Vide, ſi tanti eſt, quæ in ſimilem ſententiam diſputamus de alio ICto, Priſco Jaboleno, ad Plin. Epiſt. 6. 15. 2. *Inter ſanos dicatur* i. inter hos et ab his, *qui non et ipſi inſaniunt*, ut de C. Fimbria Cicero pro Roſc. Am. c. 12. G.

83 Hoc peccato in ſervum ligurritorem commiſſo quanto majus eſt illud, quod hunc ſtatim dicam? Nam amicum perdere majus eſt quam ſervum gravius quam par erat ulciſci. G.

85 *Niſi concedas*, h. e. ei remittas et condones. Uſitato Charientiſmo *inſuavem* dicit amarum; et aſperum, *acerbum. Acerbi* proprie ſunt fructus immaturi.

86 *Odimus* et *fugimus* quod nimis moleſtum eſt, et ferre nequimus. Nam *odiſſe non ferre* eſt, et *nauſeare*, et nonnunquam etiam *exſecrare*. Appoſui etiam Interrogationem ad finem hujus verſus, quod nemo improbabit.

Qui, niſi, cum triſtes miſero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, menſave catillum
Evandri manibus tritum dejecit; ob hanc rem,
Aut poſitum ante mea quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, ſi furtum fecerit? aut ſi
Prodiderit commiſſa fide? ſponſumve negarit?
Queis paria eſſe fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum eſt: ſenſus moreſque repugnant,
Atque ipſa utilitas, juſti prope mater et æqui.
Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter

91 Tortum *conj. Bentl.*

Ut Ruſonem repoſui ex Scholiaſtis et Veteribus quibuſdam libris, pro quod erat *Ut Druſonem*. *Literam* D *arbitror acceſſiſſe ex affinitate literæ præcedentis*. Cruquius. *Octavius Ruſo acerbus fœnerator fuiſſe traditur, item ſcriptor Hiſtoriarum, ad quas audiendas ſignificat ſolitum fuiſſe cogere debitores ſuos*. Vet. Schol. Cruquius etiam legerat in Smetii Tabulis Romanis *Occium* quendam *Ruſonem*; corrupte (ut puto) pro *Octavium*.

87 *Triſtes Calendæ; quando fœnus erat perſolvendum*. Vet. Schol. Cruq.

Miſer eſt qui cruciatur animo, uti ſupra monuimus.

88 *Mercedem aut nummos; uſuras aut ſortem*. Vet. Schol.

Unde, unde; alicunde. Vet. Schol. Cruq. Neque enim quæret unde, modo habiturus ſit.

Extricatur quod ſumma difficultate expeditur. Proprie extricant ſe aves e tricis acupum, quas Græci τρίχας vocant.

Amaras dicit *Hiſtorias*, falſa et feſtiva Dilogia.

89 *Porrecto jugulo*; tanquam captivus morti addictus: nam *occidit legendo*, ut alias noſter (A. P. extr.) B. Ergo duplex conditio propoſita erat debitoribus Ruſonis: ſolverent fœnus, ſi hoc non poſſent, audirent recitantem: poſterius gravius. G.

90 *Lectum*, in quo ſcilicet cœnabat.

Catillus, parvus erat catinus, Veteribus dictus *Cibilla*, quæ teſte Varrone primum quadrata, poſtea rotunda fuit. A PORRINGER.

91 *Qui de perſonis Horatianis ſcripſerunt, aiunt Evandrum hunc ærlatorem et plaſten ſtatuarum, quem M. Antonium ab Athenis Alexandriam tranſtuliſſe, inde inter captivos Romam perductum, multa opera mirabilia feciſſe*. Vet. Schol. B. Aulanium Evandrum eſſe, de quo Plin. 36. 5. ſuſpicatur Junius. G.

Tritum; Hic alluſit ad ſpeciem materiei dicens, vas fictile cælatum fuiſſe. Vet. Schol. *Tritum* quaſi τορευτόν. Potuit etiam Dilogus etiam ad vetuſti Evandri tempora reſpexiſſe. B. Servius illud Georg. 2. 444. *Radios trivere rotis* explicat, *tornaverunt*. G.

92 *Siculi dicunt catinum ubi aſſa ponebant*. Varro κάτινον. Anaſtrophe eſt autem in *poſitum ante*: eſt enim pro *antepoſitum*.

95 *Fide* antiqua Declinatione pro *fidei*. *Commiſſa fide* arcana dicit.

Sponſum contractum et obligationem ſuam.

96 Non *fere placuit*, ſed *fere laborant*. Interpretes mire ſe torquent, quod non videant Hyperbaton.

Laborant, quibus in diſputando aqua hæret.

97 *Verum* dicit ipſam rem, ſive, ut vulgo dicimus, nudam veritatem, ſeu ſimplicem naturam.

Senſus moreſque, h. e. et communis ſenſus et patrii mores, quibus Paradoxon iſtud contrarium eſſe ſignificat; imo et ipſi utilitati.

98 *Ingenioſe ait juſtum et æquum ex utilitate deſcendere. Inter juſtum et æquum hæc differentia eſt: juſtum eſt quod ex lege deſcendit; æquum vero, quod ex natura*. Vet. Schol. Epicureum dogma juſtitiam natam eſſe ex utilitate, quod *Stoicorum præceptis repugnat*. Bene autem adjecit *prope*, quoniam de æquo magis diſputari poſſit, quam de juſto. B. Intelligamus utilitatem communem generis humani, non privatam ſingulorum,

Unguibus et pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus;
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire: et ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſa: ſed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi.
Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum,
Dividit ut bona diverſis, fugienda petendis.
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divum ſacra legerit. Adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.
Nam, ut ferula cædas meritum majora ſubire

117 Sacra divum *Z. Med.* 1477. *Flor. Bentl.* Sacra DIS ſublegerit *conj. Cun.*

et erit dogma, cui nec Stoica, neque puto alia philoſophia repugnabit. G.

99 *Cum prorepſerunt;* imitatur Lucretium Libro quinto, quem vide; et oſtendere conatur non magis juſtitiam eſſe naturalem, quam reliquum vitæ cultum.

102 *Uſus*, experientia.

103 Etiam Ariſtoteles duas facit Orationis partes, Verba ſcilicet atque Nomina.

Voces et ſenſus, notant ſcripta. Agit igitur de literis.

107 *Teterrima*, acerbiſſima ſeu *aſperrima*. B.

108 *Ignotis mortibus*, quia non fuit Homerus, qui carmine illas celebraret. Z.

109 *Incertam*, h. e. vagam.

110 *Editior* comice poſuit, quod non potuit *ſuperior*.

111 *Neceſſe eſt*; ita ſæpe Lucretius claudit verſum.

112 *Tempora et faſtos* annales dicit.

114 *Dividit*; diſtinguit, diſcernit. *Novit natura quid ſit amarum, quid dulce, quid album, quid nigrum; quid juſtum, quid injuſtum neſcit. Non poteſt enim tollere cupiditatem habendi et timorem amittendi, quæ utraque non natura, ſed vita nos docet; et neque juſtum diligit, neque vituperat injuſtum.* Vet. Schol. docte. B. Non viderunt legiſlatores, natura duce, quid eſſet juſtum; ſed ſtatuerunt, juſſerunt, juſtum eſſe, quod eſſet communiter utile, injuſtum, quod, ſi omnes facerent, generi humano, certe civitati, noxam adferret aut interitum. Prout autem majorem noxam adfert unaquæque actio, tanto injuſtior eſt, &c. G.

115 *Vincet* per Aphæreſin pro *evincet*. *Rationem* etiam iterum dicit Philoſophiam, ſub qua continetur Dialectica.

116 *Fregerit*, h. e. *decerpſerit*; et bene *fregerit* de teneris. Bentleius, Heinſii conjecturam ſecutus, de *fregerit* fecit *infregerit*; ſed nil tanti.

117 *Nocturnus*, pro *noctu*. Vet. Schol.

Sacra legerit ex Etymo ſacrilegi poſuit. *Legerit, collegerit, et per hoc ſubduxerit.* Vet. Schol.

118 Oportet legem eſſe regulam, ſive normam æqui. Proprie regula architectorum eſt, quam Græci canona vocant.

119 *Scutica, loro*, Græce σκυτάλη, ἀπὸ τῦ σκύτος, *quod ſignificat corium.* Vet. Schol. Cruq.

Ideo *horribili* poſuit, quod flagello inerant

Verbera, non vereor: cum dicas eſſe pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines. Si dives qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus, et ſolus formoſus, et eſt rex;
Cur optas quod habes? ¶ Non nôſti quid pater, inquit,
Chryſippus dicat: Sapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit; ſutor tamen eſt ſapiens. ¶ Quo?
¶ Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus eſt modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna,
Sutor erat; ſapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex ſolus; ſic rex. ¶ Vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri: quos tu niſi fuſte coërces,
Urgueris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis, et latras, magnorum maxime regum.

128 *Pro* quo *edidit Bentl.* quî.—132 *Pro* optimus, protinus *Cun. ex MS.*—133 Opifex: ſic rex ſolus *Ven. Glar.*—134 Ni *Bentl.*

ſtimuli. *Parce puer ſtimulis et fortius utere loris.* Ovidius.

Bene *ſectere*; neque enim uno loco ſtare poterat flagellis cæſus.

120 *Ferula*, h. e. ferulacea virga (quam Græci νάρθηκα vocant) milites, gladiatores, et pueros caſtigabant Veteres.

121 *Non vereor*; nihil enim periculi eſt, ne ſeverus in iſtam partem pecces.

Suaviter et comice *pares res*, pro paria.

123 Allegoricῶς; nam proprie vinitores falce inutilia vitibus recidunt. B. Sénſus eſt, eodem modo te puniturum eſſe. Z.

124 *Si dives; Stoici exiſtimant perfectæ ſapientiæ virum omnia habere, in quo et Lucilius verſatus ſic ait; Nondum etiam hæc omnia habebit, Formoſus, dives, liber, rex ſolus vocetur.* Vet. Schol.

125 Ridicule *ſutorem* nominavit, ut derideret Chryſippum, qui etiam illum affirmaverat.

126 Hoc eſt Regnum, quod jam te habere jactas.

Ridicule *patrem* dicit levia et ſenectute ſua indigna proferentem. B. Chryſippus dicitur *pater*, quia habebatur reſtaurator Stoicæ ſectæ. Z.

Inquit, ſic et Græci φησὶ dicunt de indefinita perſona loquente.

127 *Crepidæ*, ſive ſandalia, erant palliatorum propriæ, uti calcei togatorum. *Non hic in crepida Graiorum ludere geſtit.* Perſius. Romanus calceus totum tegebat pedem; *crepida* ſolum tantum pedis. Erant et ſoleæ et caligæ e crepidarum genere. Advertendum etiam Romanos corripere priores ſyllabas vocis *crepidæ*, quod non faciunt Græci, qui κρηπῖδας per η ſcribunt.

128 *Soleas; caligulas bene ineiſas.* Vet. Schol. Alii Gallicas appellavere. B. *Sutor tamen eſt ſapiens*, ſcil. non actu, ſed virtute. Z.

Quo? h. e. quo pacto, vel modo? Alii Libri repræſentant *quî*, quod eodem redit: quin et ita edidit Bentleius.

129 *Hermogenes* iſte idem eſt qui et Sardus Tigellius in initio hujus Satyræ. Ludovicus Deſprez temere aſſentiens Dacerio eum diverſum ſentit; quod Horatium tanquam de vivo locutum crediderit, manifeſto errore. Idem enim repetit quod initio in illum dixerat. *Redit ad principium*, inquit Vet. Schol.

130 *Urbane ſatis Alfenum Varum Cremonenſem deridet, qui abjecta ſutrina, quam in municipio ſuo exersuerat, Romam venit, magiſtroque uſus M. Sulpitio Juriſconſulto ad tantam pervenit ſcientiam, ut et Conſulatum gereret, et publico funere efferretur.* Vet. Schol. *Vafer* autem bonum eſt Juriſconſulti Epitheton. B. Hanc de P. Alfeno Varo ICto injuriam, ut interpretatur, repellit cum ceteris Eu. Otto c. 2. et 3. negatque de illo cogitaſſe Horatium, in primis quod tum adhuc viveret ac floreret Juriſconſultus. G.

Ne longum faciam; dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quiſquam ſtipator, ineptum
Præter Criſpinum, ſectabitur: et mihi dulces
Ignoſcent, ſi quid peccaro ſtultus, amici;
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatuſque magis vivam te rege beatus.

140 Peccaro *etiam G. Sax.* Stultus peccavero, amici. *Z.* Peccavero *edd. vett.*

132 Bentleius edidit *Tonſor erat*, auctoritate ductus vetuſti cujuſdam Exemplaris a Cruquio memorati [et Acrone MS.]. Sed illi, neſcio quomodo, rariora ſemper fere maxime placent. B. Placet Bentleii lectio, quia concinnius eſt, ſi non ad idem opificium revertitur oratio. Z.

Manuum artes *Opera* dicuntur, Græcis Ἔργα.

133 Cum deberet dicere uſitata formula, *Nec pueri tibi credituri* ſunt, etiam plus adjecit; eos ſcilicet facturos de eo quod a laſcivis pueris de aliis inſanis fieri conſuetum erat. Barbam autem vellere maxima ſtolidi ſenis contumelia eſt. *Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.* Perſius.

136 *Rumperis*; dolore ſcilicet quod non poſſis eos fuſte abigere.

Quid mirum eſt regem Cynicum iratum latrare? Inutiliter latrat canis qui non valet mordere.

137 *Longum*, ſupple ſermonem. B. Dum tu ſapiens et rex eris ex tua et gregalium tuorum ſententia: etiam ego mea fruar et ſententia et felicitate. G.

Pauperculi quadrantem balneatori dabant.

138 *Rex*, h. e. cum fueris rex.

139 Idem hic Criſpinus cujus meminit et in prima: *Ineptum* dicit, quod eſſet *Aretalogus* vulgo appellatus.

Dulces, ſuaves utique et boni.

140 Bentleio magis placet *peccaro*, quod ſemel vel bis compareat in Membranis. B. Recte, ſi eadem meliora, ut hic. G.

Stultus, h. e. cum fuerim ſtultus quod tu putas ſcilicet. B. Nec diffitetur Horatius, in uuoquoque peccato ineſſe ſtultitiam. G.

SATIRA IV.

IN OBTRECTATORES SUOS.

Ante me jam Lucilius, auctores veteris comœdiæ imitatus in notandis nominatim hominibus improbis, ſatiras ſcripſit, vir ingenii haud contemnendi et judicii acris, ſed ob feſtinationem in ſcribendo et in expoliendo pigritiam durus et minus terſus in componendis verſibus. Equidem multum ſcribere improbo; et Diis habeo gratiam, quod me parci ſermonis finxerunt. Criſpinus per me plus ſcribat quam ego, et efflet verſus ut ventum follis: et Fannius gloriolæ ducat ſibi, ſi poſſit efficere ut imago et ſcripta ſua reperiantur in bibliothecis. Cum ego ſcripta mea vulgo recitare vereor, ea nemo legit, imo ſpernit auctorem propterea, quod ſatiris, quibus vitia tam uſitata notantur, offenduntur plerique. At iſte poëta, dicunt, pronus eſt ad laceſſendum, nemini parcit, et quicquid ſemel chartis illeverit, cuivis obvio recitat. Næ primum non jacto me eſſe poëtam, quia dicendi genus, quo utor in ſatiris, ſermoni eſt propius, ſimile comico. Nam metro ſoluto et alio verborum ordine facto, rem ita eſſe, facile intelliges: quod ſecus eſt v. c. in verſibus Ennianis, quibus vis poëtica et ſpiritus immanebit, etiamſi metrum ſuſtuleris. Cæterum ſitne juſtum poëma nec ne, nunc non quæro: hoc tantum contendo, non eſſe quod mea ſcripta metuantur. Latrones enim et ſicarii metuant Sulcium et Caprium acerrimos accuſatores, quos innocens non metuit. Ergo, ſi tu nec es latro, nec ego Caprius aut Sulcius, temere me metuis. Deinde nec ſcripta mea publice proſtant, nec ego ea, niſi amicis idque coactus, recito: alii vero in foro ſua recitent et in balneis, non ego: nec gaudeo alios lædere, ut obtrectatores calumniantur. Deteſtor iſtum, qui abſentem amicum obtrectat, culpatum non defendit, dicteriis captat hominum riſum, crimina falſa fingit, arcana prodit, ſub ſpecie amicitiæ malevolentiam tegit. Ejuſmodi improbitatem ab animo meo et ſcriptis abfore certiſſime promitto. Verum ſi quid liberius et forte jocoſius dixero; mihi ignoſcatur. Ad vitia fugienda et recte vitam inſtituendam optimus pater me juſſit inſpicere exempla improborum et proborum. Igitur vitia aliorum, ne ipſe committam olim imprudens, otio conceſſo, litteris mando. Quod niſi mihi concedere velis; copia poëtarum mihi erit auxilio, et te ad hanc noſtram ſententiam, ſatiras eſſe ſcribendas, cogemus, quemadmodum ad ſuas cerimonias amplectendas compellunt alios Judæi.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque, Poëtæ,
Atque alii quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui 4

3 Ac fur *Bentl. it. Bos p. 57. G. Sax.*

1 *Ariſtophanes et Eupolis Cratinuſque præcipui;* Quintilianus, admonente Torrentio. *Hi primi Archæas Comœdias ſcripſerunt.* Vet. Schol.

2 *Virorum,* πλειονάζει. Sic et Lucretius 5. 621. *Democriti quod ſancta viri ſententia ponit.*

3 *Deſcriptio eſt qualis ſit avarus, qualis aſſen-*

Famoſus; multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,
Mutatis tantum pedibus numeriſque; facetus,
Emunctæ naris, durus componere verſus:
Nam fuit hoc vitioſus; in hora ſæpe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno:
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror. Ecce,
Criſpinus minimo me provocat. ¶ Accipe, ſi vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Cuſtodes; videamus uter plus ſcribere poſſit.

15 Accipe jam *etiam H. it. Loch. et al. ſed primæ editt.* Accipiam. Accipiam jam. G.

tator, cæteraque ejus generis. Cicero in Topicis, notante Cruquio. Atque hujuſmodi erant Theophraſti Morum Χαρακτῆρες.

Malum modo Veteratorem dicit.

Bentleius probavit atque edidit *ac fur*, ex omnibus ſuis codd. excepto uno, ubi erat *aut*. Z.

4 *Sica* incurvus erat gladiolus acinacis magnitudine, quod oſtendit Torrentius ex Joſepho.

5 *Multa cum libertate; ut vel nomina oſtenderent.* Vet. Schol.

Notabant Dilogus: nant et deſcribebant uti pictores, et *notabant uti* morum cenſores. B.

6 *Hinc omnis*, Totus eſt in hac libertate. Z.

7 *Numeriſque facetus*, h. e. aſperitate rhythmi ridiculus, neque enim erat ob mutatos pedes *facetus*. B. Nec ob numeros mutatos, qui apud Græcos Comicos multo vividiores. Itaque aliter diſtinxi, ut *facetus* abſolutum ſit, et ad laudem Lucilii referatur. G.

8 *Emunctæ naris*, h. e. judicii quidem acerrimi quod ad Satyricam materiam et ſales attinebat. Παρομοιαστῶς hoc dictum eſt.

Durus, inhabilis. Clumsy. Nam et rudes dicuntur duri.

10 Magni fecit extemporalem ſuam facultatem, quam Horatius ſignificat ſe ſpernere.

Stans pede in uno; puerili ſcilicet certamine; nam hoc faciunt pueri ludentes.

11 Neſcio cur, diſſentiat ab Horatio Quintilianus, niſi forſan Lucilius fuerit ei affinitate aliqua conjunctus. B. *Flueret lutulentus*, eleganter Lucilii impetus in fundendis verſibus minus puris et concinnis comparatur cum rapido torrente lutum ſordeſque ferente. Z.

Tollere velles; quia ut ait ipſe, Sat. 1. 10. 51. *Ferebat plura tollenda relinquendis:* et ſic accepit Quintilianus (10. 1. 94.); hoc et ſequentia oſtendunt.

13 Regula oſtendit quid rectum, quidque intortum ſit: atque hoc artis eſt. Lucilio adfuit genius, ars defuit.

Ut multum, h. e. quam multum.

14 *Criſpinus*, Aretalogus, de quo ſupra.

Minimo provocare dicuntur hi, qui plus ipſis permittant [leg. *ipſi promittant*], *quam in reſponſione exigant ab adverſario.* Vet. Schol. Bentleius deridicule repoſuit *nummo*, neque vidit *minimo* dici pro *minimo digito*. Atque hic quidem geſtus apud noſtrates etiam hodie familiaris eſt, ubi per contemtum aliquem advocamus. Mirari nequeo virum acerrimi judicii non attendiſſe ad Scholiaſten veterem. B. Attendit, ſed improbavit merito. Eſt aperte hic de ſponſione et reſponſione ſermo (Germani vocant *eine Wette)* quem clare indicant verba Vet. Schol. ab ipſo Baxtero prolata. Ceterum cum *minimo* et *nummo* totidem lineolis perpendicularibus conſtent, blandiſſima ſane eſt emendatio: nec tamen neceſſaria, cum qui *nummo* provocet alterum, *minimo* idem provocet, id eſt jubeat ſibi minimum ſ. nummum *reſponderi*, repromitti, cum aliquanto plus ipſe ſpondeat promittatque, certus nempe victoriæ. G.

Accipe, h. e. Heus tu! audito. Miror Interpretes hoc non vidiſſe. B. Ego vero haud miror, eos non vidiſſe quod nuſquam eſt, niſi in hominis forte barbari gloſſa. Provocat Criſpinus Horatium: Accipere oportet utrumque ſtatim inſtrumentum ſcribendi, tabulas, non in quibus alius teſtationem ſcribat, ſed ubi verſus ipſi. G.

Si vis, Accipiam; ſic legerunt omnes fere ſcripti Codices cum Turnebo et Vet. Schol. pro *Si vis, accipe jam.* Significat nihil ſibi de-

¶ Dî bene fecerunt, inopis me quodque puſilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu concluſas hircinis follibus auras,
Uſque laborantes dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capſis et imagine; cum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem,
Quod ſunt quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media elige turba;
Aut ob avaritiam, aut miſera ambitione laborat.
Hic nuptarum inſanus amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti ſplendor; ſtupet Albius ære;

25 Digni *ex conj. Cun.* *Pro* elige, arripe *Bentl.* Elige *ante Ald.* Erue *inde ab Aldo al.*—27 Inſanit *cum Bentl. G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Imo eſt in edd. Venet. mea, Glar. Chab. Lamb.* Z.—28 Æra *conj. Burm. ad Luca.* 8. 16.

eſſe præter tabulas; nam ſponte ſua fluent verſus.

15 Male Bentleius *Accipe jam* pro *Accipiam*, ex auctoritate pauciorum Codicum. B. Imo eadem lectio extat in ed. Venet. et Glar. Z. *Accipiam* magis etiam ideo placet, quod ad rem pertinet, etiam Criſpinum tabulas ſ. pugillares accipere: agitur enim de ſponſione, *uter plus ſcribere poſſit.* G.

16 *Cuſtodes; ut proprios faciamus.* Vet. Sch. B. Ne adferantur alieni. G.

17 *Dii bene fecerunt; καλῶς ἐποίησαν* forma agendi gratias apud Græcos; ut bene Cruquius. B. Inde a *Dî* eſt oratio poëtæ. Ergo ſic diſtinxi. Z.

Inopis et puſilli animi, h. e. tenuis et inaudacis ſpiritus. *Operoſa parvus Carmina fingo* Lib. IV. Ode 2. Tardiora ingenia et diligentiora fere ſunt, et judicio plus valent.

18 *Finxerunt*; de Promethei fabula cogitavit; ſic et Juvenalis; *Finxit præcordia Titan.* Oſtendit ſe neque natura loquacem, neque in carminibus garrulum, eleganti Dilogia. B. Recte *loquentis animi.* Animus enim auctor eſt ſermonis vel parci vel copioſi. G.

Pro *loquentis* Bentleius Lambini exemplo reſcripſit *loquentem*, atque ita etiam edidit, ſed meo judicio duriuſcule et minus concinne. Pro *molliat* etiam [v. 20.] idem vir doctus fecit *emolliat*, quo placeret ſuæ auri nullo ſub auctore, uti ſæpe alias.

20 *Laborantes*, h. e. cum molimine anhelantes, ut fere fabrorum folles. Hunc locum imitatus eſt Perſius 5. 10. B.

21 *Urbaniſſima amaritudine dicitur: nam Fannius Quadratus eo tempore Satyram ſcribebat, et erat ſine liberis. Hujus imaginem et libros hæredipetæ in publicas bibliothecas referebant, nullo merito doctoris.* Vet. Schol.

Ultro, cum ipſe nil tale quæreret vel ſperare poſſet. B. Melius, puto, Marcilius *ultro* explicat. Nemo expetierat ſcripta Fannii, certe Bibliothecæ præfecti non curaverant deſcribi: ſed vel ipſe Fannius obtulerat, vel illius amici. De *imaginibus* in Bibliothecis vid. Liv. 35. 2. De *Capſis* noſter Sat. 1. 10. 63. Epiſt. 2. 1. 268. G.

22 *Capſæ*, Thecæ erant librorum atque etiam aliarum rerum: nos CASES dicimus, Græci *κάμψας*.

Nemo legit inedita; neque enim edebantur niſi quæ publica recitatione probabantur prius.

25 Pene omnes MSS. legerunt *elige* pro *erue*; ſic et Veteres Scholiaſtæ; eſtque longe melius, et huic loco accommodatius. *Mediam turbam* populum dicit: nam idem *medium* quod publicum et commune. *Media, quæ ante conſpectum eſt.* Vet. Schol. Hinc et *in medium aſferre* dicimus pro in commune. B. *Arripe* pulchrum, ad ſignificandum caſum, et velut temeritatem. Sed magis ſatiricum *elige*: etiam quos ex vultu, ex fama elegeris tanquam bonos viros, laborant aliquo vitio. G.

26 *Ob avaritiam, aut ambitione laborat.* Comica eſt iſta varietas, quaſi dicat *hic per avaritiam, ille ex ambitione ægrotat.* Hoc Faber et cum Fabro Dacerius, Latinum non putant. Ego ſemper ſum utcunque partium Horatii. Bentleius ſine ulla auctoritate pro *ob avaritiam* repoſuit *ab avaritia*, Douzam atque alios ſecutus. [Idem exſtat in edit. Chab. Z.] Quidni hoc faceret cum Horatiana iſta varietas illi videtur

Hic mutat merces ſurgente a ſole, ad eum quo
Veſpertina tepet regio; quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt verſus, odere Poëtas.
¶ Fœnum habet in cornu, longe fuge, dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et, quodcunque ſemel chartis illeverit, omnes
Geſtiet a furno redeuntes ſcire lacuque,
Et pueros et anus. ¶ Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe Poëtas,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque, ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe Poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

35 *Pro* ſibi, tibi *conj. Rutgerſ.*—39 Ego *om. H.* Poëtis *etiam alii conjecere ap. Cun.* Poëtas *noſtri omnes.*

pus merum atque *ſcabies?* B. Si ſingularia omnia et ſemel tantum obſervata damnamus et emendamus: ilicet, quantam partem Latinitatis abolebimus? G.

Bene *laborat:* nam Stoicis omnes affectus pro morbis habentur. Miſer eſt quem exſpectatio cruciat.

28 *Argentum* modo poſuit pro argento facto. *Ære;* h. e. *Vaſis et ſignis Corinthiis.* Vet. Schol. Albium puto dici Tibullum. Et ſuperiori verſu ſcripti Codices *inſanus* legerunt pro *inſanit*, quod magis placet ob varietatem Horatio conſuetam.

30 Bene *tepet* de occidente ſole.

31 *Uti pulvis;* Proverbiali Schemate: occurrit hoc et in primo Pſalmo.

33 De *odere Poetas* Bentleius de ſuo inſerſit *odere Poetam*, nulla alia de cauſa niſi quod ſequentia in ſingulari numero figurata ſint. Diſſimulavit Horatius ſe, *Poetas* nominando, de ſe uno cogitaſſe. Quis præter Bentleium hoc non videret?

34 *Fœnum habet in cornu;* aliud Proverbium hoc eſt, de petulanti et cerebroſo. *Romæ videmus bodieque fœnum velut anſulam factum in cornulo bovis, quo ſignum datur tranſeuntibus, ut eum vitent.* Vet. Schol.

35 *Cuiquam amico;* neque Mæcenati, neque Virgilio. B. Non crediderim. Z.

36 *Chartis illeverit*, per ἐντιλισμὸν pro ſcripſerit; h. e. ſcribillaverit. Erant autem chartæ ex papyris, uti membranæ ex pellibus.

Omnes geſtiet; feſtive et comice hæc protulit de ſe, pro in lucem emittet. B.

37 *Furno*, ubi panis coquitur: *lacu*, ubi aqua hauritur. Z.

39 Pace tanti viri *dederim quibus eſſe Poetas* non videtur magis monſtri ſimile, neque minus Latine dictum, quam *dederim quibus eſſe Poetis;* atque hoc in loco rectius, quod non diſſentiant Libri. "Etiam hic (inquit Bentleius) invitis Codicibus repone." Quid autem de me fiet, ſi noluerim parere huic edicto?

40 *Excerpam* ſuaviter dicit pro excipiam, vel eximam: et ſignificat ſe facile hoc paſſurum; nam levi opera quod in pomis vel floribus præcipuum eſt excerpitur.

Concludere, h. e. finire. Finis claudit opus, quod non ſinat ulterius procedere.

41 Prætulit magnus Bentleius de ſuo more inuſitatius *ſi qui.* Pronomen *quis* rarenter illi ſolet placere; neque enim ferre poteſt ſibilationem Literæ *s*.

42 *Sermonem*, communem dicit et quotidianum.

43 *Ingenium* naturæ bonum eſt: nam Poeta naſcitur.

Mens divinior; h. e. Poëtico ſpiritu afflata. *Nam nemo unquam magnus evaſit ſine afflatu divino*, auctore Cicerone.

Idcirco quidam, Comœdia, necne Poëma
Eſſet, quæſivere; quod acer ſpiritus ac vis
Nec verbis nec rebus ineſt; niſi quod pede certo
Differt ſermoni, ſermo merus. ¶ At pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos inſanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuſet,
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. ¶ Numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret? Ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis;
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. His, ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa modoſque, et quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens ultima primis;
Non, ut ſi ſolvas, " Poſtquam diſcordia tetra
" Belli ferratos poſtes, portaſque refregit:"
Invenias etiam disjecti membra Poëtæ.
Hactenus hæc: alias, juſtum ſit necne Poëma:
Nunc illud tantum quæram; meritone tibi ſit

49 Inſanit *Ven. Glar. Chab.*—50 Recuſat—ambulat *Chab.*—54 Tranſcribere *Chab.*

44 *Sonaturum; Quod ſonare poſſit.* Hen. Stephanus. Sublimitatem dicit ſtyli.

45 Ut diſputatum eſt an poëma vocari debeat Comœdia: ſic de Satiris quæri poteſt. G.

46 *Quæſivere, dubitavere.* Vet. Schol.

Acer ſpiritus ac vis, h. e. alacris furor et vividus impetus.

48 *At pater ardens:* illud eſt quod ait in Arte Poet. 93. ſq. *Interdum tamen et vocem Comœdia tollit, Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.*

49 Avorum atque aviarum indulgentia in cauſa fuit, quod vulgari convicio nebulones *nepotes* dicerentur.

51 *Ante noctem;* ut omnes viderent, quod oſtendit *inſanum* fuiſſe, et auget dedecus. B. *Ante noctem*, ubi non opus erat. G.

52 *Mira urbanitate et amaritudine Pomponii perſona abuſus eſt, quaſi argumenti loco, ut eum carperet.* Vet. Schol. *Hoc vult intelligere, quod etiam ſine Comœdia ſic increpantur a patribus luxurioſi.* Alter Schol.

54 *Pura* verba uſu quidem probata ſunt, ſed neque ſonora, neque ſupra vulgi captum figurata. In Arte Poëtica 234. *inornata* dicit et *dominantia*, quæ verba peſſime ab Interpretibus excepta ſunt. *Puris: aut ſine Figuris, aut magno ſono.* Vet. Schol. Sic dicitur, *Toga pura, haſta pura*, et *pura veſtis*, quibus ſcilicet nihil acceſſit ornatus. *Debet Poeta et gravia verba et compoſita cum ſenſibus elatis habere.* Vet. Schol.

55 *Stomachetur*, χολώσαιτο, ſeu commoveatur bile.

56 *Venuſte perſonatum patrem dicit ſenem de Comœdia.* Vet. Schol. Veteres Comœdi Perſonis, hoc eſt, fictis vultibus (ſeu potius capitibus) agebant Fabulas, Οἷα κεφαλὴ, ᾧ ἰχθύαλον ἦν ἔχυ! inquit Æſopia Vulpes de pulchra perſona a ſe caſu conſpecta.

58 *Temporibus et modis* conſtat Muſica. *Tempora dixit moras ſyllabarum et correptiones.* Vet. Schol. et per hæc Metra atque Rhythmos.

60 *Poſtquam diſcordia; Hæc Ennii verba ſunt.* Vet. Schol. Hæc et Virgilius imitatus eſt in, *Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.* B. *Non* refertur ad *Invenias*, &c. Non amplius poteris cognoſcere eſſe orationem poëticam. Verum ſecus eſt, ſi Ennii illud ſolveris, &c. Z.

Suſpectum genus hoc ſcribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis;
Magnus uterque timor latronibus: at bene ſi quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut ſis tu ſimilis Cœli Birrique, latronum,
Non ego ſim Caprî, neque Sulcî; cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Queis manus inſudet vulgi Hermogeniſque Tigellî,
Nec recitem quidquam, niſi amicis, idque coactus
Non ubivis, coramve quibuſlibet. ¶ In medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci reſonat concluſus. ¶ Inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num ſine ſenſu,
Tempore num faciant alieno. ¶ Lædere gaudes,
Inquis; et hoc ſtudio pravus facis. ¶ Unde petitum
Hoc in me jacis? eſt auctor quis denique eorum,

65 Fulcius *hic et* 70. *Z. M.* 1477. *Ven.* 1479.—66 Raucus male *Glar.*—68 Puris vivat *Lamb.*—69 Byrrhi *G. Med.* 1477. *Ven.* 1479.—73 Nec *primæ editt.* Neu *Cun.* Quidquam *etiam Sax.* Non recito cuiquam *edd. vett.*

62 *Disjecti membra Poetæ;* cogitavit de Apſyrto.

64 *Illud*, hoc.

65 *Suſpectum* dicitur unde timetur periculum.

Sulcius acer; Hi acerrimi delatores et cauſidici fuiſſe traduntur, et ideo rauci quod in contentione judiciorum clament: Cum libellis autem, quibus annotant quæ deferunt. Vet. Schol.

66 Ad Emphaſin poſuit *ambulat*, h. e. foras prodit, et in medio verſatur, neque quenquam veretur.

Male per Euphemiſmum; nam exſecrando proferebatur. B. Non intelligo hanc annotationem: *raucos male* intelligo raucos uſque ad moleſtiam audientium, vel ad periculum amittendæ vocis. G.

68 *Puris manibus;* Veteres a cæde lavabant manus: erant enim illud luſtrationis genus. B. *A cæde*, intell. ut ſe a cæde puros oſtenderent, ut in lege Moſaica de expiandis cædibus, quarum auctor non extat Deut. 21. 6. G.

69 *Ut tu ſis ſimilis; ſublimis* [f. *ſubtilis*] *invectio.* Vet. Sch. B. Pro *ſis*, *ſi* eſt in MS. Hannov. unde oriatur ſententia talis, quæ pendeat a verſu præcedenti: quemadmodum contra, tu ſimilis latronum ſis, ego vero non ſim ſimilis illorum accuſatorum; non eſt cauſa cur me metuas. Deinde illam poſteriorem enuntiationem de ſe magis declarat, cur non ſit ſimilis accuſatoris. *Cur metuas me, ſi nulla taberna*, &c. In recepta lectione, *Non ego ſim* eſt, non volo eſſe; *Nulla tab. habeat*, nullam habere volo, &c. G.

71 *Nulla taberna; Negat ſe libellos ſuos edere Bibliopolis, qui ſtationes vel armaria circa pilas vel columnas habebant: et in pilis Epigrammata ſcribebant Poetæ, qui non tradebant Bibliopolis.* Vet. Schol. Hoc eſt, apud publicas porticus. Advertendum in tranſitu, *ſtationes* dici Bibliopolarum tabernas. Hinc Angl. *Stationers.*

72 Παρὰ προσδοκίαν annumerat vulgo præclarum et elegantem virum, carminibus et exiſtimationi ſuæ infeſtum. Nam hæc Satyra ſcripta eſt ante mortem Tigelli, ut ego cenſeo, etſi contradicat Dacerius. B. At verſus certe 92. collat. cum Sat. 2. 27. et 3. oſtendit, hanc ſatiram eſſe ſcriptam poſt mortem Tigellii cantoris. Ergo hic Tigellius eſt diverſus. Z.

73 Pro *Non recito* repoſui ex quibuſdam Lambini MSS. *Non recitem*, ut hic verſus ſuperioribus cohæreat: Torrentius reperit in ſuis *Nec recito*, quod minus concinnum eſt. Bentleius arbitrio ſui ingenii repoſuit *Nec recitem quicquam;* verum quid opus hoc? B. Opus omnino videtur. Nam *cuiquam* ſupervacuum facit ſequens verſus: *quidquam* excludit omne genus recitationis. G.

74 *In medio qui;* motus auctoritate Veteris

Vixi cum quibus? Abſentem qui rodit amicum;
Qui non defendit, alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;
E quibus unus avet quavis aſpergere cunctos,
Præter eum qui præbet aquam: poſt, hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur,
Infeſto nigris: ego ſi riſi, quod ineptus
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio ſi qua
De Capitolini furtis injecta Petillî

88 Aqua *Venet. cf. Muretus ad Terent. Eunuch.* V. 8. 57.—94 Capitolinis *G.*

Interpretis Dialogiſmum feci. *Hoc totum urbaniſſima amaritudine dicitur.* Vet. Schol. B.

Objicitur Horatio, ſi ipſe non recitet, alios tamen eſſe, qui talia recitent, vel in ipſo ſoro. Subjicit lepide poeta, etiam in balneis hoc facere quoſdam, ubi ſuavius reſonet vox. Sed magis ſerio addit, hoc facere homines vanos, &c. Rejectus ita adverſarius, In hoc ipſo, ait malitiam eſſe, quod non recitet, ut tutius poſſit lædere ex occulto, &c. G. Equidem retuli verba *Quique—concluſus* ad antecedentem objectionem, ita ut poëta reſpondeat inde ab *Inanes*. Z.

76 *Concluſus*, h. e. concameratus.

Inanes dicuntur ſtolide ſuperbi.

78 *Tempore alieno*, h. e. intempeſtive, et per hoc importune.

79 Ratio nobis non apparet cur Bentleius hoc in loco præferat *Inquit* tam tenui auctoritate ductus. Etſi faterer eſſe tantundem, niſi quod Dialogiſmo noſtro magis conveniat *Inquis*.

Studio facis, h. e. conſulto hoc facis, quo tutius lædas, dum lates: *pravum* autem perverſum dicit natura, ſeu malignum.

Unde petitum eſt ſaxum hoc quod in me conjicis? Allegoricῶς.

81 *Vixi cum quibus*; h. e. convictorum meorum, quibuſcum convivari ſolitus ſum. Nam *vivere edere eſt* et *bibere*, unde victus. Mæcenatem ſignificare videtur.

83 *Captat*, aucupatur, ſectatur.

Dicacis, h. e. mordacis. *Qui maledicendo riſum movet.* Vet. Schol.

85 *Hic niger eſt*; i. e. *Malus et venenatus.* Virgil. *Nigri cum lacte veneni.* Vet. Sch. Sic et Juvenalis, *Nigros efferre maritos.*

Romane; bonam habet Emphaſin candoris Romani, et tangit exteros. *Hunc te oportet metuere, non me.* Vet. Schol. Cruq.

86 *Tribus lectis*; *Triclinium dictum eſt a tribus lectis.* Vet. Schol.

87 Bentleius in uno exemplari ſcribi dicit *amet* pro *avet*, quod ob eam rem ille præferendum putat, non ego. B. Præferunt *amet* cum Bentleio Cuningamus et Sanadonus, quod conjunctivus hic videatur commodior. *Quavis* poteſt ſignificare *quavis ratione* ut *qualibet*: niſi malis legere cum Mureto, *quavis—aqua*, ut *qui præbet* ſit deſcriptio convivatoris. Si quid mutandum ſit, ego optem in bono libro legi *unus—quivis*, id eſt, *unuſquiſque*. *Qui præbet aquam* (V. Sat. 2. 2. 68.) eo genere extenuationis dici videtur, ut *ad ſorbitionem* invitant hodie, qui lautas epulas inſtruxere. G.

88 *Qui præbet aquam*; convivatorem dicit; hic enim præbet aquam qua reliquos convivas aſpergit, dum vino et epulis ad dicacitatem linguam ejus acuit, et commodum facit videri ſodalem, alias mutum futurum. Nam hujuſmodi ſcurræ ſolis ſtudent gratificari patronis: bene igitur *avet* et *quavis*. Interpretes nihil hic videre.

90 *Comis* ſuavitate, *urbanus* ſalibus, et *liber* apertis jocis et præſenti fiducia.

91 *Infeſto nigris*; h. e. qui vis videri infeſtus, et me culpas ob Rufillum et Gorgonium propter leves ineptias a me deriſos. (Vid. Sat. 1. 2. 27.)

93 *Lividus* idem eſt qui et niger. *Malus*

Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt mos:
¶ Me Capitolinus convictore uſus amico—
—que a puero eſt, cauſaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis lætor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. ¶ Hic nigræ ſuccus loliginis; hæc eſt
Ærugo mera; quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut ſi quid promittere de me
Poſſum aliud vere, promitto. Liberius ſi
Dixero quid, ſi forte jocoſius; hoc mihi juris
Cum venia dabis. Inſuevit pater optimus hoc me;
Ut fugerem, exemplis, vitiorum quæque, notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet:
Nonne vides, Albî ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani diſſimilis ſis.

95 Furis *pro* fuerit *Zar.* Defenſas *Sax.* Defenſes *Cun.*—103 *Pro* vere, de me *Han.*—105 Inſevit *Lamb. ex conjectura: recepit Chab.*—109 Utqui Panis inops *vel* Farris in *conj. Bentl. Et videtur* Panis *a prima manu eſſe in G.* Barris *habet Z.*—111 At turpi *Med.* 1477. *Ven.* 1479.

homines atros et venenatos dicere ſolemus. Vet. Schol. *Livor voluntas venenata eſt*, ut idem Schol.

94 *Petillius dum Capitolii curam gereret, coronæ ſublatæ cauſam dixit, abſolutuſque eſt a judicibus in gratiam Auguſti, cujus amicus erat.* Vet. Schol. Cruq. *Petillius cum Capitolio præeſſet, coronam Jovis rapuit; et ex crimine Capitolinus dicebatur.* Alter Schol. Diſſimulanter et per tranſitum Petillium graviter percutit.

95 Ineſt aſſeveratio voci *defendas*; quaſi diceret, nil dubito quin ſis defenſurus: nam ἐν εἰρωνείᾳ proferendum eſt; eſtque mira Ethopœia, ſive Mimeſis, in ſequentibus.

99 *Judicium illud; capitalem ſententiam.* Vet. Schol.

100 Notum eſt *loliginis*, ſive ſepiæ, ſanguinem nigri eſſe coloris.

101 *Ex ærugine χάλκανθος, ſive atramentum ſutorium, conficitur.* Cruquius.

Lambini et Cruquii ſcripti Codices magno conſenſu legerunt *afore* pro *abſore*, quod mihi cum Cruquio placuit.

102 *Prius*, h. e. magis. Mavult enim hoc vitium chartis ſuis adhærere quam animo. B. Quin naturæ iſta lex, ut in chartas tranſferantur vitia animi: niſi prius ſit animo concepta militia, nec in charta erit.

105 *Inſuevit pater*; ſignificat Satyram ſuam paternis monitis imputandam.

106 Ordo eſt; *Notando quæque vitiorum ut fugerem.* Proprie Cenſoris erat *notare.*

109 *Albî ut male; multos probroſis jocis percutit.* Vet. Schol. Vafre nomina adjecit de ſuo, ac ſi a patre accepiſſet. Sunt qui Albii filium Albium Tibullum Poetam fuiſſe exiſtimant; et merito forſan, cum nepos et is fuerit.

110 *Barrus inops; viliſſimæ libidinis atque vitæ fuit, adeo ut Æmiliam virginem Veſtæ inceſtaſſe dictus ſit; certe adulteras ſinceriſſimæ cupiditate ſectabatur.* Vet. Schol. ad Satyr. 6. Hunc *Titum Veturium Barrum* dicit Dacerius. Quid refert ſcribere cum Bentleio *Barus* pro *Barrus?* Certe *Barri* Pœnis dicebantur elephanti.

111 Scite poſuit *quis velit*, pro *tu velis.*

112 *Sectani, mœchi.* Vet. Sch. Cruq. Bentleio de more ſuo magis placuit ignotius nomen *Scetani.* Sed iſta varietas debetur exſcribentium inſcitiæ, quod non poſſent vel ipſi quædam legere.

Ne ſequerer mœchas, conceſſa cum Venere uti
Poſſem; Deprenſi non bella eſt fama Trebonî,
Aiebat: ſapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, cauſas reddet tibi: mi ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſervare, tuamque,
Dum cuſtodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem poſſum: ſimulac duraverit ætas
Membra animumque tuum, nabis ſine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis: et ſive jubebat
Ut facerem quid, Habes auctorem quo facias hoc;
Unum ex judicibus ſelectis objiciebat:
Sive vetabat, An hoc inhoneſtum et inutile factu
Necne ſit, addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortiſque metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitiis. Ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciem quæcunque ferunt; mediocribus, et queis
Ignoſcas, vitiis teneor; fortaſſis et iſthinc
Largiter abſtulerit longa ætas, liber amicus,
Conſilium proprium: neque enim, cum lectulus aut me

115 Vitatum—petitum *coll. Sax.*—119 Poſſim *Ven. Glar. Lamb. Chab.*—125 Fragret *Bo Anim. p.* 58.—126 Fumus *Acro et ed. Venet.*

114 *Deprenſi Trebonî; hic in adulterio deprenſus fuit.* Vet. Schol.

115 *Sapiens, Philoſophus.* Vet. Schol.

116 *Cauſas reddet;* h. e. demonſtrabit tibi Dialecticis argumentis: nam Magiſtrorum *eſt cauſas cognoſcere rerum.*

117 *Servare,* tenere, et caute obſervare.

118 *Dum cuſtodis eges;* impuberes ſub Pædagogis erant: curatores vitæ et morum hi erant.

119 Sive *poſſim,* ſive *poſſum* ponas cum Bentleio, intererit nihil. B. *Poſſum,* quod fere habent MSS. magis placet, quod fiduciam, certe bonam ſpem magis indicat. G.

Duraverit; firmaverit. Vet. Schol. Uſus rerum firmat animum.

120 *Nabis ſine cortice; vives tuo arbitrio: Proverbialiter poſuit.* Vet. Schol. Nam cortex ſuber eſt. Unde et noſtrum CORK.

122 *Auctorem* modo poſuit pro exemplum.

123 *Judices equites Romanos dixit, ex equeſtri enim ordine judices leguntur hodieque.* Vet. Schol.

Objiciebat, h. e. proferebat et ob oculos ponebat.

124 Lambini, Cruquii et Torrentii Codices habebant *inutile factum;* pro *factu,* magno conſenſu. *Inutile* perniciosum dicit, et *factum* modo participium eſt, h. e. ſi fuerit a te factum. Male igitur Bentleius repoſuit *inutile factu* in iſto loco.

125 *Addubitat* qui paulum dubitat.

Longe lateque conſpicitur quod *flagrat.* B. *Flagitium* cognatæ originis nomen videri poteſt, propter quod aliquis flagrat rumore malo. G.

126 *Avidos, intemperantes.* Vet. Schol.

127 *Exanimat;* h. e. immaniter terret.

Sibi parcere, vitæ indulgere. Vet. Schol.

128 *Teneros,* nondum uſu duratos.

129 *Sanus* eſt qui non deſipit: nam deſipere dicunt Stoici qui non ad naturam et rectam rationem vivunt.

131 *Teneor,* h. e. invitus teneor. *Dum me Galatea tenebat, Nec ſpes libertatis erat.* Virg.

Porticus excepit, deſum mihi: Rectius hoc eſt;
Hoc faciens, vivam melius; ſic dulcis amicis
Occurram; hoc quidam non belle; num quid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Hæc ego mecum
Compreſſis agito labris: ubi quid datur otî,
Illudo chartis: hoc eſt mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui ſi concedere nolis,
Multa Poëtarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi (nam multo plures ſumus) ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

140 Noles—veniet *Bentl.*—141 Auxilioque *Lamb. Chab.*

Unde Ludovicus de Deſprez habuit ſuum *tentor?*

133 *Conſilium proprium*; h. e. cogitatio.

134 *Rectius hoc; inducit verba qua cogitat.* Vet. Schol.

135 *Melius*; h. e. ſuavius: contra *male vivit*, qui inſuaviter.

136 *Occurram* modo pro conveniam, vel ſim una.

Non belle, Litotes eſt, pro *inhumane.*

137 *Imprudens*, inconſultus et per hoc affectibus indulgens.

138 *Compreſſis agito labris*, h. e. tacitus ultra citraque animo voluto. *Sermones duo ſunt*, ἐνδιάθετος *&* προφορικὸς, *prior incluſus, poſterior prolatus.* Vet. Schol. Cruq.

139 *Illudo chartis; perdo chartas ſcribendo: urbaniſſime apponit vitio Poemata ſcribere: ſed et cætera quæ ſubjecta ſunt eadem urbanitate dicuntur.* Vet. Schol. Dicitur et *illudere pecuniæ*, qui ea abutitur et quaſi habet ludibrio.

140 *Concedere* modo pro parcere et remittere poſitum eſt.

Magis placet mihi *nolis* et *veniat* modo dici dubitativo, quam cum Bentleio *noles* et *veniet* Indicativo. Loquitur enim tanquam de re probabili atque veriſimili, minando tantum.

141 Operæ quæcunque *manus* dicuntur. *Multorum manibus grande levatur opus.*

142 Belle et hunc locum expolivit Juvenalis: *Stulta eſt clementia, cum tot ubique Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.*

Veluti Judæi; iſti in ſacris argumento uti baculino conſuevere: a dominis Ægyptiis traxere et vicinos odiſſe et vicinorum numina violare: utrumque tamen a Moſe prohibitum eſt. Atque hac de re Juvenalem vide Sat. 15.

143 *In hanc concedere turbam*; h. e. pedibus ire in ſententiam majoris numeri; eſt autem grex et turba fere viliorum multitudo.

SATIRA V.

ITER BRUNDUSINUM.

Ad componendas controverſias inter Auguſtum et Antonium ortas conventus utriuſque legatorum, de quo videndus eſt Dio Caſſius XLVIII. 54. habitus eſt auctumno anni V. c. 717. Brunduſii, quo miſſus eſt ab Auguſto Mæcenas. Hoc igitur iter Horatius, qui cum aliis in comitibus Mæcenatis fuit, jocoſe deſcribit. Materiam ridendi præbet conſcenſio navigii, magiſtratus Fundanus, duorum ſcurrarum concertatio, aſſatio macrorum turdorum, puella mendax, quæ Horatio noctem promiſſam non ſervat, ſuperſtitio Egnatienſium et alia.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hoſpitio modico; Rhetor comes Heliodorus,
Græcorum linguæ doctiſſimus. Inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi diviſimus, altius ac nos
Præcinctis unum: minus eſt gravis Appia tardis.
Hic ego, propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Exſpectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras, et cœlo diffundere ſigna parabat:

1 Accepit *Lambin. ex codd. et Bentl. non male.*—3 Linguæ *etiam coll. Sax. et Zar. Al.* longe. —7 Deterrima *etiam G. et edd. primæ. Bentl. ſed Ven. Glar. Lamb.* deterrima.

1 *Lucilium hac Satyra æmulatur Horatius iter ſuum a Roma uſque Brunduſium deſcribens, quod et ille in tertio libro fecit, Primum a Roma Capuam uſque, et inde fretum Sicilienſe.* Vet. Schol. *Egreſſus Roma dicimus et Romam.* Alter Schol. B. An *Roma* hic *magna* dicitur ut *Græcia magna*, cum extenſione quadam, quia *egreſſum* ſtatim Aricia excipit? G. *Magna* dicitur Roma, quia Aricia, cui opponitur, erat parva. Z.

3 Pro *longe* quinque Cruquii totidemque Torrentii ſcripti Codices legerunt *linguæ*; quod et Lambinus legerat in ſuis. Et bene *linguæ* de Rhetore. Ordo eſt, quaſi diceret; *Græcorum omnium doctiſſimus linguæ*, h. e. Artis Oratoriæ. Sic et Cicero; *Concedat laurea linguæ.* Mirum eſt Interpretes hoc non advertiſſe. Quin et ipſe Bentleius, egregius Criticus, me ſicco pede præteriit, quod is ſit magno animo et ὑπερόπτης minorum. B. Si *Græcorum linguæ* ſit vera lectio, interpreter Græce loquentium, qui plures ſunt longe, quam natione Græci. G.

4 Nominatis jam nautis et cauponibus, et hos et reliquos omnes voce *malignis* complectitur. *Malignis, deeſt hominibus.* Vet. Schol. *Malignos* nunc dicit naturæ perverſitate inhumanos, et *hoſpitibus feros.* B. *Malignos* aptum cauponibus epitheton iis qui *maligne*, i. e. parce nimis pro ratione mercedis præbent neceſſaria. G.

5 *Hoc iter*; i. e. *Ab urbe uſque ad Forum Appii biduo venimus.* Vet. Schol.

Altius præcingebantur ſtrenuiores, remiſſiores demiſſis tunicis incedebant.

6 *Minus gravis; quia habitaculis frequentatur, ubi poſſunt manere quocunque pervenerint.* Vet. Schol.

7 *Propter aquam; Hodie in Foro Appii viatores propter aquam, quæ ibi teterrima eſt, manere vitant.* Vet. Schol. Hinc patet nuperos Editores male repoſuiſſe *deterrima* pro *teterrima.* Nam fœtidam eſſe vel hodie Cruquius oſtendit ex Blondo.

Ventri indico bellum, Proverbialis Elocutio ſatis ſcita. B. Denuncio ventri inediam, h. e. non cœno. cf. infra Serm. II. 8. 5. Z.

Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. ¶ Huc appelle. ¶ Trecentos inſeris; ohe!
Jam ſatis eſt. ¶ Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora: mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos: abſentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim: tandem feſſus dormire viator
Incipit; ac miſſæ paſtum retinacula mulæ
Nauta piger ſaxo religat, ſtertitque ſupinus.
Jamque dies aderat, cum nil procedere lintrem
Sentimus: donec cerebroſus profilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumboſque ſaligno
Fuſte dolat: quarta vix demum exponimur hora.
Ora manuſque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

---

12 Ingeris *codd. duo Lamb.*—15 Ut cantat *etiam H. G. Sax. Z.*—20 Nil cum *Sax. G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *et forte omnes ante Ald. etiam R. Steph.*—23 Exponimus *coll. Sax.*—24 Lavimus *noſtri omnes.* Lavimur *Bentl. conj. et Heinſii.*

---

9 Ἐν ἥθει dicitur *exſpectans*; ſignificat enim cœnam viſam fuiſſe ſibi nimis prolixam, quod non et ipſe cœnaret una.

Jam nox inducere; ſuaviter deridet Epici Carminis Scriptores, ſive hæc de ſuo protulerit, ſive verba ſint alicujus Poetæ.

11 *Pueros* dicit comitatus ſui ſervos.

Convicium eſt quaſi *convocium*, ut bene Torrentius ex Ulpiano.

12 *Ingerere*; de *conviciorum plauſtris* cogitabat, et ſupplendum eſt extrinſecus *incipiunt*.

Huc appelle; *huc applica navem*; *verba ſunt alicujus ex ſervis ad nautam.* Vet. Schol. Cruq.

Verba ſunt nautæ iraſcentis, cum plures navi imponantur, quam pepigerat. Vet. Schol.

Ohe! vox eſt ſatietatis. Donatus. Hoc adnotabat Cruquius.

13 *Æs*, h. e. *naulum.* Vet. Schol.

Mula ligatur: mula enim jungenda erat, quæ contra aquam navigium traheret. Vet. Schol.

14 *Mali*, h. e. peſtiferi: diritas eſt in voce *mali. Culices tintinnialas vocant plebeii a ſonitu alarum.* Vet. Schol. Cruq. B. Κώνωπες Gr. dicuntur. Z.

Ranæque paluſtres; *quia ab Appii Foro per paludes navigatur, quas paludes Cæſar derivavit.* Vet. Schol. Paludes dicit Pomptinas: navigatio autem per foſſam hujus derivationis fiebat, ut ex Strabone oſtendit Cruquius.

15 Recte Bentleius ex plurimis Libris interſerit *abſentem ut cantat.*

Bene *cantat*, ſubjecturus *prolutus vappa.*

16 *Vappa*; *vino malo et evanido.* Vet. Schol.

18 *Retinacula*, *chordæ quibus mula traxerat navem.* Vet. Schol. Cruq.

19 *Nauta in navi*; *viator qui mulam ducebat.* Vet. Schol.

Saxo; lapidi Termino, puto, vel magis milliari.

20 An magnum putat Bentleius de *cum nil* reponere *nil cum*, et de *lavimus* [v. 24.] *lavimur*, ex ſola Heinſii conjectura? In cauſa fuerat rarior ſcriptura.

21 *Cerebroſus*; *cui cerebrum facile ad inſaniam movetur.* Torrentius. Αὐθάδης, *iracundus.* Vet. Schol. *Qui totus ſuo conſilio hæret.* Landinus.

22 Bene *ſaligno*, cum in paludibus eſſent. B. Jucundum ἦθος cerebroſi qui mulam et nautam nullo diſcrimine habet. G.

23 *Dolat*, *ferit et graviter verberat.* Vet. Sch. Cruq. Immani ſcilicet ictu; qualem fabri lignarii dolabra ſua infligunt.

24 *Lavimus*; *religionis cauſa.* Torrentius. B. *Lavimus* tanto magis retinendum putabamus, quod ipſum ſæpe intranſitive ponitur. G.

Fanum Feroniæ in tertio milliario eſt a Tarracina; *hæc eſt Jovis Anxuris uxor.* Vet. Schol.

Huc venturus erat Mæcenas, optimus atque
Cocceius: miſſi magnis de rebus uterque
Legati, averſos ſoliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque ſimul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonì, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, et latum clavum, prunæque vatillum.
In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus,
Murena præbente domum, Capitone culinam.

36 Batillum *Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor. it. H. St. Rutg. Bur. Maitt. Bentl.* Catillum *quidam ap. Aſcenſ. Ald. R. Steph.* Prunei bacillum *Baruff. de quo V. N.*

Dionyſio Halicarnaſſeo Feronia Juno Anthia eſt, ſive Ἀνθηφόρος, ut oſtendit Torrentius.

25 *Repimus; quia illis temporibus adhuc Tarracinenſis urbs in altiſſimo monte erat, inde poſtea in æquiorem locum depoſita eſt; ut non ſolum ſint adhuc veſtigia ædificiorum in monte, ſed et murorum.* Vet. Schol.

26 *Late candentibus, mons ille in quo Tarracina conſtituta erat, non candida ſaxa habet, ſed calci coquendæ aptiſſima; ergo a calce videtur candida dixiſſe.* Vet. Schol.

Anxur, Tarracinam dicit, Anxur autem dicta quod ibi imberbis colitur Jupiter. Vet. Sch. Græcis Ἄξυρος vel Ἀγξυρος, atque ob hanc cauſam *Anxur* nonnunquam maſculinum eſt.

28 *Cocceius Nerva proavus Nervæ, qui poſtea imperavit Romæ, mandavit Auguſto, ut mitteret, qui de ſumma rerum tractarent. Ergo miſſus eſt Mæcenas cum Agrippa qui utrumque exercitum in una caſtra coegerunt, ut ait Livius Lib.* CXXVII. Vet. Schol. B. Malim referre *optimus* ad *Cocceium:* Mæcenas nomine ſuo jam ſatis ornatus. G.

29 Cauſa diſſidii Auguſtum inter et M. Antonium erat Lucius Antonius Conſul, Triumviri frater, qui Reipublicæ et Brutianarum partium amorem præ ſe ferens, in Auguſtum arma moverat, fratriſque auxilium impetraverat. Tandem vero matris Juliæ rogatu et Cocceii Nervæ hortatu Antonius cum Auguſto pacem fecit, accepta in matrimonium Octavia Auguſti ſorore. Qua de re vide Appianum Alexandrinum.

30 *Ex frequentiſſimis collyriis eſt id, quod quidam cythion, quidam a cinereo colore tephrion appellant.* Corn. Celſus, Lib. VI. Ridiculus eſt Dacerius cum Horatio collyria ex aquis deſtillatis hodiernum in morem confecerit.

Lippus, h. e. quod lippus eſſem.

31 *Illinere;* ſupplendum extrinſecus incipiebam: h. e. *Illinebam cotem, ut poſtea oculos inungerem.* Vet. Schol.

32 *Ad unguem factus homo, tranſlatio a marmorariis, qui juncturas marmorum tum demum perfectas dicunt, ſi unguis ſuperductus non offendatur.* Vet. Schol. Ut nimis bellum atque concinnum deridet. B. Deridendi cauſam non video ullam. Z.

34 *Fundi* oppidum in via Appia. Vet. Sch. G.

Prætorem pro magiſtratu dixit, h. e. *Duumviro.* Vet. Schol. Notum eſt Duumviros fuiſſe coloniarum Conſules. Eſt autem *Aufidio Luſco Prætore* Ablativus Cauſæ. B. Potuit Horatius *Prætoris* nomen irridendi cauſa ponere, idque eo magis, quod ſibi hoc nomen interdum arrogabant magiſtratus municipiorum et coloniarum, ut Campani illi duumviri apud Cic. Agr. 2. c. 34. G. In nomine *Prætoris* videtur duplex jocus eſſe. Primum quod iſte Duumvir honorifico nomine Prætoris appellatur, ſive quod a municipibus inepte tribuebatur, ſive quod ſibi arrogabat cultum veſtitumque Prætoris Romani: certe latus clavus hujus hominis non ſine riſu conſpici poterat, præſente Mæcenate tali tantoque viro, qui anguſto clavo contentus erat. Deinde quod iſte diſceſſus a Fundis, tanquam res magna et memorabilis accidiſſe dicitur *Aufidio Luſco Prætore*, imitatione Romanorum, qui aliquid eveniſſe dicebant hoc et illo Conſule.—*Libenter*, ob largam ridendi materiam. Z.

35 *Inſani* modo poſuit pro ſtolidi, atque Italo honore ſuperbientis.

Præmia, inſignia dignitatis. Vet. Schol.

Poſtera lux oritur multo gratiſſima: namque
Plotius et Varius Sinueſſæ Virgiliuſque
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.
O qui complexus! et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo ſanus amico.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit; et parochi, quæ debent, ligna ſalemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Luſum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliuſque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit pleniſſima villa,
Quæ ſuper eſt Caudî cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti ſcurræ pugnam Meſsîque Cicirri,

51 Caudi *vel* Caudis *etiam G. in marg. F. Med.* 1486. *Ven.* 1486. *Lech.* Claudi *al.*—52 Cicirri *etiam G. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl. it. Bentl. Cun.*

Quia de Decuria ſcribarum fuerat. Vet. Sch. Erant autem ſcribæ fere libertini generis. *Apud nos revera, ſicut ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur.* Cornel. Nepos.

36 *Prætexta* ſuperiorum erat magiſtratuum: toga hæc erat colore quidem candida, ſed purpureo limbo circumſepta.

Laticlavia tunica fere Senatorum erat propria, uti anguſticlavia Equitum. Erant iſti clavi purpurei panni albis tunicis inſuti, clavorum forma; (aurei patagia dicebantur). *Purpureus late qui ſplendeat unus et alter, Aſſuitur pannus,* De Arte Poet.

Prunaque vatillum; De balneis publicis prunas ſibi domum a mediaſtinis afferri magni pendebat. Vet. Schol. Imo ignis tanquam Veſtæ numen ſummis magiſtratibus a πυρφόρῳ præferebatur. Erat autem *vatillum* patella quædam ferrea, qua ignis circumferebatur, quaſi *parvum vas:* quod oſtendit Rutgerſius. Bentleius ſcripſit *batillum*, quod idem valet diverſo prolatu. De *vas, vaſis* vetuſte *vatis*, fieri videtur *vatillum.* B. De inſigni quodam honoris hic agi, certum eſt, qui non conveniret huic homini. *Bacillos*, ſingulos arbitror, decuiſſe talem magiſtratum, docet Cic. Agr. 2. c. 34. Quo minus *bacillos prunei* ſ. *pruni* probare poſſumus, quos huic loco inferre nuper conatus eſt H. Baruſfaldus, vir doctiſſimus, de Hortatore nautico p. 141. (Opuſc. ſcientiff. et philoll. To. 29). Neque placet Landini ſententia, prunas adhibitas ſtigmatis inurendis. Neque uſitatus tum erat honos præferendi ignis ſ. lampadum, quem poſtea uſurparunt Imperatores Romani, de quo Lipſ. ad Tac. An. Exc. A. Fuerit igitur hic *vatillus* ſ. *batillus* foculus ſacrificandi cauſa prælatus huic magiſtratui: cum nihil rei majoris agere ſolerent ſine ſacrificio. Adventus autem Mæcenatis et reliquorum res videri maximi momenti potuerit. G.

37 *Formias urbem ſignificat, hinc namque fuit familia Mamurrarum honeſto loco nata.* Vet. Sch.

38 *Muræna*, frater hic erat Terentiæ uxoris Mæcenatis.

Domum; hoſpitium. Vet. Schol.

Culinam; h. e. *cœnam.* Vet. Schol.

39 *Poſtera lux oritur;* ridicule imitatur Epicos.

40 *Plotius et Varius*, Poetæ hi erant celeberrimi.

41 Bene *animæ;* nam candor eſt animæ.

Candidus purus eſt omni macula, et ſimpliciter bonus.

44 *Sanus;* h. e. *quamdiu ſana mente ſum.* Vet. Schol.

45 *Campano ponti; qui eſt citra* XVI. *milliarium a Capua.* Vet. Schol.

46 *Parochi, publici muliones.* Vet. Schol. Πάροχος a παροχίου, *quod vehiculo præerat.* Nonius Marcellus. *Hi ſolent legatis cauſa Reipublicæ iter facientibus neceſſaria miniſtrare.* Vet. Schol. Hos alter Scholiaſtes *Copiarios* dicit.

Non obſervati Cangio et continuatoribus *Copiarii:* dictos a *Copiis* annonæ et aliarum rerum, quas miniſtrarent, apparet. De *Copiis* Gothofr. in Gloſſar. Cod. Theod. G.

47 *Tempore*, h. e. bono tempore, vel tempeſtive. B. *Hinc*, ab illa villa, in qua comi-

Muſa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Meſsî clarum genus Oſci;
Sarmenti domina exſtat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venere: prior Sarmentus, Equi te
Eſſe feri ſimilem dico. Ridemus: et ipſe
Meſſius, Accipio; caput et movet: O, tua cornu
Ni foret exſecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At illi fœda cicatrix
Setoſam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa rogabat;
Nil illi larva aut tragicis opus eſſe cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc, donaſſet jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat? ſcriba quod eſſet,

54 Contulerint *coll. Sax. Z. Med.* 1477. *Cun.*—58 Accipito Z.—60 Miniteris *G. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl. Bentl. Cun.* Minitaris *al.*

tes Mæcenatis diverſati erant, muli cum muliones Capuam iverunt ad pernoctandum. Z.

49 *Se lippum dixerat, ergo crudum Virgilium intelligamus.* Vet. Schol.

51 Cum Veteri Scholiaſte repoſui *Caudî* pro eo quod erat *Claudî*; atque hæc eſt lectio quorundam Torrentii Manuſcriptorum. *Caudium eſt Civitas Samnii.* Lucanus; *Ultra Caudinas ſperavit ponere furcas.* Vet. Schol.

52 Ridicule *pugnam* dicit duorum ſcurrarum concertationem. *Ambo ex urbanitate et audacia noti, Equites tamen Romani.* Vet. Schol. *Cum autem convivatores eſſent Horatii, joci cauſa ſe invicem verbis fatigârunt.* Alter Schol.

Bentleius recte poſuit *Cicirri* [pro *Cicerri*] Κίκυῤῥος, ἀλεκτρυών, *Gallus*, unde Latinum Verbum *Cucurrire* de cantu gallinacei galli. B. Eſt fictum e voce nomen. Etiam Germani illam exprimunt *Kikeriki*: et ſuperior Germania Gallum vocat *einen Geker*. G.

53 Suaviter Muſam invocat in re ridicula; ac ſi Turnum et Æneam commiſſurus eſſet.

54 *Oſci Campani, quia Oſcia Campania dicta eſt.* Vet. Schol. Ab Ope, h. e. Terra. Veteres Itali et Oſci et Opici dicti ſunt; filii ſcilicet terræ et ruſtici. Nam et Brutii Oſce et Græce loquuti ſunt, auctore Feſto.

55 *Sarmentus* iſte Auguſti deliciæ fuit, ut ex Plutarcho (Anton. p. 943. E) et Juvenale conſtat. Vide Juvenalis Schol. ad Satyr. 5. 3.

Exſtat, quia nondum eſt mortua. B. *Domina*, cujus ſervus fuit. Z.

Ab his majoribus; ridicule tanquam in re gravi.

56 *Equi te eſſe feri ſimilem; grandem et durum; quia procerus erat Meſſius.* Vet. Schol.

58 *Accipio*, h. e. audio quæ dicis, nec inultum feres. B. *Caput movet*, ſc. Meſſius, qui hoc geſtu minitatur.—*Inquit*, ſcil. Sarmentus. Z.

60 *Mutilus; amputato cornu.* Vet. Schol. Cruq. B. *Minitaris* in pari fere auctoritate librorum magis mihi placet, quia eſt vehementius et magis aſſeverate dictum. G. *At*, explicat Horatius dicterium Sarmenti de exſecto cornu. Z.

61 *Lævi oris frontem, pro lævam partem ponit in fronte.* Vet. Schol. B. *Setoſam*, ridicule pro *hirſutam*. Z.

62 *In Campania ſolet quidam morbus, Verruca ſcilicet, afficere homines in facie.* Vet. Schol. Cruq. *Capitis temporibus magnæ innaſcuntur Verrucæ.* Alter Schol. Cruq. B. De hoc *morbo Campano* eſt eruditum Programma Jo. Zach. Platneri Lipſ. 1732. editum, cujus ſumma, Probabile eſt Campanis luxurioſe viventibus in facie natum fuiſſe verrucarum genus, quod dum radices altius exegit, ſine magna exulceratione, fœdaque cicatrice excidi haud potuit. G.

Faciem modo corporis dicit habitum et figuram. B. Intelligam potius vultum cicatricibus fœdum. G.

63 Pantomimi geſticulando ſaltabant in Theatro.

64 *Larvam* dicit pictam perſonam, Polyphemi vultum et caput referentem.

66 *Ex voto Laribus; ſolebant pueri poſtquam pueritiam excedebant, diis penatibus bullas ſuas conſecrare, ſimiliter puellæ pupas: modo ergo ridens interrogat ſi conſecraſſet compedes.* Vet. Sch. B. Conf.

Nilo deterius dominæ jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?
Prorsus jucunde cœnam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum; ubi sedulus hospes
Pene, macros, arsit, turdos dum versat in igne:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus; et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum Veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,

---

67 Deterius nihilo *vel* Det. dom. nihilo *editt. primæ.* Nullo det *H.* Nihilo det. *Bentl. Cun. post alios ex MSS.*—68 Nunquam *ed. Ven. et Glar.*—70 Producimus *Bentl. ex MSS. it. G. Sax.*—72 *Sic etiam G. Sax. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor.* 1482. *&c.* Pene arsit macros *Lambi. ex uno MSS.* Turdos dum *sic recte Bentleius: vulgo* dum turdos. *Z.*

Martial. 3. 29. *Has cum gemina compede dedicat catenas, Saturne, tibi Zoilus anulos priores.* G.

67 Cum omnes pene MSS. haberent *Nihilo deterius* pro *Deterius nihilo*, cumque *Nilum* sit vox Lucretiana, levi negotio reposuimus *Nilo deterius*. Atque hoc dixit, quod servi frequenter apud magistratus scribarum officio fungerentur. Urbanus est iste jocus et in ipsum Horatium, qui et scriba fuit, et Decuriam habuit, ut inferius (Sat. 1. 6.) dicetur. B.

Quin ſtatus quæſtio hic movetur Sarmento, et uſurpatæ dolo libertatis crimen objicitur. Itaque dixerat v. 15. *dominam illius exflare.* Scriptum quæſtorium feciſſe, et egiſſe pro equite Ro., et reliqua omnia, Sch. ad Juv. 5. 3. quod illuſtratum præſertim a Rutgerſio ad h. l. Horatii. G.

68 *Cur unquam fugiſſet*, ſcil. quaſi a domina nimis parce nutritus ſit. Z.

71 Proprie arcum *tendimus: Eſt aliquid quo tendis et in quod dirigis arcum.* Perſius.

Sedulus, h. e. rei coquinariæ intentus.

72 Omnes ſcripti Codices cum Vet. Schol. legerunt *Pene macros arſit* pro *Pene arſit macros.* Atque hujuſmodi Hyperbata ſatis conveniunt Horatianæ Satyræ. B. *Arſit* de domo, ut *jam proximus ardet Ucalegon.* G.

73 *Nam vaga;* Epicum carmen iterum per jocum imitatur. Et ſane tam macris turdis opus erat aliquo condimento.

75 Convivæ avidi, et timentes ſervos, rapiunt cœnam. G.

77 *Ex illo*, h. e. Ex hoc, vel deinde.

Non oſtentare mihi, ſed notos mihi. Vet. Schol. Erat enim ipſe Appulus.

78 Mihi idem videtur *Atabulus* qui et Appulus, ſive lapyx. Nam Græcis idem Ἄταβος quod et Ἄτλας, quorum Diminutiva *Appulus* et *Atabulus* videntur.

79 *Trivici villa; Oppidum in fine Campaniæ, quo vehicula juncta accedere nequeunt.* Vet. Schol.

81 *Caminas*, fornix erat ſive lacunar, in ſummo tecto, per quam fumus egrediebatur; h. e. Fumarium: modo autem figurate pro foco ponitur.

Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt,
Signis perfacile eſt: venit viliſſima rerum
Hic aqua; ſed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut ſoleat humeris portare viator;
Nam Canusî lapidoſus: aquæ non ditior urna;
Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.
Flentibus hic Varius diſcedit mœſtus amicis.
Inde Rubos feſſi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Poſtera tempeſtas melior; via pejor aduſque
Barî mœnia piſcoſi. Dein Gnatia lymphis
Iratis extructa dedit riſuſque jocoſque;
Dum flamma ſine, tura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego: namque deos didici ſecurum agere ævum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, deos id
Triſtes ex alto cœli demittere tecto.
Brunduſium longæ finis chartæque viæque.

89 Ultra *G. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor. Med.* 1486. Ultro *Ven. Glar. Chab.*—91 Dulcior *Cruq.*—93 Hinc *edd. vett.*—97 *Pro* dehinc *cum Bentl. dedi* dein *ex codd. ad vitandum aſperum concurſum quatuor conſonantium. Z.*

83 Mire *aufert*, ac ſi de intentione oculorum ageretur.

84 Proprie *viſus*; ſive ὄψαμα, eſt, ubi rem ipſam ſine ulla ambage per quietem cernere videmur.

87 Proprie *manere* pernoctare eſt.

Equotutium (vel equum tuticum) ſignificat: hoc autem exemplo Lucilii; nam in ſeptima Satyra ſit ait: Servorum eſt feſtu' dies hic, Quem plane Hexametro verſu non dicere poſſis. Vet. Schol. B. Franc. Maria Pratillus in Opuſcul. ſcientif. et philol. To. 30. de Equotutico, de h. l. multa diſputat, non eſſe *la Città di Ariano*, ſed oppidulum *Scotuccio*. G.

89 *Ultro* modo dicitur pro libenter: Qui fecere *ultro* conjecturam ſecuti ſunt, non Codices quod quidem demiror acerrimum Bentleium eſſe ſecutum. B. Vid. Var. lect. G.

90 *Callidus* eſt qui uſum habet viæ.

92 Canuſium et Argyripa a Diomede condita ferebantur. B.

Recte viator portat ſecum panem Canuſium, nam hic eſt lapidoſus. Sed ille *locus* qui *a Diomede conditus* eſt, Agyripa ſ. Argos Hippium ſ. Arpi adeo, *non eſt ditior* una *urna aquæ*, quam Equotuticum. Hæc mihi videbantur ſatis aperta. Damnat verſum 92. nimis immiſericorditer Bentleius; et *aquæ non ditior urna* interpretatur, *aquæ copia non uberior eſt Canuſii, quam Equi Tutici.* Arpos peculiari ratione Diomedis urbem dicit poëta. Plane Satiram decet illa periphraſis: et firmat hiſtoria atque Geographia. G.

93 Omnes Torrentii Codices legerunt *hic Varius*, pro *hinc*, quod melius.

95 *Corruptius*, h. e. humidius et lutoſius.

97 *Gnatia* per Aphæreſin poſuit pro *Egnatia. In pede montis ſita eſt, et torrentes de montibus magno impetu decurrentes ſæpe magnam urbis partem diruunt.* Vet. Schol.

99 *Flamma ſine*; ſcribit et Plinius; *In Salentino oppido Egnatia impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exſiſtere. Apud majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Livius. *A Numa ſæpius hoc factum.* Idem. Potuit hoc Naphtha fieri. Prodit etiam Varro apud Servium. Hirpinos per ignem ambulaturos medicamento quodam plantas unxiſſe: quod et ipſi a circulatore quodam factum vidimus.

100 Recte putat Scaliger *Apellam* eſſe proprium nomen alicujus Judæi eo tempore notiſſimi.

SATIRA VI.

IN DERISORES NATALIUM SUORUM.

Cum Horatius, libertino patre natus, a Mæcenate in numerum amicorum relatus eſſet: invidia multorum, inprimis nobilium, inde commota eſſe videtur. Quare hic potiſſimum hoc agit, ut Mæcenatem defendat. Etſi, inquit, tu, Mæcenas, omnium Etruſcorum es generoſiſſimus; non tamen me, ut plerique nobiles, ſpernis: nam non tam genus, quam animum et mores ſpectas. Scis enim, multos humili loco natos fuiſſe probos et honoribus reip. ornatos, et contra nobiliſſimos homines ob vitæ turpitudinem tuliſſe repulſam. Veruntamen nos, qui et genere et ſententiis a vulgo diſcrepamus, non debemus majora appetere, ne in invidiam et juſtam hominum incurramus reprehenſionem, ut Tillius quidam, et alii ignobiles. Atque ipſum me, libertino patre natum, omnes clanculum mordent, olim quod cohortem duxerim, nunc vero, quod tibi, Mæcenas ſim convictor, quamque injuria. Nam, pro tua in amicis deligendis diligentia, non caſu me inter tuos recepiſti, ſed commendatum a Virgilio Varioque, et a temet ipſo ſpectatum, quia meos mores et vitam probaſti, quam optimi patris curæ et fidei debeo, qui in me inſtituendo nullis ſumtibus pepercit. Quare nec melior pater, nec gratior vitæ conditio contingere potuiſſet mihi.

Non, quia, Mæcenas, Lydorum quicquid Etruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te;
Nec, quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent;
Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus. Perſuades hoc tibi vere,

4 Imperitarent *Bentl. ex MSS.* Imperitarunt *Z. et Chab.* Imperitarint *al.* Imperitarit *H.* —7 Neges *conj. Bonfin.*

101 *Didici;* ex Epicuri ſcriptis ſcilicet, atque Lucretii.

103 *Triſtes;* humanis ſcilicet rebus intentos; quas deos negligere putat, ne negotia ſibi faceſſant et delicias ſuas atque otia relinquant. Omnes de ſuo ingenio ſibi deum fingunt; Epicurei Epicureum.

104 *Brunduſium* a cervinis cornibus appellatum: nam Æolibus βρένδος cervus.

SAT. VI.

1 *Lydia quondam profecti incoluere Hetruriam.* Vet. Schol. Eſt autem hic Ἀνακόλουθον Figura: Poſuit enim pro *omnium qui incoluere; quicquid incoluit,* quod Comicæ negligentiæ eſt.

4 *Magnis qui gentibus imperitarunt;* Lucretius III. 1041. monſtrante Lambino.

Longe melius *imperitarent* Bentleii, quam *imperitarint.* In hoc tempore ſæpius allucinantur Librarii indoctiores, ob tenue temporum diſcrimen.

5 *Naſo ſuſpendis adunco; quod vulgo dicunt defannas.* Vet. Schol. *Qui irridenti homines ſannas faciunt: eſt autem ſanna riſus ſolutus eorum qui detortis naribus ſonitum emittunt in alicujus faſtidium.* Vet. Schol. Cruq. Hunc ſonitum Rhonchum dixerunt: *Nuſquam majores rhonchi.* Martialis.

6 Minus eſt *Notus* quam *Nobilis,* et majus *Ignotus* quam *Ignobilis:* nam et Servius Tullius *Ignobilis* erat, non itidem *Ignotus.*

Ante poteſtatem Tullî atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros nullis majoribus ortos
Et vixiſſe probos, amplis et honoribus auctos:
Contra, Lævinum, Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulſus fuit, unius aſſis
Non unquam pretio pluris licuiſſe, notante
Judice, quo nôſti, populo; qui ſtultus honores
Sæpe dat indignis, et famæ ſervit ineptus;
Qui ſtupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe longeque remotos?
Namque eſto, populus Lævino mallet honorem
Quam Decio mandare novo: cenſorque moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus,
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiêſſem.

13 *Pro* ſuit, fugit *Bentl. ex MSS. it. Han.*—15 Quo *ex MSS. Bentl. et ſic H. G. Sax. Z. Med.* 1479. Quem *inde ab Aldo.*—18 Nos *omnes præter Bentl.* Non *Fl.* 1482. Longe longeque *etiam G.* Longe lateque *Z. &c.*

Auguſti ævo *libertinus* idem erat qui et *libertus*; olim autem *libertinus* liberti erat filius. B. Hanc diſtinctionem eſſe falſam, docuit Erneſtus in Clave et ad Sueton. Claud. 24. Iidem enim ſunt liberti et libertini. Hi dicuntur ſimpliciter, ſed liberti in relatione ad patronum. Z.

8 Mire et audacter poſuit *ingenuus*: poteſt enim eſſe *ingenuus* moribus, qui natalibus non ſit. Eſt autem *ingenuus* ſimpliciter bonus; contra *fictus*, qui callide celat vitia.

Perſuades; ſenſus eſt, Recte hoc ſentis. Vet. Schol.

9 *Fuit Tullius Tarquinii Priſci Lucomonis ſervus e captiva natus.* Vet. Schol. Fuit hæc Ocriſia Corniculana. Apud Veteres captivi minuebantur capite, et per hoc amittebant gentem.

10 *Nulli* ſunt quorum capita in Cenſorum libris non comparent.

12 *Hic P. Valerius adeo ſordis ac projectis in omnem turpitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra Quæſturæ dignitatem.* Vet. Schol.

Unde, a quo, ut Genus unde Latinum. Vet. Schol. Valerium Publicolam dicit.

13 Etſi plane ſit mihi deſipiendum (ut magni Bentleii verbis utar) cenſebo tamen *fuit* in hoc verſu præferendum eſſe alteri Lectioni *fugit*. In cauſa fuit variantis ſcripturæ, quod veteribus *fuit* et *fugit* ejuſdem plane fuerint prolationis, liquefacto ſono literæ *g*, quod vix quiſquam doctus poteſt ignorare. Librarius ſcriptor male audiit ſuum Ἀναγνώστην. B. Lectioni *fugit* repugnat, quod hic poſtulatur præteritum. Exemplum quo præſens *fugit* tuetur Bentleius, nihil ad rem facit. Nam ibi *Aſtræa* olim *pulſa* adhuc *fugit præcinctos*. Hic plane res alia. G.

14 *Quod licet, valet.* Vet. Schol. B. *Licuiſſe*, æſtimatum eſſe. Z.

15 *Judice quo nôſti;* ſic legerunt omnes Cruquii et Torrentii Codices pro *quem noſti*. Tollenda eſt autem Subdiſtinctio poſt *Judice*, Moralis et Comica eſt iſta conſtructio. B. Græcis familiariſſima, nec inuſitata Latinis. G.

Stultus, Philoſophiæ rudis, quod nos non ſumus.

16 *Ineptus*, h. e. inanis gloriolæ ſectator. *Ineptus* enim dicitur qui ſapere vult videri in nugis.

18 Nollem Bentleium de *Nos* feciſſe *Vos*, quo non videretur Horatius *longe longeque remotus* a vulgo; quod ſane fuerat Auguſti amicitia præclarus, et per hoc univerſo orbi Romano notus atque acceptus. B. Humillimæ conditionis homo a vulgo, nobiliſſimos etiam complexo, diſtat ſententiis. Non ita abjecte de ſe ſenſit Horatius, ut hic non diceret *Nos*. G. Etſi emendatio Bentleii ſpecioſa eſt; ſequentia tamen eam damnare videntur. Nam inſtituit docere, homines humiliori loco natos, ne jure ipſis invideatur aut hi in acerbam hominum reprehenſionem incurrant, non debere certare cum generoſis et nobilibus de ambiendis ſummis reip. honoribus. Igitur *Nos* ſunt homines ignoti, humiliori loco nati, qualis erat Horatius. *Remoti a vulgo*, h. e. genere et ſententiis diſcrepantes a vulgo hominum, qui vel ob nobilita-

¶ Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minus ignotos generoſis. ¶ Quo tibi, Tullì,
Sumere depoſitum clavum, fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quæ minor eſſet.
Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demiſit pectora clavum;
Audit continuo, Quis homo hic? et, Quo patre natus?
Ut ſi qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formoſus; eat quacunque, puellis
Injiciat curam quærendi ſingula, quali
Sit facie, ſura quali, pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, Urbem ſibi curæ,

24 Tilli *Bentl. ex MSS. in H.*—25 Tribuno *etiam G. a prima manu.*—28 Dimiſit *quidam, ſolemni confuſione.*—29 *Pro* et, aut *etiam Ro. Steph.* eſt *Talb. et Sandb.* ſit *H.*—31 Ut cup. *etiam Z. Med.* 1477. *Fl.*—33 Sura, quali pede *diſtinguit Bentl.*

tem honores rite ambiunt, vel ob vanæ gloriolæ cupiditatem ſtulte affectant. Z.

Pro *longe lateque* omnes ſcripti Codices legerunt *longe longeque*, quod longe longeque melius. Hoc modo locutus eſt et Cicero in libris de Finibus, ut oſtendit Cruquius.

19 Quid tum ſi populus ſtulte judicaret, quid hoc ad nos philoſophantes? Plus dicam, quid ſi Cenſor nobilitatis ſtudioſus me ſenatu excluderet? quid tum? an ideo deterior eſſem? Hic vero colligit ſe, et retractat, ac merito hoc facturum cenſorem affirmat, ut ſtultam ſuperbiam reprimat. G. *Namque eſto*, h. e. Nam fieri poteſt, ut populi levitas honores in nobilem eumque indignum conferat, atque Cenſor graviſſimus hominem non ingenuo patre ortum ordine moveat, idque merito, quia majora, quam generis ratio fert, concupiverit. Z.

20 *Primi ad honores vocati dicebantur homines novi; qualis fuit hic P. Decius.* Vet. Sch. Cruq. *Moveret* modo pro *amoveret*, per Aphæreſin.

21 *Appius Claudius Cæcus* ſeveriſſime Cenſuram regebat, et plebi erat infeſtiſſimus. B. *Ingenuus*, qui liberis parentibus eſt natus. Z.

22 *In propria pelle; Ex Proverbio ſumtum eſt, in eos qui mediocritatis ſuæ obliti, majora ſeipſis appetunt; quos non contineri intra pelliculam dicimus.* Vet. Schol. Notum eſt ſerpentes mutare pelles: atque inde Proverbium. *Pelliculam veterem retines* etiam Perſio dicitur, pro nequaquam mutaris, ſed unus idemque manes. Cæcutiunt hic vel doctiſſimi.

23 *Sed*, particula eſt qua Hypophoran, ſive Subjectionem, inducimus: Quaſi tu dicas, *Sed tu forſan ſubjicias.* Et videtur allegoricus iſte verſus ex aliquo Poeta Epico deſumtus.

Bene *conſtrictos*, ita enim captivi in triumphis deducebantur. B.

24 *Quo tibi*, ſcil. profuit. Z.

25 Pro *fierique Tribunum* aliquot Lambini Codices cum veteribus Scholiaſtis legerunt, *fierique Tribuno. Tullius hic Senatu motus eſt a Cæſare quaſi Pompeianus: occiſo vero Cæſare, recepit latum iterum clavum, et Tribunus militum factus eſt.* Vet. Schol. Cruq. Hunc putat Lubinus eſſe M. Tullium Ciceronem, et poſt hunc Minellius: neque ego contradixerim. De Bentleii *Tillio*, quem vocat *Cimbrum Tillium*, nihil conſtat. Utcunque diverſum fuiſſe crediderim ab hoc. Certo Vocales *i* atque *u* frequenter in Membranis permutantur. In cauſa fuit quod *i*, *u* et *y* ejuſdem fere fuerint ſoni. B. Quidquid ſit de orthographia, certe Tullium Ciceronem hic non peti, apparet. Quando enim is *depoſuit clavum?* Ceterum monendi ſumus, ſumſiſſe ſplendidos equites ac lautiores interdum latum clavum ad ſpem dignitatis ſenatoriæ ſignificandam, quem deponerent cum illa ſpe. Vid. Ovid. Tr. 4. 10. 29. coll. 35. Sic igitur poteſt aliquis *ſumere* denuo *depoſitum* ſponte *clavum*. Tribunos quoſdam fuiſſe laticlavios et dignitatis Senatoriæ, notum. G.

27 *Inſanus*, h. e. præ ſuperbia feroculus, et Ciceronem percutit mira Enargia et lepore. B. *Inſanos* hic vocat, qui ſubito, nulla cauſa apparente, prodeunt cum lato clavo. G.

Senatorum calceamenta ex nigra erant aluta.

28 *Demiſit; recto ordine deſcendebant inſuti clavi, vel intexti.* Torrentius.

29 *Quis homo*; bella Ethopœia, nam exprobrantium eſt.

Cum Torrentii MSS. repoſui *et* pro *aut*, vel

Imperium fore, et Italiam et delubra deorum;
Quo patre ſit natus, num ignota matre inhoneſtus,
Omnes mortales curare et quærere cogit.
¶ Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius, audes
Dejicere e ſaxo cives, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu poſt me ſedet uno;
Namque eſt ille, pater quod erat meus. ¶ Hoc tibi Paulus
Et Meſſala videris? At hic, ſi ploſtra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna ſonabit
Cornua quod vincatque tubas: ſaltem tenet hoc nos.
¶ Nunc ad me redeo, libertino patre natum:
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia, Mæcenas, tibi ſum convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

37 Cogat *H.*—39 Chamo *MS. Cruq.* Camo *Fl.* Cathmo *H. quod favet* Bathmo *Cruquii.* —42 Meſſalla *Ven. Lamb. Bentl.*—47 Nunc q. ſim t. Mæc. *G. Z.* Nunc q. ſum t. Mæc. *H. Med.* 1477.

(ut alii volunt) *eſt*: atque hoc longe concinnius. Bentleius poſuit *aut* pro *et*, nulla puto de cauſa, uti etiam mox *Ut cupiat* pro *Et cupiat*, atque hoc etiam inutiliter.

31 Malo cum Torrentii et Cruquii libris *et* quam *ut*. De Barro vide Sat. 4. B. Recepi multarum edd. vett. cum Bentl. lectionem *ut*, quam ſenſus commendat. Nam *et* referendum eſſet ad *ſi*, ſed *ut* recte refertur ad *morbum*, qui erat animi cupiditas vehemens, ut formoſus haberetur. Z.

35 In novem Torrentii Codicibus deletur *et*, ante *Italiam*: et videtur plane a Grammaticaſtro interpoſitum cauſa Metri. Bentleius tenet. B. Nos quoque tenemus, ſecuti omnes edd. vett. Z.

37 *Omnes mortales*; Facete imperitæ et malignæ turbæ voces imitando deridet. Iſta enim tanquam ore vulgi figurata proferenda ſunt. Rhythmo etiam ineſt ridiculum.

38 Hic jam introducit poeta aliquem de populo expoſtulantem cum ignobili et libertinæ conditionis Tribuno, cui ille reſpondet v. 40. ignobiliorem etiam quam ſe eſſe collegam ſuum Novium, &c. G.

Syri, Damæ; ſervulorum nomina. Non enim dignabantur Veteres ſervos ingenuorum nominibus, cum eos vix pro hominibus haberent. B. *Tune Syri*, eſt objectio populi. Z.

39 *Dejicere e ſaxo: Audes Tribunatu Plebis fungi? Nam Tribuni Plebis damnatos de Saxo Capitolino præcipitabant.* Vet. Schol.

Tradere Cadmo; Cadmus fuit carnifex notæ crudelitatis. Vet. Schol. B. *Cadmus* nomen montis in Aſia placet Cruquio, ut intelligatur exilium. Idem conjiciebat *Bathmo*, intelligebatque gradus Gemonios. G.

40 Significat *Novium* libertum fuiſſe iis temporibus Tribunum Plebis quem falſe mordet per tranſitum. B. *At*, reſpondet iſte Tribunus plebis, loco humili natus. Z.

41 Æmilius Paulus, et Meſſala Corvinus, illuſtriſſimo erant genere. *Hoc tibi*, num propterea (reſpondet populus), quod in quatuordecim uno gradu ſupra Novium ſedes excelliſque dignitate, putas te ſummo loco natum? At Novius certe hoc nomine nobis commendatur, quod voce admodum valet. Z.

42 *At hic*, cum ſtolida admiratione proferenda; nam populus cauſidicos de menſura buccarum probare ſolet. B. Ut interdum ſacros concionatores. G.

43 *Magna ſonabit; ut Virgilius, infanda furentem.* Vet. Schol.

44 *Cornua; Indictiva Funera ad tibias et tubas ducebantur.* Gutherius de Jure Manium. *Hinc tuba, candelæ.* Perſius.

Tenet, h. e. capit: nempe quod utilem credamus eum cauſis dicendis.

45 *Ad me redeo*; miſſis ſcilicet Figurarum ambagibus. [Imo, miſſis aliorum exemplis. Z.] *Nunc ad me redeo, ut quæ res me impendit agatur.* Lucilius.

46 *Libertino patre natum*, oſtendit iſta repetitio illud fuiſſe ſemper in ore inimicorum Horatii; atque unicum pene convicium.

Diſſimile hoc illi eſt: quia non, ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum!
Præſertim cautum dignos aſſumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me poſſum, caſu quod te ſortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius, dixere quid eſſem.
Ut veni coram; ſingultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: reſpondes, ut tuus eſt mos,
Pauca: abeo; et revocas nono poſt menſe, jubeſque
Eſſe in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi ſecernis honeſtum,

---

49 *Pro* quia, quod *H.* Forſan *Ven. Glar. Chab.*—53 Poſſum *H. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl.* 1482. *&c. Ro. Stepb. &c.* Poſſunt *Bentl. ex Vet. Schol. XII. editt. ap. Cun. it. Z.* Poſſit *Cun. ex MSS.* Poſſim *G. coll. Sax.*—54 Tibi me *Bentl. ex Schol. Cruq. et MS. tanquam modeſtius.*—55 Varus *G. et H. et alii in hoc nomine ſæpe.*

---

47 Placuit Bentleio confragoſa Lectio veteris Venetæ Editionis, ob raritatem puto; *Nunc quia ſum tibi, Mæcenas, convictor.*

Convictor pro eo quòd conviva. Vet. Schol. B. Sed hic eum, qui frequens et tantum non perpetuus conviva eſt. G. Senſus eſt: duplici de cauſa me clanculum inſectantur: nunc quidem, quod ſum Mæcenati convictor, olim autem, quod tribunus eram militum. At non eſt idem cum Mæcenate vivere et tribunum eſſe. Z.

48 *Tribuſus* erat ſub Bruto.

49 Omnes pene omnium Manuſcripti legerunt *forſit* non *forſan*, ſic et Vet. Schol. *Honor forſitan non convenit libertini filio, amicitia viri magni quare non conveniat docto?* Vet. Schol.

50 *Amicus* major patronus eſt, et minor cliens, ſive comes, uti ſæpius dictum.

51 *Prava ambitione procul*, h. e. *qui ſunt longe a prava ambitione.* Vet. Schol. h. e. ab adulationis deformitate, et perverſa arte: nam quod in naturali ſitu non eſt *pravum* dicimus.

52 *Felicitati invidendum eſt, non merito.* Vet. Schol. B. Difficile eſt judicare, quæ lectio vera ſit. *Felicem dicere non* ob *hoc me poſſum* ergo, quia non eſt factum caſu: *non poſſunt* invidi: *non poſſit* quivis: *non poſſim* jure ego etſi velim. G.

54 Pro *mihi te* Bentleius ſuffecit *tibi me;* idque magna vi verborum abſque ulla tamen idonea auctoritate. " Quid enim (inquit ille) " an patrono et rege ſuo, Mæcenate, cui vi- " tam, opes, omnia debuit, majorem hic ſe " gerit coactoris Græculi filius?" Vide quantum tu debes Bentleio, Flacce Horati, libertino patre nate, quod tandem te purgaverit Bentleius tanta inſcitia, atque incommoditate arte ſua critica poſt tot ſæcula cæcutientum Grammaticorum. B. Superbum eſſet dicere *mihi te*, ſi fors nobis offerret tantum mancipia; ſed offert etiam patronos. Æque calumniæ opportunum, et magis forte eſt *tibi me:* quaſi vero magnum munus fortunæ eſſet obeſulus poeta oblatus divinitus Mæcenati. G.

55 *Dixere quid eſſem;* verecunda Periphraſi pro commendavere.

56 *Singultim; cum intervallo interruptis verbis.* Vet. Schol.

57 *Infans; elinguis.* Vet. Schol.

59 *Satureiani fundi ſunt in Apulia fertiles, et equorum nobilium genitores.* Vet. Schol. *A Satureio oppido juxta Tarentum.* Torrentius. Tarentinum igitur vult intelligi. Et falſe percutit Provincialium nobilium tumorem et inanem faſtum. B. Horatianum eſt tribuere adjunctis epitheta rei principalis. Vid. ad Od. 1. 31. 9. de *Cakena falce.* G.

63 *Honeſtum* et *Turpe* Stoicis erant pro *Bono* et *Malo;* et hæc tanquam Philoſophus, et

Non patre præclaro, ſed vita et pectore puro.
Atqui ſi vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendoſa eſt natura, alioqui recta; (velut ſi
Egregio inſperſos reprendas corpore nævos)
Si neque avaritiam, neque ſordes, aut mala luſtra
Objiciet vere quiſquam mihi; purus et inſons
(Ut me collaudem) ſi et vivo carus amicis:
Cauſa fuit pater his: qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere; magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus æra:
Sed puerum eſt auſus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis Eques atque Senator
Semet prognatos. Veſtem ſervoſque ſequentes
In magno ut populo ſi quis vidiſſet, avita

68 Nec mala *Cruq. ex MSS. Cun.* Ac *vulg. it. G.* Aut *etiam Aſcenſ.*—70 Si vivo et carus *Ven. Chab. Lamb. non male.*

rigidus virtutis ſatelles; cum alias Epicureum agat; in loco tamen omnia.

64 *Purus* eſt, qui nil ſimulat. *Puritas* enim ſimplicitas eſt ſine fuco.

66 Quod *rectum* eſt, appoſita rationis norma, Philoſophi ſoli cernunt.

68 *Avaritia* reſpicit ad malas habendi artes, *ſordes* ad nimiam parcimoniam, et *luſtra* ad inſanos ſumtus.

Bentleius prætulit *aut* [pro *nec*] ſed nihil tanti; etſi Helenium Acronem in partes ſuas trahat. B. Recepi *aut* propter morem Horatii, qui poſt *neque—neque* ſolet addere *aut.* Carm. III. 12. 2.: III. 23. 7.: II. 1. 15.: 2. 22. &c. Z.

Luſtra cum proprie ſint lutoſæ ferarum lamæ, modo figurate popinas et tabernas dicit vinarias; necnon lupanaria, quæ *mala* dicuntur ob malos incolas, et inſidias quas hoſpitibus ſemper ſtruunt: nam malus eſt qui cum callidítate nocet.

70 Scripti Codices legerunt *ſi et vivo*, pro *ſi vivo et*, Satyrico Hyperbato.

71 *Pauper, deeſt quamvis.* Vet. Schol.

72 *Flavius quidam fuit illis temporibus Calculator.* Vet. Schol. Imo et Provincialis, nam in Apulia docebat.

Magni; Ironice, quod ipſe pauperculi eſſet filius.

74 *Suſpenſi loculos;* ὑπαλλαγὴ, *non ipſi ſuſpenſi, ſed ſuſpenſos loculos habentes.* Vet. Schol. *Loculos, ſcilicet Calculorum.* Vet. Schol. Cruq. B. Interpretor tabulam loculatam, lineis diſtinctam ad uſum ducendorum calculorum: ut calculi in primo loculo poſiti monadas, in ſecundo denarios, centenarios in tertio, ſignificent, &c. G.

Tabulam; buxum in quo meditantur ſcribere. Vet. Schol. *In qua et Characteres Arithmetici notabant, et calculos ordinare diſcebant.* Vet. Schol. Cruq.

75 *Octonis referentes;* h. e. *ſingulis Idibus referebant octonos aſſes æris pro mercede ſcholaſtica.* Vet. Schol. Cruq. Ogdoas veteribus erat pro noſtra Hebdomade. B. Neque octo aſſes dixit poeta, neque hic ſermo de Ogdoadibus Ro. Sed honeſtum et uſitatum videtur fuiſſe, quod dactrum in ſingulos menſes deberetur; illud ſolvere Idibus ut dimidia parte operæ peracta acciperet magiſter totam mercedem. G. Rectius videntur alii locum intelligere de exercitiis puerorum, qui computarent *æra*, h. e. uſuras, quæ Idibus exigerentur. *Octonæ* vocantur Idus, quia poſt Nonas in ſingulis menſibus fuit octo. Z.

76 *Eſt auſus; animo erat magno, ſed re tenui.* Vet. Schol. Cruq.

77 *Doceat, doceri faciat.* Vet. Schol. B. *Quavis, quantumvis dives aut clarus.* G.

79 *In magno ut populo; populum* modo, p

Ex re præberi ſumtus mihi crederit illos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos,) ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut (ut fuit ipſe) coactor
Mercedes ſequerer: neque ego eſſem queſtus. At hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia major.
Nil me pœniteat ſanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat eſſe ſuo pars,
Quod non ingenuos habeat claroſque parentes,
Sic me defendam. Longe mea diſcrepat iſtis
Et vox et ratio: nam ſi natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad faſtum quoſcunque parentes:
Optaret ſibi quiſque; meis contentus, honeſtos

84 Opprobrio *reſtituimus e vett. edd. Z.*—87 Ob hoc *Ven.* 1479. *Fl.* Ad hoc *etiam G.* Eſſem ocqueſtus ob oc nunc *Ven.* 1479. Hoc qu. ad hoc nunc *Med.* 1486. Hoc qu. ob oc *Med.* 1502. Ob *etiam Ven. Pinc.*—96 Honuſtos VII. *MSS. Rutgerſ. et* onuſtos *edidit ipſe, tum Dan, Heinſ. Burm. Maitt.*

Republica poſuit. B. Puto hoc velle ſimpliciter, in publico, in magna, qualis Romæ eſſe ſolet turba hominum ſe tamen conſpicuum fuiſſe. G.

De *ſi quis vidiſſet* magnus Bentleius quod horreret ſibilantem *s*, fecit *ſiqui vidiſſet* de ſuo ingenio. B. *Avita ex re*, ex patrimonio ab avo relicto. Z.

80 *Illos*, modo pro tantos dixit; cum admiratione ſcilicet.

81 Ad Emphaſin poſuit *incorruptiſſimus*; ſignificat enim *Pædagogos a pueris donis ſæpe corrumpi ſoltre, ut luxurientur*, ut ait Vet. Schol.

83 *Primus virtutis honos;* pudor flos quidam virtutis eſt, atque decor: imo et modus; nam quem nil pudet hunc nil piget. *Summum crede nefas animam præferre pudori.* Juvenalis.

84 Torrentii MSS. cum Vet. Schol. legerunt *obprobrio*, quod nos ob vetuſtam ſcripturam tenuimus. B. Habeatur ille honos libris: modo meminerimus, etiam qui primæ vetuſtatis ſunt hodie, eos novos eſſe reſpectu aliorum monumentorum, in quibus ultima præpoſitionis in ſequentem corrumpitur. G.

85 *Nec timuit* i. cum tamen non haberet cauſam timendi. G.

86 *Præcones dicebantur qui ſtabant ad haſtam, et enuntiabant pretia oblata.* Vet. Schol.

Coactores erant mercenarii eorum qui habebant Argentariam: ſunt autem Argentarii qui habent ſummam rerum venalium. Coactor exigit nummos a Foraneis; qui et Collectarius nominatur. Vet. Schol.

87 *Mercedes ſequerer;* h. e. pretia conquirerem. B. Malim, parva mercede locarem operam meam. Ceterum pro *queſtus* in hoc verſu editio Ven. 1479 habet *ocqueſtus*, quod forte conſiderari mereatur, ſi vim habeat ſimilem, ut *oblaterare, occinere, ogganire, oblatrare, obloqui, obmurmurare, obnunciare, obſtrepere, obvagulari.* Haberet ergo *ocqueſtus* eam vim, non conqueſtus eſſem apud ipſum patrem meum, et illum objurgaſſem. G.

Optime repoſuit Rutgerſius *At hoc* pro eo quod erat *Ob hoc*, quod et Vet. Schol. confirmat, apud quem legimus *At hoc*. Bentleio magis placuit *Ad hæc nunc*, quod frigidiuſculum videtur.

89 *Pœnitet*, cui præ pudore dolet.

Hujus ἰν ἄϑει dicitur; et habet Emphaſin, etiam hujuſmodi libertinum parentem non eſſe contemnendum.

Faſcibus et fellis nolim mihi ſumere; demens
Judicio vulgi, ſanus fortaſſe tuo, quod
Nollem onus (haud unquam ſolitus) portare moleſtum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque ſalutandi plures; ducendus et unus
Et comes alter, uti ne ſolus ruſve peregre-
ve exirem; plures calones atque caballi
Paſcendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, ſi libet, uſque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo ſordes mihi, quas tibi, Tulli,
Cum Tiburte via prætorem quinque ſequuntur
Te pueri, laſanum portantes œnophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, præclare Senator,
Millibus atque aliis, vivo; quacunque libido eſt,
Incedo ſolus; percontor quanti olus ac far;
Fallacem circum, veſpertinumque pererro

99 Nollem *G. H. it. Lamb. Chab. Bentl.*—102 Peregre aut *G. Z. Ven.* 1479. *Fl.*—109 Laganum *G. cum gloſſa, aliter* laſanum, vas cibarium, *quod ex* v. 115. *improvide aſſumtum.* Laganum *etiam Fl.* 1482, *ubi Landinus*, membranam, *ait*, de farina confectam: vel leguminis ſpeciem. *confundit* laganum *et* λάχανον.

90 *Juriſconſulti ſine dolo malo nullum grave delictum ſtatuunt.* Torrentius.

92 *Diſcrepare* proprie dicuntur chordæ barbiti, vel lyræ.

93 *Et vox et ratio;* h. e. et verba et animi mei ſententia: neque putes me dicere quæ non ſentiam.

96 *Honeſtos; Faſcibus et Curulibus honoratos:* i. e. *conſulares et prætorios.* Vet. Schol. Cruq. Nam ſella curulis et faſces ad majores pertinebant magiſtratus. Fruſtra Lambinus repoſuit *onuſtos.* Rutgerſius Torrentio iratus ſtat pro Lambino.

98 *Mire hoc dixit, quia ipſe Eques permanſit contemto ſenatorio ordine.* Vet. Schol. Et quia operam dederat Philoſophiæ.

102 *Comes*, minor aliquis amicus.

104 *Petorritum genus eſt Gallici vehiculi: alia ſunt carpenta; alia carrucæ.* Vet. Schol. *Petuar* etiam hodie Aboriginibus noſtris *Quatuor* eſt, et *Rhedec, currere;* quo ſpectare videtur et veterum Gallorum *Rheda.*

105 *Tarentum* ad finem eſt Italiæ.

106 *Mantica, pera, vel averta eſt; ſed hoc ex Luciliano illo ſumtum eſt: Mantica Cantherii coſtas gravitate premebat.* Vet. Schol.

107 In avaritia ſummum *ſordes* dicimus: iterum Ciceronem percutit. B. Vid. ad v. 25.

Bentleius iterum, me invito, reponit *Tilli* pro *Tulli*, quæ quidem ſcriptura debetur inſcitiæ exſcribentium Ἀναγνώστων ſuos male audientium. B. Non debet contemni *Tilli*, quia citius hoc, ut minus notum, mutari a librariis potuit in *Tulli*, quam contra. Z.

109 *Laſanum vas in quo exoneratur venter; inventum ad requiſita naturæ.* Vet. Schol.

Oenophorum, vas eſt quod capit vinum, ſive amphora id fuerit, ſive cadus.

110 *Commodius*, h. e. animo meo accommodatius, et magis ex voto.

111 Falſus et vir doctus Dionyſius Lambinus cum pro *Millibus atque aliis*, *Multis atque aliis* contra MSS. fidem repoſuerit. Non enim advertebat veteres etiam declinaſſe Adjectivum *Mille*, quod oſtendit Cruq.

113 *Fallacem dixit propter ſamardacos et ſortilegos mathematicos, qui ad metas ſpectatores circumſtabant, et imperitos ſortibus et nugis fallebant:* Vet. Schol. Cruq. Eſt autem *Samardacus* Aſrorum lingua impoſtor et planus; vide Gloſſarium Du Freſne. *Conſulit ante phalas delphinorumque columnas.* Juvenalis.

Sæpe forum; assisto divinis; inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum:
Cœna ministratur pueris tribus; et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet; astat echino
Vilis cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non solicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane; obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam jaceo; post hanc vagor; aut ego, lecto
Aut scripto quod me tacitum juvet, ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Nacca lucernis.

117 Echinus *etiam G. H. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Glar. Lamb. Bentl.* Echidnus *Fl.*— 124 Nacca *probat Marcil.* Natta *Glar. Lamb. Bentl. Cun.* Nauta *Sax.* Nacta *Z.*

Mihi videtur Suburram dicere, quod fere hora sena (an cœnæ?) *furtivas res solent eo venum deferre.* Vet. Schol. *Forum est singularium Regionum proprium.* Alter Schol.

114 *Assisto divinis; sortilatores dicit: porro autem altioris dignitatis homines erubescunt sero in his vulgi circulis stare, quod tamen sibi licere Horatius dicit per vitæ libertatem.* Vet. Schol.

115 *Lagana sunt placentulæ quædam vulgares, quasi membranulæ compositæ, cum pipere et liquamine conditæ.* Vet. Schol. Cruq. Lambinus ex uno MS. legerat *lachani*; sed nil opus fuerat.

116 *Pueris tribus;* coquo, structore, et pocillatore.

Lapis albus; mensa marmorea quam vocant Delphicam. Vet. Schol. Τρισκελὴς τράπεζα. Vet. Schol. Cruq. Album marmor levis erat pretii, et apud Italos vulgare. Superius etiam Tigellius dicit: *sit mihi mensa tripes.*

117 Supra ostendimus cyathum cochleare quoddam fuisse et mensuræ genus.

Pro *astat echinus* nonnulli Codices legerunt *astat echino*, quod et Vet. Schol. confirmat, dum interpretatur *præter echinum. Echinum dixit vas æneum in quo calices lavantur, quod modo trisille appellamus.* Vet. Schol. Ἔχινος Græcis omasum est, et vas omasi forma: Erotiano χύτρα μεγαλόσωμος, quod ostendit Cruquius. Est autem *Trisille* corruptum, pro *Trissile:* vide Glossarium Du Fresne in voce *Trissilis*, quam ille a Græco Τρισκελὴς deducit. *Lucilius sic dixit quasi scortea ampulla sit, ut cum ait; Echinus ebinabam infectus.* Vet. Schol. Vide an legendum *Echinum clinabam intectum.* Bentleius tamen probat alteram scripturam *adstat echinus*, indicta tamen causa. B. De *echino* quæ poteram, dixi in Thesauro. G.

118 *Guttus cum patera fuerat dicatus primitiis vini diis libandis.* Cruquius ex Varrone. Guttus vasculum erat angusti oris, quali nos hodie acetum et oleum servamus: nomen habet a gutture. Ex hoc primitias olei defundebant, uti e patera vini. Patera Græcorum erat scyphus, et ventricosa et manicata Herculique sacra.

Campana; Capuæ hodie ærea vasa studiosius fabricari dicuntur. Vet. Schol. Plerique putant *Campana* dici pro fictilis, quod non placet. B. Etiam glossa Cod. Gott. *fictilis*, ait, *et viminea.* Cf. Ser. 2. 3. 145. G.

120 *Obeundus Marsya; Marsya statua erat in rostris, ad quam solebant homines illi convenire, qui inter se lites et negotia componebant.* Vet. Schol. *Quia in Foro vadimonium sistendum apud signum Marsyæ sit.* Alter Schol.

121 *Satyrice et eleganter hoc dictum, quasi ideo manum levet Marsyas quod in Foro sustinere non possit hunc Novium.* Vet. Schol. *Novii fratres fuerunt, quorum minor ad locum qui appellatur Marsya funerari consueverat.* Alter Schol.

122 *Ad quartam;* ad decimam matutinam, in lectulo scilicet lucubratorio. B. Nempe ad vacandum vel lectioni vel scriptioni. Z.

Lecto producta syllaba enuntiare debemus, quia frequentativum est ab eo quod est lego. Vet. Schol. Bentleio tamen *lecto* et *scripto* pro Participiis sunt Ablativis, quod admodum videtur nobis improbabile; imo vel sequela verborum repugnat. B. Etiam Gl. Gott. *lecto, scripto* dictum ait pro *lectito, scriptito:* sed magis tamen placet forma participialis, cum verba illa alioqui inaudita, hæc autem forma consueta satis, certe bona, et optimis usurpata sit, et vix appareat, cur verba hic, quam participia malimus. G.

123 *Tacitum*, h. e. meditantem *Et tacitus mecum ipse voluto.* Virgil.

124 Ideo *immundus*, quod lucernario oleo uteretur, et hoc per Hyperbolem dicitur.

Scribitur *Nacta; Nata* et *Natta:* nos *Nacca*

Aſt ubi me feſſum ſol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio Campum luſumque trigonem.
Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. Hæc eſt
Vita ſolutorum miſera ambitione gravique:
His me conſolor victurum ſuavius, ac ſi
Quæſtor avus, pater atque meus, patruuſque fuiſſet.

SATIRA VII.

Ex ridicula Perſii Clazomenii perſona P. Rupilium Regem Prænestinum adverſarium ſuum percutit. B. Deſcribitur jocoſe ridicula litigatio inter Perſium Clazomenium et Rupilium Prænestinum, Bruto Prætore Aſiæ. Inprimis ridetur Græculi Aſiatici tumida laudatio Bruti ejuſque comitum, et acerba ineptaque maledicentia, qua Prænestinus laceſſitur.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Ibrida quo pacto ſit Perſius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonſoribus eſſe.
Perſius hic permagna negotia dives habebat

131 Fuiſſet *MSS. et vett. edd.* Fuiſſent *al.*

SAT. VII.

2 Hibrida *G. Z.* Hybrida *reliqui.*—3 Haud lippis *conj. Faber.*

prætulimus, qui veteribus Romanis fullo erat, quaſi Κναφεύς, a κνάω. Bentleio tamen *Natta* placuit, ex negligentia puto.

125 *Sol acrior: hora quinta.* Vet. Schol.

126 *Campum, luſumque trigonem.* Ita recte repoſuit Bentleius poſt Jacobum Cruquium, qui ita repererat in vetuſtiſſimo Blandinio libro. In Campo Martio ludebant terni pila trigonali. Altera lectio *rabioſi tempora ſigni* videtur de tertia Perſii Satyra deſumta, cum parum intelligeret Librarius luſum trigonem, quid eſſet. Mirandum ſane hoc a tot retro ſæculis ignoratum fuiſſe exſcribentibus. B.

127 *Interpellet*, h. e. *prohibeat.* Vet. Schol.

128 *Durare*, ſcil. ad cœnam uſque. Z.

129 *Miſera, quæ miſeros facit, quia graviter afficit.* Vet. Schol.

130 Plerique ſcripti Codices conveniunt Cruquiano Interpreti qui *victurum* legit pro *victurus*, quod et Torrentio probatum video: Ordo eſt, *Conſolor me victurum his*, h. e. *me victurum mihi perſuadeo.* Vet. Schol. Cruq.

Ac ſi, pro *quam ſi.* Vet. Schol.

131 Honoratos ſuggillando *Quæſtorem* nominat: nam male audiebant *Quæſtores.*

Libenter aſſentior Bentleio melius ſcribi *fuiſſet* quam *fuiſſent.*

SAT. VII.

1 *Proſcripti, condemnati a Triumviris.* Vet. Schol. Proprie *proſcribere* eſt venale proponere, ut bene Landinus. Proſcribebantur ædes; proſcribebantur etiam damnati, quorum bona publicabantur, et quorum non comparentium nomina in publica tabula edebantur. *In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres.* Juvenal. 2. 28. B. Proſcriptionem neſcio quam bene hic objecerit Rupilio poëta, earundem ipſe partium. Forte hæc demum poſt victoriam Cæſarianorum ſcripta, cum partes Bruti objiceret Horatio recepto, receptus ipſe Rupilius: ut Tubero olim Ligario. Sic poteſt ratio reddi cur exſtare carmen hoc paſſus ſit Horatius. Rem non plane recentem commendari verſibus, ip-

Clazomenis, etiam lites cum Rege moleſtas;
Durus homo, atque odio qui poſſet vincere Regem;
Confidens, tumiduſque; adeo ſermonis amari,
Siſennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo: poſtquam nihil inter utrumque
Convenit (hoc etenim ſunt omnes jure moleſti,
Quo fortes, quibus adverſum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in utroque

7 Tumiduſque *etiam Z. Ven.* 1479, *&c.*

ſum exordium declarat. Forte negarat Rupilius, ſe in caſtris Bruti fuiſſe. G.

Publius Rupilius cognomine Rex, Præneſtinus, commilito fuit Horatii in caſtris Bruti; hic ægre ferens quod Horatius Tribunus eſſet, ſæpe ignobilitatem generis illi objiciebat: idcirco nunc eum ex perſona alterius lacerat. Vet. Schol.

Pus atque venenum: malignitatem atque livorem. Vet. Schol. Nam a lurore veneni *maledici* dicuntur nigri, ut alias oſtendimus. *Pus eſt ſanguis qui in carne computruit.* Vet. Schol. Cruq. et per hoc vetus etiam ulcus.

2 Veteribus Italus et Celtis *umber*, *imber* et *iber* ſurculus erat inſititius, ut et hodie aboriginibus noſtris *imp* (German. *impfen* inſerere). Hinc et bigenera omnia dicuntur *Ibridæ*, pro quo corrupte vulgo *Hybridæ*, ut oſtendit Scaliger in Notis ad Varronem. Atque ita Bentleius edidit. Erat Perſius iſte Clazomenius parentibus, Romano et Græca.

3 Proverbiali ſchemate protulit *Lippis et tonſoribus*. *Lippos* autem dicit aſſiduæ potationi operam dantes, et in tabernis vinariis otiantes: Theophraſto etiam τὰ χυτρία ἄοινα dicebantur συμπόσια, quod oſtendit Cruquius ex Plutarcho. B. Malim *lippos* intelligere cum Vet. Schol. qui oculos inungendos curant in *medicinis*, h. e. officinis medicorum. Pulchre advocavit Bentleius Plautum Amphit. 4. 1. 3. *Nam omnes plateas perreptavi—in medicinis, in tonſtrinis*, &c. Hic enim dum ſedent, et exſpectant manum medici, fabulas ſerunt, audiunt. G.

4 *Erat enim negotiator apud Clazomenas.* Vet. Schol. Cruq. Vult oſtendere hominem fuiſſe alicujus notæ apud ſuos. B. *Negotia*, res pecuniariæ, pecuniæ fœnori locatæ. vid. Ern. Clav. Cicer. v. *Negotium*. Z.

5 *Moleſtas lites*, importunas dicit litigationes et pertinaces.

6 *Durus* dicitur indomitus et effrænis, qui ſcilicet flecti nequit.

Odio eſt quod nauſeam movet, et per hoc ferri nequit, ob moleſtiam et inſuavitatem.

7 *Fidens in bonis; confidens in malis.* Vet. Sch. Perfrictæ erat frontis et improbus. B.

Pro *tumiduſque* Torrentii et Cruquii Codices legerunt *tumidus; que* adjectum eſt a Grammaticaſtro, et a Bentleio ſervatum. B. Revocavi *que*, quod eſt in omnibus edd. vett. et poſcitur a verſu.—*Sermonis amari*, acerbus in maledicendo et vehemens. Z.

8 *Cornelius Siſenna*, de uxoris vita apud Senatum interpellatus, reſpondit ſe olim duxiſſe eam ſuaſu et hortatu Auguſti. Hoc monuit Torrentius ex Dione.

Equis albis, Proverbio erat [pro equis velociſſimis. Z.] Hujuſmodi equi erant ſolis atque etiam triumphantium. *Qui candore nives anteirent, curſibus auras.* Virgil. de equis Pilumni.

10 Comice ponitur *hoc* pro eodem; atque ita ſupplenda eſt extrinſecus ſententia; *hoc jure omnes moleſti ſunt moleſti, quo omnes fortes quibus adverſum bellum incidit, ſunt fortes.* B. Mihi ſic videbatur. *Moleſti omnes, quibus adverſum bellum incidit, ſunt hoc jure*, hac conditione, *quo fortes quibus bellum incidit*, nempe ut vel commoriatur dimicatio, vel alteruter certe pereat. Quantum ad pugnarum eventum moleſti ſunt ſimiles fortibus. G.

Moleſti per Charientiſmum dicuntur odioſi, et importune laceſſentes.

11 Satis commode *adverſum* dixit bellum de monomachia cogitans, ducta metaphora a duobus tauris adverſis frontibus congredientibus.

Ridicula imitatio Heroicæ Poëſeos in levi materia. Ἕκτορα Πριαμίδην, Homericum eſt. B. Repetitum *inter* quod Bentleio diſplicet, ſatis vindicatum in Theſauro. G.

13 Olim ſecuri percutiebant nocentes liberos; hinc *capitalis* hoc loco pro mortifera.

Summa fuit. Duo ſi diſcordia vexet inertes;
Aut ſi diſparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco; diſcedet pigrior, ultro
Muneribus miſſis) Bruto Prætore tenente
Ditem Aſiam, Rupilî et Persî par pugnat, uti non
Compoſitum melius cum Bitho Bacchius; in jus
Acres procurrunt, magnum ſpectaculum uterque.
Perſius exponit cauſam, ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem;
Solem Aſiæ Brutum appellat; ſtellaſque ſalubres,
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Inviſum agricolis ſidus, veniſſe: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara ſecuris.
Tum Prænestinus ſalſo multoque fluenti
Expreſſa arbuſto regerit convicia, durus

17 Pulchrior *Han. G. S. Bos Anim.* p. 59. Diſcedat *Ven. Chab. Lamb. Bentl. et alii.*—20 Compoſitus *G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *it. Ald. Steph. uterque Bur. et alii editores.*—21 Procurrunt *probat etiam Heinſ. ad Sil.* 7. 566. Concurrunt *al.*—28 Muſtoque *conj. Da. Heinſ.* Multumque *edd. vett.*

Θυμῷ γὰρ ἐδὺν γῆρας ἔφη ἄλλο κλὴν θανεῖν, verba ſunt Sophoclis, citante Cruquio.

Mire *divideret* de acriter pugnantibus, h. e. dirimeret.

15 Sic et Virgilius: *Si duo præterea tales Idæa tuliſſet Terra viros.* Vet. Schol. duos.

Vexet, h. e. in iram incitet: Proprie enim ira vel furore tentati, *vexari* dicuntur. Bentleius pro *vexet* poſuit *verſet*, quæ rarior Lectio eſt, et repræſentata a Lambino. B. *Verſet* eſt Sat. 2. 3. 249. Add. Sat. 1. 8. 19. G.

17 Veteres Impreſſi legerunt *diſcedet*, non *diſcedat*, quod et nos ſequuti ſumus.

18 *Muneribus miſſis; ut Glaucus ceſſit Diomedi arma ſua aurea, acceptis æreis.* Vet. Schol.

Prætore more veteri poſuit pro Imperatore: nam Brutus hoc tempore in Aſia contrahebat auxilia adverſus Auguſtum.

19 Nam gladiatorum paria dici ſolet.

20 *Compoſitum*, modo poſuit pro *commiſſum*: optimi enim Torrentii Codices legerunt *compoſitum* pro *compoſitus*, ſuppreſſo ſcilicet *par*; vel ἀπὸ κοινοῦ repetito: atque hoc Comicæ et Satyricæ negligentiæ eſt. Bentleius contra contendit veram Lectionem eſſe *Compoſiti* auctoritate unius Codicis; quod nihilominus videtur nobis veriſimillimum, ob elegantem ſtructuram verborum, quam non capiebant Exſcriptores.

Bitbus et Bacchius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt, qui cum multos interemiſſent, commiſſi inter ſe mutuis vulneribus conciderunt. Vet. Schol.

21 *Mire perdurat* in *tranſlatione Theatri ad Judicium.* Vet. Schol.

23 *Conventum* dicit Juridicum.

Cohortem comites dicit Bruti, qui in conſilio erant, ſic et Lucilius ait: Ut Prætori' cohors ut noſtris dixit Aruſpex. Vet. Schol. Hinc noſtris COURT.

24 Apud Vet. Schol. legendum pro *opportune laudans, importune laudans.*

25 *Canem* falſa Dilogia pro ſtella et animali poſuit.

26 Iterum ridicule inſurgit, ut in Heroico Poëmate.

27 *Fertur quo rara; quia omnia ligna ſecum trahit torrens, non eget ſecuri.* Vet. Schol. B. Si in ſilvam denſam irruat torrens, majorem edit ſtragem, quam ſi ea paſſim cæſis arboribus rara ſpatium aquæ præbeat. Illa cum flumine vel torrente comparatio eſt Demoſthenica, et repetita a Luciano in Demoſth. encomio p. 495. et 512. ubi quædam admonuimus. G.

28 *Prænestinus*; Itali municipes Romæ ignobiles erant. Sic et Juvenalis; *Hic novus Arpinas*; de Cicerone.

Vetus Interpres cum melioribus Torrentii libris legerunt *multoque fluenti* pro *multumque*, ut ſit nomen; quod longe melius videtur. B.

Vindemiator, et invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cuculum.
At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat, Per magnos, Brute, deos te
Oro, qui reges consuêris tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

SATIRA VIII.

IN SUPERSTITIOSOS ET VENEFICAS.

Priapus in hortis Esquilinis positus fingitur conqueri, quod difficilius veneficas, quam fures et aves, arcere possit. Tum narrat duarum vetularum apparatum veneficum, quo ita sit commotus, ut tandem præ horrore ingentem emiserit ventris crepitum: cujus sono istas veneficas sic perterrefactas esse, ut omnibus relictis effuse et sine respectu aufugerint. Tria igitur potissimum agit poëta, ut Priapi cultum derideat, ut vulgi de veneficiis superstitionem notet, ut Canidiam Saganamque veneficii infamia laborantes perstringat.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coërcet,

30 Vindemator *Gott. marg. Med.* 1477. *Ald. Ven. Glar.*—31 Cucullum *edd. vett.*—34 Consuesti *Bentl. ex libris paucis.*

Pulchre Fabricianus Porphyrion, *Salso multoque fluenti* ad verbum interpretatur, *Urbane ac copiose locuto* (πολλῷ ῥέοντι Demosth. pro coro. c. 43. p. 84.) *Persio invicem Rupilius convicia regerit, non minus ridiculus, quam rustici vindemiatores*, &c. Nempe *arbusto* i. e. putatori (qui hic *vindemiator* vocatur improprie) *exprimit convicia* viator, quum *cuculum* appellat: non quasi *arbustum* pro putatore s. arboratore dicatur; sed quia tamen convicia ex arbusto veniunt. G.

29 *Expressa:* Metaphora ducta a vino quod exprimitur arbusto, h. e. vite arbustiva. Ordo est, *Expressa arbusto fluenti salso multoque.*

Durus, h. e. ut *pervicax* et cerebrosus. *Vindemiator* autem modo tetrasyllabum est, per Synæresin Figuram. B. Hinc *Vindemator* est in Venet. et Glar. Z.

30 *Invictus*, ob perfrictam audaciam, invicta constantia vultus.

31 *Cuculum; Exprobratio fœda putantium vites per imitationem cantus alitis temporariæ, quam cuculum vocant: dedecus enim habetur opprobriumque merito falcem ab illa volucre in vite deprehendi.* Plinius (18. 26. extr.) notante Cruquio.

32 *Italo aceto*, h. e. *Romana mordacitate.* Vet. Schol.

35 Vapidus hic jocus est, in ridendo voluit Augustum tangere. B. In priori editione plane pestiferam Dilogian vocarat. Puto autem, nec Persium nec Horatium hic aliquid de Augusto cogitasse: sed lusisse simpliciter in cognomine Regis et Regicidio, Juniæ Brutorum familiæ decore antiquo, in Cæsare dictatore instaurato. G.

SAT. VIII.

1 *Truncus;* neque manus habens, neque pedes, uti [add. *nec* G.] nunc habeo; et mire subjecit *inutile;* nam σύκινον ἄνδρα dicunt Græci,

Obſcœnoque ruber porrectus ab inguine palus;
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.
Hûc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum,
Pantolabo ſcurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; hæredes monumentum ne ſequeretur.
Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus, atque

12 Agro *conj. Cun. et ſic Sax.*—13 Monimentum hoc ne *ed. Glarean. non male.*—14 Æſquiliis *Ven. Glar.*

quem noſtrum vulgus, A MAN OF STRAW. *Nam hæc materia nullis fabricis idonea eſt.* Vet. Schol. Et *inutilis eſt* cui vel deſunt, vel periere vires. Ineſt igitur Horatio conſulta Dilogia.

2 *Incertus*, h. e. hærens. B.

Illud *ne* adhærens verbo *faceret* indicat, verbum eſſe geminandum, ut *que*. Vid. ad Car. 2. 19. 28. et 32. G. Eſt idem quod faceretne an Priapum. Z.

Priapus, idem erat qui et Bacchus et Sol, frugum Deus, ab antiquo πρὶ (unde πρίν) et Ἄππα, quaſi tu dicas, *Primus Pater:* unde et in Onomacriti Hymnis et Πρωτόγονος et Φάνης appellatur. Superius (Car. 2. 19. 8. *it.* 4. 2. 50.) oſtendimus ficum arborem ob θεία, ſeu trimembria folia, Baccho fuiſſe ſacram, et membri virilis ſymbolum.

4 *Quia fuſtem tenens figuratur.* Vet. Schol. *Fuſtem* dicit inſtrumentum ruſticum quo frumentum in area triturātur: Aborigines noſtri Romano adhuc vocabulo *Fuſt* appellant: alias *Saligna falce* armabatur, auctore Marone.

5 *Palus;* hinc Græcis *Ithyphallus* appellatus eſt. An minabatur pygæ? Certe hoc Ironice ſignificari videtur.

6 *Importunas;* h. e. moleſtas, vel improbas. Puto fiſtulam fuiſſe *arundinem* iſtam, quæ concepto vento ſonum edebat: unde enim arundo muta terreret volucres? B. Motu, acumine forte. G.

7 *Novis; propter recentem dedicationem Mæcenatis. Sepulchra erant in hoc loco ubi nunc ſunt horti Mæcenatis, Thermæ Trajanæ et Domus Creſcentiæ.* Vet. Schol.

8. *Cellæ, ſervorum manſiunculæ, et tenuiorum habitacula.* Torrentius.

10 *Stare* dicitur quod denſitate ſui, vel numero oculos implet: ac ſi nequiret cadere. *Soliti erant* CARNIFICES *in Eſquilina via putcos facere, in quos corpora mittebant. Hinc locus dictus erat Puticuli. Hic etiam erant publicæ Uſtrinæ.* Vet. Schol. B. *Carnifices* ergo humilia etiam alia cadavera ſepelierunt, veſpillonum ultimi. De his Juven. 8. 275. *Inter carnifices et fabros ſandapilarum.* G. *Miſeræ plebi*, iis de plebe, qui proprium locum non habebant, ubi honeſte ſepelirentur. Z.

11 *Fuit Mallius Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabos eſt cognominatus.* Vet. Sch. De *Nomentano* alias diximus ad Sat. 1. 1. 102.

Scurræ dicebantur urbani qui dicacitate ſua victum quærebant.

12 *Neſcio quis donavit agrum ſuum populo ad ſepulchra et poſuit fines.* Vet. Schol.

In fronte; h. e. ad viam publicam, vel in latitudinem; *in agrum*, h. e. agrum verſus, vel in longitudinem. B. V. Inſcr. Grut. p. 856. 2. LOCUS—IN FRONT. P. XL. IN AGR. P. XXXIIII.

Cippus, vox Punica: nam et Syris Κηφᾶ lapis eſt; Tituli, ſive στήλης genus: hujuſmodi erant rudiorum temporum mortuorum ſtatuæ. B. *Hic dabat*, h. e. hoc loco cippus definiebat, ſ. ſignificabat. Z.

13 *Singularibus literis notabant. H. M. H. N. S.* h. e. *Hoc monumentum hæredes non ſequitur. Videlicet ne pro ſuis habeant inferendis reliquiis aliorum mortuorum.* Vet. Schol. Sic enim legendum pro *multorum*. B. Retineam *multorum*, ſed addam *deſtinata*, vel tale quid. De re ipſa vid. Gruteriani Indicis ç. 17. et 20.

14 *Eſquiliis; locus in quo ante ſepeliebantur corpora, extra portam illam in qua eſt Seſſorium.* Vet. Schol. *Cum Seſſorium* non compareat in Lexicis, videndum an fuerit ſuggeſtum unde a ſeſſoribus conſcendebantur equi. Illic poſtea Seſſoriana Baſilica a Conſtantino condebatur. B. *Seſſorium* Cœlii Aureliani eſſe ſedile quodvis, apparet: Petronii *Seſſorium* eſt Gynæconitis, ubi in cathedris *ſedent* mulieres, ut *cubant* in lectīcis *cubiculorum* viri. Quid ſi Acro-

Aggere in aprico ſpatiari, quo modo triſtes
Albis informem ſpectabant oſſibus agrum.
Cum mihi non tantum fureſque feræque, ſuëtæ
Hunc vexare locum, curæ ſunt atque labori,
Quantum carminibus quæ verſant atque venenis
Humanos animos: has nullo perdere poſſum
Nec prohibere modo, ſimulac vaga luna decorum
Protulit os, quin oſſa legant herbaſque nocentes,
Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem (pallor utraſque
Fecerat horrendas aſpectu). Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; major
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.

15 Qua *Bentl. et Cun.*—19 Vexant *al. apud Burm. ad Ovid. Am.* 2. 2. 29. *et Sax. vid. ad Sat.* 1. 7. 15.—27 Morſibus *H.*—28 Cœpere *Cun. e conj.* Diffuſus *H.*

nis *ſeſſorium* ſit mulierum quoddam *Senaculum*, quale Romæ fuiſſe, conſtat?

Salubribus; quia nemo ibi modo ſepelitur. Vet. Schol. *Auguſtus æger in Mæcenatis domo cubare ſolitus eſt: Tiberius etiam in hortos Mæcenatianos commigravit.* Torrentius. Subeſt igitur Dilogia.

15 *Aggere;* an Agger hic erat Tarquinii, ubi poſtea caſtra Prætoriana erant? B. Sic videtur propter viciniam Eſquiliarum. G.

" Pro *quo modo* [inquit Bentleius] lege invi-
" tis licet Codicibus, *qua modo.*" Ego tamen non auſim. Unde enim novit ille non licere dicere *quo* pro *in quo loco* vel *ubi?* Alias novimus *eo* et *quo* vetuſtos eſſe Accuſativos; verum et *quo* dicitur in Ablativo. B. Bentleii emendatio probabilis eſt, quia *qua* a librariis ob ſequens *modo* eſt mutatum. Z.

17 *Feras* nunc dicit volucres. B. Sunt aves carnivoræ, quæ dicuntur Epod. 5. 100. Eſquilinæ alites. Z.

18 *Vexare*, h. e. inquietare et frequentare.

19 Errore *verſant* defixorum mentes.

20 Qui pro *perdere* maluit *pellere*, ille ſic eneruari orationem vehementem Priapi non ſenſit. Nihil minus minantur comici irati, quam *perdere, diſperdere, cerebrum diſpergere in via*, &c. G.

22 *Protulit os, Virgil. Extulit os ſacrum.* Vet. Schol. Recte hæc appoſuit; nam iratæ Dianæ furor atque dementia tributa ſunt.

23 *Vidi egomet; hic verſus tragice profertur, ut Virgil. Vidi egomet duo de numero.* Vet. Sch. *Nigra et furva diis inferis ſacra.* Cruquius.

Succinctam; quo expeditior eſſet.

24 *Canidiam; Gratidiam Neapolitanam.* Vet. Schol.

Notum eſt veteres rem divinam nudis pedibus peragere conſueviſſe.

25 *Memini me legiſſe apud Helenium Acronem, Saganam fuiſſe nomine, libertam Pomponii Senatoris qui a Triumviris eſt proſcriptus.* Vet. Schol. Ex altero Scholiaſte legendum *Fœneratoris.*

Filiæ fere omnes cognomines erat apud Veteres; ut altera e duabus eſſet major; altera minor ejuſdem nominis.

26 *Scalpere;* quo ſcrobs fieret magica, unde manes ex Orco evocarent. Siquidem Veteres terram e tenui cruſta conſtare credebant.

27 *Mordicus, pro eo quod eſt morſibus.* Vet. Sch.

30 Canidiæ erat lanea, cerea autem Horatii: [Incertum hoc eſt. Z.] eorum enim effigies quos ſalvos voluerunt ex lana confecere. *Laneæ effigies noctu dabantur in compitâ, quot liberos ſalvos eſſe voluerunt.* Torrentius. Lana enim invulnerabilis: ceream acubus figebant. *Devovet abſentes ſimulacraque cerea fingit; et miſerum tenues in jecur urget acus.* Ovid. Her. 6. 91. B. Virgi-

Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus, utque
Jam peritura, modis. Hecaten vocat altera, ſævam
Altera Tiſiphonen: ſerpentes atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem,
Ne foret his teſtis, poſt magna latere ſepulcra.
Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum; atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius et fragilis Pediatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Sagana reſonârint triſte et acutum;
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea
Largior arſerit ignis; et ut non teſtis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum.
Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepedi

32 Ut quæ *Bentl. ex MSS. et ſic G.*—38 Veniat *Bentl. ex MSS. et ſic G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *F.* Venient *al.* Veniant *Lambin. e codd.*—39 Pedatia *Ven. Glar.*—41 Reſonarent *al.*—43 Adiperint *Ven.* 1479. *et F.* Ut imag. *conj. Cun.*—45 Ac facta *Sax. Cun.* Fata *Ven.* 1479. *et F.*

liana Pharmaceutria, ſi credimus Donato ad 8. 80. *ſe de limo fecit, Daphnidem de cera*, &c. G.

31 *Compeſceret*, h. e. in ordinem cogeret, per Charientiſmum pro cæderet.

32 Bentleius mallet ſolute dici *ut quæ* cum quibuſdam aliis; verum mihi ſecus videtur.

33 Hyperbole ſervili metui accommodatiſſima.

Græcis Sol *Hecatos*, et Luna *Hecate*, ab ἑκὰς, quod eminus radios ſuos jaculentur, et nocentes feriant: ſane aliæ tres Furiæ, quam triplicis Dianæ facies. Illuni nocte nulli comparent Manes: *Et Cytherea choros ducit Venus imminente Luna* Od. I. 4. 5.

34 *Serpentes atque videres*, Hyperbaton pro *Serpentes videres atque*. Serpentes deorum erant manium; quod nocerent, et e terra proreperent. B. Vid. Perſ. 1. 113. G.

35 *Infernas canes, Furias, quæ ſunt canes Jovis infernalis*. Vet. Schol. Cruq. *Canem* etiam noxium animal et carnivorum ad Stygium Solem Veteres referebant.

37 *At* modo dicitur pro *quin*, vel *quinetiam*. Imprecatur ſibi mentienti, ut ab avibus, cinædis et furibus contemnatur.

39 *Julius Pediatius Eques Romanus honeſto patrimonio conſumto ſe proſtituit; quare Horatius mutato genere Pediatiam nominavit*. Vet. Schol. Cruq. Cinædis minari videbatur hic deus.

Fragilis, ſeu mollis duro contrarius eſt; Metaphora eſt ab equo qui facile pareat fræno. Nam durus equus dicitur frangi.

Aiunt Voranum Q. Lucilacii Catuli Libertum fuiſſe adeo furacem, ut nummos ſubreptos a Nummulario in calceos demiſerit: a quo cum deprehenſus eſſet, quidam ſubridens, Belle, inquit, ſi te non ἰαχαλκεύει, h. e. verberibus tanquam æs recudat, alludens ad calceos. Vet. Schol. Cruq. cum quo conſentit et alter Schol.

41 Recte modo Bentleius *reſonârint*, quo conveniat inter tempora.

Triſte ſonabat Sagana; umbræ acutum. *Triſte, lugubre et metuendum: acutum, tenue et ſubtile quod ſine corpore emittebantur voces*. Vet. Sch. Cruq. Ὡς δ' ὅτι νυκτερίδες, μυχῷ ἄντρου θοιασίου τρίζουσαι πετόνται. Homerus Od. Ω, 7.

42 *Lupi barbam; veneficiis roſtrum lupi reſiſtere inveteratum aiunt, ob idque villarum portis præfigunt*. Plinius (28. 10. f. 44.) citante Landino. Terra defoſſum contrarium habebat uſum. Feræ omnes deorum erant manium.

43 *Cerea; Hypermetrus verſus*. Vet. Schol.

44 *Largior ignis*; quod boni erat ominis veneficis. *Limus ut hic durescit; et hæc ut cera liquescit Uno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore*. Virgilius Ecl. 8. 80. B. A cera nempe auctus eſt ignis. G.

45 *Voces Furiarum*, h. e. ululatus canum. Z.

46 *Pepediſſe* ſe præ timore fingit: nam et metus inflat corpus. B. *Diffiſſa nate ficus;*

Diffiſſa nate ficus. At illæ currere in urbem:
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſuque jocoque videres.

SATIRA IX.

IN IMPUDENTES ET INEPTOS PARASITASTROS.

Haud dubie gratia, qua apud Mæcenatem valebat Horatius, multos paraſitaſtros et poëtaſtros pellexit, ut eum obſiderent et ſe per eum Mæcenati commendari cuperent. Quare, ut hoc hominum genus moleſtum a ſe, ſi fieri poſſet, abigeret, fortaſſis hanc ſcripſit ſatiram, ubi impudentia et garrulitas ejuſmodi homuncionis egregie deſcribitur.

Ibam forte Via ſacra, ſicut meus eſt mos,
Neſcio quid meditans nugarum, et totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu, ¶ Quid agis, dulciſſime, rerum?

3 Accurrit *G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *F. Med.* 1486. *H. Steph.* Occurrit *videtur eſſe ab Aldo.* Accurrit *etiam defendit Heinſ. ad Ovid. Faſt.* 2. 372.

Hoc haud dubie caſu factum erat. Sed inde fortaſſis Horatius occaſionem ſumſit hanc ſatiram ſcribendi. Z.

47 *Currere*; ſupple cœperunt.

48 *Jocatur in has quaſi altera dentibus appoſitis, uti ſolita ſit; altera quod gibba fuerit, caliendrum habere conſueverit. Caliendri meminit et Varro in eo libro qui inſcribitur Virgula Divina, dicens: Ego nunc poſtulo Agamemnona meum, tantis cothurnis accipit Critona caliendrum.* Vet. Schol.

Caliendrum, peplum capitis. Vet. Schol. Cruq. h. e. palliolum fœminarum, ſeu Mavorte, quod Græci κρήδεμνον dicunt et θέριστρον; quod cuculo laxius et caput et humeros velabat; Latini ricinium appellant. Anterior pars eminebat ſupra frontem, ut vel ex Horatio conſtat, qui *altum* apponit: et, *tantis cothurnis accipit caliendrum*, ut ſuperius Varro. Vox *caliendrum* non deducitur a κάλλυντρον, quod putavit Cruquius; verum a κάλινδρον: nam ſive κυλίνδειν ſcribatur, ſive καλίνδειν perinde eſt; Græcis hoc involvere eſt. B. At rectius alii intelligunt comam appoſitam, non nativam. Z.

50 *Vincula, licia ex diverſis coloribus, quibus mentes hominum vinciebant.* Vet. Schol. Cruq. *Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore, Licia circumdo.* Virgil. Ecl. 8. *Licia* a *ligando* appellantur: magorum autem eſt *ligare*. B. Si quis reliqua hujus velut fabulæ cognoſcere amet, addat Epod. 5. et 17. Quem vero ipſæ magicæ artes juvant, ille Theocriti Virgiliique Pharmaceutrias adeat, et Propertium 3. 4. 25. ſq. et Luca. 6. 430—830. et doctior inde redibit. G.

SAT. IX.

1 Bentleius hic interſeruit *ut* [*Ibam ut forte*] nulla cum cauſa, neque ulla cum auctoritate, quo eruditæ ſuæ auri placeret.

Hujuſmodi Prodeambulatores vulgari joco *Sacravienſes* appellati ſunt. B. Feſtus V. *October equus* ita appellatos ait, qui ad ſacram viam habitarent. G.

2 *Meditans*, i. e. tacitus, aliquid componens. *Satis verecunde verſus more Satyricorum nugas dixit, quia Satyrici ſolent ſeſe carpere.* Vet. Sch.

Omnes Lambini ſcripti Codices legerunt *et totus*, pro *totus*, quod et Cruquius probavit, etſi diſſentiat Torrentius, atque Bentleius.

3 Quidam Vulgati Codices vitioſe legerunt *occurrit* contra MSS. fidem. B. *Accurrit* ſic plane eſt Ter. Eun. 2. 3. 44. G.

¶ Suaviter, ut nunc eſt, inquam; et cupio omnia quæ vis.
Cum aſſectaretur, Numquid vis? occupo. At ille,
Nôris nos, inquit; docti ſumus. Hic ego, Pluris
Hoc, inquam, mihi eris: miſere diſcedere quærens,
Ire modo ocius, interdum conſiſtere, in aurem
Dicere neſcio quid puero; cum ſudor ad imos
Manaret talos, O te, Bolane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil reſpondebam, Miſere cupis, inquit, abire,
Jamdudum video: ſed nil agis; uſque tenebo,
Perſequar. Hinc quo nunc iter eſt tibi? ¶ Nil opus eſt te
Circumagi; quendam volo viſere, non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, prope Cæſaris hortos.
¶ Nil habeo quod agam, et non ſum piger; uſque ſequar te.
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus,

11 Bollane *edd. vett.*—16 Proſequar *Clar. Bentl.* Hinc *Bentl. cum nonnullis edd. vett. refert ad antecedens.*

Male accepit Cruquius, et cum Cruquio Dacerius voces Ἐπαγόμενος et Ἐπιφερόμενος, quæ in Vetere Interprete occurrunt: exiſtimant enim ita dici eum *qui aliquem renitentem et quaſi vinctum ſecum trahat*; cum vel ex ipſo Scholiaſte pateat obvium dici, vel caſu aliquo de via oblatum. *Obvius*, inquit ille, Ἐπιφερόμενος. Inſulſiſſimus iſte Veterum Scholiaſtarum compilator, qui Acronis nomen mentitus eſt, *Epagomenum* proprium garrulo nomen fuiſſe credidit.

4 *Arreptaque manu; non expectavit ut porrigerem*, ut eleganter Landinus.

Ordo eſt, Quid rerum agis mihi dulciſſime. Vet. Schol. h. e. An recte et ex ſententia procedunt tibi omnia?

5 *Suaviter*; h. e. ſatis commode, quantum ſinit rerum mearum ſtatus. Noſtin' fortunarum mearum naufragium, poſtquam Brutianæ ſuccubuere partes? Ἡδίως ὅσον ἔνεστί μοι νῦν.

Cupio omnia quæ vis; ſuavis valedicendi formula.

6 *Numquid vis?* ſunt et iſtá properantis abire. *Rogo numquid velit: recte inquit: abeo.* Terentius, citante Cruquio. B. Eun. 2. 3. 50. quem locum videtur noſter hic cogitaſſe. G.

7 *Nôris nos*; h. e. cupio tibi eſſe notus.

Doctos dicebant Veteres, quos nos hodie *Scholares* appellamus.

8 *Quærens* modo poſuit pro cupiens: et Comici dicunt *miſere* pro multum et vehementer, ἐν ἥθει.

9 *Ire*; ſupple cœperam.

10 *Sudor*; *ex tædio et moleſtia.* Vet. Schol.

11 Optimi Torrentii Codices legerunt *Bélane* pro *Bollane*, quod ab oppido, (ut ille putat,) *Bola* derivatum eſt. *Solebat hic in faciem quemvis reprehendere, et libere dicere quod ſentiret.* Vet. Schol.

Cerebri felicem; vult ſignificare ſe propemodum, invidiſſe homini cerebroſo et impudenti, quod potuerit eum aſperioribus verbis removere, quod ſui pudoris non erat. Atque obiter Luciliano more *Bolanum* iſtum percutit. In inſania cerebrum moveri credebant Veteres.

14 *Abire*, h. e. effugere; et bene ſubjecit *tenebo*: tenetur enim cui non licet abire.

16 Neſcio cur Bentleio magis placuerit *Proſequar* quam *Perſequar*, cum hæc ſit vox efficacior altera, atque ipſe mox dicat *uſque ſequar te*, quod plus eſt quam *proſequar*.

18 *Cubat*, *ægrotat*, *languet*, *jacet.* Vet. Schol. *Cubantis luxuriæ ſubſcripſit.* Corn. Celſus.

Julii Cæſaris horti erant trans Tiberim juxta Naumachiam, ut oſtendit Torrentius ex Suetonio.

19 *Non ſum piger*; *Libenter ambulo.* Vet. Sch. Cruq.

20 *Demitto auriculas*; Proverbiale Schema. *Laſſis aſinis vel equis pendent aures.* Vet. Schol. Cruq. *Aures in equis et omnium jumentorum genere indicia animi præferunt; feſſis marcidæ, micantes pavidis, ſubrectæ furentibus, reſolutæ ægris.*

Cum gravius dorſo ſubiit onus. Incipit ille;
Si bene me novi, non Viſcum pluris amicum,
Non Varium, facies: nam quis me ſcribere plures
Aut citius poſſit verſus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat; ¶ Eſt tibi mater?
Cognati, queis te ſalvo eſt opus? ¶ Haud mihi quiſquam;
Omnes compoſui. ¶ Felices! nunc ego reſto:
Confice; namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit, divina mota anus urna;
"Hunc neque dira venena nec hoſticus auferet enſis;
"Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra;
"Garrulus hunc quando conſumet cunque: loquaces,
"Si ſapiat, vitet, ſimulatque adoleverit ætas."
Ventum erat ad Veſtæ, quarta jam parte diei

23 Varum *primæ editt. it. H.*—30 Mota divina anus urna *Bentl. ex conj.*

Plinius II. 37. citante eleganti viro Jacobo Cruquio.

Iniquæ mentis, h. e. demiſſæ et obnoxiæ: contra æquus et cujus mens recta eſt. Metaphora ducta a bilance.

21 Advertendum hic ultimam ſyllabam in *ſubiit* produci in hoc verſu.

22 *Si bene fretus ſum conſcientia mea.* Vet. Sch. h. e. Si ſum virtutis propriæ idoneus æſtimator.

Vibius Viſcus eques duos habebat filios Viſcos Senatorii ordinis, utroſque Poëtas et inſignes Criticos. Vide Vet. Schol. in Satyram ſequentem. De Vario Vide Ode 6. Lib. I.

24 *Membra movere*; i. e. *cum geſtu corporis pronuntiare.* Vet. Schol. Id enim ſaltare erat.

25 *Mollius*; majore cum Rhythmo.

Obiter Tigellium Cantorem tangit, ejuſque artem ut indignam ingenuo.

26 *Interpellandi locus hic erat*; ad Emphaſin poſuit odioſæ garrulitatis. B. Ut tædium effugeret audiendi laudes iſtius garruli. Z.

27 *Queis te ſalvo eſt opus*; callide quaſi inituras cum eo gratiam hæc promit. B. Qui primum notitiam contrahunt, ita rogant. G.

28 *Omnes compoſui*; Comice proferenda ſunt iſta, cum habeant ἦθος: et gratificari vult Horatio tanquam futuro ſibi hæredi: *Componere* eſt στρωφίλλειν, cum cadaver linteis implicatur. B. Certe hoc ipſo, quod orbum ſe prædicat, videtur ſibi eſcam velut proponere Horatio, ut is tanto facilius admittat in familiaritatem eum, ex cujus teſtamento ſperare aliquid poſſet. G.

Felices; Ineptulum ludit: nam præter ſpem reſponſum dedit; et Bolani ritu impudentem in os deridet.

29 *Confice*; fac finem enecandi. B. Forte tamen eo geſtu iſta dicebat Horatius, uti nugator accipere poſſet honeſtam petitionem: *confice*, me etiam *compone*: nam inſtat mihi fatum, &c. Certe non ſatis probabiliter finxit poeta, poſt tam cerebroſam exprobrationem acta eſſe reliqua. G.

Marſi, Peligni, Samnites et Sabini *Sabelli* dicti ſunt Veteribus; erant enim omnes Sabini generis et ſortilegio inſignes.

30 *Mota urna*; Plebeium divinandi genus per ſortes, Synecdochice pro quovis alio uſurpatur.

31 *Hoſticus* vetuſte pro hoſtilis, ut et *civicus* pro civilis.

32 *Laterum dolor*, pleuritis.

Tuſſis, tabes, vel phthiſis.

Tarda podagra; *quia tardos facit*; *et eſt ὑπαλλαγή.* Vet. Schol.

33 *Quandocunque* modo poſitum pro *quandoque*, vel *aliquando*; Compoſitum eſt autem ex *Quando* et *Cum*; quaſi diceret: erit tempus *quando* et *cum*. De Futuro hoc eſt Indefinito.

Conſumet, h. e. necabit. Conſumitur id cujus nulla pars relinquitur; vel quod non amplius comparet prorſus e medio ſublatum.

Præterita: et caſu tunc reſpondere vadato
Debebat; quod ni feciſſet, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulum hic ades. ¶ Interream, ſi
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura;
Et propero quo ſcis. ¶ Dubius ſum quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem. ¶ Me, ſodes. ¶ Non faciam, ille.
Et præcedere cœpit. Ego (ut contendere durum eſt
Cum victore) ſequor. ¶ Mæcenas quomodo tecum?
Hinc repetit. ¶ Paucorum hominum, et mentis bene ſanæ:
Nemo dexterius fortuna eſt uſus. ¶ Haberes
Magnum adjutorem, poſſet qui ferre ſecundas,
Hunc hominem velles ſi tradere; diſpeream ni
Summôſſes omnes. ¶ Non iſto vivimus illic,

36 Vadatus *Bentl. e conj.*—42 Durum *ſine* eſt *Bentl. e codd.*—45 Deterius *notabile ſphalma Med.* 1477.

34 Sic et Virgilius; *Maturâ adoleverit ætas.*

35 *Ad Veſtæ; Sic nos hodie in Claudii, vel Telluris dicimus, nec addimus Templum, aut Ædem.* Vet. Schol. *Ædes Veſtæ erat ad Clivum Capitolinum*, ut bene Cruquius ex Varrone. B. Foro vicinam, etiam indicat illud Cic. fam. 14. 2. ubi *a Veſtæ ad tabulam Valeriam ducta Terentia.* G.

Quarta jam parte; h. e. *hora dici tertia, quo in Foro cauſæ agi cœperant, juxta illud Epigrammatographi, Prima ſalutantes atque altera detinet hora, Exercet raucos tertia Cauſidicos.* Cruquius. Eſt Mart. 4. 8.

36 *Caſu vadato*, ſatis mirari nequeo Interpretes omnes latuiſſe *caſu vadato* modo dici pro in cauſa vadata, cum notum ſit quid caſus ſit Juriſconſultis. *Reſpondere* autem is dicitur in quem lis intenditur. Bentleius multa hic movet perdenſas tenebras, quæ non puto opus eſſe Lectori modo repræſentare. Pro *vadato* repoſuit *vadatus* ex ingenio. B. *Caſu vadato* nihil eſſe puto. *Vadatum* eſſe vel activum, qui alteri neceſſitatem vadis dandi impoſuit, vel paſſivum qui dare juſſus eſt; ipſe fatetur et probat Bentleius, quo minus opus eſt ſola conjectura mutare lectionem omnium librorum, quam etiam Acron tuetur. G.

37 Qui cauſa ſua cadit, *litem* dicitur *perdere.*

38 *Adeſſe* proprie Advocatorum eſt.

39 *Valeo ſtare; ſi habeo vires ut ſtem.* Vet. Schol. Cruq. An ſimulat ſe Podagricum?

40 *Quo ſcis*; ad viſendum ſcilicet ægrotum.

41 *An Rem; ſic et in Legibus ſcriptum inveniri ſolet Rem ſive Litem.* Vet. Schol.

43 *Cum victore*, hæc Metaphorice poſuit ac ſi captivus duceretur.

Quomodo tecum; Quomodo circa te Mæcenas eſt? Vet. Schol.

44 *Repetit*; h. e. de novo incipit ſermocinari.

Paucorum hominum; i. e. *qui et ſapiens eſt et raro habet parem.* Vet. Schol. Et paucos admittit, falſa Dilogia. B. Nihil hic ambigui video. Deſcribit Mæcenatem ab ea parte, qua deterrere impudentem hominem ſe poſſe ſperat. Cæterum in MS. Gottingenſi eſt, *ut mentis bene ſanæ*, quod valde placet: ſic enim ratio reddatur, cur *paucorum hominum* ſit Mæcenas? Memor videlicet vafri illius Siculi, qui temere nos vetat credere, &c. G.

Mentis bene ſanæ, per Anticipationem Paraſtaſtrum a conatu callide deterret.

45 *Fortunam* modo dicit magnam ſive ingentes divitias.

46 Hypocrita, ſive ſecundarum partium actor, ipſius actoris actor erat: erat etiam et tertiarum. Hi cum poſſent nolebant tamen æquare primos actores, quo eos commendatiores redderent populo.

47 *Hunc hominem*; Διακριτικῶς *ſeipſum tangit digito.* Vet. Schol. Et habet Ἦθος.

Tradere, h. e. commendare.

48 *Summôſſes omnes; malignus maligna promittit.* Landinus. B. In tempore, quod vulgo pluſquamperfectum vocant, vis quædam eſt, non diu erit cum ſubmotos gaudere poſſes æmulos. G.

Bentl. prætulit *vivitur*, quod repertum fuerat in uno tantum Codice.

Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla eſt,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit unquam,
Ditior hic, aut eſt quia doctior; eſt locus unicuique ſuus. ¶ Magnum narras, vix credibile. ¶ Atqui
Sic habet. ¶ Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus eſſe. ¶ Velis tantummodo, quæ tua virtus,
Expugnabis; et eſt qui vinci poſſit; eoque
Difficiles aditus primos habet. ¶ Haud mihi deero:
Muneribus ſervos corrumpam; non, hodie ſi
Excluſus fuero, deſiſtam; tempora quæram;
Occurram in triviis; deducam. NIL ſine magno
Vita labore dedit mortalibus. ¶ Hæc dum agit, ecce,
Fuſcus Ariſtius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nôſſet: conſiſtimus: Unde venis? et,
Quò tendis? rogat, et reſpondet. Vellere cœpi,
Et prenſare manu lentiſſima brachia, nutans,
Diſtorquens oculos, ut me eriperet. Male ſalſus

50 Inquam *etiam MS. Bos Animad.* p. 59.—55 Eo quod *Med.* 1477.—56 Primus *Med.* 1477. *Ven.* 1479.—64 Penſare *omn.* Nictans *Baxt.*

49 *Purior*, h. e. magis ingenua et proba: purum enim dicimus cui nihil ficti adhæret, vel improbitatis.

50 *Aliena malis*; h. e. hujuſmodi peſtibus inimica: nam Euphemiſmo quodam exſecrabilia *mala* dicimus.

Nil mî officit; ego ei non invideo. Vet. Schol. Cruq.

Nequeo ego cernere elegantiam vocis *inquam*, quam Bentleius, auctoritate neſcio quorum Librorum hic interſeruit pro *unquam*. Videtur ſane mihi frigidiuſculum hoc.

54 *Quæ tua virtus*; amarulenta Ironia.

55 *Et eſt qui vinci; jucunde ex alterius perſona Mæcenatem reprehendit: hoc eſt quod dicit Perſius; Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit.* Vet. Sch. Cruq. B. Quin ex ſua perſona hic loquitur Poeta: nec vitium reprehendit, ſed laudat prudentiam, qua facilitatem moderetur. G.

Eoque; quia ſcilicet intelligit facilitatem ſuam.

58 *Tempora quæram*; ſupple idonea.

59 Ridicule abutitur graviſſima ſententia. Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί. Epicharmus, citante Cruquio.

60 *Hæc vita* dicebant Veteres pro eo quod nos *Hic mundus*.

Hæc dum agit; h. e. Interim.

61 *Fuſci Ariſtii* celeberrimi ejus temporis Grammatici vita exſtat apud Tranquillum.

63 *Rogat, et reſpondet; eleganter mixtum inter ſe et confuſum ſermonem interrogandi ac reſpondendi expreſſit.* Vet. Schol. Mira Βραχυλογία.

64 Lambinus ex duodecim Codicibus pro *prenſare* repoſuit *preſſare*: Verum nihil tanti; ſiquidem notum eſt veteres Romanos non pronuntiâſſe N ante S. Quin et noſtri homines *Preſſare milites* dicere conſueverunt, pro *Prenſare*. *Preſſare, ſtringere.* Vet. Schol.

Lentiſſima; h. e. minime ſequacia, ſed potius prenſanti renitentia. B. *Lenta brachia* ſunt ſane mollia, flexilia: ſed nempe eo ipſo prenſantem effugiunt. G.

Nictare eſt aliquid oculis nictantibus demonſtrare. Vet. Schol. Conſtat eum legiſſe *nictare*; quod miror neminem advertiſſe, neque ipſum Bentleium, qui me invito retinuit *nutans*. B. Neſcio unde vir doctus illud ſuum *nictans* hauſerit. Quos ego conſulere potui libros non in contexto modo Horatiano, ſed in ſcholiis etiam legunt, *Eſt autem* nutare, *aliquid oculis* nutantibus *velle demonſtrare*. G.

65 Jucundo convicio *male ſalſum* amicum ſuum appellat, ac ſi maligne urbanum crederet:

Ridens diſſimulare: meum jecur urere bilis.
Certe neſcio quid ſecreto velle loqui te
Aiebas mecum: Memini bene; ſed meliori
Tempore dicam: hodie triceſima ſabbata: vin' tu
Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Relligio eſt. At mî: ſum paulo infirmior, unus
Multorum; ignoſces; alias loquar. Hunccine ſolem
Tam nigrum ſurrexe mihi! fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Caſu venit obvius illi

73 Tam mihi ſurrexiſſe nigrum. G.

Nam *male ſalſus* uno ſpiritu profertur, uti Subſtantivum.

66 *Diſſimulare*; ſupple cœperat.

67 *Certe* dicimus ubi memoriæ non adeo diffidimus. B. Hæc dicit Horatius ad Fuſcum. Reſpondet tum Fuſcus *Memini bene*, &c. Z.

68 *Meliori tempore*; nam te occupatum video.

69 *Triceſima Sabbata*; *Quæ Judæi Neomenias dicunt, quoniam per Sabbata Judæi numeros appellant Lunares: et Sabbatum magnum in Renovatione Lunæ a Judæis etiam hodie celebratur.* Vet. Schol. Numeros autem Lunares Hebdomadas dicit, quas Judæi Sabbata appellant. B. *Numeros Lunares* dixit Scholiaſta dies a novilunio inde ſ. Neomenia procedentes, quales Judæorum menſes ſunt et ſemper fuere. Quæ Delphini interpres et Dacerius de triceſimo anni a Tiſri menſe incipientis Sabbatho, id eſt Paſchate habent a Torrentio et Lambino: ea ſi vera eſſent etiam, reconditiora tamen eſſent, quam quæ cadant in Horatium. Acronis illud et aliorum Scholiaſtarum forte non contemnendum, *Triceſima Sabbatha dici, quando calendis* (novilunio) *occurrit Sabbathum*, i. e. in calendas incidit. Sed nihil melius quam ſequi Scalig. de Emend. Temp. 3. p. 309. et Seld. de I. N. 3. 15. et intelligere triceſimum Lunaris menſis diem, ex parte certe feriatum et cultum Judæis, quæ facilis eſt hodie etiam omnibus, apud quos habitant vel pauci verpæ, obſervatio. G.

Neſcio cur Bentleius maluit reponere *vis tu* pro *vin' tu*, nulla ſub auctoritate. B. Provocat Bentleius ad ea, quæ ad Sat. 2. 6. 92. diſputarit. Sed quæ ratio ibi *vis* poſtulat, eadem hic exigit *vin'*. G.

70 *Curtis*; *Quia pellicula imminuti ſunt: quia Moſes Rex Judæorum, cujus Legibus reguntur, negligentia φιμωθὶς medicinaliter exſectus eſt, et ne ſolus eſſet notabilis, omnes circumcidi voluit.* Vet. Schol. Vocem φιμωθὶς quæ inſcitia Librarii exciderat repoſuimus ex conjectura, uti et *medicinaliter exſectus* pro *medicinalis effectus* quæ nihili erant. Quis miretur ejuſmodi convicia homini Epicureo atque Pagano excidiſſe? Jure igitur Henrico Glareano diaboli organum videtur. Etiam Satira quinta hæc habet; *Conſtat omnia miracula certe ratione fieri, de quibus Epicurei prudentiſſime diſputant.* B. At hoc eſt, o manes Baxteriani, plus quam Bentleianum facinus: et *exſecare* Moſen eſt plus quam cornutum facere. Si omnino dignus eſt locus, qui emendetur, blandior medicina fuerit, *quia Moſes—negligentia medici talis*, i. e. curtus, *effectus eſt*. Vel, quod libri quidam habent *affectus*, legam, *negligentia medicinali* ecſectus, h. e. *circumſectus eſt*. G.

Cum ſummo contemtu *oppedere* poſuit et παρὰ προσδοκίαν, cum deberet dicere, *adeſſe eorum ſacris*.

Parcus ſum deorum cultor et infrequens.

71 *Infirmior*; *metus et infirmitas Religionem faciunt.* Vet. Schol. Cruq. B. *At mî*, &c. ſunt verba Fuſci. Z.

Unus multorum; *unus inter multos.* Vet. Schol. Cruq. Vult excuſare ſe ob ſuperſtitioſorum numerum.

72 *Ignoſces*; ſcita valedicendi formula.

73 *Surrexe*, ſic et Virgilius *extinxem* pro extinxiſſem. B. *Nigrum*, infauſtum. Z.

Improbus modo Subſtantivum eſt, ut ſupra *male ſalſus*: Perpetuum iratorum convicium eſt.

74 *Sub cultro*; *Proverbium eſt.* Vet. Schol. Ac ſi victima eſſet futurus. B. Theocrito 22. 5. Caſtor et Pollux ſunt Ἀνθρώπων σοσσῆες ἐπὶ ξυρῷ ἤδη ἰόντων, jam tondentium caput in metu ſummo naufragii. V. Petro. 104. Proſerpina crinem aufert morituris, &c. G.

Caſu, h. e. *Sic dii voluere*: habet enim Emphaſin hoc ſibi præter omnem ſpem eveniſſe.

Adverſarius: et, Quo tu, turpiſſime? magna
Exclamat voce, et, Licet anteſtari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus: clamor utrinque:
Undique concurſus. Sic me ſervavit Apollo.

75 *Adverſarius, Creditor.* Vet. Schol.

Turpiſſime; atrox convicium. Μιαρώτατε. B. *Impure* ſimile apud Comicos maledictum. G.

76 Bentleius pro *Exclamat*, ex unius Berſmanni Libro repoſuit *Inclamat*, quod minus ego probaverim, etſi nihil interſit.

Licet anteſtari? Tangens auriculam his verbis loquebatur; Licet anteſtari? Si ille reſpondiſſet, Licet, injectione manus adverſarium in judicium trahebat. Quod ſi anteſtatus non eſſet et manum injeciſſet, injurie reus conſtitui poterat. Vet. Sch. Eſt autem *anteſtari* quaſi *amteſtari*. Lambinus.

77 *Oppono auriculam; ſolebant teſtium aures tenere, et ita dicere; Memento quod tu mihi in illa cauſa teſtis eris; quod eſt anteſtari.* Vet. Schol. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtantur.* Plinius, citante Torrentio.

—*Cynthius aurem*
Vellit et admonuit.—Virgil.

78 *Sic me ſervavit Apollo; Hoc de ſenſu Homerico ſumſit.* (Il. Τ, 443.) Τὸν δ' ἐξέσαξεν Ἀπόλλων. Vet. Schol. Alias Apollo et Ἀλεξίκακος erat et Poetarum Numen. Suavi etiam Dilogia eburneum dicit Apollinem, qui ſtabat in Foro Auguſti, ubi jus dici conſueverat.

Sportula deinde Forum, juriſque peritus Apollo.
Juven. I. 128.

Iſta debentur Cruquio.

SATIRA X.

IN INEPTOS LUCILII FAUTORES.

Cum Horatium ob ea, quæ Satira quarta de Lucilii vitiis oſtenderat, quidam obtrectatores, in his maxime Demetrius, Hermogenes, Pantilius et Fannius, vituperaſſent: defendit hic ſuam ſententiam uberiuſque explicat, oſtendens, genus dicendi Lucilianum, præterquam quod minus breve eſſet, varium et jucundum, idem quoque ob verba Græca immixta impurum eſſe. Quodſi nonnulla in Ennio reprehenderit Lucilius; nihil vetare, quo minus ipſius vitia notentur ab alio. Veruntamen quodammodo excuſandum eſſe Lucilium ob ævum, quo vixerit; quia, ſi nunc viveret, fortaſſis limatius diligentiuſque eſſet ſcripturus. Cæterum, addit Horatius, ſemet ipſum contentum eſſe, ſi paucis iiſque doctis hominibus (quos gratus recenſet) ſua probarentur ſcripta; contra ſe minime curare, quid Demetrius et Tigellius de illis ſentiant.

Lucili, quam ſis mendoſus, teſte Catone
Defenſore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat verſus. Hoc lenius ille,
Eſt quo vir melior: longe ſubtilior illo,
Qui multum puer et loris et funibus udis 5
Exhortatus, ut eſſet opem qui ferre poëtis
Antiquis poſſet contra faſtidia noſtra,
Grammaticorum equitum doctiſſimus. Ut redeam illuc.

Hos verſus habet Zarotti prima, et altera Mediol. 1486. cui adjuncti Acron et Prophyrion, pro Horatianis. Landinus rejecit eos jam Flor. 1482. in annotationem, cauſam interſerens, quod Acron incipiat Satiram ab illo verſu *Nempe incompoſito*. In annotationibus quoque retulere Aldus, Bened. Philologus, Aſcenſius, Lambinus, Cruquius, Rutgerſius, interpres Delphini, Dacerius. In codicibus eos antiquis fuiſſe, fatentur omnes. Aldus agnoſcit ſtilum Horatianum: H. Glareanus vel Horatii eſſe ait, vel ſimiæ Horatii. G. Fabricius quaſi nihil dubitaret de auctore in caſtigationibus ad verſum, annotat, Catonem intelligi Valerium, nobilem Grammaticum et Criticum (de quo Sueto. c. 11.)

---

2 Neſcio cur *defenſore tui* malit Aſcenſius. G.

4 *Subtilior* callidior, aſtutior, per ironiam, Catone eſt ille puer ætate et ingenio, qui cauſam illam loris et funibus defendendam ſuſcepit. G.

5 Legendum *puer eſt loris—Exornatus*. Poſterius hoc jam ſuſpicatus eſt acutus vir H. Glareanus. Exornavit ſe armis juvenis, quem tangit, et malum minatus eſt vel dedit adeo his, qui ſecus ſentitent de Lucilio. G.

8 Jungo *Grammaticorum equitum*, et puto ludibrii cauſa ita appellari juvenem, qui Grammatici provinciam illis armis tueri vellet, quibus circa illa tempora Cicero filius *patri ſuo de Ceſtii corio ſatisfecit*, ut narrat Seneca Suaſor. 7. Quid? ſi minatus fuerat Horatio ipſi hic eques Grammaticus? Quid? ſi pudore quodam Horatius ætate provectior, vel amici, hos octo verſiculos ſuſtulere? G.

et tamen omiſſi ſunt hi verſus in exemplaribus Fabricianis Baſil. 1555. fol. et Lipſ. 1593. 8. excuſis. Lambinus ætatem cccc annorum illis tribuit, Horatianos ſiquis putet, eum in his literis parum videre ait: ſibi aſſentiri dicit Jo. Auratum, M. A. Muretum, Si. Boſium, Jo. Paſſeratium. Voſſius de poëtis Lat. p. 9. *ſunt valde antiqui*, ait de his verſibus, *quidquid dicat Lambinus*. Aſcenſius (edit. 1544. fol.) *ſunt*, inquit, *qui Mæcenatem taxari hic autument, et ideo propter ipſum ab Horatio reſectum hoc caput*. Etiam Glareanus, *Ablati*, inquit, *poſſunt videri poëtæ conſilio*. Hæc faciunt, ut dignos putem verſus, qui etiam hic legantur: in primis cum, ſi non ſint Horatii, antiqui tamen, et ingenioſi hominis opus videantur. G.

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucilî: quis tam Lucilî fautor inepte eſt,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod ſale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cætera: nam ſic
Et Laberî mimos, ut pulchra poëmata, mirer.
Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum
Auditoris: et eſt quædam tamen hic quoque virtus:
Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, neu ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aures:

5 *Pro* nam, num *G. S. Bos Animad.* p. 56. Non *Z. V.* 1479. *Fl. V.* 1486. *credo cum interrogatione.*

1 Comicum principium et Morale: nam de medio ſermone orditur. Eſt autem *Nempe* Particula recordantis ſuæ cogitationis.

Incompoſito, h. e. incondito, et extemporaneo. Metaphora deſumta eſt ab imperitis equis, vel etiam ſaltatoribus, qui nullis gradiuntur numeris.

Dixi; Satyra ſcilicet quarta. (1. 4. 8.) Grave crimen hoc: nam quis ferat libertino genitum avo Pompeii Magni doctiorem? B. Quin avunculo majori. Vid. ad Sat. 2. 1. 75. G.

Etſi melius currant *facti et euntes*, *currunt* tamen verſus quales cunque. Et mire *pede currere* poſuit: erant enim *Pedes* numeri quibus in Choreis ſaltantes currebant. Huc facit Anacreontis illud;

Ἐδόκουν ἄκροισι ταρσοῖς
Δρόμον ὠκὺν ἐκτανύειν.

2 *Fautores*, Plauto *favitores*, plauſores erant in theatris. *Inepte favemus alicui, quando aperta vitia ejus negamus.* Vet. Schol. Nam ineptus eſt vapide blandus. Hujuſmodi palponibus ὠθὶν ὑγιὲς. Nam fumivendulis iſtis perpetuo venalis eſt anima.

3 *Fatemur coacte*, *confitemur ſponte*, ut belle Landinus.

Sale multo ideo ait numero ſingulari, quod dicturus erat defricuit, quaſi vere id ſale faceret (ſic enim legendum pro *ſal*). Vet. Schol. B. *Sales* nempe urbanitatem ordinarie ſignificant: *ſal* ſingul. proprie ſolet accipi. Fit ergo vividior metaphora. G.

4 *Charta eadem;* ſiquidem quarta Satyra et *Facetum* et *Emunctæ naris* eum dixerat.

6 *Decimus Laberius a Divo Julio annulo aureo et quingentis ſeſtertiis donatus eſt, poſtquam Mimum ſuum egiſſet.* Cruquius ex Suetonio, et Macrobio. Sed Publius Syrus in eo certamine palmam tulit.

Mimi, liberi, dicaces, et laſcivi erant, et unius tantum Actionis; nam nulla habebant Exodia, ut cæteri Ludi. Conſtabant igitur ridiculo.

7 *Et hic rictus dicitur, et hoc rictum menſura oris.* Vet. Schol. B. *Riſu did. rictum*, excitare riſum effuſum. Z.

8 *Virtus*, Græcis Ἀρετὴ, unde teſte Donato, noſtrum *Ars*.

9 *Ut currat;* h. e. ut feſtinet ad exitum: Metaphora a jumento leviter onuſto; ut vel ſequentia oſtendunt.

10 *Impediat;* h. e. retardet. Notum eſt quid ſint *impedimenta* in itinere.

Et ſermone opus eſt modo triſti, ſæpe jocoſo;
Defendente vicem modo rhetoris atque poetæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque ſecat res.
Illi, ſcripta quibus Comœdia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant, hoc ſunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque ſimius iſte,
Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.
¶ At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miſcuit. ¶ O ſeri ſtudiorum! quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti

14 Ext. opus *H.* Conſultum *Z.*—21 Qui ne putatis *Venet.* Quid ne putatis *Glar.*

11 *Sermone modo triſti, ſæpe jocoſo;* h. e. Stilo modo gravi et Rhetorico, modo mordaci et Satyrico.

12 *Vicem*, h. e. *munus*, vel partes. B. *Defendere vicem* eſt agere partes vel perſonam, ut Art. Poet. 194. Satiræ ſtilus eſt nunc oratorius, nunc poeticus, nunc familiaris et tenuis, &c. G.

Rhetoris eſt tenere artem ſtili.

Poetæ autem Satyricos ſales proferre: nam Poetam modo dicit Satyricum.

13 *Urbanum* modo dicit ingenue jocantem. Neſcivit Lucilius *Ingenuo culpam defigere ludo.* Atticus iſte lepos Horatiani erat ævi, quod tandem urbanos protulit.

Parcentis viribus; quia vult data opera delicatus videri. Vet. Schol. Abſtinet enim a dentatis jocis.

14 *Ridiculum acri; Joculare maledictum gravius vulnerat, quam res aſpera.* Vet. Schol. B. Reddit rationem, cur Satira ſe demittat etiam ad humilem urbanitatem, viribus parcat, &c. G.

15 *Fortius et melius;* h. e. et efficacius et conſultius.

Magnas res ſecat, qui potentum lites dijudicat. Siquidem res difficiles quæ ſubito, ac veluti uno ictu abſolvuntur, *decidi* et *ſecari* dicuntur, Metaphora ſumta a medicorum cultris. Iſta Allegorice dicuntur de Satirica Invectione. Vult enim ſignificare ſe levi negotio de Nobilibus adverſariis victoriam reportare, cum Lucilius *Genuinum in illis fregerit*, ut eleganter Perſius.

16 *Illi, ſcripta quibus; Eupolis atque Cratinus Ariſtophaneſque Poetæ.*

Viris, Πλεονάζει, more vetuſto.

17 Is *ſtare* dicitur qui non cauſa cadit, vel perdit litem. *Ad id pertinet ſtabant quod dixerit, Ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque ſecat res.* Vet. Schol. Dilogos etiam *ſtabant* dixit pro placebant: nam *ſtare* dicebantur Fabulæ quæ non explodebantur.

Ironice *pulchrum* dicit vetulum et lippum, ſe tamen apud puellas pro formoſulo inepte gerentem. Palam nominat obtrectatores ſuos, veteres ſcilicet Cæſareanæ aulæ ſectatores.

18 *M. Demetrium modulatorem propter macien ac parvitatem corporis hoc nomine appellat.* Vet. Schol. B. Imo *ſimium* vocat quod erat ineptus imitator Calvi et Catulli. Z.

19 Licinium dicit Calvum et Valerium Catullum, qui ſcilicet amatorias cantiones ſcripſerant.

Cantare, modulari. Vet. Schol.

20 *At magnum fecit*, ipſius Lucilii verba ſunt, teſte Rufiniano Rhetore; et ſuaviter eum ſuis verbis deridet. Hæc Subjectionis forma protulit. B. Modo non corruptus ſit Rufiniani locus, ac legendum p. 25. *ut apud* Horatium in *Lucilium*. Nam vix riſiſſe videtur Lucilius morem, quo ipſum frequenter uſum, fragmenta quæ ſuperſunt teſtantur. G. Eſt objectio iſtorum obtrectatorum Horatii. Z.

21 *O ſeri ſtudiorum!* ſeræ dicuntur fruges quæ non niſi longo tempore matureſcunt. Græcis ὀψιμαθεῖς ſunt et qui literis ſero vacant, et qui ſero proficiunt; culpa ſcilicet ingenii et acuminis.

Quine putetis; ſupple, *An in tantum fatui eſtis* qui putetis? Neque enim aſſentiri poſſum Priſciano, qui *Ne* putat eſſe Conjunctionem Affirmantem; vel his qui reponunt *Ve* ex ingenio. Hujuſmodi Βραχυλογία Moralis eſt et Comica. B. Habet eandem vim, ac ſi dixiſſet, *Voſne putetis.* G.

22 *Dicitur Pitholeon Epigrammata ridicule ſcripſiſſe, in quibus Græca verba mixta erant cum Latinis.* Vet. Schol.

Contigit? ¶ At ſermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.
¶ Cum verſus facias, teipſum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei ſit cauſa Petillî,
Scilicet oblitus patriæque patriſque Latini,
Cum Pedius cauſas exſudet Publicola, atque
Corvinus, patriis intermiſcere petita
Verba foris malis, Canuſini more bilinguis?
Atque ego cum Græcos facerem, natus mare citra,
Verſiculos; vetuit me tali voce Quirinus,
Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera:
In ſilvam non ligna feras inſanius, ac ſi
Magnas Græcorum malis implere catervas.

24 Commixta *Ven. Bentl.*—27 Oblitos *ſuſpic. Bentl.* Latini *G. et omnes ante Lambi.*—28 Exſudat *conj. Bentl. et ſic Zar.* Poplicola *Ven. Lamb. Bentl.*—31 Atqui *Bentl. e codd.*—32 Tali me *Bentl. e cod. uno.*

23 *Concinnus;* ornatus, pictus.

24 *Chio nota* Hypallage eſt, pro *Chiam notæ:* et *nota* poſuit figurate pro cadus, vel amphora. Erat autem Falernum Italicum et auſterum, Chium autem Græcum et dulce.

25 *Cum verſus facias;* ſupple, *Utrum tunc tantum.* Vet. Schol.

26 *Dura; maligne dura; nam ab Auguſto abſolutus eſt.* Vet. Schol. V. Sat. I. 4. 94.

Peragenda, h. e. peroranda.

Petillius iſte abſtulerat coronam auream de capite Capitolini Jovis.

27 *Latine;* ita legendum eſſe pro *Latini* vir doctiſſimus Dionyſius Lambinus ex tribus MSS. oſtendit; Cruquius probat, Veteresque Scholiaſtæ confirmant. Bentleius hoc improbat, et ſervat priorem ſcripturam. B. Recte Bentleius: *oblitus patris Latini*, i. originis ab illo rege, cujus et nomen debet commendare linguam. Malis ne tu, defenſor Lucilii, oblitus Romanæ majeſtatis, oratores ſummos patriis verbis immiſcere verba foris, ab externis, petita? Elegans eſt etiam *oblitus*, ut ad oratores et infinitum *intermiſcere* pertineat: ſed ſolo adhuc ingenio Bentleii nititur, et non eſt neceſſarium. G.

28 Q. Pedius Publicola et Meſſala Corvinus Oratores erant priori ſæculo inſignes. *Ita autem hi a Græcis abhorruerunt, ut Meſſala primus Funambulum dixerit* Σχοινοβάτην, *et poſt hunc Terentius.* Vet. Schol. Quod et Quintilianus prodit. Erravit igitur vir doctus Ludovicus Desprez, cum Andreæ Dacerio crediderit affirmanti hunc fuiſſe filium Quinti Pedii, et cum Auguſto Conſulem. B. Inclinat animus, uti putem *Publicolam* dici ab Horatio *Corvinum*, qui eſſet ex Valeriis Publicolis, cum de Pedio nihil conſtet niſi ex Schol. ad h. l. Meſſala, a quo Terentius *funambulum* accepit, non poteſt hic noſter eſſe. *Pedius* qui cauſas dixit, quo tempore hæc ſcribit Horatius, vix alius fuiſſe videtur quam collegæ Auguſti, a quo Pedia lex, filius, quod dixit poſt alios Dacerius. G.

30 *Canuſini* cum reliquis Calabris, Apulis, Lucanis et Brutiis de Magna erant Græcia, et Græcorum Colonis immiſti.

Dilogως dici ſolet *Bilinguis* etiam pro doloſo. *Ideo ergo et Ennius et Lucilius Brutates bilingues dixerunt.* Vet. Schol. ex Vetere Codice Joſephi Scaligeri.

31 *Facerem; facere vellem;* ut *Cum canerem Reges.* Vet. Schol. B. Haud dubie Horatius hanc rem tentavit, cum Athenis litteris operam daret. Z.

Comice protulit *Natus mare citra;* et ad Emphaſin poſuit vilioris pretii. Delicatulis enim mirifice placent tranſmarina. B. Mihi videtur nihil dicere aliud voluiſſe poeta, quam ſe natione Italum, in Italia natum, non in Græcia tranſmarina. G.

33 *Poſt mediam noctem;* Εὖτε καὶ τὐτρεχίαν σημαίνεται ἴδιος ὀπίζων, ut belle Theocritus. *Eo tempore Solis Phœbique Vaticinium roborari credebatur,* inquit Ludovicus Cœlius. Ad galli ſcilicet cantum, quo tempore fugari dicuntur manes vanorum ſomniorum auctores.

34 *In ſilvam ligna ferre*, Proverbio dicitur. To carry coal to Newcastle.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit Rheni luteum caput; hæc ego ludo,
Quæ nec in Ædе ſonent certantia judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum ſpectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente ſenem, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani: Pollio regum
Facta canit, pede ter percuſſo: forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

37 Defingit *etiam G.* Dif. *Z. it. Venet.*—38 Neque *Sax. Bentl.*—44 Ductu molle *etiam Cun.* Dictu *Sax.* Ducit *omnes, puto, ante Steph. etiam Rutg. Bur. Bentl. Talb. Sandb.*

35 *Caterva*, Gallorum erat legio, ſive exercitus. Etiam Aboriginibus noſtris, *Cât* exercitus eſt, et *Torva*, Turba, vel Globus. Caterva orbiculari erat figura. B. Nihil vult niſi Græcorum ſcriptorum ſatis magnum eſſe numerum, difficile eſſe ibi eminere. G.

36 *Cornelius Alpinus Memnona Hexametris verſibus nimirum deſcripſit; et belle jugulat Memnona Dilogως ait: nam dum deſcribit quemadmodum juguletur, intelligi vult ab ipſo potius jugulari.* Vet. Schol. Erat hic Aulus Cornelius Alpinus, ut oſtendit Torrentius adverſus Cruquium, qui Cornelium Gallum credidit. B. Bentleius Furium Bibaculum hic exſculpit ex verbis Acronis, *vel Vivalium quemdam poetam Gallum tangit: Rivalium* potius fuiſſe credibile mihi fit, cum Cruquianus Schol. habeat, *rivalem quemdam p.* G. t. Optimum forte fuerit, fateri, nos neſcire hodie. G.

37 Veteris Scholiaſtæ et MSS. auctoritate ductus *Defingit* reponendum duxi pro *Diffingit. Defingit, figurat, ac per hoc deſcribit, ſignificat.* Vet. Schol. B. Sed Acron Fabricianus, *Diffingit, male format, i. deſcribit, luteum Rheni caput, non quia luteum caput habet Rhenus, ſed quod luteum facit ipſe deſcribendo male. Da. Heinſius* nimis etiam hic ingenioſus, conjicit *Diffringit Rhæci lut. cap.* quaſi dicatur in poetam, qui Gigantomachiam ſcripſerit. G. Reſtitui *diffingit*, h. e. deformat. Z.

Luteum caput; et hoc Dilogως; quaſi ab ipſo Poeta mala deſcriptione luteum fieret. Vet. Schol. Notum eſt etiam Oſtia fluminum dici *Capita*, quod oſtendit Turnebus. B. At hic fontes intelligam, limpidos per ſe et liquidos, ſed *luteos* et turbidos a poeta. G.

Comice *Hæc* pro talia.

Ludo; quoniam verecunde Poetæ verſus ſuos luſus appellant. Vet. Schol.

38 *In Ædе; Apollinis et Muſarum.* Torrentius. In commiſſionibus ſcilicet ab Auguſto inſtitutis; et bene *ſonent*, ob Echo. B. Ædes Apollini ab Auguſto dedicata tum nondum erat: intelligenda quæcunque ædes, ubi examinantur fabulæ in ludis agendæ. G.

Critici apud Ædem Apollinis Palatini *numero erant quinque*, e quibus maxime aſſiduus erat Spurius Metius Tarpa, ut oſtendit Vet. Schol. Cruq. *Nam ii fere qui Scenas ſcribebant, ad Tarpam hunc, quaſi emendatorem, eas afferebant.* Alter Schol. B. Vid. A. P. 387. G.

39 Ordo eſt, *Redeant Theatris iterum atque iterum ſpectanda.* Præparatio eſt ad ſequentia.

40 *Arguta*, argutiis armata, pellaci et promto ingenio.

41 Eludunt Gladiatores, dum arte effugiunt ictus, et per hoc ferientes fallunt.

Comis Morali ſuavitate blandus eſt.

Garrire, nugari, propter perſonarum humilitatem quæ in Comœdia loquuntur. Vet. Schol. Cruq. B. Tu ſolus, Fundani, potes facete comœdias ſcribere, in quibus meretrices et ſervi more ſuo nugantur. Z.

42 *Sub Auguſto agebat Caius Fundanius Comœdiarum ſcriptor.* Torrentius.

Amarulente Reges obiter exagitat: ſiquidem per *facta regum*, cædes et ſcelera ſignificat. Atrocius Perſius *prandia regum* dicit capita et pedes infantum, ob Thyeſteas Fabulas ſcilicet.

43 *Pede ter percuſſo; Trimetro Iambico.* Vet. Sch. Aſinius Pollio Tragœdias ſcripſerat. Vid. Car. 2. 1. 9.

Forte; magno impetu expreſſum. Vet. Schol. Animoſum dicit et ſpiritale.

Acer, h. e. calidus, interritus, audax. Vid. Car. 1. 6. 1.

44 Veterem Scholiaſten et pleroſque ſcriptos Codices ſecutus, *ducit* ſervavi; cum Henricus Stephanus et Cruquius magis probent *Duc-*

Hoc erat, experto fruſtra Varrone Atacino,
Atque quibuſdam aliis, melius quod ſcribere poſſem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, ſæpe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quæſo,
Tu nihil in magno doctus reprêndis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Accî?
Non ridet verſus Ennî gravitate minores,
Cum de ſe loquitur, non ut majore reprênſis?
Quid vetat et noſmet Lucilî ſcripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negârit
Verſiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac ſi quis, pedibus quid claudere ſenis,
Hoc tantum contentus, amet ſcripſiſſe ducentos

49 Cum multa *G. Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Bentl. ex multis MSS.*—50 *Pro* ſæpe, verba *coll. Sax.*—51 Quæro *Sax.*—53 Accî *ſic Ven. Glar. Bentl.* Attî *Lamb.* Acti *Baxt.*—54 Num ridet *Sax.*—56 Quis *Sax.* Furta *Han.*—57 Non rerum *Sax.*—58 Magis altos *G.*—59 Ac ſi *G. Ven.* 1479. *Med.* 1486. *Bentl. Cun.* At ſi *Sax. Z. Med.* 1477. *F.* At ſit *conj. Lambi.*

tu molle atque facetum, quod duriuſculum mihi videtur. Et mire *Ducit* de longo Carmine, deſumta Metaphora a lanificarum filis.

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ovidius.

Molle atque facetum, tenerum dicit et amœnum, Bucolicorum Stilum ſignificat: nondum enim (ut videtur) edebatur Æneis. B. *Facetum excultæ cujuſdam elegantiæ appellationem* putare ſe ait in h. l. Quinct. 6. 4. 20. Eſtque Epitheton a contrario. Gaudent rure Camenæ Virgilii, et tamen decorem urbanum et mollem illi indulſerunt. G.

45 Mire *gaudentes rure Camœnæ;* nam *Camœnas ruſtici Muſas appellant*, ut docte Landinus ex Macrobio.

46 *Hoc erat;* i. e. *Satyra.* Vet. Schol.

P. Terentius Varro Atacinus ab Ataco Provinciæ vico. Torrentius. Hunc alii *Narbonenſem* vocant.

47 *Quibuſdam aliis; Ennius quatuor libros Satyrarum reliquit, et Pacuvius huic generi verſificationis non faſſecit.* Vet. Schol.

48 *Inventore minor;* quia præclarius eſt invenisse, quam inventis addere.

49 Difficile eſt *detrahere* quod *hæret.*

Rudiore Rhythmo Bentleius; auctoritate puto unius ſed rarioris editionis, reſcripſit *cum multa laude* pro *multa cum laude.*

Poetæ *laudem* dicunt pro merito.

Sunt hic etiam ſua præmia laudi. Virg.

50 *At dixi;* Subjectionem repræſentat inimici; et gravis eſt iſta commemoratio culpæ. B. Vid. Sat. 1. 4. 12.

51 *Tollenda*, amovenda, reſecanda. *Eſt brevitate opus.* B. Tollenda ita accipiendum, docet v. 69.

52 *Doctus;* qui ſcilicet ſcholaris es.

53 Salſa Ironia *comem* dicit Lucilium, quem pro inurbano ſemper habuit.

Urbane *mutat* poſuit pro reprehendit. *Facit autem Lucilius hoc cum alias, tum in tertio Libro et nono et decimo.* Vet. Schol.

54 *Non ridet;* Servius ad illud Æneid. XI. 602. *Cum late ferreus haſtis Horret ager: Verſus Ennianus vituperatus Lucilio, dicenti per irriſionem, debuiſſe eum dicere, Horret et alget; unde Horatius de Lucilio, Non ridet verſus Enni?* Henricus Stephanus.

Gravitate minores; minus graves quam oportet. Vet. Schol. Cruq.

55 Nonne cum de ſe loquitur Lucilius, ita loquitur tanquam de majore iis, quos reprehendit. Hæc ſimplex ſententia præferenda ſubtilitati Heinſianæ, quaſi reprehenſus eſſet Ennius a Lucilio propter περιαυτολογίας. G.

57 *Dura* eſt quæ negat, nec flecti poteſt præ pertinacia: modo autem Dilogως poni videtur pro pertinax et ſalebroſa.

Ante cibum verſus, totidem cœnatus? Etruſci
Quale fuit Caſsî rapido ferventius amni
Ingenium, capſis quem fama eſt eſſe libriſque
Ambuſtum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor,
Quamque Poëtarum ſeniorum turba; ſed ille,
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum,
Detereret ſibi multa; recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur; et in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpe ſtilum vertas, iterum, quæ digna legi ſint,
Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

66 A Græcis *Sax.* At Gr. *conj. Rutg.* Quam Rudius, Gr. *conj. Caſaub.*—68 Dilapſus *Bos Anim.* p. 59. *H. Med.* 1477 *et* 1486. *Ven.* 1479. *F. forte* delapſus. Dilatus *etiam G. quod vidit Lamb. in* 4 *MSS. et probat Bentl. et Cun.*—70 Verſus *Z.*—75 Milibus *Bos Anim.* p. 59.

58 *Factos;* h. e. arte tornatos.

Euntes mollius, h. e. Lenius decurrentes; abſque ſtrepitu ſcilicet, et ſpuma; nec lutum ſecum trahentes.

59 Plane aſſentior ingenioſo viro Jacobo Cruquio, et plurimis ſcriptis Codicibus legendum eſſe *ac ſi quis*, pro *at ſi quis*, quod et Stephanus probavit. B. *Ac ſi*, quam ſi. *quid*, h. e. aliquid. Senſus loci, interprete Bentleio, hic eſt: Quid vetat et nos quærere, num Lucilii ingenium, num argumentum ipſum negaverit verſus politiores et molliores, quam ſi quis ſine cura et lima extemporales hexametros fundat? Scilicet Lucilius ipſe, ſi majorem diligentiam adhibuiſſet, cultiores utique verſus dare potuiſſet, quam quales nunc dedit ipſe et Caſſius. Z.

Claudere modo pro finire poſitum eſt: *Clauditur* enim quod ulterius progredi non ſinitur.

61 *Ante cibum;* cœnæ tempore verſus ſuos dictare Veteres ſolebant.

Caſſium Hetruſcum diverſum fuiſſe a Parmenſi oſtendit Torrentius, atque ipſe Horatius elegantiſſimum ejus ingenium hoc verſu ſignificat: *Scribere quod Caſsî Parmenſis opuſcula vincat.* Ludovicus Deſprez clauſis oculis Dacerium ſequitur. B. Non licet iſta accurate diſputare: ſed hoc video, Maſſono etiam eundem eſſe Parmenſem et Etruſcum Caſſium, interfectorem Cæſaris. G.

62 *Rapido ferventius;* hujus verſus non ibant molliter; verum *multa purgamenta ſecum trahebant*, ut Scholiaſtæ verbis utar. *Ferventius* pro ſpumoſius modo poſitum eſt.

63 *Capſis; in quibus ſua Poemata concluſa erant.* Vet. Schol. Cruq.

64 Ridicule *ambuſtum* poſuit pro *combuſtum.* B. Pro rogo illi fuiſſe dicebantur capſæ et libri, quos ediderat. G.

65 *Comis et urbanus;* quod tamen nemo dederit.

Limatior; imo nihil magis oderat labore limæ.

66 *Quam rudis*, h. e. Quam auctor rudis carminis Græcis intacti, nam *et* neceſſitati metri deſervit. B. Ennium deſcribi hoc carmine apparet: ille Satiram tentavit primus, intactum Græcis carmen: ille *rudis arte* etiam Ovidio dictus Tr. 2. 424. Quod *et* metri cauſa aſſumtum ait vir doctus, nihil eſt. Ennius *rudis* arte, *inſuper* tentavit carmen, in quo non licebat e Græcis vertere, ut in Tragœdia, ut in Epico carmine. G.

67 *Turba* dicitur viliorum multitudo.

68 Magis placet *delatus* quam *dilatus*, quod et Cruquius legerat in quatuor Codicibus. Nonnulli legunt *delapſus*. Bentleius *dilatus*. B. Nulla propoſitarum lectionum vel auctoritate vel ratione caret. *Dilatus* tamen mihi dignitatem quandam habere videtur. G. Pro *delatus* ex vett. edd. reſtitui *dilatus*, h. e. reſervatus. Z.

Non ego; nam ſatis eſt equitem mihi plaudere; ut audax,
Contemtis aliis, exploſa Arbuſcula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius; aut cruciet quod
Vellicet abſentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigellî?
Plotius, et Varius, Mæcenas, Virgiliuſque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus; et hæc utinam Viſcorum laudet uterque:
Ambitione relegata, te dicere poſſum,
Pollio, te, Meſſala, tuo cum fratre; ſimulque
Vos, Bibule et Servi; ſimul his te, candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens prætereo, quibus hæc, ſint qualiacunque,

78 Cruciet *etiam Sax. Sed* crucier *eſt in edd. Ven. Glar. Lamb. Cæterum Bentleius diſtinguit* Men' moveat, cimex Pantilius, aut cruciet quod, *&c. et ordinem putat hunc:* Men' moveat, quod cimex Pantilius; aut men' cruciet, quod Demetrius abſentem vellicet?— 86 Bibuli *al.* Bibule *edd. aliquot ap. Cuning.*

69 *Detereret* lima; *recideret* cultro vel falce.

70 *Trabitur*; quod demortuum eſt et inutile.

72 *Stilum vertere*; quo retuſa ejus parte quæ ſcripſeras inducas. B. Nempe hic relicto Lucillio ad locum communem devolvitur. G.

73 *Labores*, h. e. multum cures.

75 *Dictari*; *a Librariis in Ludis Literariis*. Vet. Schol. Cruq. Magiſtri Librarii prælegebant diſcipulis ſua penſa.

76 *Equitem*; Comicum eſt Singulare pro Plurali.

77 *Arbuſcula*; Mima hæc erat, uti et Cytheris et Origo. B. Mentio hujus *Arbuſculæ* etiam Cic. Att. 4. 15. Nomen plurium Libertarum eſſe, oſtendit Bentl. G.

78 *Cimex*, *putidus*, *abjectus*. Vet. Schol. Noſtri homines *Cimices* BUGGS vocant. Crediderim Pantilium iſtum fuiſſe exiguæ ſtaturæ.

Plures MSS. pro *crucier* legerunt *cruciet*, quod magis Comicum eſt.

79 *Vellicat* canis qui non audet mordere.

80 Fannii Quadrati meminit ſuperius Satyra quarta.

Conviva, ſcurra per Charientiſmum.

81 De *Plotio*, *Vario*, et *Valgio* ſupra dictum eſt.

82 Interpunctio iſta placuit Bentleio, *probet hæc Octavius, optimus atque:* Neque enim cenſuit vocem *optimus* convenire Majeſtati Auguſti, etſi primus deorum vulgo dicatur Optimus. Nomen Optimatium etiam oſtendit quid ſibi velit *Octavius optimus* apud Horatium. Ego plane ſentio cum Jacobo Cruquio *Octavium optimum* non fuiſſe alium quam ipſum Auguſtum, etſi vir doctus Ludovicus Deſprez hoc caveri jubeat. B. Ergo Horatius *Cæſarem*, *Divi filium*, in grege amicorum, et *Octavii* nomine poſuit? Mihi nullo modo hoc fit probabile. Fuerit potius, quem VV. DD. judicarunt poſt Victorium V. L. 14. 7. ille, cujus in mortem eſt epigramma in catalectis, *Quis Deus Octavi*, vel quivis alius. G.

83 *Fuſcum* dicit Ariſtium doctiſſimum Grammaticum.

Pater eorum Vibius Viſcus, quamvis et divitiis et amicitia Auguſti clarus eſſet; in Equeſtri tamen Ordine perduravit, cum filios ſuos Senatores feciſſet. Vet. Schol.

84 *Ambitione relegata*; h. e. *remota gratificatione*. Vet. Schol. Potentium amicorum numero famam ſuam fulcire conatur.

86 Bentleius poſt Heinſium recte poſuit, *Vos Bibule et Servi.*

Furni; *erat hic Hiſtoriarum elegantia clarus*. Vet. Schol.

88 Aliqui Cod. et hic et alias pro *ſint* habent *ſunt*, quod ob raritatem mirifice placuit magno Bentleio. Verum non adverterat vir eruditiſſimus promiſcue fuiſſe ſcriptum *ſunt* vel *ſint*, quod prolatione vix differrent Vocales *i* atque *u* antiquis temporibus.

Arridere velim; doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra. Demetri, teque, Tigelli,
Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.
I puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

91 Diſcipularum *etiam primæ editt.* Diſcipulorum *Venet. et Glar.*

90 *Demetri, teque Tigelli; hi modulatores fuerunt, et docuerunt puellas ingenuas per modos.* Vet. Schol. Lambinus in novem Codicibus repererat *Diſcipularum*, quod a Vetere Scholiaſte confirmatur: plerique tamen Vulgati corrupte *Diſcipulorum* repræſentant.

91 *Jubeo plorare;* falſiſſima Dilogia utitur: nam et plorant qui docent puellas cantiunculas amatorias flebili voce decantare; et plorare jubent Græci quibus grave precantur infortunium, quod κλαίειν, vel οἰμώζειν illi dicunt.

Notum eſt *Cathedras* fuiſſe fœminarum proprias.

92 Veteres voto aliquo claudebant Epiſtolas, quem morem per ludum et jocum hic ſervat in calce libelli: Nam Amanuenſem ſuum jubet ſubſcribere quæ Demetrio et Tigellio optaverat. Miror latuiſſe Interpretes quid ſit *ſubſcriptio* et *ſubſcribere*. *Cum Rhodiorum Magiſtratus, quod literas publicas ſine Subſcriptione ad ſe dederant, evocabat, ne verbo quidem inſectatus, ac tantummodo juſſos ſubſcribere remiſit.* Suetonius [Tib. 32. quem ex Dion. 57. p. 608. E de ſubſcribendis votis pro ſalute Imperatoris Caſaubonus explicat]. *In ſubſcribendo tardus ac negligens, ita ut libellis una forma multis ſubſcriberet: in epiſtolis autem plurimis Vale tantum ſcriberet.* Lampridius. B. Locus eſt in Commodo 13. hic paucis declarandus, cum aquam ſibi in illo hærere fateatur Caſaubonus, et in Theſauro prætermiſſus ſit. Commodus igitur *libellis multis*, de rebus diverſis qui agerent, *una* tamen *forma* ſ. exemplo ſubſcripſit, i. reſpondit. Hoc eſſe ſubſcribere, tum res ipſa hodie adhuc in multis Secretariis uſitata indicat, tum docet planiſſime Titulus Cod. *Comminationes, Epiſtolas*, &c. *præſertim* l. 5. *Subſcriptionem ad libellum datam talem, quæ diverſam partem in poſſeſſionem fundi mitteret*, &c. Itaque ſeſquiverſus ultimus hujus Satiræ eſt ſubſcriptio, ſ. clauſula, ad reprehenſores poëtæ: ut ſi quis in fine epiſtolæ poneret pro *vale, ſuſpende te.* Imperium ad puerum deliciis ejus temporis convenit, ubi dictabant pleraque. Sic Epiſt. 1. 10. 49. Simile quiddam eſt in illo Propert. 3. 22. extr. *I puer et citus hæc aliqua propone columna*, Imperio illo effecit Horatius, ut riſum et aculeum habeat finis Satiræ. G.

Q. HORATII
FLACCI
SERMONUM
LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

In quendam qui Actionem de famosis libellis Horatio intentabat. B. Ut conatum suorum obtrectatorum vanum esse, nec se a satiris scribendis istorum clamoribus avocatum iri ostenderet, finxit hunc longe suavissimum facetissimumque dialogum Horatius inter se ipsum et Trebatium, virum doctissimum et juris civilis peritissimum, eumque et ingenio et facetiis excellentissimum, ut ex Ciceronis, quo familiarissime usus erat, epistolis constat. Cum satiras meas, inquit, vel nimis acerbas, vel plane leves et futiles esse dicant nonnulli: quid mihi faciendum sit, responde. *Treb.* Ne scribas versus. *Hor.* Recte: at, nisi scribam, capere somnum non possum. *Treb.* Itaque aut natato Tiberim, aut largius sub noctem bibito mecum; aut, si scribendi cupiditas te invaserit, res gestas Augusti scribito. *Hor.* Audio: sed ad hanc rem deest mihi ingenium. *Treb.* Attamen eum ut justum et fortem potes scribere, quemadmodum Scipionem celebravit Lucilius. *Hor.* Operam huic rei dabo, cum temporis ratio tulerit: alioqui carmina mea ille non leget, et me inopportunum repudiabit. *Treb.* Consultius hoc erit, quam satiris scribendis odium hominum in te excitare. *Hor.* Sua quisque tenetur voluptate: et me delectat scribere versus, quales Lucilius, h. e. satiras. Hunc sequor, quamquam ego non sum Romanus, ut ille, sed sive Appulus sive Lucanus: res enim est incerta. Verum ultro neminem unquam scriptis lacessam, nisi lacessitus, quod Deus avertat: sum enim pacis cupidus. Quod si vero quis me lacessierit; is male mulcatus discedet. Nam cum se quisque defendat armis iis, quibus maxime valet; ego, quæcunque vitæ meæ conditio futura est, versibus pugnabo. *Treb.* O puer, metuo, ne ita, magni viri amicitia amissa, præ ægritudine brevi pereas. *Hor.* At procul abfuit, ut Lælius et Scipio satiris Lucilii, quibus et procerum et multitudinis vitia perstringebantur, offenderentur, ut eo familiariter uterentur. Me quoque, quamquam et genere et ingenio disparem, tamen cum viris magnis

vixiſſe ſemper, nec negabunt malevoli, qui cum malo ſuo me laceſſent: niſi tibi ſecus viſum fuerit. *Treb.* Equidem tibi non repugnabo. Veruntamen caveas velim, ne ignoratione legum, quæ pœnam minantur, ſi quis mala carmina in quem ſcripſerit, in jus voceris et damneris. *Hor.* Concedo: ſi quis mala carmina ſcripſerit; at quid tum, ſi quis, ipſe vitæ integer, bona carmina, quæ ipſi Auguſto probantur, in hominem opprobriis dignum? *Treb.* Tum omne judicium cum riſu exibit, et tu impune abibis.

Sunt quibus in Satira videor nimis acer, et ultra
Legem tendere opus; ſine nervis altera, quicquid
Compoſui, pars eſſe putat, ſimileſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati,
Quid faciam, præſcribe. ¶ Quieſcas. ¶ Ne faciam, inquis,
Omnino verſus? ¶ Aio. ¶ Peream male, ſi non
Optimum erat: verum nequeo dormire. ¶ Ter uncti
Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto,
Irriguumque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Cæſaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. ¶ Cupidum, pater optime, vires

---

1 Videar *etiam H. it. edd. vett. Ratio dicendi latina eaque ſeverior poſcit quidem* videar: *ſed* videor, *cum ſit ſtructura orationis Græca, quam amat Noſter, id retinendum puto.* Z.—2 Intendere *N. Heinſ. ex MSS. et Cun. Idem reperit Lambinus in codd. quibuſdam, nec improbat Bentleius, quia* tendere *non ſignificet augere, promovere.* Z.—9 Irriguumve *Rutg.*—10 Rapit *omnes noſtri. Sed* capit *Bentl. ex uno cod.*

---

1 Cum quibuſdam Lambini ſcriptis Codicibus pro *videar* repoſui *videor*. Etſi fateatur nihil intereſſe, Bentleius tamen de *videor* fecit *videar*. Satis tamen conſtat ex ſequentibus, videor recte dici in Indicativo, cum non fiat Narratio in modo Dubitativo.

Acer, calidus, furens.

Ultra legem, h. e. *Ultra quam ſe habet ratio ipſius vocabuli: Et mire Legem quia Juriſperito loquebatur.* Vet. Schol. Scita Dilogia: Habet enim alicujus minitantis Emphaſin. B. *Legem* Decemviralem intelligit Rutg. Ego univerſim modum et morem. G.

2 *Tendere opus*, h. e. Satyræ ſuæ ſpiculum dirigere.

Eſt aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum.
Perſius.

Sine nervis; quia urbanus erat et parcens viribus, nempe Luciliano ſtilo confoderat hoſtem. *Nimis lenis*, ut Vet. Schol. Cruq.

4 *Deduci*; ſic et infra, (Epiſt. 2. 1. 225.) *tenui deducta Poemata filo.*

C. Trebatius Teſta Juriſconſultus inſignis et Ciceronis familiaris. *Hic eſt Trebatius Juriſperitus qui locum obtinuit inter Poetas, et aliquot libros de Civili Jure compoſuit, et de Religionibus novem.* Vet. Schol.

5 *Præſcribe*, h. e. *Conſtitue tanquam ex Lege.* Vet. Schol. Reſponſa enim Prudentum inſtar Legum erant.

6 *Aio; Juriſconſulto dat verba Juriſconſultica.* Landinus.

Male, modo poſitum pro infeliciter; uſitato Euphemiſmo.

7 *Erat* pro *eſſet*.

8 *Tranſnanto; vide ut directis Juriſconſultorum verbis utitur ad Trebatium Juriſconſultum.* Vet. Schol. Cruq. Exercitia Campeſtria claudebantur fere natatione. B.

Natandi ſtudioſum vocat Trebatium Cic. fam. 7. 10. Nec a vino eum abhorruiſſe, docet ibid. 20. et 22. G.

10 Vultuoſe profertur *tantus: Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?* Etiam Homero *amor* frequenter dicitur cupido.

Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
¶ Attamen et juſtum poteras et ſcribere fortem,
Scipiadam ut ſapiens Lucilius. ¶ Haud mihi deero,
Cum res ipſa feret: niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem;
Cui male ſi palpere, recalcitrat undique tutus.
¶ Quanto rectius hoc, quam triſti lædere verſu
Pantolabum ſcurram Nomentanumque nepotem!
Cum ſibi quiſque timet, quanquam eſt intactus, et odit.
¶ Quid faciam? Saltat Milonius, ut ſemel icto
Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis.
Caſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
Millia: me pedibus delectat claudere verba,

14 Neu *Sax. Cun.*—15 Deſcribet *quidam MSS. it. ed. Glar. ſed Bentl. repoſuit* deſcribit *e codd.*

Rapit; h. e. præcipitem agit. Rapi et corripi dementiæ eſt. Bentleius prætulit *capit*, vocem minus efficacem.

Quaſi vix poſſit impleri ideo dicit Aude. Vet. Schol.

12 *Pater*, ſic appellare eum videtur et ob ætatem et dignitatem. Z.

Veteres majores natu *patres*, et contra minores *filios* ſalutare conſueverant; æquales autem *fratres*.

13 An in animo habuit Virgilianum illud; *at nunc horrentia Martis Arma?*

14 *Fracta cuſpide; de hiſtoria eſt; Nam Marius adverſus Santonas talia tela commentus eſt, ut fracta niterentur, [miſſa frangerentur.* G.] *ne remitti ab hoſtibus poſſent.* Vet. Schol.

Trebatius comes erat Julii Cæſaris in Bello Gallico, et credibile eſt eum aliquid Carminis in illud bellum compoſuiſſe, quod hic laudare vult Horatius: Neque abludit Cruquius.

15 Bene *labentis equo*: num Parthorum pugna fere erat equeſtris. Appoſuit autem iſta quo gratificaretur Auguſto, ob recepta ſigna Marco Craſſo ademta.

Bentleius poſuit ex obſcurioris notæ Chartis *deſcribit*; ſed parum admodum refert, etſi *deſcribat* videatur rectius.

16 *Fortem*; h. e. generoſum et erectum.

17 *Lucilius Vitam Scipionis privatam deſcripſit, Ennius vero bella.* Vet. Schol.

18 *Res ipſa*; h. e. ipſius temporis ratio.

Dextro tempore; cum fuerint *mollia tempora fandi.*

19 *Attentam*; ſignificat *eum majoribus occupationibus intentum.* Vet. Schol.

20 *Male palpere*; h. e. imperite aditum ejus quæras. B. Æquo animo ferunt reges, equis ſe comparari. G.

Recalcitrat, perſeverat in Metaphora: Nam *palpare proprie manu mulcere eſt.* Vet. Sch. *Aliquantum moroſulus erat Auguſtus, atque inceptiarum et moleſtiæ impatiens.*

Omne vaſer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit. [Perſ. 1. 130.] Vet. Schol. Cruq.

Bentleius *recalcitret*, quod minus placet.

Undique tutus; i. e. quaquaverſum inacceſſus: nam *tutus* modo Paſſive dicitur.

21 *Rectius*, h. e. utcunque, conſultius hoc fuerit. Rectum id eſt quod ad rationis normam exigitur.

Metonymice poſuit *triſti* quod triſtes atque iratos faciat.

22 Nihil opus fuerat Bentleium repoſuiſſe *Nomentanumve* pro *Nomentanumque*: Encliticæ iſtæ a Librariis ſæpe permutantur; quod vel ipſe advertit Bentleius. B. Hic retinendum *que*, ut Ser. 1. 8. 11. G.

24 *Quid faciam? quia vitium habeo ut multi.* Vet. Schol. h. e. Vitio naturæ laboro, ut fere cæteri.

Saltat Milonius; obiter Milonium iſtum per-

Lucilî ritu, noſtrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana ſodalibus olim
Credebat libris; neque, ſi male geſſerat, uſquam
Decurrens alio, neque ſi bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti deſcripta tabella
Vita ſenis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus,
Miſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hoſtis:
Sive quod Appula gens, ſeu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic ſtilus haud petet ultro
Quemquam animantem; et me veluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus, quem cur deſtringere coner,
Tutus ab infeſtis latronibus? O pater et rex
Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum,
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis! at ille,

31 Geſſerat *omn. Lambinus ſine auctoritate* ceſſerat: *quod placet etiam Nic. Heinſio ad Ovid. Faſt.* 2. 380. *et Cun.* Ceſſerat unquam *Glar. et Lamb.*—36 Sabinis *Sax.*—37 Inquireret *Ven.* 1479. *Med.* 1482. *Ven.* 1486.—41 Diſtringere *Ven. Glar.*—43 Ferrum *H.* Robigine *Bentl.*

cutit, ut ſecum inſanientem. *Nemo ſaltat ſobrius niſi forte inſanit.* Cicero pro Muræna. Et Theophraſti ineptus ſaltat antequam factus eſt ebrius.

25 Metonymice *capiti* poſuit pro cerebro. B. *Numerus lucernis accedit*, cum ebrius eſt, cum *geminis conſurgit menſa lucernis.* Juven. 6. 306. Quod ebrii, ut furioſi alii, gemina vident interdum quæ unica ſunt. G.

27 *Pugnis, ceſtibus, pugillatu.* Vet. Sch. Cruq. *Terentianum illud; quot homines, tot ſententiæ.* Vet. Schol. Proverbium eſt inter notiſſima.

28 *Claudere*, finire, complecti.

29 *Melioris*; h. e. *Natalibus et cenſu; fuit enim Magni Pompeii avus.* [immo avunculus magnus. Vid. hic v. 75. et ad Ser. 1. 10. 1.] Vet. Schol. Cruq. Imo et ſimplicioris, utroque noſtrûm; nam neque ego atque tu vitia noſtra aperte ſcriberimus, ut ille ſua. Et mecum facit Cruquius, vir elegantis judicii. Subeſt igitur vaferrima Dilogia.

30 *Velut fidis, hoc Lucilius ex Anacreonte Græco traxit et Alcæo quos ait Ariſtoxenus Libris propriis vice amicorum uſos fuiſſe.* Vet. Schol.

31 Cum ſcriptis Torrentii et Cruquii Codicibus Veterique Scholiaſte *Geſſerat* repoſui pro eo quod erat *Ceſſerat*, incommodo ſenſu, et pene nullo. Supprimitur autem poſt *geſſerat* Pronomen *ſe*. Bentleius pro *geſſerat*, arbitrio ſuo poſuit *ceſſerat*; tamen iſta ſubjicit, "*Geſſerat* quidem omnes quos vidi Codices uno "conſenſu exhibent." B. *Ceſſerat* de conatu ſcribendi accipit Bentleius. *Geſſerat* etiam ideo placet, quod ſtatim ſubjicit Flaccus, *vitam* Lucilii *patere* in illius libris: ergo quidquid *geſſerat*, egerat, paſſus erat, expertus erat, &c. G.

32 *Decurrens alio*; h. e. devius a nudo vero: nuſquam enim deflectebat equos ab inſtituto tramite. *Votiva tabella, quoniam ſolent naufragi ſe pingere et conſecrare in aliqua Æde.* Vet. Schol.

34 Lucilius ſæculo *ſenex* erat, non ætate: neque enim ſupergreſſus eſt quadrageſimum ſextum ætatis annum: ſiquidem *ſenes* dici poſſunt, et *veteres*.

Lucanus an Appulus; libere profitetur ignobilitatem ſuam: Omnes enim Italici generis Romæ erant ignobiles. Extenuat tamen ignobilitatem hanc dum oſtendit ſe colonum Romanum.

36 *Sabellis*; h. e. Samnitibus.

37 *Per vacuum*; h. e. *per vacantem locum.* Vet. Schol. Vacuum dicitur quod hactenus caret poſſeſſore. B. *Quo ne* idem eſt quod *ut ne.* G.

39 *Violenta*, ferox, imperioſa.

Ultro, h. e. voluntate mea.

42 *Tutus*, h. e. ſi ſim tutus.

Qui me commôrit (Melius non tangere! clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam:
Canidia, Albucî, quibus est inimica, venenum:
Grande malum Turius, si quid se judice certes;
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens: sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit; unde, nisi intus
Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera (mirum!
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam; seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops, Romæ, seu fors ita jusserit, exul,
Quisquis erit vitæ, scribam, color. ¶ O puer, ut sis

47 Servius *Ven. Lamb.* Legem *S.*—48 Albucî *Lamb. et Bentl. quod quia alibi sic scribitur, recepimus. Vulgo dant* Albutî. Z.—49 Quid—certet *G. Med.* 1477 *et* 1486. *Ven.* 1479. Quis certet *Ven. Glar. Lamb.*—51 Imperitet nat. *Cun.*—54 Cædis pia *H.*—55 *Pro* Ut, Ni *vel* Si *conj. Bentl.*—56 Male *Cun.*

O pater! Tractum ex Græco hoc. Vet. Schol. Callimachi est; Ζεῦ πάντες, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος. Quod sic vertit Catullus, *Jupiter, ut Chalybum omne genus pereat.*

45 Pulchro Charientismo *commovere* dicimus pro lacessere.

Melius non tangere Comicum habet Ἄμεινον. B. Minantis est, ut Ter. Adel. 2. 1. 26. *Ante ædes non feciſſe erit melius hic convicium.* G.

46 *Flebit; οἰμώξει.* *Græcismus.* Vet. Schol. Cruq. Ut Ser. 1. 10. 91.

47 *Cervius Ascanii libertus Calumniator accusavit Cn. Calvinum Lege de Sicariis.* Vet. Schol. Cruq.

Urnam, judiciariam, de qua pulchre Juvenalis, [13. 4.] *Gratia fallaci Prætoris vicerit urnæ.*

48 *Hic Albutius veneno dicitur uxorem suam peremisse.* Vet. Schol. Ordo est, *Canidia minitatur venenum Albuti*; quod et Vet. Schol. significat.

49 *C. Turius Prætor fuit apud quem accusatus est a Cicerone Verres Hortensio defendente. Hic dicitur Centumviriis dedisse tabulas, aliis nigras, aliis rubras, et cera adnotasse quas cuique dedisset, ut sciret a quibus postea pecuniam peteret, vel linqueret, nam omnes corruperat.* Vet. Schol. Legendum puto, *vel quos relinqueret.* B. Negligentiam et ἀνισορροπίαν Scholiastarum, h. l. jam detexit Hotomanus ad Cic. divinat. c. 8. ubi saniora de historia, quam referunt, habet Asconius. Nobis satis hic est monuisse lectores, ne putent Centumviros de causis publicis et criminibus tum judicasse. G.

Rectissime Bentleius ex vetustis Libris hoc loco reposuit *siquid se judice certes* pro *siquis se judice certet*; causa erroris ignoratio rarioris loquelæ.

50 *Suspectos*, quos metuit scilicet.

51 *Potens*, sæva, imperiosa.

Collige mecum, h. e. Attende mihi colligenti: est autem colligere Συλλογίζειν, sive computare quod dicas.

53 Docentis est *monstrare.* B. *Unde, nisi intus monstr.* h. e. Non nisi quod ita a natura insitum est. Z.

Crede, i. e. licet committas.

54 *Mirum!* cum ironia accipiendum. Miraris Scævam ita pium, hominem alias sceleratum? Facit ille ut lupus, qui ideo non innoxius est quod calce non petit quemquam, &c. Sed blanditur etiam illud Bentleianum *Mirum ni* i. *Nimirum.* G. Post *mirum* signum interrogandi posui, ut sensus esset: Num hoc mirandum est? scil. quod Scæva matrem ferro non occidit. Abhorret hoc ab ejus ingenio sic, ut abhorret a natura lupi calce petere. Z.

Vitalis, metuo; et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. ¶ Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Lælius, et qui 65
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut læso doluere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis. 70
Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remôrant
Virtus Scipiadæ et mitis sapientia Lælî;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoquiretur olus, soliti. Quicquid sum ego, quamvis

---

64 Ora in—Cederet *Sax.*—65 Aut qui *Ven. Glar. Lamb.*—69 Tributum *Lambinus e codd. et interpretatur* plebem infimam, *seu* tunicatum popellum, *ut Cicero vocat.*

---

56 *Vitiato, corrupto.* Vet. Schol.

57 *Longum*, supple sermonem.

60 *Vitæ color; εἶδος*, species, aspectus, forma. B. Conditio, sors. *Puer:* vocat Trebatius Horatium jocose sic, quia supra vers. 12. appellatus erat *Pater.* Z.

61 Medici pronuntiare solent de recens natis, eos *vitales esse*, vel *non vitales.* Comice abtitur hoc vocabulo Jurisperitus.

Bene *Majorum quis amicus;* nam Amici erant Veteribus Majores sive patroni, et Minores sive Clientes, ut sæpius dictum.

62 *Frigore te feriat;* Bella Dilogia, de morte, et de rigore amicitiæ.

Vide sis ne majorum tibi forte
Limina frigescant:— Persius.

Siquis occentâssit mala carmina, sive condidisit quod infamiam faxit flagitiumque alteri, capital esto. Leges XII. Tabularum. B. Locus Persii 1. 123. ad frigus amicitiæ refertur: lex Decemviralis melius laudaretur ad v. 82. *Frigore ferire* ad mortem refert Acron Fabricianus, et suadet formula *Ne sis vitalis, metuo.* G.

63 *In hunc operis morem*, ad hanc rationem et normam: h. e. satiras scribere. Z.

64 *Multi sunt mali homines, opinione tamen bona.* Vet. Schol. A serpentibus nomen suum habent versipelles: Veteribus enim hi erant astutiæ atque malitiæ symbola.

Per ora; per famam et populum. Juvenalis.

65 *Cederet, pro incederet.* Vet. Sch. B. Plaut. Casi. 2. 8. 10. *At candidatus cedit hic magistia.* G. *Lælius; hic socer Scipionis fuit.* Vet. Schol. Cruq.

Pro *aut qui* Bentleius recte posuit *et qui* ex veteribus Libris; *μεγάλη χάρις αὐτῷ.*

Minorem Africanum dicit, qui et Numantinus.

66 *Opprimi* proprie dicitur quod immani pondere strangulatur.

67 *Doluere*, h. e. irati sunt.

68 *Lupus Princeps Senatus fuit.* Vet. Schol. Incertum est quis *Metellus* fuerit; fuerant enim multi nobiles. B. De Lupo etiam Pers. 1. 129. Metellum intelligit Acron Fabric. illum, quem Plin. 7. 44. a filiis consularibus elatum prædicat. G.

Cooperto, tanquam cœno, vel luto.

Atqui modo posuit pro *imo etiam;* vel *quod majus est.*

69 *Arripuit;* dentibus, ceu canis.

Tributim, per singulas tribus. Vet. Schol.

70 *Æquus* dicitur cui mens in sede manet sua, et per hoc, dulcis et pacatus.

71 *In secreta;* h. e. *intra suos parietes.* Vet. Schol. Cruq.

72 *Virtus Scipiadæ;* versus iste vel Ennium, vel Lucilium sapit; quem ut tumidum per transitum deridere videtur.

73 *Discincti*, h. e. *depositis seriis.* Vet. Schol. *Scipio Africanus fertur intra domum tam civilis fuisse, et carus Lucilio* ut quodam tempore Lælius *circa lectos Triclinii fugienti supervenerit, cum eum Lucilius obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.* Vet. Schol.

Infra Lucilî cenſum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixiſſe invita fatebitur uſque
Invidia, et fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido. Niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. ¶ Equidem nihil hinc defringere poſſum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt
Judiciumque. ¶ Eſto, ſi quis mala; ſed bona ſi quis
Judice condiderit laudatus Cæſare? ſi quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipſe?
¶ Solventur riſu tabulæ; tu miſſus abibis.

79 Huic diffidere *cauſæ Landi. in annott. Ven.* 1479 *et* 1486. *Sed in ipſo contextu* diffingere. Diffingere *vel* defingere *etiam Sax. Zar. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl.*—82 Condideris *Med.* 1477. Quemquam *Z. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Fl. Ven.* 1486.—85 Laceraverit *damnatur a Torrentio, placet Lambino, Rutg. Bentl.*

74 *Olus*; pauperculum Veterum prandium.

75 *Avia Pompeii Lucilii ſoror fuerat.* Vet. Sch.

79 *Diſſentis*, et per hoc diſſuades et deterres. Nonnulli Codices peſſime legerunt *diffingere.* Notum eſt quid ſit *Diem diffindere* apud Juriſconſultos. Significat ſe poſſe totam cauſam una cognitione abſolvere, et pronuntiare ad mentem Horatii. Eruditiſſimus Bentleiûs plurima hic promit de verbo *diffindere*, fruſtra et inutiliter, niſi quod πολυμαθίαν ſuam oſtentet. B. *Diffingere* etiam mihi improvide aſſumtum videbatur ex Car. 3. 29. 47. Ait Trebatius, rem ita liquidam, ut nullo modo defugere poſſit, quin pronunciet in ſententiam Horatii. Sed cum major librorum pars habeat *hinc diffingere* vel *defingere*, interpretamur cum Schol. mutare, emendare. G. Pro *hic diffindere* ex cod. Cruquii Tonſano, quem laudat Bentleius, cum Wielandio repoſui *hinc defringere*, ut ad proxime antecedentia referatur, et ſenſus efficiatur hic, interprete Bentleio: *Es vero ſolidus, et firmior, quam ut dentem tibi imprimere quis poſſit. Equidem nihil hinc poſſum defringere.* Z.

80 Solito Charientiſmo *negotî* poſuit pro turbarum, atque periculi.

81 *Incutiat*, vi ſubita injiciat. Homo ſacer eſt qui contra Sacroſanctas Leges quid fecerit.

82 *Si mala*; verba Legis ſupra repræſentavi verſ. 62. B.

Jus eſt judiciumque: verba ſunt Juris quaſi dicat, Datur actio et publica cognitio.

83 Salſa Dilogia eſt in voce *mala*: Nam mala ſunt et maligna et inſulſa.

84 Non video cur Bentleius de *laudatur* ſecerit in Edito ſuo *laudatus*. B. *Laudatus* valde mihi placet, quia ſuſpendit, et cum ſequentibus connectit ſententiam, facitque orationem multo concinniorem. Quis autem ferat non modo protaſin et apodoſin miſceri, ſed interrogationem Horatii, et Trebatii reſponſum? G.

85 Plerique ſcripti Codices cum Scholiaſtis habebant *latraverit*, non *laceraverit*, quod Interpretamentum eſt prioris verbi apud Vet. Schol. et contemtius *latraverit*, de Satyra ſua. Bentleius poſt Lambinum edidit *laceraverit* auctoritate neſcio quorum obſcurioris notæ Librorum. Ipſe tamen fatetur omnes ubique Editores ut melius atque elegantius amplexos fuiſſe *latraverit*. B. Liv. 38. 54. *Cato allatravit Scipionis magnitudinem.* Verbum nimis triſte et injurium de Catone non adhibiturus erat Livius. Vid. Epod. 6. 5. G.

86 *Solventur riſu tabulæ*, h. e. *ſubſellia, vel compago lignorum.* Vet. Schol. Riſu ſcilicet Judicum. Magnum eſt in re capitali rideri Judices. B. Promittit Trebatius eventum judicio, qualis fuit in eo quo cauſam dicebat Epaminondas, Nep. 68. Cogitabam *tabulas* eſſe tabellas judiciarias, in quibus ſcribi fingat ſententias ludicras et hilares. *Solvi*, i. e. frangi *riſu ſubſellia* fuerit comica hyperbole. G. Duplex interpretandi ratio cum ſpecie aliqua proferri poteſt: vel *ſolvere* eſt debilitare, et *tabulæ*, leges: ut ſenſus oriatur, Riſu coorto vis legum contra te nulla erit, vel *ſolvere* eſt liberare a ſigillo et vinculis, quibus *tabulæ*, h. e. litteræ, ſatirarum tuarum volumina ſunt colligata, ob quas ſatiras in jus vocatus es. Z.

Tu miſſus; cum de ſe diceret, quaſi ad ſecun-

SATIRA II.

In Vitæ Urbanæ Luxuriam et Ineptias. B. Inducitur Ofellus ruſticus quidam, homo ſimplicis et probi ingenii; priſcæque vitæ et frugalitatis tenax, qui ſui temporis luxum caſtigat et frugalitatis commoda ſuis commendat. Hoc artificio Horatius effecit, ut oratio fieret gravior probabiliorque: nam cum convictor Mæcenatis aliorumque procerum eſſet, minus apte ipſe menſæ delicias perſtringere poſſe videbatur. Summa autem ſermonis Ofelliani fere hæc eſt: Labore et exercitationibus, non raris et exquiſitis cibis opus eſt ad ſuaviter edendum. Cibus varius debilitat, ſimplex ſervat rectam valetudinem. Qui paucis contentus vivit, is facile dormit, alacris eſt ad laborandum, non conſumit in juventute præſidia ſenectutis, non perdit rem et famam, atque etiam in paupertate et rebus adverſis habet, quo vitam tranquillam, exemplo Ofelli, tranſigere poſſit.

Quæ virtus et quanta, boni, ſit vivere parvo
(Nec meus hic ſermo eſt, ſed quæ præcepit Ofellus
Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minerva)
Diſcite, non inter lances menſaſque nitentes,
Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, et cum
Adclinis falſis animus meliora recuſat;
Verum hic impranſi mecum diſquirite. ¶ Cur hoc?
¶ Dicam, ſi potero. Male verum examinat omnis

1 Bonis *G. Z. Med.* 1477 *et* 1502.—2 Quæ *probat etiam Bentl.* Quem *edd. vett.*—6 Adclivis *G. et primæ editt.*—7 Hoc impr. *MS. Berſm.* Cur non *idem.*

dam perſonam locutus eſt. Vet. Schol. B. Nempe loquitur Trebatius. G.

Abibis; indemnatus evades.

SAT. II.

1 *Virtus* mentis ſapientia eſt: hæc enim viri ſumus præcipue. *Quæ*, quam mira; *quanta*, quam magna.

Boni, ſuavis compellatio urbanorum delicate et molliter viventium. B. Sed *bonis* etiam pulchrum: *vivere parvo virtus* eſt *bonis*, non latronibus, &c. G.

Stoicum Dogma eſt, Naturam paucis eſſe contentam.

2 *Sermo; alludit ad Libri Titulum.* Landinus. Tres Torrentii Codices legerunt *quæ* pro *quem*, quod mirifice placet. Grammaticaſter mutavit. Quid enim eſt præcipere Sermonem?

3 *Abnormem ſapientem*, Philoſophum dicit uſu et vita, non præceptis. Magiſtri Præcepta ſua Regulas, et Canonas, ſive Normas, Fabrorum ritu, appellare conſueverunt.

Craſſa et pingui Minerva Proverbiali Schemate dicimus, pro craſſo et pingui filo: Nam Minerva Lanificarum numen eſt, Græcis ob eam rem Ἐργάνη dicta.

5 *Cum ſtupet; cum fulgore argenti avocati veritis.* Vet. Schol. Imo et eboris et peregrini marmoris. B. *Inſanis*, ingentibus. *Acies*, ſcil. oculorum. Z.

6 *Vetus ſcriptura Adclinis* eſt. Torrent. Et bene *falſis*, quia iſta remota ſunt a vero bono, quod honeſto conſtat. B. *Adclinis falſ.* deditus opinionibus falſis, ſ. rebus vanis, quæ animum a vero videndo avocant. Z.

Meliora: Præcepta et rationes ſapientum. Vet. Schol. Cruq.

Videò meliora proboque. Ovidius.

7 Comice poſuit *impranſi* pro *jejuni*. Sic et infra (Ser. 2. 3. 257.) *impranſum Magiſtrum* dicit Xenocratum ſatis ridicule.

Mecum diſquirite; i. e. *apud me diſcite.* Vet. Schol.

8 Fidenter dicit *ſi potero;* putat enim ſe poſſe.

Corruptus judex: Leporem ſectatus, equove
Laſſus ab indomito, vel (ſi Romana fatigat
Militia aſſuetum græcari) ſeu pila velox,
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit (pete cedentem aëra diſco)
Cum labor extuderit faſtidia, ſiccus, inanis
Sperne cibum vilem; niſi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris eſt promus, et atrum
Defendens piſces hiemat mare; cum ſale panis
Latrantem ſtomachum bene leniet. Unde putas? aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, ſed in te ipſo eſt. Tu pulmentaria quære
Sudando: pinguem vitiis, albumque, neque oſtrea,

13 Aget *MSS. duo Berſm.*—14 Extulerit *MSS. apud Torr. it. Sax.* Expul. *unus MS. ap. Bentl.*

Examinat, trutinatur: *Examen ab ex* et *ago* eſt, etiam cum de apibus dicitur.

10 *Indomito*, h. e. fero et effræni.

Romana militia; h. e. Campeſtris meditatio: et bene *Romana* ſubjecturus *Græcari*, quod eſt, *Se avocare et conviviis operam dare*. Auctore Vet. Schol. B. Eadem acerbitate *Græcari* dicitur, ac ſiquis noſtræ ætati *morbum Gallicum* objiciat, i. Gallos imitandi ſtudium. G. *Aſſuetum græcari*, qui eſt aſſuetus Græcorum exercitationibus levioribus, qualis eſt pilæ et diſci. Z.

12 *Molliter*; leniter, ea ſuavitate ut nil ſentiamus.

Studium dicit ludendi animum.

Fallente, h. e. obliviſci faciente.

13 *Agit*, ducit, trahit.

Pete æra; Diſcum vult in altum projici, magis quam in longum. *Diſcus* latus erat et cavus aliquantum; *Solus* [σόλος] autem rotundus, ut oſtendit Cruquius ex Euſtathio. Ordo eſt; *Pete æra cedentem diſco*, h. e. quia cedit, quod terra non facit. B. Magis ad rem pertinet obſervare, hic ad duplicem protaſin, de pila et diſco, inferri tantum unam, de diſco, apodoſin. Nempe alterius eadem ratio. G. Apodoſin puto eſſe demum in verbis. *Sperne cibum*, et verba *pete cedentem a. d.* continere modum, quo diſcus debeat projici, nempe in altum. Imitatur decore poëta ſermonem ruſtici. Hinc longior protaſis, inſertæ parentheſes, anacolutha conſtructionis, et alia hominis minus ſeveras linguæ leges ſequentis ſunt judicanda. Z.

14 *Extuderit*; eliminaverit, vi eliſerit. Bentleii Lectio eſt *expulerit*, quod interpretamentum videtur ſive gloſſema. B. Nondum allatum eſt exemplum, ubi *extundere* ſit expellere, non potius tundendo efficere. Sed dura lex fuerit, ſi rejicere velimus omnia ſemel tantum obſervata. G. *Cum labor*, h. e. venatio, equitatio, ludus pilæ et diſci. Z.

Faſtidia; h. e. delicias. B. Nauſeam, et contra famem excitarit. Z.

15 *Sperne*; *volo videre, ſi potes ſpernere*. Vet. Schol. B. Pro Tum non ſpernes ſ. faſtidies cibum vilem: nec ad ſitim reſtinguendam deſiderabis mulſum, imo ſuaviter bibes aquam. Z.

Mel Atticum, ſive *Hymettium*, ſummi erat pretii. Auſteritatem Falerni melle temperabant, quo lenia Græcorum vina referret: quale vinum *Conditum* appellabant.

16 *Promus*; *qui Cellario præeſt*; *Cellarius*. Vet. Schol. B. *Foris eſt*, pro ſi promus non domi eſt, qui dapes tibi promat. Z.

17 *Hiemat*; modo poſuit pro procelloſum eſt.

Cum ſale panis; *Varro etiam pulmentarii vice uſos ſale Veteres auctor eſt: eſitâſſe enim ſalem cum pane et caſeo*. Torrentius ex Plinio.

18 *Latrantem*, irati latrant canes. *Quæ prima iratum ventrem placaverit eſca*. Satyr. 2. 8. 5.

Voluit dicere, *ſatis bene*. B.

Unde putas hoc eſſe? quomodo accepit hanc vim oblectandi gulam ſal cum pane? G.

19 *In caro nidore*; h. e. *in apparatu pulmentariorum*. Vet. Schol. *Nidor proprie eſt odor gratus culinæ*. Vet. Schol. Cruq.

20 *Hoc autem Socrates primus ait: qui cum noctem uſque ſpatiaretur, interrogatus a quodam, cur hoc faceret, Reſpondit*; Ὄψον ἀνάγω, *hoc eſt, Pulmentarium quæro*. Vet. Schol. juxta Codicem Henrici Stephani. *Pulmentarium pro quovis obſonio dicitur*, ut recte Torrentius: neque enim a pulte deductum credo (quod putavit Plinius),

Nec ſcarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina, tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat ſpectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quicquam. Num veſceris iſta,
Quam laudas, pluma? cocto num adeſt honor idem?
Carne tamen quamvis diſtat nihil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Eſto,
Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, poteſne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci? laudas, inſane, trilibrem
Mullum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.

27 Attingat *H.* Nunc veſc. *MS. Berſm.* — 28 Coctove *Glar.* — 29 Diſtat color *H.*

ſed a *pulpa*, ſeu molli carne, unde et *pulpamentum* et *pulmentum* formata ſunt. B. De ſententia conf. Cic. Tuſc. V. 34. Z.

21 *Album, tumentem ex nimia copia.* Vet. Sch. *Atque albo ventre lavatur.* Perſius. *Extenta per pinguedinem cute.* Cruq. V. ad Car. 2. 2. 15. B. *Pinguem vitiis*, obeſum ob gulam et otium: *albumi* pallidum: cf. infra verſ. 76. Z.

22 *Scarus*, videſis Epod. 2. 50.

Avis hæc Horatiana videtur eſſe Græcorum *lagopus*, quam Plinius dicit eſſe *præcipuo ſapore*; Aſiani *attagena* vocabant; Recentiores *francolinum*: eſtque e perdicum genere; piloſis pedibus, uti lepus; unde et nomen ſuum traxit.

23 *Eripiam*; *extorqueam, perſuadeam.* Tralatio a manu ad animum.

24 *Tergere palatum*, impenſe guloſi catillonis eſt.

Atque ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suevi, ut Juvenalis utar verbis. B.

Tergere palatum eſt comedere: alii interpretantur delectare, demulcere palatum. Z.

25 *Corrumpi* dicitur qui prave judicat.

Vanis rerum; Græciſmus eſt pro *vanis rebus*, h. e. ſpecie et opinione. B. Ipſum *auro venire* caritatis indicium, ſi pretium rei in auro indicetur. Hoc applicari forte poteſt etiam ad Varro. R. R. 1. 2. 10. G.

26 Proverbio dici ſolet *Rara avis:* adhibetur a Juvenale et Perſio; et ſuaviter inſurgit in levi materia, quo derideat Epicos. B. *Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit Orator Hortenſius, aditiali cœna ſacerdotii. Paginare primus inſtituit circa noviſſimum piraticum bellum M. Auſidius Lureo, exque eo quæſtu reditus ſeſtertium ſexagena millia habuit.* Plin. H. N. X. 23. Z.

27 *Ad rem*; ad præſens negotium, quod eſt ſuaviter cœnare.

28 *Laudas*, modo pro miraris dicitur.

Cum Lambino, Cruquio, Torrentio Veteresque Scholiaſte repoſui *Cocto num adeſt.* Sciolus fecit *Coctove*, cauſa Metri. B. Probat etiam Bentleius, laudatque Lucr. 3. 1069. *Sed dum abeſt, quod amamus, idem ſuperare videtur. Honor* hic eſt color, ſpecies: cujus amore luxuries certe proximorum ſæculorum pavones cum caudis inferre menſis docuit.

29 In hoc verſu neſcio an tantis conatibus opus ſit, quantos a renatis inde literis adhibitos videmus. Ex v. 26. intelligo verbum *veſceris: Quamvis diſtat nihil* inter gallinæ carnem et pavonis, *tamen hac* carne *magis* quam illa veſceris, magis appetis pavonis carnem, quam vulgaris gallinæ. Ergo *imparibus formis*, &c. G.

Diſtat nihil; forma et aſpectu ſcilicet. B.

30 *Eſto*, h. e. ſit id ut lubet: mittamus de iſto ultra quærere.

31 *Unde datum; unde traditum hunc intellectum habes? ex qua conſcientia noſti?* Vet. Schol.

32 *Hiet? piſces ſtatim cum capiuntur hiant.* Vet. Schol.

Dicuntur lupi eſſe meliores, qui aut inter duos pontes capiuntur, ubi aqua concitatior eſt, ut in oſtio fluminis Tiberis. Vet. Schol. *Cornelius Nepos et Laberius mimorum Poeta lupum et aſellum aciperi ſucceſſiſſe ſcribunt.* Landinus. B. Vid. Col. 8. 16. 4. Varro R. R. 3. 3. 9. G.

33 *Inſane*; h. e. ſtulte.

Trilibrem; mullorum magnitudo modica, binaſque libras ponderis raro admodum exſuperant. Plinius, citante Landino et Cruquio. Nos dicimus Mullum, SURMULLET.

34 *Minuas*, h. e. concidas; quia defuit men-

Ducit te ſpecies, video: quo pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? quia ſcilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus,
[Jejunus rare ſtomachus vulgaria temnit.]
Porrectum magno magnum ſpectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Præſentes Auſtri coquite horum obſonia! quamvis
Putet aper rhombuſque recens, mala copia quando
Ægrum ſolicitat ſtomachum; cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis,
Nigriſque eſt oleis hodie locus. Haud ita pridem
Gallonî præconis erat acipenſere menſa
Infamis: quid? tum rhombos minus æquora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit prætorius. Ergo

38 *Hunc verſum cum Bentleio ſpurium puto.* Z.—39 In magno *MS. Berſm.*—41 Quamquam *Sax. Z. F. Cun. it. Bentl. et MSS. quatuor Berſm.*—48 Æquora alebant *G. Sax. Med.* 1477. *Fl. Med.* 1502. *it. Ven. Glar. Bentl. ex multis codd. ergo recepi pro* æquor alebat. Z.

ſura patinæ. [Vid. deliberationem de tali re ap. Juvenal. 4. 72. ſq. G.] *Pulmentum*, ſive *Pulpamentum*, Græcorum Ὀψώνιον eſt, h. e. quævis caro in jure ſuo elixa.

35 *Ducit*, h. e. trahit.

Species, h. e. grata magnitudo. Εἶδος.

36 *Odiſſe*, h. e. faſtidiiſſe. B. *Illis*, h. e. lupis. Z.

37 *Modum* dicit menſuram. *Totum inſuave eſt quod finitur.* Vet. Schol. Sic enim legendum pro *ſuave*.

38 *Jejunus rare*; ita omnes fere ſcripti Codices cum Vet. Schol. *Alii rare legunt, cum in uſu habeamus raro.* Vet. Schol. Ordo eſt; *Stomachus qui ſit rare jejunus temnit vulgaria.* Vulgata Lectio eſt; *Jejunus ſtomachus raro vulgaria temnit.* Bentleius maluit *raro*. Ego fidem puto habendam Scholiaſtæ, ubi a communi uſu diſcedit præcipue. B. Major quæſtio eſt, an hic verſus ſit Horatii? negat Bentleius ad A. P. 337. Non dubito eſſe, et jungendum, tanquam apodoſin, verſui proxime præcedenti.

39 *Spectare*, oculos vult paſci mullo, non ventrem.

40 *Apud Inferos Canes dicuntur, et Furiæ; apud ſuperos Diræ; in medio Harpyiæ.* Landinus. Pertinebant iſtæ ad triformem Hecaten, ut alias oſtenſum eſt: atque hæ peſſilentes erant auræ, Hecates telis armatæ.

41 *Bene præſentes, ſicut deos præſentes, qui invocati exaudire debent.* Vet. Schol.

Comice *coquite*, pro *putida reddite calore flatus veſtri.* Vet. Schol. B. Hæc exſecratio convenit ingenio ruſtici. Z.

42 Pulcherrimum Ὀξύμωρον eſt in *Putet recens*, et Satyrico Characteri accommodatiſſimum. *Corrigit ſe, quaſi fruſtra Auſtros vocaverit, cum luxurioſis neceſſe ſit ſuas putere epulas atque delicias.* Vet. Schol.

Mala copia; malum dicimus importune moleſtum; bene igitur ſubjecit *ſolicitat*.

44 *Inula dicitur herba, quæ incocta aceto conditur, et faſtidium decutit.* Vet. Schol.

Mire *abacta*; nam abigi ſolent pauperes et mendici. *Pauperiem* modo dicit tenuem majorum victum, quem lauti ſpernebant.

45 *Reges* potentes dicit Patronos.

46 Notum eſt oleas apud Italos eſſe admodum viles. Dilogως autem poſuit *nigris* pro turpibus et maturis: ita ſupra, *Nigris digniſſima barris*. B. *Nigras oleas* ad condiendum commendat Col. 12. 48. et 49. G.

47 De Gallonio iſto notiſſimi ſunt Lucilii verſus apud Ciceronem: [de fin. 2. c. 28.] *O Publi, O Gurges Galloni, es homo miſer, inquit, Cœnâſti in vita nunquam bene, cum omnia in iſta Conſumis ſquilla, atque acipenſere cum decumano.* [V. Macrob. Sat. 2. 12.] Archeſtrato apud Athe-

Si quis nunc mergos ſuaves edixerit aſſos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus a tenui victu diſtabit, Oſello
Judice. Nam fruſtra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorſeris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas eſt, et ſilveſtria corna;
Ac, niſi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret) cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu ſapiens utetur? et horum
Utrum imitabitur? Hac urguet lupus, hac canis, aiunt.

53 Diſtabat *MSS. duo Berſm.*—55 Pravus *Bentl. ex MS. Berſm. non male.* Z.—56 Dictum *H.* Adhæſit *Sax. ſit Ven. Glar. Lamb. et MSS. quatuor Berſm.*—57 Quinquennas *Sax.* Z.—58 Diffundere *G. Med.* 1477. *Ven. Glar.*—62 *Pro* parcus, largus. Z.—64 Angit *pro* aiunt *Sax. Z. Med.* 1477 *et* 1502. *Fl. et ante Lambi. puto omnes.*

næum *Acipenſer* idem erat, qui et Græcis *Galeus Rhodius*; cum noſter *Sturio* ſit Græcorum Τραγος, ſeu *Porcus Marinus*, quod oſtendit Gerard. Voſſius Idol. Lib. IV.

48 *Infamis*: quia præco erat Gallonius, et ſupra cenſum epulabatur, quod Cenſoris erat notare.

50 Ironice *Auctorem* dicit *Prætorium*, quia ob infamiam gulæ Prætura excidit. *Aſellius Sempronius Rufus inſtituiſſe creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur; iſque cum repulſam in Prætura tuliſſet, tale Epigramma meruit: Ciconiarum Rufus iſte conditor, Hic eſt duobus elegantior Plancis; Suffragiorum puncta non tulit ſeptem: Ciconiarum populus ultus eſt mortem.* Vet. Schol.

51 Pulchre *edixerit*, cum jam Prætoris meminiſſet: nam Prætoris erant Edicta.

Aſſos; mergos elixos fuiſſe in lautitiis oſtendit Cruquius. Avis ſane macilenta eſt et inutilis, præſertim vero *aſſa*.

52 Recto contrarium eſt quod *pravum*; et adverſum etiam rationi.

53 *Sordidus; nimis aridus.* Vet. Schol. Cruq.

Diſtabit, h. e. immanem opportebit habere differentiam.

54 *Nam fruſtra; omnes virtutes ex nimietate fiunt vitia; ſunt enim virtutes poſitæ in confinio vitiorum.* Vet. Schol. Cruq.

55 Auctoritate motus unius Berſmanni Codicis Bentleius fecit de *pravum pravus*, puto, quod rarior eſſet. Lectio: nam nihil interfuit.

56 *Ex vero*; ex malignitate ſcilicet, et victu ſordida.

Ductum atque *dictum* fere idem ſonabant, unde in Codicibus varietas ſcripturæ provenit.

Cognomines dicuntur, qui eodem utuntur nomine: atque hinc *cognomen* commune dicitur nomen.

57 *Eſt*, ἐδίν.

58 Uſitato Charientiſmo *mutatum* dicimus, quod plane acetum eſt.

Bene *defundere*: deerant enim Veteribus ſiphones.

59 Idem eſt *licebit*, quod licet, vel quamvis.

60 Repotia diverſi erant generis. Nam *Repotia dicuntur ſeptimus dies, quo ſolet nova nupta redire ad parentes ſuos: et dies ſecundus a nuptiis, quo virgo ad mulierem habitum componitur.* Item *repotia ſunt quæ Græci dicunt ποδοςρόφια, aut mutuæ invitationes.* Vet. Schol. Puto ποδοςρόφια jocularе fuiſſe conventibus ruſticis nomen, quod in repotiis iſtis choreas exercerent, ut etiam hodie ſolent agreſtes. Poſt natos etiam liberos repotia fuiſſe oſtendit Turnebus vir doctiſſimus.

61 *Albatus*; ſic Perſius 2. 40. *Quamvis te albata rogârit*; h. e. mundus veſtibus.

Cornu; quod ſextarium capit: ſunt enim in venalibus cornua, quæ hanc olei habeant quantitatem. Vet. Schol.

62 *Inſtillat*; non enim audet infundere: mirus parci hominis Iconiſmus. Et attende Græciſmum in *Inſtillat olei*. B. Putabam *olei* Græciſmo poni pro oleum: Oleum, *cujus olei odorem*

Mundus erit, qui non offendat ſordidus, atque
In neutram partem cultûs miſer: hic neque ſervis,
Albucî ſenis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit; neque, ſicut ſimplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque ſecum
Afferat. In primis valeas bene; nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi federit: at ſimul affis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis;
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? Quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,

65 Qua—ſordibus *B.* Sordibus *etiam H. Z. Fl. Med.* 1477. *it. Glar. Lamb. et* offendet *Lamb.*—68 Nec ſic ut *Ven. Glar. Bentl.*—77 Deſurgit *Sax.* Ne dubia ſurgat *H.*

nequeas perferre, inſtillat: ut Terent. And. prol. *Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.* G.

Non parcus; Αὐτόνομος et παρὰ προσδοκίαν, *quæ ſunt inutilia, liberaliter fundit.* Vet. Schol. B. Sordidior erit Avidienus, ſi cum prima omnium editione legas, *non largus aceti*, in quo facile alias eſt largum eſſe. G.

64 *Utrum; Gallonium, an Avidienum?* Vet. Sch. *Proverbium, nam ubi res duæ nobis moleſtæ inter ſe pugnant, eo Proverbio utimur.* Vet. Sch. Cruq. Torrentii et Cruquii Codices legerunt *Aiunt*, quod longe melius quam *Angit.*

65 *Mundus erit*, Modo dicit Hortativo; eſt enim Futurum pro imperativo; Expoliendo autem ſequentia intulit: oſtendit enim eum dici *Mundum* qui non ſit in tantum ſordidus ut offendat, vel etiam moroſule lautus. Hic locus peſſime acceptus ab Interpretibus: et corrupte vulgati Codices, præſertim recentiores, legerunt *offendet ſordibus*, ut ex Vet. Schol. et ſex MSS. Cruquii comparet.

Bentleius tenui de cauſa vertit *qui* in *qua*; neque enim vidit vocem *mundus* referri ad *ſapientem*, non ad victum.

66 Satis comice *in neutram*, quia nequibat dicere *in alteram.*

Cultus Genitivus eſt. Vet. Schol. Atque τῶν μέρων Vet. Schol. ex MSS. Stephani; ſignificationis mediæ.

Miſer cultus dicitur quid ob cultum in alterutram partem faceſſit ſibi negotium. Alter Scholiaſtes vitioſe legit *qua non* pro *qui non*, quod et Cruquii MSS. ſequuntur.

67 *Hic eſt Albutius qui, ob cupiditatem nimiam habendi alienam uxorem, ſuam veneno necavit.* Vet. Schol. Bentleius ubique edidit *Albuci* vitioſe pro *Albuti.* B. At ſic dant Lamb. quatuor MSS. Berſm. et alibi per *c* ſcribitur. Ergo revocavi. Z.

Dum munia didit: quæ quiſque agat, utpote, Tu rus ibis, Tu boves paſces, Tu granaria curabis. Vet. Schol. Cruq.

68 *Sævus erit: adeo aſper hic erat ut ſervos nonnunquam caſtigaret prius et cæderet quam peccaſſent, dicens vereri ſe ne cura peccaſſent, cædere tunc ei non vacaret.* Vet. Schol. Cruq.

Simplex, h. e. vapide lautus, et oſtentator deliciarum. Vid. Sat. 1. 1. 101. B. *Simplex*, nimis lenis erga ſervos, adeo ut non caſtiget, ſi iſti convivis præbeant aquam impuram et ſordidam. Nam etiam ejuſmodi immundities, ſeu, talis indulgentia erga ſervos valde eſt improbanda. Z.

Unctam; pro inunctis calicibus Nævius curando unctam aquam convivis præbebat. Vet. Schol. Cæteri lauti *inungebant vinarios calices*, iſte vero vappa lautior lautiſſimis vel ipſam aquam (et frigidam ſcilicet et calidam) odoram fecit.

70 *Tenuis*, h. e. pauper et agreſtis.

71 *Valeas* per Comicam elegantiam modo utitur Potentiali pro Futuro Indicativi.

73 *Simplex*, h. e. quod ſimplex et una fuerit.

Tibi federit, h. e. nauſeam non moverit. B. *Sedet* enim cibus, qui non creat ructus, non velut rebellis eſt, et reditum minatur ac tentat per gulam. G.

75 *Dulcia ſe in bilem;* proclivis eſt tranſitus a dulci ad amarum, ut norunt Medici.

Atque adfligit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens adduxerit annus;
Seu recreare volet tenuatum corpus; ubique
Accedent anni, et tractari mollius ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus præsumis, mollitiem: seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed, credo, hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam

79 Affigit *H. G. S. Z. Med.* 1477 *et* 1502. *it. MSS. quatuor Bersm.*—83 Advexerit *etiam H. Lamb. et Bentl.*—84 Velit *S.*—87 Puer invalidus *MS. Bersm.*—91 Vitiatum *omnes, etiam ipse Cruqu.* Vitiaret *Baxt. V. No.*

Tumultum dicimus repentinum bellum, et fere civile.

76 *Pituita; Longa causa Metri.* Vet. Sch.

77 Lepida Dilogia *cænam* modo dicit dubiam: nam scurris et urbanis ea *cæna dubia* est, in qua quis nescit de quo præcipue sumat: Horatio etiam dubia est, ubi incertum est an sit sessura necne. *Dubia, lauta, sic Terentius in Phormione; Cæna dubia apponitur.* Vet. Schol.

78 *Animum prægravat*, h. e. sensum deprimit. Nam Γαστέρες ταχεῖαι λεπτὸν ἔχουσι νόον.

79 Pro *adfigit humo*, Dionysius Lambinus scribit optimos MSS. habere *adfligit humo*, quæ quidem Lectio arridet Cruquio, eo quod repererit in MSS. suis hanc Annotatiunculam adjectam *dejicit in terram. (Deprimit ad humum* verba sunt Vet. Schol.) Torrentius sævit, et Lambinum falsarium putat, quod a tanto viro nollem factum. B.

Auctoritas pene par utriusque verbi. Vis diversa, sed utraque huic loco apta. *Affligit* vi quadam. *Affigit*, ut non possit surgere. G.

Divinæ particulam auræ; hæc tanquam Epicureus protulit, ridendo Philosophos et Promethei ferulam. B. Loquitur Ofellus: nec, puto, Epicureus non potest divinæ particulam auræ dicere animam: nec Horatius perpetuo Epicureus. G.

80 *Dicto citius* Proverbiale dictum.

Curata, h. e. refecta: nam curare est molliter tractare quæ habent se male.

81 Bene *præscripta:* nam Veteres quoque mane quæ illo die acturi erant in diaria sua referebant.

82 *Transcurrere* proprie dicuntur Transfugæ, qui mutant partes.

Quondam; quandocunque, Adverbium medii temporis. Vet. Schol. *Tamen* refertur ad ea quæ in animo suo conceperat per Aposiopesin; h. e. Tametsi tenui et parco victu contentus vivat.

83 *Advexerit* non *adduxerit* Lectio est plurium Codicum: nobis tamen placuit *adduxerit:* nam advehi dicuntur merces quæ de transmarinis partibus importantur. Quin et video scripturam istam superioris sæculi Editoribus unice placuisse. Bentleio magis placuit *advexerit*, etsi vox sit nautica.

84 *Recreare*; h. e. efficere ut rursum crescat.

Tenuatum corpus; h. e. amissam carnem: nam usitato Charientismo *Corpus* dicitur Caro; uti et stomachus et virile membrum. Hinc amitti dicitur corpus, ubi quis macilentus evadit.

Ubique modo dixit pro *et ubi*. B. Nec opus est illud mutari in *ubive*. G.

85 Per Charientismum *anni* posuit pro senectus.

86 *Tibi quidnam*; prudenter monet gravissimus auctor Medicinæ Cornelius Celsus, *non consumenda esse præsidia senectutis in juventute.*

87 *Mollitiem* modo pro delicias posuit et suavem victum. B. *Præsumis*, ante tempus capere, v. c. in pueritia, in bona valetudine, quotidie. Z.

88 *Dura*, h. e. gravis et aspera. Nam *valetudo* cum sit τῶν μέσων, modo ponitur pro morbo. Per Charientismum *duros* dicimus sævos et immites.

Integrum edax dominus conſumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tuliſſet!
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? grandes rhombi patinæque
Grande ferunt una cum damno dedecus: adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et fruſtra mortis cupidum, cum deerit egenti
As, laquei pretium. Jure, inquit, Trauſius iſtis
Jurgatur verbis: Ego vectigalia magna,
Divitiaſque habeo tribus amplas regibus. Ergo
Quod ſuperat, non eſt melius quo inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua deûm? cur, improbe, caræ

95 Occupet *Bentl. et ſic H. it. MSS. duo Berſm.*—99 Æs *G. S. Med.* 1502. Trauſius *H. G. Z. Med.* 1477. *Fl. &c.* Trallius *ſolus Baxt. V. No.*

Tarda; Metonymice, quod tardos et inutiles efficiat.

89 *Rancidum, leviter putentem.* Vet. Schol.

91 Vetus Interpres cum duobus Cruquii ſcriptis Codicibus legerunt *vitiaret* pro *vitiatum. Ordo cum hoc ſenſu; quod commodius hoſpes vitiaret ſervatum, quam totum dominus abſumeret.* Vet. Schol. Annotationes ad tres antiquiſſimos Cruquii Codices reddebant *vitiaret, reprehenderet. Commodius vitiaret*, quod mallent hoſpitem cum vituperare. Bentleius retinuit *vitiatum* quod in Editis legerat, contra conſuetum ſibi morem. B. Quod exiſtimabant, melius eſſe, ſi hoſpes aprum, rancidum factum ob diuturniorem reſervationem ad adventum ejus, ederet, quam ſi nullus illi apponeretur, ſtatim recens a patrefamilias conſumtus. Z.

92 *Integrum*; Dilogως totum et non corruptum, quod et Vet. Schol. ſignificat.

93 *Dicitur ante deos nata eſſe Terra: mire ait prima Tellus, illo enim tempore quo Mundus ex diſcordibus in hanc concordiam formatus eſt, ex terra generati traduntur Heroes, indocilis turba vitiorum.* Vet. Schol. Hæc quoque exclamatio repentina, ob aprum rancidum, ruſtici et ſimplicis hominis eſt digna ingenio, nec ſine riſu legi poteſt. Z.

94 *Das aliquid famæ?* h. e. Putas famam eſſe aliquid?

Carmine, τῷ ἀκροάματι. Antiſthenes Philoſophus cum vidiſſet adoleſcentem luxurioſum Acroamatibus deditum, ait: Miſerum te adoleſcens, qui nunquam audiſti ſummum Acroama, id eſt, laudem tuam. Vet. Schol. Eſt autem Acroama Muſicæ Symphoniæ.

95 *Occupat*, h. e. detinet, moratur, delinit.

Rhombi, patinæque, Figura. Ἐν διὰ δυοῖν: nam Rhombi in patinis teſtaceis coqui conſuevere.

96 *Cum damno dedecus*; damnum dicit gravem impenſam, et dedecus Cenſoris notam.

97 Comice Satyrici *Patruum* pro Tutore ponunt. *Cum ſapimus patruos*, Perſius 1. Conſ. Car. 3. 12. 3.

Leni vocabulo pro inviſum dicimus *iniquum*. Siquidem *iniquus* is eſt cui animus ſua ſede non eſt, verum in iram, vel dolorem propendens, deſumta Metaphora a Lance.

99 Nonnulli pro *As* vitioſe legerunt *Æs*. Huc ſpectat et Proverbium *ad aſſem redactus*; id enim pretium laquei. Vulgare etiam Diverbium, eſt, *Reſtim emere*, de homine perdito.

Mira varietas, *Traſius, Traxius, Travius, Traulius, Trauſius, Toſius, Trallius.* Cum autem *Travius* occurrat in Veteribus Scholiaſtis, ego *Trallius* prætuli; quod Nomen videtur deductum a Trallibus Aſiæ civitate: ſiquidem duplex *L* facile mutari poſſit in *U*. Erat autem iſte Trallius *pauper et prodigus*. Vet. Schol. Bentleius prætulit *Trauſius* ex ſola ſua conjectura, quod illud Nomen repererit in Gruteri Inſcriptionibus. B. *Jurgatur* Deponens ne ſit an Paſſivum, non dixerim, cum neutrius uſus mihi annotatus ſit. Si Deponens, Trauſius junior aliquis tanquam a patre vel patruo reprehendi dignus obiter perſtringitur. G. *Inquit*, ſcil. aliquis prodigus dives. Recte ſic Trauſius pauper vituperatur: non ego, qui ſum locupletiſſimus. Z.

100 Bene *vectigalia* pro reditus, ſubditurus *Regibus*; nam Vectigalia ſunt reditus publici.

Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte ſemper erunt res,
O magnus poſthac inimicis riſus! Uterne
Ad caſus dubios fidet ſibi certius? hic, qui
Pluribus aſſuêrit mentem corpuſque ſuperbum?
An qui, contentus parvo metuenſque futuri,
In pace, ut ſapiens, aptârit idonea bello?
¶ Quo magis his credas; puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius uſum,
Quam nunc acciſis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
¶ Non ego, narrantem, temere edi luce profeſta
Quicquam præter olus, fumoſæ cum pede pernæ:
Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piſcibus urbe petitis,

106 Eunt *conj. Heinſ. et Bentl.* Recte tibi *MSS. quatuor Berſm.* Rectæ *in libris quibuſdam reperiri teſtatur Lambin.*—107 Uter nam *Ven. Glar.*—118 At *Venet.* Mihi cum long. *Ven. Glar.* Venerit *MS. Berſm.*

101 Voluit dicere *ſatis amplas*; *Reges* autem Patres dixit.

102 *Quod ſuperat*; h. e. Quod nimium eſt, et ſupereſt tuis uſibus.

103 *Indignus*; h. e. vel doctus, vel ingenuus, qui non meretur egere.

105 *Patriæ*; h. e. Urbi Romanæ.

106 *Uni nimirum*; nihil puto exſpectas adverſi, atque hanc ob cauſam contemnis cæteros, tibi ſolus amicus. Ironica Subjectio; delendum enim eſt Interrogativum punctum.

Recte; h. e. ſua ſede et ſtabiles.

Bentleius ex ſola conjectura Heinſii de *erunt res* fecit *eunt res*: ego nihil tale auderem.

107 *Uterne*, ut *Quantane* Satyra ſequente. Lambinus.

108 *Fidet ſibi certius*; h. e. *magis videtur tutus adverſum Fortunæ incommoda.* Vet. Schol.

109 *Aſſuerit pro aſſuefecerit.* Vet. Schol. Et habet Emphaſin, eum ſcilicet non poſſe deſuetudinem ferre poſthac.

Hoc eſt, *ſuperbam mentem et ſuperbum corpus*, per Syllepſin Figuram, et animo et corpore faſtidioſi ſunt vappæ.

110 *Metuenſque futuri*; quod maxime prudentis eſt. Verum plerumque, *Res proſperæ ſapientum animos fatigant*; ut belle Symmachus.

112 *Quo magis his credas*; *bene*; *quaſi perſuaſerit.* Vet. Schol. B. Hic nempe verſibus IV. interpoſitis poeta Ofello ſuo fidem facit. G.

113 Vir doctus Henricus Stephanus pro *latius* repoſuit *lautius* ex Conjectura, quod miror placuiſſe Cruquio viro eleganti. *Lotius* poſuit quia dicturus erat *acciſis*. B. Juvenal. 14. 234. *Indulgent ſibi latius ipſi*. G.

114 *Metato in agello*; *ad menſuram diviſo*: *Iſte Ofellus proſcriptus erat quia fuit in parte Caſſii*; Vet. Schol. *Abſtulit excultas pertica triſtis opes.* Propertius 4. 1. 130., citante Torrentio. B. Agri proſcriptorum aut alias publici, dividuntur militibus ad perticam et numerum pedum: quæ res agrimenſoriam veterum diſciplinam peperit. G. Incertum eſt, quod Scholiaſtes de Ofello proſcripto dicit. Nam conſtat, ruſticis tum agros ademtos eſſe, qui proſcripti non eſſent. Z.

115 *Mercede*; *agro conducto a Milite Auguſti ad quem fuerat tranſlatus.* Vet. Schol. Atque ideo fortem dixit, quod ſe putaret poſitum extra jactum teli fortunæ. B. *Fortis*, qui poterat a ſe impetrare, ut qui fuerat ſibi injuria ademtus ager, eum, paullo ante dominus, nunc tenui mercede coleret, nec metueret quotidianæ recordationis tormenta. G.

116 *Temere*, h. e. ſine gravi cauſa.

Profeſta, *non ſacra.* Vet. Schol.

Sed pullo atque hœdo: tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu:
Poſt hoc ludus erat culpa potare magiſtra;
Ac venerata Ceres, ita culmo ſurgeret alto,
Explicuit vino contractæ ſeria frontis.
Sæviat, atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituiſtis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremo expellet certe vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Oſelli
Dictus erat, nulli proprius; ſed cedit in uſum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.

123 Poſthac *MS. Berſm.* Cuppa *emendavit Lambinus, inde fecit* cupa *Bentl.*—124 Ventura *Med.* 1477. Ut culmo ſ. a. *Med.* 1502. *et al. etiam Taib. Sandb.* Ita c. ſ. *etiam Med.* 1477, *&c. it. Bentl. Cun.*—132 Poſtremum *Glar.*—134 Dictus, erit *al.* Dictus erat *etiam S. Z. Bentl. ex MSS.* Cedet *Ven. Glar. Lamb.*

117 *Perna, pes porcinus cum coxa.* Landinus.

118 Omnes Codices vetuſti habent *ſeu* [pro *eum*] inquit Bentleius; quod ideo rectum videtur.

119 *Ideo vacuo, quia per imbrem;* h. e. pluviofum diem, adjecturus erat.

120 *Bene erat,* Comica facetia, pro hilariter egimus.

121 *Penſilis uva,* quæ ſuſpendebatur in uſum hyemis.

Secundas Pomorum dicit, ut novimus, menſas. Vet. Schol.

122 *Nux,* juglans.

Cum duplice ficu; bifida. Vet. Schol. Cruq. Mariſca ſcilicet, ſeu fatua ficu, ut oſtendit Turnebus. B. *Duplice ficu* aliquoties utitur in medicina boum Vegetius. G.

123 *Culpa magiſtra; ſi quando libere potare volebant Antiqui, id eſt, ſine Archipoſia, dicebant ſe magiſtram facere culpam.* Vet. Schol. Atque erat iſte mos ruſticis perpetuus, qui Græcari non didicerant, neque leges noverant bibendi, neque Regem habuerunt convivii. Culpa hæc erat, ubi quis per imprudentiam non attenderat verbis præbibentis, atque tunc univerſus grex multabat eum poculo. Fruſtra ſe torquent Interpretes, dum neſciunt culpam eſſe lapſum ex imprudentia. Pro *culpa* magnus Bentleius de ſuo ingenio poſuit *cupa*, quam καπηλίδα ille exponit. Verum mea quidem ſententia ſatius atque conſultius fuiſſet non diſceſſiſſe a vulgata ſcriptura Antiqui Scholiaſtæ interpretatione olim firmata atque ſtabilita. B. Bibunt *culpa magiſtra* hodie quoque homines in lætioribus invitatiunculis. Sed nolim huc referri Plaut. Stich. 5. 4. 43.: nam ibi *multantur poculo*, qui bibere prohibentur. Potius huc pertinent *leges infanæ* Hor. Sat. 2. 6. 68. G.

124 *Cereri* deæ ruſticæ ruſticum libare conveniebat. Cum Veteribus Scholiaſtis et Cruquii et Torrentii MSS. pro *ut culmo ſurgeret* levi negotio repoſui *ita culmo ſurgeret. Ita culmo, quomodo caperat creſcere.* Vet. Schol. B. *Ita*, intellige *ut.* Z.

126 *Sæviat; ut ut inſaniat.* Vet. Schol.

Tumultus, bellorum motus et terrores.

128 *Nituiſtis; bene accepti eſtis.* Vet. Schol.

Mire *incolam* vocat quem Virgilius [Ecl. 9. 3.] poſſeſſorem: neminem enim poſſeſſorem putat.

129 *Nam propriæ telluris;* ſiquidem *Non res ſed rerum nobis conceditur uſus*, ut ſcite Pallingenius noſter. B. *Nam* reddit rationem, cur *incolam* dixerit. Z.

131 *Nequities; luxuries quæ paupertatis amica eſt.* Vet. Schol. Cruq.

SATIRA III.

Omnes insanire, etiam ipsos Stoicos dum hoc docent. B. Ut rem duram et offensionis plenam, omnes insanire, tuto, apte et probabiliter diceret Satiricus, Damasippum, ex prodigo Stoicum philosophum repente factum, quem vulgo insanum vocabant, loquentem induxit. Hic primum ipsius Horatii in scribendo segnitiem perstringit: tum verbis Stertinii Stoici magistri inductione utitur ad dogma Stoicorum docendum, omnes esse stultos et insanos. Ad hos igitur esse referendos ait, *timidos*, qui temere metuant: *audaces*, qui metuenda non reformident: *lucri cupidos*, qui creditoribus incertis, malæ fidei et prodigis dent mutuo pecunias: *avaros*, et qui rem ostentandi gratia corradant, et qui a corasis abstineant et ipsi sordidissime miserrimeque vivant: Aristippum, qui aurum abjicere servos jusserit: *sævos* erga uxorem matremque: *ambitiosos*, veluti Agamemnonem, qui ob gloriam immolaverit filiam: *luxuriosos*, exemplo Nomentani, Æsopi filii, Arrii filiorum: *libidinosos*, qui meretrices sectentur: *superstitiosos* exemplo libertini cujusdam et matris. Tandem et ipsum Horatium esse insanum insanus dicit ob imitationem Mæcenatis in ædificando, ob carmina, iracundiam, magnificentiam in cultu et habitu, et amorem puerorum puellarumque.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? at ipsis
Saturnalibus huc fugisti; sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe; nil est.
Culpantur frustra calami, immerituque laborat

1 Si *etiam G. Sax. MS. Bos.*—4 Ab ipsis *Ven. Glar. Lamb.* Ab istis *MS. Bersm.*

Vafri inscitia juris; est enim hujusmodi calliditas in Jurisconsultis, præsertim in iis quorum patrocinia venalia sunt, ut in utramque partem omne pene jus interpretentur. Christophorus Landinus. De conterraneis suis hæc loquitur Landinus.

133 *Umbreni; nomen militis qui Ofelli agrum ab Augusto acceperat.* Vet. Schol. Cruq. Expressit Pulcherrimum Epigramma Græcum, quod sub nescio cujus Luciani nomine vulgatum habemus:

Ἀγορὴς Ἀχαιμενίδην γενόμην ποτὶ, νῦν καὶ Μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἐτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν ὅτος
Οἴεται, εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ Τύχης.

135 *Vivite fortes;* festive insurgit spiritu Heroici Carminis quo serium risu diluat. B. Metaphora a natantibus adverso flumine. G.

SAT. III.

1 Comice *Sic raro* pro *Tam raro:* frustra sunt qui reponunt *Si. Junius Damasippus consumto Patrimonio philosophari cæperat; ab hoc Horatius desidiam suam castigari inducit, cum ad villam secessisset et nihil scriberet.* Vet. Schol. *Videtur tolerandus is Satyrus qui ita cæteros carpit, ut ne sibi parcat.* Landinus. Bentleius pro *Sic raro scribis* ex scriptis Codicibus reposuit *Si raro scribes.* Fatetur tamen *Sic raro scribis* permansisse ex priscis Editionibus; atque hæc quidem scriptura Comicum habet spiritum, cum altera sit inefficax et inerter prolata.

2 *Retexens; uti Penelope.* Lubinus.

3 Argute *benignus* posuit pro largus, vel invidens sibi nihil.

4 *Dignum sermone, opinione, vel prædicatione.* Vet. Schol.

Iratis natus paries Dîs atque poëtis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, Virtute relicta?
Contemnere miſer: vitanda eſt improba Siren
Deſidia: aut quicquid vita meliore paraſti,
Ponendum æquo animo. ¶ Dî te, Damaſippe, deæque
Verum ob conſilium donent tonſore. Sed unde
Tam bene me noſti? ¶ Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis: olim nam quærere amabam
Quo vafer ille pedes laviſſet Siſyphus ære,

10 Lecto *conjicit ac damnat Bentl.*—12 Educere? quid, tu *conj. Rutgerſ.*

Quid ſiet? Si neque Romæ, neque rure; neque potus neque ſobrius calamum in manum ſumis. Τίς μηχανή;

Cruquii vetuſtiſſima Membrana recte habet *at* (quod eſt *imo etiam*) pro *ab*.

6 *Promiſſis* Comice protulit; namque *vultus erat magna et præclara minantis*.

Nil eſt; fruſtra ſuccinis ambages, et cauſas nectis, quas nolumus audire. Nugaris.

7 *Laborat*, dat pœnas.

8 *Diis natus iratis* infelix dicitur, cujus mala aſtris imputanda ſunt, non ſuo merito, et παρὰ προσδοκίαν *Poetis* intulit. B. Senſus eſt: Et fruſtra culpam, quod nihil ſcribis, transfers in parietem ceratum, quaſi hic tam ſit infelix, ut te impediat, quo minus verſus ſcribere poſſis. Z.

9 *Minantis; Poeta per contrarium dixit; Promiſi ultorem, et verbis odia aſpera movi.* Vet. Sch. Cruq. *ut oſtenderet neſcio quid elationis*, ut belle Landinus.

10 *Tepido tecto; amavit enim Horatius focum luculentiorem, idcirco ſub Hiemem ſolebat ſe transferre in villam propter lignorum copiam.* Vet. Sch. Cruq. B. Intelligit poeta villam in Sabinis, a Mæcenate donatam. Z.

11 *Stipare; in vehiculo arctare eorum libros.* Vet. Schol.

Platona; Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

12 De *Archilochum* Bentleius, niſus auctoritate unius tantum Libri, de more ſuo fecit *Archilocho*. Horatiana variatio conſuevit illi diſplicere.

13 *Invidiam placare; rundo ad agrum id volebas agere, placare invidiam, quam patiebare in publica poſitus facie.* Vet. Schol. Per Proſopopœiam Invidiam atque Virtutem pro Numinibus accipit.

Virtute relicta; ſpreta Socratica Diſciplina, et ſcribendi ſtudio.

14 *Miſer* et *infelix* commoti compellatio eſt.

Improba, pellax *et* nequam: et commode inducit Allegorizantem Stoicum. Horum enim inventum Homerica Allegoria. Vide Epiſtolam ad Lollium 1. 2.

15 *Vita meliore; honeſtiore propoſito.* Vet. Sch. Publica ſcilicet converſatione. Tangit Epicureorum Dogma, λάθε βιώσας. B. Senſus loci eſt: Aut non debes alios accuſare, ſi gloriam ante ſcribendo partam amiſeris. Z.

17 *Verum*, rectum: nam veritas recti norma eſt atque examen.

Donent tonſore; h. e. reddant tibi divitias, quo conducas tibi tonſorem. Salſe et παρὰ προσδοκίαν. Vult gratificari Epicureis ſuis deridendo vultuoſum ſenem ex inopia philoſophantem.

18 *Janum ad medium; Ideo ad medium, quia in Roſtris ſimulacrum Jani erat, ubi res pecuniariæ agebantur per faneratores.* Vet. Schol. *Jani ſtatuæ tres erant, una in ingreſſu Fori; altera in medio, ubi erat ejus Templum, juxta Baſilicam Pauli, vel pro Roſtris; tertia ad exitum Fori.* Vet. Sch. Cruq. B.

Vereor, ut bene iſta ſe habeant. Dixi in Theſauro Stephaniano. G.

19 *Fracta eſt*; naufragium paſſa eſt. B. *Aliena negotia curo*, eſt in dilogia, nam ſignificat et

Quid ſcalptum infabre, quid fuſum durius eſſet;
Callidus huic ſigno ponebam millia centum:
Hortos egregiaſque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale
Impoſuere mihi cognomen compita. ¶ Novi:
Et morbi miror purgatum te illius. ¶ Atqui
Emovit veterem mire novus, ut ſolet, in cor
Trajecto lateris miſeri capitiſque dolore:
Ut lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum urguet.
¶ Dum ne quid ſimile huic, eſto ut libet. ¶ O bone, ne te
Fruſtrere; inſanis et tu, ſtultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Deſcripſi docilis præcepta hæc, tempore quo me

22 Sculptum *H. it. Lamb. Bentl. et MSS. tres Berſm.*—25 Mercuriali *conj. Cun.*—27 Et miror morbi *Bentl. MS. Berſm.*—29 Capitiſve *etiam G. Sax.*—33 Verum *Sax.*

procurator ſum aliorum, et obſervo aliorum mores, vitam, facta. Z.

20 *Excuſſus*; ſcita Dilogia; nam et *excuſſus* pro exturbatus dicitur, et excuſſio juriſconſultis eſt arcta perquiſitio in bona Creditoris.

21 *Laviſſet Siſyphus ære; ſignificat Corinthiorum vaſorum amatorem fuiſſe.* Vet. Schol. In ſummo erant pretio apud Veteres vaſa antiqui operis. Notum eſt Siſyphum Æoli filium antiquiſſimis temporibus Corinthi regnâſſe. Et tela et vaſa ex ære conficiebant Vetuſti. B.

Docet h. l. incendio Corinthi antiquius putaſſe æs Corinthium poetam. G.

22 Veteres editiones cum nonnullis ſcriptis Codicibus *ſcalptum* legere pro *ſculptum*, quod et nos, ut Satyræ convenientius, ſervavimus. Hoc non probat Bentleius. B. *Infabre*, minus ex arte. Z.

Fuſum; *nam ſigna ærea funduntur.* Vet. Schol.

Durius; minus cum Rhythmo, rigidum et inſuave.

23 Salſa Ironia *Callidus* et *millia centum*. B. *Callidus*, rem probe callens. Cæterum hunc Damaſippum ſtatuarum fuiſſe amatorem, et hortos emiſſe et vendidiſſe, colligitur quoque ex Cic. Epp. ad Div. VII. 23.; Att. XII. 29. 33. Z.

Ponebam, h. e. inſumebam, collocabam: Verbum negotiatorum hoc.

Centum; ſupple æris, vel ſeſtertiûm.

25 *Cum lucro*; amara Irriſio.

Mercuriale, h. e. *Vulgo cognominabar Mercurius.* Vet. Sch. Cruq. *Coctio.* Alter Sch. Sunt autem Coctiones arilatores. BROKERS. Unde Gallorum *Coquin* deductum puto.

26 *Auctiones fere in Compitis fiunt: Compita autem ſunt loca in quæ multæ viæ competunt.* Vet. Schol.

27 Mire *purgatum* tanquam de inſaniente.

28 *Emoveri* dicitur pecus quæ loco cogitur cedere in quo decubuit. B. *Emoventur membra* dum luxantur, *cardines*, &c. G.

Novus; Dilogως et phreneſin dicit et deliramentum Stoicum: Dilogως etiam *cor* poſuit pro mente et ventriculo: nam et dementiam ſignificat, et cardiacum dolorem.

29 *Trajecto*; *Proprie, ita enim Medici dicunt.* Vet. Schol. Μεταλαμβανομένω τῦ πάθους.

Minus probabilis videtur Bentleii Disjunctiva *capitiſve* pro *capitiſque*; neque enim utilis erit.

30 *Cum fit pugil*; Comica Periphraſis Phrenetici. B. Hic, aliquis. Z.

Urguet, propellit; per Charientiſmum pro cædit. Neſcio cur Bentleius prætulerit *angit*, cum *urguet* accommodatior ſit vox atque etiam fortior.

31 *Eſto ut libet*; Urbano Euphemiſmo utitur, cum deberet dicere, Per me licet vel quovis modo pereas. B. Senſum puto hunc: Per me licet, dummodo ne mihi ſimile accidat, nempe ex lethargico, h. e. pigro in ſcribendo, fiam phreneticus. Z.

O bone; Ironica compellatio, tanquam bellus eſſet ſodalis.

Ne te fruſtrere; urbane dicitur pro ne te fallas: minus eſt enim fruſtrari quam falli.

32 *Stulti* et *ſtolidi* dementes ſunt, a fœminea ſtola.

33 *Stertinius*, Philoſophaſter Stoicus, qui ſcribillando victum quærebat. Nam *ducentos* vi-

Solatus juſſit ſapientem paſcere barbam,
Atque a Fabricio non triſtem ponte reverti.
Nam male re geſta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter ſtetit, et Cave faxis
Te quicquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.
Primum nam inquiram, quid ſit furere; hoc ſi erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala ſtultitia, et quemcunque inſcitia veri
Cæcum agit, inſanum Chryſippi porticus et grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges.
Excepto ſapiente, tenet. Nunc accipe quare
Deſipiant omnes æque ac tu, qui tibi nomen
Inſano poſuere. Velut ſilvis, ubi paſſim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit; unus utrique
Error, ſed variis illudit partibus: hoc te
Credo modo inſanum; nihilo ut ſapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Eſt genus unum

39 Angit *etiam G. Bentl. ex MSS. Cun.*—43 Cujuſque *Cun.* Quemcunque *etiam G. H. it. Med.* 1477. Quæcunq. *Z. &c.*—48 Inſani poſuere *Lamb.*—50 Utriuſque *Z.* Utriſque *Sax. MSS. tres Berſm.* Utrimque *Cun.*—53 Trahit hoc genus *MS. Berſm.*

ginti libros Stoicorum ſcripſit, ut ait Vet. Schol. in Epiſt. 12. bene igitur *crepat* de tam futili. B. *Crepat*, loquitur. Z.

Unde, a quo. Vet. Schol.

34 *Præcepta hæc*, Ironica commendatio.

35 *Non quaſi ipſum ſapientem, ſed barbam.* Vet. Schol. Erat enim ἐκ παίγνιος σοφὸς, ut Proverbio dicitur.

36 *Pons Fabricius, qui modo Lapideus dicitur, habet a conditore vocabulum, Fabricio ſcilicet Conſule.* Vet. Schol.

37 *Male re Geſta*, Charientiſmus, pro perditis bonis; ac ſi nihil defuiſſet ſibi præter ſucceſſus.

Operto capite; iſto modo devovebant ſe morituri, ut oſtendit Cruquius. B. Nempe ut pudoris, ita metus, horroriſque remedium eſt caput obvolvere. G.

38 *Dexter*, felix; nam dextra auſpicia bona ſunt. Significat opportune eum veniſſe.

39 *Malus*, h. e. male collocatus et carens ratione: et cum ſeptem Cruquii MSS. *angit* repoſui pro *urguet*; nec improbavit Torrentius: Et rectius modo *angit* quam *urguet*, quod ſupra ſecus fuerat. Scholiaſtæ ſilent.

40 *Stulta verecundia eſt vereri in his vitiis quæ videntur eſſe communia.* Vet. Schol.

41 *Primum nam*; Hyperbaton. *Oſtendit quid ſit furor, ut Lucilius.* Vet. Schol.

42 *Fortiter*, Ironice protulit: *fortes* ſibi videntur qui mortem ſibi conſciſcunt.

43 *Mala*; prava, perverſa et per hoc turpis.

Omnes pene MSS. legerunt pro *Quæcunque*, *Quemcunque*.

45 *Populos*; h. e. Civitates, ſeu Reſpublicas. *Formula, Definitio.* Vet. Schol. Cruq. Ariſtoteli Τόπος. Sunt etiam ſingularia veluti exempla Definiti, atque hujus veluti ſignum Definitio eſt.

46 *Sapientem* modo dicit Stoicum.

Tenet, capit, complectitur.

48 *Silvas* montanas dicit atque invias ſolitudines in quibus diſpalantur boves. B. Num boves ſpectaverit auctor, incertum eſt. Z.

49 *Error*, evagatio.

Stultitiæ nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes fluvioſque in campo obſtare queratur:
Alterum et huic varum et nihilo ſapientius, ignes
Per medios fluvioſque ruentis: clamet amica
Mater, honeſta ſoror, cum cognatis, pater, uxor;
Hic foſſa eſt ingens! hic rupes maxima! ſerva!
Non magis audierit quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormît; Catienis mille ducentis,
Mater te appello, clamantibus. Huic ego vulgum
Errori ſimilem cunctum inſanire docebo.
Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo:
Integer eſt mentis Damaſippi creditor? eſto;
Accipe quod nunquam reddas mihi, ſi tibi dicam,

56 Varium *etiam G. Z. Med.* 1477. *Fl.* 1482, *&c. Sed* varum *Acron et Porph.*—59 Hinc rupes *MS. Berſm.*—60 Fufius *etiam Lambi. Torr. et Cun. qui laudat alios.*—62 Vulgus *etiam G. et quæd. editt. ap. Cun.*

Pellit, elongat.

50 *Abit*; diſcedit, aberrat.

51 *Illudit*; fruſtratur, ludos facit.

53 *Caudam trahat; ita ſtultus ſit ut pecus.* Vet. Schol. Cæcutiunt hic vel doctiſſimi, dum non attendunt Poetam de boum errore ſuperius agere. B. *Caudam trahere* eſt pecudem eſſe, vel pecude non ſapientiorem. Etiam in Germania ita laſciviunt interdum adoleſcentes, ut non ſentienti caudam pecudis a tergo ſuſpendant irriſionis cauſa. Subjicit deinde Stoicus Socratis dictum de inſanientibus, quibus ille deinde comparat Philoſophos apud Xenoph. Memorab. 1. 1. G. *Caudam trahat*, h. e. derideatur. Z.

55 *In campo*, in planitie.

56 *Huic varum; pedes in diverſum flexos habentes varos dicimus.* Vet. Schol. Peſſime Recentiores repoſuere *varium* quod minus convenit Satyrico ſtilo. B. *Varum* etiam eo nomine placet, quod illo utitur plus ſemel imitator noſtri Perſius. G.

57 *Clamet*; Aſyndeton Morale et Comicum.

58 *Honeſta ſoror*; Dilogus de bona et nobili: et ſtudet notum facere quem pulſat.

59 *Serva.* Cave, φυλάττε.

60 *Fufius Phocæus Tragœdiarum Actor fuit, qui cum vellet Ilionam dormientem exprimere, in ſcena obdormivit.* Vet. Schol. Bentleio *Fufius* ex quibuſdam Libris manu exaratis. Diſquirant quorum intereſt: nobis probabilior videtur *Fuſius*, puto quod ſit auribus familiarius. B. Etiam apud Ciceronem *Fufium* malunt viri docti: nota gens *Fufia*, non item *Fuſia*, &c. G.

61 *Iliona* Tragœdia erat Pacuvii. B. *Ilionam* ipſius etiam Hecubæ nomen fuiſſe, non tantum filiæ illius, ex Cic. Acad. 2. c. 27. et h. l. colligitur. Certe in Euripidis Hecuba filii ipſius Polydori umbra hanc matrem ſuam dormientem excitat. Niſi aliam fabulam ſecutus eſt Pacuvius, quam habet Hygi. fab. 109. Et hoc ſequitur mox Baxterus, vir doctus. G.

Catienus Hiſtrio erat qui umbram egit Polydori.

62 *Mater*; Iliona Polydori erat mater nutritia et ſoror, Polymneſtori Thraci nupta. Verba ſunt Pacuvii apud Ciceronem (Tuſc. 1. c. 44.) *Mater te appello, tu quæ ſomno curam ſuſpenſam levas, Neque te mei miſeret, ſurge et ſepeli natum, Priuſquam feræ volucreſque*, &c.

Mire Bentleius conjunxit *vulgus* et *ſimilem*, cum ipſe repererit in Libris *vulgum* et *ſimilem* in eodem genere; neque *vulgus* et *ſimilis* poſſint Syntaxi convenire hoc loco. B. *Similem* intell. *errorem huic errori inſanire*, ſive *volgus* malis ſive *vulgum*, poteſt docere, ſalva Grammatica, Stertinius. Lectio Bentleiana itaque poteſt bona eſſe, licet non bene illam defenderit. G.

63 *Errori*; dementiæ ſcilicet quam dixi: dementiam enim per Euphemiſmum errorem dicimus. *Ut me malus abſtulit error!* Virgilius. *Error proprius eſt iis qui in ſilvis incerta via vagantur.* Vet. Schol. Cruq.

65 *Integer* eſt cui nihil deperiit.

Eſto, h. e. mittamus loqui de iſto. Comica Μετάβασις. B.

Alia omnia puto. Non tranſit Poeta ad aliud, ſed probare aggreditur quod dixerat. *Eſto* Geometrarum more ponit. Eſto hæc ſpecies:

Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors,
Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.
Si malè rem gerere insani est; contra bene, sani;
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perillî
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione,

---

72 In jura *MSS. ap. Torr. G. S. Z. &c. qui* malis *putarent esse τοῖς κακοῖς, cum sit genis.*

---

ponamus hunc casum, *si dicam tibi, Accipe*, &c. G.

68 *Præsens*, votis parens, et per hoc propitius. Notum est Mercurium esse deum lucri.

69 Obscurum est, quia tacet Horatius, et repugnantia dicunt veteres Scholiastæ, qui fuerint *Nerius* et *Cicuta*. Gronovius de Pec. vet. p. 644. ICtos facit; Bentleius ad Hor. Epist. 2. 1. 105. feneratores. Sententia non multum diversa, utrum eligas: Scribendas cura, o Creditor, tabulas decem, quales a Nerio, centum, quales a Cicuta scribi (si sint ICti, præscribi debitoribus, si sint feneratores) solent—tamen falleris. *Cicuta* ut fenerator describitur v. 175. et si idem est Perillius, v. 75. G.

Scribere juris verbum est, pro mutuum sumere; rescribere vero est reddere debitum. Vet. Sch. Cruq. Verum hoc loco *Scribi decem a Nerio* est, Tu scribe decem tabulas sive Syngraphas, quales scribebat debitoribus suis fœnerator Nerius: nam *a Nerio* est in morem Nerii.

Supple *si*: nam est Asyndeton Comicum. B. Conf. infra v. 116. G.

Cicutæ, nomen duri fœneratoris.

70 *Nodosi: argumentosi.* Vet. Schol. B. Qui nodos et laqueos verborum struere possit, ut valida fiat obligatio. G.

Catenas; cautiones et nexus juris. Vet. Schol.

71 Comice *sceleratus* pro astutus.

72 *In jus*, h. e. in forum.

Malis ridentem alienis; Græcus est sermo, qui significat, si eum in jus rapere cœperis risum simulabit suis malis. Vet. Schol. Cruq. Γναθμοῖσι γελόων ἀλλοτρίοισι. Homerus (Od. Υ, 347). Sic et Valerius Flaccus (8. 164.) *Alieno gaudia vultu Semper erant.* B. Homerica ratio quod ad verba, sed sensu plane alio. Hic debitor ridet *malis* s. genis creditoris, ut Galli dicunt, *aux depens du creancier*. Turpicule Itali, sed appositè ad hanc rem, *Forbirsi il culo colla camiscia d'altrui*. G.

73 *Aper, ferox; avis, fugax; saxum et arbor, mutus.* Vet. Schol. Satis belle.

74 *Male rem gerere* per Charientismum posuit pro rem perdere; ac si id quod erat stolidæ dementiæ imputandum foret casibus Fortunæ.

Nollem cum Bentleio ponere verbum *est* ad finem hujus versus, præsertim cum pauciores Libri id faciant, atque ipsa structura minus sit naturalis.

Bene; scilicet rem gerere. Vet. Schol.

75 *Putidius; magis insanum.* Vet. Schol. Metaphora a putidis ovis desumta. More addle.

Perillius Cicuta amarissimus consignator. Vet. Schol. B. Sive ICtus fuerit, s. fenerator, callebat artem *consignandi* tabulas et leges contractus, ut eæ essent quam validissimæ et debitorem constringerent, ne calumniari aut effugere posset. Sed Horatius quidem hunc Perillium feneratorem dicit haud dubie, quem *putidi cerebri* accusat. *Cicuta* quidem avarus fenerator mox inducitur v. 175. G.

76 *Dictantis*; Tabellioni scilicet cautionis formulam componenti.

Rescribere est per mensæ scripturam reddere, auctore Donato: et per hoc: *Scriptum debiti liberare*, ut ait. Vet. Schol.

77 Adhuc quæ proprie ad Damasippum pertinent disputavit Stertinius, cum ostendit, stultiores ipso esse, qui crediderint pecuniam. Jam ad regulam suam generalem, v. 45. positam, redit. G.

Togam componere cultu concinni diligentius audi-

Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Hæredes Staberî summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî;
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte, hoc volui; ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberî prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, cum summam patrimonî insculpere saxo
Hæredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perîsset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus—Sapiensne? Etiam! et rex,

86 Arrî, et *Bentl. e conject.*—89 Jussisse *Lamb.*—93 Perisset *etiam Bos Animadv. S. Cun. Sed* periret *Ven. Glar. Bentl.*—96 Contraxerit *etiam Bos. S. Z.*—97 Sapiensne *etiam H. S. Z. Sed* ne *abest ap. Ven. Glar.*

unt. Vet. Sch. B. Modestiæ in primis est, manum intra togam continere. Vid. ad v. 254. G.

78 Dilogus dicitur *mala*, pro importuna et exitiabili.

79 Dilogus etiam *tristi* pro mœsta et exsecrabili: nam usitato Euphemismo detestabilia omnia et *tristia* et *mala* dicimus.

80 Bene *mentis morbo*; nam Stoicis omnes affectus morbi videntur. B. *Calet*, ut febricitantes. G.

82 *Helleboro purgatur cerebrum.* Vet. Schol. Cruq.

83 *Ratio*; Philosophia Stoica quæ rationis usum tradit.

84 *Summam, relictæ pecuniæ.* Vet. Schol.

86 Comice *Damnati* pro addicti.

Duo erant insignes Catillones, Quinti Arrii filii, de quibus inferius v. 243. B. Pulchre arbitrium epularum luxurioso demandatur, ut vehementius multetur, qui commisit in legem testamenti. G.

87 *Africa*, horreum populi Romani hæc. B. Vid. Od. 1. 1. 10.

88 *Recte* fit quod ad rationis normam facimus; quod contra, prave.

Patruus; h. e. Tutor, vel custos; Comice. B. Vetat Staberius disputari de voluntate sua, sed sibi pareri. Interim divinat Stertinius cum actione quadam deliberantis, se ipsum interrogantis et respondentis. G.

89 *Prudentem*, Εἰρωνικῶς. Vet. Schol. Et mire *vidisse*, cum *prudens* sit quasi providens. Viderat Staberius subjectionem istam fore, et se pro insano ab hæredibus habendum. Pessime Lambinus *jussisse* vel *voluisse* reposuit. B. *Quid ergo*, &c. Est oratio Damasippi aut alius interrogantis Stertinium, qui respondet inde a verbis *Quoad vixit*. Z.

91 *Voluit*, vox Juris est.

92 *Acrius*, vigilantius.

93 Et Lambinus et Cruquius a Scriptis Codicibus reposuere *perisset* pro *periret*, quod videtur et Veteri Scholiastæ placuisse. Bentleius tenere voluit *periret*, etsi nihil referret. Ejusmodi Præterita sæpe promiscuo esse usui rari sunt qui ignorant.

94 *Nequior*, h. e. *abjectior*. Vet. Schol. Cruq. Comice pro despectior.

95 *Pulchris Divitiis*, Reginæ scilicet Pecuniæ.

96 Cruquii Codices cum Vetere Scholiaste pro *construxerit* legerunt *contraxerit*, quod videtur elegantius. Altera Lectio ex Interpretamento est. Bentleius retinuit *construxerit*.

Et quicquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid ſimile iſti
Græcus Ariſtippus, qui ſervos projicere aurum
In media juſſit Libya, quia tardius irent
Propter onus ſegnes? uter eſt inſanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit.
Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec ſtudio citharæ nec Muſæ deditus ulli;
Si ſcalpra et formas, non ſutor; nautica vela,
Averſus mercaturis: delirus et amens
Undique dicatur merito. Quî diſcrepat iſtis,
Qui nummos aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuſte; neque illinc
Audeat eſuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus veſcatur amaris:
Si, poſitis intus Chii veteriſque Falerni
Mille cadis—nihil eſt, tercentum millibus, acre

108 Quid diſcrepat *Lamb.*—112 Porrectus *etiam G. et primæ editt.*

97 Bentleius poſt Lambinum atque Cruquium poſuit, *ſapienſne etiam et rex*, quod cum nobis videtur et durum et importunum, levi quidem negotio repoſuimus *ſapienſque etiam et rex*. B. Mihi placet, etiam hic vivide, et per puncta interrogatiunculæ ac reſponſionis diſputantem induci Stoicum: quod illius ſectæ proprium ait Cic. Parad. pr. G.

100 *Græcus*, h. e. Etſi fuerat Græcus; quod auget miraculum: nam contemnere divitias magis Romanum erat.

Aurum; quod a quodam Rege Mauritaniæ acceperat. Vet. Schol. Cruq. B. Narrat Laërt. 2. 77. Fecit humane, ut ſeruis parceret onere gravatis. G.

103 *Nil agit exemplum.* Canon iſte Dialecticus. *Ad rem dubiam aperiendam nemo utitur dubio argumento.* Vet. Schol. *Exemplum* autem dicit inſtantiam, ſeu caſum ſingularem. *Senſus eſt, id exemplum quod in ſe quæſtionem habet non eſt verum.* Vet. Schol. B. Avarorum ſtultitia non poteſt convinci exemplo Ariſtippi, ſtultitia alia laborantis; certe non potuit laudare Stoicus patronum voluptatis, Diogenis Antiſophiſtam. Cum ergo Ariſtippi exemplo non poſſit redargui avaritia, ponit aliam ſpeciem. G.

Reſolvit, Metaphora ab aperiendis nodorum nexibus. B. *Reſolvit*, i. reſolvere conatur. G.

104 *In unum*, ſupple locum.

106 *Formas*, *Calopodia*. Vet. Schol.

108 *Undique*, *ab omnibus*. Vet. Schol. Cruq. Pro *quid*, Cruquii et Torrentii Codices legerunt *qui*, quod et Vetus Interpres confirmat.

109 *Nummos* dicit argenteos.

Bene *Neſcius*, cum cogitaret de artium ignaris.

110 *Compoſitis*, per Euphemiſmum pro ſepultis.

Veluti ſacrum; Proverbiali Schemate profertur. Græci θεὸν ἅπτειν dicunt de eo quod non verentur attingere.

112 *Porrectus vigilet*; pulcherrima Enargia. Bentleius ſolo judicio ſuo niſus, acriter contendit pro *Porrectus* legi deberi *Projectus*; cum contra nobis *Porrectus* (quod eſt, humi cubans) convenientius videatur hoc loco vocabulum *vigilanti* et delitescenti *cum longo fuſte*, quam *Projectus*.

113 Etſi et *dominus* et *eſuriens*.

Potet acetum: age, ſi et ſtramentis incubet unde-
octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putreſcat in arca:
Nimirum inſanus paucis videatur eo, quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Dis inimice ſenex, cuſtodis? ne tibi deſit?
Quantulum enim ſummæ curtabit quiſque dierum,
Unguere ſi caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis ſatis eſt, perjuras, furripis, aufers
Undique? tun' ſanus? Populum ſi cædere ſaxis
Incipias, ſervoſve tuo quos ære parâris,
Inſanum te omnes pueri clamentque puellæ:
Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, tu demens genitricem occidis Oreſtes.
An tu reris eum occiſa inſanîſſe parente?
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo eſt habitus male tutæ mentis Oreſtes,

127 Pejuras G.—129 Tuo *etiam H.*—133 Occidis *Bentl. ex* VII. *MSS. it. Sax.*—135 Malis *etiam H. G. Z. &c.*—137 Eſt *neglexit Baxter, quod recte in aliis libris exſtat.*

114 *Amaris*, acerbis; ſic et Virgilius; *Salices carpetis amaras.*

115 *Chii veteriſque Falerni*; h. e. optimi Græci et Italici vini.

116 Obſerva correctionem, ut v. 69. G.

117 *Acetum*, vappam.

Age, *Præterea*. Vet. Schol. Cruq. Comica Μετάβασις.

Stramentis, h. e. ſtramineis toris.

Unde, *uno minus die*. Vet. Schol. B. Uno minus anno. Z.

118 *Stragula*, *pretioſa plumario opere facta*. Vet. Schol.

119 *Tineæ* blattarum ſunt proles.

121 Proprie *jactatur* de inſano, vel febricitante.

123 *Diis inimice*, et per hoc devote, κατάραις: et mire *ſenex* de avaro et deliro.

124 Mire etiam *ſummæ curtabit*: id enim vel maxime verentur divites avari ne aliquid de rotunda ſumma depereat.

127 *Quidvis*, etiam viliſſima quæque. B. Si tam paucis eges, tam ſordido cultu contentus es, cur ita rem auges? Z.

129 Bentleius, Tanaquillum Fabrum ſecutus, pro *ſervoſve tuos* reſcribi voluit *ſervoſve tuo*, neque male hoc fecit.

130 Legendum ſolute *pueri clamentque puellæ*.

131 *Cum laqueo uxorem*; credo eum de Albutio cogitâſſe, de quo ſupra 2. 1. 48.

132 *Capite* poſuit pro cerebro.

Quid enim? Interpellante affectu interrogat quid dicendum putet; et eſt Comicum. Pro *Quid enim? Neque* (quæ vera erat ſcriptura) Bentleius ex quibuſdam Chartis repoſuit *Quidni? neque enim*, ſatis alieno intellectu.

Argis, apud Græcos hujuſmodi ſcelerum peritos?

133 Bentleius auctoritate unius Libri repoſuit *occidis Oreſtes* pro *occidit*, quod vix probaverim. Quid quod *Oreſtes* non ſit Vocativus?

Nil ſane fecit quod tu reprêndere poſſis:
Non Pyladen ferro violare auſuſve ſororem
Electram; tantum maledicit utrique, vocando
Hanc, Furiam; hunc, aliud, juſſit quod ſplendida bilis.
Pauper Opimius argenti poſiti intus et auri,
Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis,
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, ut hæres
Jam circum loculos et claves lætus ovanſque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis,
Excitat hoc pacto; menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem ſic erigit. Addit et illud,
Ni tua cuſtodis, avidus jam hæc auferet hæres.
¶ Men' vivo? ¶ Ut vivas igitur, vigila: hoc age. ¶ Quid vis?
¶ Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.
Tu ceſſas? agedum ſume hoc ptiſanarium oryzæ.
¶ Quanti emtæ? ¶ Parvo. ¶ Quanti ergo? ¶ Octuſſibus. ¶ Eheu!

---

139 Sororem eſt *conj. Bentl.*—151 Jamjam *Heinſ. Cun.*—154 *Pro* Ingens, præſens *conj. Bentl.* Inſtans *Cun.* Accedit *Bentl.*—156 Emtum *Cun.*

---

134 *Occiſa parente*, h. e. ob occiſam parentem. B. Furor non fuit pœna parricidii, ſed cauſa. G.

135 Pro *malis* apud Veterem Interpretem occurrit *magis*, quod magis concinnum, etſi altera ſcriptura poſſit ferri.

Actum, Metaphora a bobus œſtro percitis.

136 *In matris jugulo.* Παθοποιία. Cruquius.

137 *Tutus* dicitur cui morbus nil minatur periculi.

138 Comice *tu* protulit pro aliquis.

141 *Furiam*, Diabolam, Μίσητις μ' ἔσπα τῶν ἐμῶν Ἐριννύων. Euripidis Oreſtes 264. B. Quod Helenam in fine hujus fabulæ interficere conatur Oreſtes, quod Hermiones jugulo intentat gladium, illud ſobrius jam facit et illud ulciſcendi conſilio, hoc ſalutis ſuæ impetrandæ cauſa. G.

Splendida bilis; h. e. generoſa inſania.

142 *Pauper; Animo, non fortuna.* Vet. Sch.

143 Sic et Perſius; *Veientanumque rubellum*, de vino viliſſimo, ex agro Veientano.

144 *Trulla, vas orbiculatum et circa ſumma anguſtius, et utrinque anſatum.* Landinus.

Vappam, vinum quod exhalaverit. Landinus.

145 *Oppreſſus*, per Euphemiſmum pro ſtrangulatus.

146 *Loculos* arcas dicit.

147 *Celer*, promptus et ingenio velox. B. Ut ὀξὺς, acutus. G.

148 Bene *excitat* de Lethargico.

150 *Sic*, rebus ita paratis. G.

Erigit, facit erigere ſe in lecto.

152 Etiam hic dialogiſmus eſt pars ſermonis Stertinii, qui inducit Medico excitanti reſpondentem ægrotum. G.

Hoc age; Τοῦτο πράττει, Proverbiali forma dicitur: Noli ceſſare.

Quid vis? h. e. noli moleſtus eſſe: ſtupentis Interrogatio.

153 *Inopem*, inutilem et animam linquentem.

155 Cum Cruquii et Torrentii Codicibus, Veterique Scholiaſte, *Tu ceſſas* legendum cenſui pro *Quid ceſſas?* et habet Emphaſin duplicis periculi, et vitæ et nummorum ſcilicet.

Ptiſanarium, Πτισανάριον, Diminutivum a *ptiſana*: ſignificat non eſſe multum quod ſumi velit.

156 Omnes fere MSS. Codices cum Vete-

Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis?
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?
Stultus et insanus. Quid? si quis non sit avarus;
Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger. Recte est igitur, surgetque? negabit;
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax.
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quicquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo prædia, dives
Antiquo censu, gnatis divîsse duobus
Fertur, et hæc moriens pueris dixîsse vocatis
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque

163 Tentantur *Lamb. Bentl.*—166 Barathrone *etiam Z.* Balatrone *G. et sic Bentl.* Balatroni *Cun.*—169 Didisse *Venet.*—170 Hoc moriens *Ven. Glar. Bentl.*

ribus Scholiastis legerunt *Octussibus* non *Octo assibus. Tarpeiâ Lege cautum est ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur.* Festus, citante Cruquio.

157 Alii Codices legerunt *pereamque*, alii *Pereamne:* ego horum medius *pereamve* reposui.

158 Pergit Damasippus referre sermonem Stertinii, acrem illum et interrogationibus respondionibusque constantem. G.

160 *Cur, Stoice?* Vultuose et cum fastidio profertur hoc ab homine Epicureo. Opportune etiam Stoicum nominat, cum Stoicum Dogma tractet. B. Secum ipsum disputare etiam hic puto Stertinium, qui se ipse Stoicum hic appellat. G.

161 *Craterus fuisse dicitur illis temporibus opinatissimus medicus.* Vet. Sch. *Et quid opus Cratero magnos promittere montes?* Persius.

162 *Recte*, ex sententia; nam animus nobis fere est recti norma.

Surget? h. e. convalescet, et ambulabit foras?

163 *Morbo acuto*, Græce ὀξείᾳ νόσῳ; sic enim legendum pro corrupto ὀξυαγῷ. *Morbus acutus est ubi sine intermissionibus accessiones et dolores graves urgent.* Cornelius Celsus, referente Cruquio.

Tententur, lacessantur, fatigentur. Prætulit Bentleius *tentantur* auctoritate Codicum atque aliorum Scriptorum, sed nihil interest. Exscriptores sæpe suis utuntur verbis, ut nescias quid sit rectum atque ipsius Scriptoris verbum.

164 *Æquis*, placidis, non perturbatis: siquidem æquus dicitur animus qui sua stat sede, in neutram partem inclinatus. Porcum immolabant Laribus et Maniæ Larium Matri, quo vel averterent, vel piarent errorem mentis et insaniam; quod ostendit Cruquius et Turnebus. Manes autem esse stolidos ostendit gravis auctor Homerus Iliade ψ, 103. hoc districho: Ὦ πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. B. *Immolet*, &c. Is ab insania liber debet Laribus propitiis ad gratum animum declarandum immolare. Z.

165 *Ambitiosus*, petitor magistratuum et largitor.

Marcus Antonius maxime gloriabatur *Audacis* nomine. *Audax Antonius* Lucano etiam dicitur. *Audax* est autem qui interritus magna adit pericula.

166 *Quid enim differt?* Cum eadem sit insania.

Barathro; gulæ, quod faciunt ambitiosi isti largitores. Notum est quid Barathrum erat Athenis. Miror potuisse Bentleio placere *balatrone* pro *barathrone*, cum non possit stare *balatro* in Dativo. B. Sic *barathrum macelli* Epist. 1. 15. 31. G. Barathrum non pro gula hic dici potest, quia non de guloso est sermo, sed de ambitioso et populi gratiam largitionibus aucupante. Ergo sensus est: Uterque æque

Ferre ſinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abſcondere triſtem:
Extimui ne vos ageret veſania diſcors;
Tu Nomentanum, tu ne ſequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas; tu, ne majus facias id
Quod ſatis eſſe putat pater, et natura coërcet.
Præterea ne vos titillet gloria, jure-
jurando obſtringam ambo: uter ædilis fueritve
Veſtrûm prætor, is inteſtabilis et ſacer eſto.
In cicere atque faba bona tu perdaſque lupinis,
Latus ut in Circo ſpatiere, aut æneus ut ſtes,
Nudus agris, nudus nummis, inſane, paternis?
Scilicet ut plauſus, quos fert Agrippa, feras tu,
Aſtuta ingenuum vulpes imitata leonem?

172 Credere *Cun. e conj.*—174 Diſſors *conj. N. Heinſ. ap. Burm.*—182 *Pro* tu, tum *Z. forte* tun' *pro* tune.—183 Et aëneus *Bentl.* *Pro* latus *eſt* lætus *in Ven. Glar.*

inſanus eſt, et qui ſua profundit (in barathrum conjicit) et qui ſuis ob avaritiam non utitur. Z.

168 *Canuſî;* conterranei cujuſdam ſui meminit Horatius ex perſona Stertinii.

Dives antiquo cenſu; ubi Lex Agraria vigebat. *Cenſu* autem modo ponitur pro æſtimatione.

169 *Diviſſe* pro *diviſiſſe.* Vet. Schol.

170 Melius *hæc moriens* quam Bentleii *hoc moriens*, etſi repugnent aliqui Libri. *Hæc* enim pro *hæc verba* modo ponitur.

172 *Ludere;* vix adducuntur parci ut ludant. Quærq cur Bentleius de ſuo poſuerit *perdere* pro *ludere*, cum vox ludere poſſit Figurate dici pro *perdere*, ubi luſus ſcilicet temerarius eſt et nimis frequens. B. Puer, qui talos et nuces non domi habet, ut, cum opportunum eſt, illis ludat; ſed ubique ſinu circumfert, nec deponit ante, quam vel donandi cauſa vel ludendi depromat, indicium ille dat animi ad rem faciendam et ſervandam parum attenti: contra avaritiæ et ſordium ſignum eſt, ſi abſcondat, ſolus et ſæpius dinumeret. Cum gravi et decretoria ſeveritate ſua operam hic luſit et perdidit magnus Bentleius. G.

173 *Triſtem*, Metonymice pro ſolicitum.

174 *Ageret*, tanquam œſtro ſcilicet.

175 *Nomentanus* prodigus, *Cicuta* avarus. Cf. Ser. 2. 6. 6. G.

178 *Coercet*, coarctat.

179 *Gloria*, h. e. magnum ex honoribus nômen.

180 *Ambo* pro ambos, Græcâ Declinatione.

Ædilis, Canuſii, non Romæ. B. Ædiles coloniarum et municipiorum ſummi magiſtratus. G.

181 *Inteſtabilis et ſacer eſto;* ex XII. Tabulis iſta protulit. *Is dicitur inteſtabilis qui nec poteſt eſſe teſtis nec teſtamentum ſignare.* Torrentius. *Antiqui eos quos in teſtimonium admitti nolebant, inteſtabiles vocabant.* Vet. Schol.

Sacer, devotus, Diis inferis immolandus.

182 *In cicere; Antiqui Ædiles hujuſmodi rei populo Floralibus ſpargebant: pauperes enim initio Romani fuerunt.* Vet. Schol.

Tu; qui ſcilicet plus ſapere debes. *Perdas que* duabus vocibus ſcribendum puto, ut ſupra *fuerit ve.*

183 *Latus: cum bis ter ulnarum toga.* Epod. 4. B. Etiam *anſatum* licet intelligere, item comitatum ab aſſectatoribus.

185 Faſtidioſe protulit *ſcilicet;* et *tu* ad Emphaſin poſuit immanis ſtultitiæ: et in tranſitu blanditur Agrippæ. B. Agrippæ ſplendidiſſima munera, ſepta, balnea, templa paſſim Dio commemorat. Ædilitas ſponte ab eo geſta A. V. 721. G.

186 An *aſtutam vulpem* urbane dicit feroculum et verſipellem aſinum? B. Puto *aſtutum* hic dici et *vulpem*, qui largitione impetrare velit, quod virtuti debebatur. G.

Ne quis humâſſe velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
¶ Rex ſum. ¶ Nil ultra quæro plebeius. ¶ Et æquam
Rem imperito; at ſi cui videor non juſtus, inulto
Dicere, quod ſentis, permitto. ¶ Maxime regum,
Dî tibi dent capta claſſem reducere Troja!
Ergo conſulere, et mox reſpondere licebit?
¶ Conſule. ¶ Cur Ajax heros ab Achille ſecundus
Puteſcit, toties ſervatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamuſque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere ſepulcro?
¶ Mille ovium inſanus morti dedit; inclytum Ulyſſem
Et Menelaum una mecum ſe occidere clamans.
¶ Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput, improbe, ſalſa,
Rectum animi ſervas? ¶ Quorſum? ¶ Inſanus quid enim Ajax
Fecit cum ſtravit ferro pecus? abſtinuit vim
Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis:

188 Quæro *etiam G. et primæ editt. &c.*—189 Ac ſi *Ven. Glar. Lamb.*—190 Quod *etiam H.* Sentit *Cun.* Quæ ſentit *edd. vett.*—191 Reducere *etiam G. Z. &c.* Deducere *Glar. Bentl.*

Id eſt ingenuum quod arte non ſimulatur.

187 *Ne quis;* iſta tranſtulit ex Sophoclis Ajace, ut monuit Cruquius. B. Novum ſpecimen furoris Agamemnon prohibens ſepultura corpus Ajacis, ipſe æque furioſus. Fingit autem collocutorem plebeium. G.

188 *Rex ſum.* Huc pertinet Proverbium Græcum quod Henricus Stephanus ex Scholiaſte ſuo MS. protulit. Μωρῷ καὶ Βασιλεῖ νόμος ἄρραφος, h. e. *Inſano et Regi Lex eſt diſſutilis.* Male autem ille ἄρραφος mutabat in ἄγραφος; neque enim acumen Proverbii aſſequi potuerat. B. Fateor etiam me non intelligere neque ἄρραφον νόμον neque *diſſutilem.* An ἄῤῥαφον voluit, nexili opere, ut ſunt hodie tibialia noſtra? Hæc quidem facili opera *diſſuuntur*, aut retexuntur, vel reſolvuntur potius. Sed tamen ἄγραφος prætulerim. G.

Bentleius non vidit Dialogiſmum eſſe, cum arbitrio ſuo mutaverit *quæro* in *quære.* Verum hoc fecit de more ſuo auctoritate unius Membranæ, quam ob raritatem cæteris præferendam cenſuit.

Plebeius, h. e. cum Plebeius ſim. Ἐγὼ μὲν θεοῖς ἴοικεν Δῆμον ἔοντα παρὲξ ἀγορεύειμεν, ὅτ' ἐνὶ βυλῇ Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ. Homer. Il. M, 212.

190 Melius Bentleius auctoritate Librorum *Dicere quod ſentis* [quam *Dicere quæ ſentis*].

191 Suaviter deridet Homeri Chryſen precantem. Il. A, 17. Τίμων μὲν θεοὶ δοῖεν, &c.

Bentleius maluit *claſſem deducere* quam *reducere*, quod nobis minus videtur; nam nimis cavet Metro. Veteribus *re* modo longum erat, modo breve.

192 Qui adibant Juriſconſultos dicere ſolebant, *Licet conſulere*; at illi contra reſpondebant *Conſule*, ut oſtendit Turnebus ex Cicerone.

194 Cruquii Codices pro *Putreſcit* legerunt *Puteſcit*, quod et Torrentius reperit in ſuis. Bentleius tamen retinet *Putreſcit*. Huic etiam mirifice placet antiquata ſcriptura *inclutum Ulixem*, et ſimilia jam olim deſita.

195 *Gaudeat ut Priamus;* Homericum eſt, Ἦ κεν γηθήσει Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες. Il. A, 255.

200 *Molam ſalſam dicunt far et ſalem cum aqua, quæ ſpargebatur inter cornua quando initiabatur victima.* Vet. Schol. Cruq.

Per Euphemiſmum *improbe* poſuit pro impie, vel ſceleſte.

Veteres immolabant diis *ſalſum* panem, quo ſcilicet ipſi veſcebantur: nam ſal fuit illis pro pulmentario, vel obſonio.

201 *Rectum animi*, h. e. rationis lances. *Quorſum tendis? quid vis?* Vet. Schol. Cruq.

Non ille aut Teucrum, aut ipſum violavit Ulyſſem.
¶ Verum ego, ut hærentes adverſo littore naves
Eriperem, prudens placavi ſanguine Divos.
¶ Nempe tuo, furioſe. ¶ Meo; ſed non furioſus.
¶ Qui ſpecies alias veri, ſceleriſque tumultu
Permiſtas capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum diſtabit, an ira.
Ajax cum immeritos occidit, deſipit, agnos?
Cum prudens ſcelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum eſt vitio tibi cum tumidum eſt cor?
Si quis lectica nitidam geſtare amet agnam,
Huic veſtem, ut gnatæ, paret ancillas, paret aurum;
Rufam et Rufillam appellet, fortique marito
Deſtinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad ſanos abeat tutela propinquos.

---

208 Veris *conj. Lamb.*—209 Permixtas *Ven. Bentl.*—211 Immeritos dum *edd. vett.*—212 Tu prud. ſcel. ob. tit. cum adm. *Bentl.*—216 Ruf. aut. Puſ. *etiam G. Z.*

---

203 *Uxore et gnato;* Tecmeſſa et Euryſace: ergo tu inſanior qui non abſtinuiſti filia.

Precatus, h. e. *tantum*. Vet. Schol. Cruq.

204 Per Euphemiſmum *violavit* poſuit pro *occidit*.

205 *Hærentes*, tanquam luto fixas.

Adverſo, h. e. Græco, Aſiæ contrario.

206 *Eriperem*, evellerem.

Prudens, conſulto.

Divos, h. e. ventos. B. Imo, Deos ventum prohibentes. Z.

207 *Nempe*, Comice pro *Verum*.

208 *Species capiet*, vanas rerum imagines animo concipiet.

Cum Torrentii Codicibus et Veteribus Scholiaſtis *alias veri* repoſuimus pro *alias veris*: nam *S* detractum erat ſequenti vocabulo: eſtque Helleniſmus pro *alias vero*, quæ Cruquiana Lectio eſt. Bentleius ſic interpungit, *Species alias, veri ſceleriſque tumultu*, ac ſi *alias* diceretur abſolute, quod nobis duriuſculum videtur.

Tumultu, turbulentia. B. *Tumultus* Stoicis ſunt affectus omnes et cupiditates, *ſcelus* omne peccatum: *Species tumultu ſceleris permiſtæ*, opiniones turbatæ et confuſæ a cupiditatibus.

209 *Commotus* per Euphemiſmum dicitur pro *inſanus*. Vid. v. 278.

210 *Stultitiane*, ut tu; *an ira*, ut Ajax? *erret*, h. e. inſaniat.

211 Omnes fere Codices legerunt *Ajax cum immeritos*, pro *Ajax immeritos dum*: atque hæc Lectio placuit Cruquio.

Agnos, nequivit dicere oves.

212 *Ob titulos*, ob gloriam et ſtatuas triumphales.

Admittuntur equi quibus totæ permittuntur habenæ.

213 *Stas animo?* nonne putas te eſſe commotum?

Vitio, h. e. dementiæ morbo: Euphemiſmus.

Tumidum, ſuperbum, titulorum avidum.

214 *Nitidam; abluto vellere candidam*. Cruquius, eleganter.

215 *Aurum*, h. e. aurea ornamenta.

216 Omnes Torrentii Codices legerunt *Rufam et Puſillam*; nonnulli tamen, auctore Lambino, habebant *Ruſillam*, quod nos probavimus, cum alii legant *Puſam et Puſillam*; alii *Pupam et Pupillam*, Joſephus autem Scaliger *Putam et Putillam*, turpiculo ſenſu. *Rufam, nomen Nobilis Virginis*. Vet. Schol. Cujus Diminutivum *Ruſilla*. Quid apertius? Bentleius prætulit *Poſillam*, quod eſt *Puſillam*, motus numero Codicum, quorum tamen auctoritatem novimus in iſtiuſmodi Nominibus minus valere nihilo.

Forti, h. e. generoſo et honorato.

217 *Deſtinet, conſtituat, ſpondeat*. Vet. Schol. Διῤῥώσηται.

Edicimus uni generi hominum, interdicimus diverſis. Donatus. B. Ne quem hic fallat obſervatio Grammatici, neſcio quam bona alias, cogitandum *interdictum* eſſe ſententiam a Prætore interpoſitam, qua præſertim de poſſeſſione interim conſtituitur, &c. G.

Adimat jus; apud Veteres inſanis jus dominii auferebatur. Vet. Schol.

Quid? ſi quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer eſt animi? ne dixeris. Ergo, ubi prava
Stultitia, hic eſt ſumma inſania: qui ſceleratus,
Et furioſus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum.
Vincet enim ſtultos ratio inſanire nepotes.
Hic ſimul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne Macellum
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes,
Verba facit leno, Quicquid mihi, quicquid et horum
Cuique domi eſt, id crede tuum: et vel nunc pete, vel cras.
Accipe quid contra juvenis reſponderit æquus;
Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego; tu piſces hiberno ex æquore vellis;

225 Vincit *Ven. Glar. Lamb.*—228 Aut Tuſci *Lamb.*—230 Quid enim *Cun. ex MSS.*—235 Verris *etiam H.*

218 *Ad ſanos propinquos: Tutor agnatus eſto.* Vet. Sch. Cruq. ex Legibus XII. Tabularum.

219 Bentleius neſcio quomodo ſemper amat *ſiqui*, ſive ſit in Scriptis, ſive non. Verum hoc fecit metu ſibili, uti ſæpius jam nobis dictum eſt.

221 Optimi Torrentii Codices cum Vulgatis legerunt, *hic eſt ſumma inſania*, pro *hic ſumma eſt inſania*. Illud poſterius placuit Bentleio. B.

222 *Et furioſ.* idem ille erit quoque furioſus. Z.

Vitrea fama; et ſplendida et fregilis. Vet. Sch.

223 *Circumtŏnuit*, tuba ſcilicet bellici furoris. B. Hinc ἐμβρόντητοι, attoniti. G. Senſus eſt: gloriæ vanæ et inconſtantis cupiditate captus, furore eſt concitatus. Z.

Gaudens cruentis; Bellonæ cultores lacertos humeroſque concidunt. Vet. Schol.

224 *Arripe*; dentibus, ceu iratus canis. *Arripe mecum*, h. e. attende mihi arripienti. B. *Arripere* etiam magiſtratuum et regum adeo eſt. Stoicus ſapiens rex. G.

225 *Vincit* qui probat argumentis.

Ratio, Rationalis Philoſophia, ſeu Dialectica. B. Nepotes, h. e. prodigos. Z.

227 *Edicit; mandat cum gravitate.* Vet. Sch. Cruq.

228 *Turba impia, perjura: Lenones ſunt; ibi enim commanent.* Vet. Schol. B. Plaut. Curc. 4. 1. 21. *In Tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe vendidant, nempe ad infima quæque et turpiſſima miniſteria.* G.

229 *Fartor*, avium altor; quem nos *Pullectrarium* dicimus.

In *Velabro* commanebant, Olearii, Caſearii, et hujuſmodi. Navigabatur olim *Velabrum*.

In Macello venibant res quæ veſcendi cauſa in urbem afferebantur. Torrentius. Hujuſmodi loca Lacedæmonios appellaſſe Μαχιλλώτας; auctor eſt Varro.

230 Bentleius ex conjectura ſua repoſuit *Qui cum venere:* Neque enim intellexit *Quid tum* Comicam eſſe Μετάβασιν.

231 *Apud luxurioſum leno primum loquitur, tanquam patronus omnium nebulonum.* Vet. Schol. Cruq.

233 *Æquus*; Εἰρωνία. Vet. Schol. B. *Juvenis*, Nomentanus iſte prodigus. Z.

234 Bentleius pro *In* poſuit *Tu*, neque hoc abſurde, niſi quod deſit auctoritas. Ego nihil moveo. B. Ego ob elegantiam recepi. Z.

Homeri ævo ocreæ ex laminis ſtanneis conficiebantur.

235 Tres Torrentii Codices cum Vetere Scholiaſte et primis vulgatis habebant *vellis* pro *verris*. *Vellis, cum difficultate trahis.* Vet. Schol. Bentleius ſervat *verris*. B. Et proprium certe eſt verbum, unde eſt *verriculum et everriculum*. G.

Segnis ego, indignus qui tantum poſſideam: aufer!
Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte citata.
Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidûm exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam; quî ſanior, ac ſi
Illud idem in rapidum flumen jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luſcinias ſoliti impenſo prandere coëmtas:
Quorſum abeant? ſani ut creta, an carbone notandi?
Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verſet.
Si puerilius his, ratio eſſe evincet, amare;

238 Vocata *H.*—240 Obſorberet *H. Sax.*—246 Notandi *etiam G.* Notati *Sax.* Sani, creta *Z.*—250 Sic *libri nonnulli, perperam.*

236 *Aufer!* apage! Terentius plene, *Aufer te hinc.* Comicum habet ἆφες, quod latuit Interpretes.

237 *Tibi, O venator.* Vet. Schol. Decies centena millia Seſtertiûm.

Tibi, O piſcator. Vet. Schol.

Tibi, O leno. Vet. Schol.

238 *Unde, a quo.* Vet. Schol.

Feſtive *Uxorem* dicit amicam. Erat enim conciliator. B. Vet. Sch. *Ut carius vendat Lemo, dicit ſuam eſſe uxorem.* G. Imo ipſe juvenis prodigus loquitur ad lenonem. Z.

Omnes Libri cum Vet. Schol. legerunt *currit* pro *currat:* et *citata* eſt apud Vet. Schol. pro *vocata;* et melius *citata* cum præpoſuerit *currit.* Bentleius ſervat *vocata.* B. *Citata,* cf. Carm. III. 6. 29. Z.

239 *Filiûs Æſopi; Æſopus Tragicus magnas opes filio Æſopo luxurioſo reliquit. Hic cum vellet patrem animo vincere, dicitur deciès feſtertiûm concupiſſe una hora abſumere, atque baccas detractas uxori Metellæ in aceto diluiſſe. De hoc Mævius Poeta ſcribit, de quo Virgilius.* Vet. Schol. Clodius hic dicitur Plinio. B. Similem inſaniam inſanivit Cleopatra et Caligula. Plin. H. N. IX. 58.: Sueton. Calig. 37. Z.

Cæciliæ Metellæ Metelli filiæ. Vet. Schol.

240 *Decies ſolidûm; integrum decies centena millia Seſtertiûm.* Vet. Schol. Cruq.

Bentleius ex quibuſdam Exemplaribus poſuit *abſorberet,* quod idem fere valet. *Margaritæ et ſilices aceto percalefacto ſparſa diſſiliunt.* Torrentius ex Plinio.

242 *Jaceret ve.* Τὸ ve πρὸς τὸ *cloacam jungendum eſt.* Vet. Schol. Cruq.

244 *Pravorum,* monſtroſarum rerum. Euphemiſmus.

Et fratres et gemellos de ſimillimis dicere conſuevimus.

245 *Luſcinias,* διὰ ἀνταίσεως *duarum vocalium poſteriorum.* Vet. Schol. Cruq.

Impenſo pro magno poſuit. Vet. Schol. Quod prægrave eſt dicitur impenſum: *Prandere* etiam ponitur abuſive pro devorare, ut ſæpe alias Comico ritu.

246 *Quorſum abeant? ſani.* Ita diſtinguendum cum melioribus Membranis, ut oſtendit Torrentius. *Cui parti eos aggregabimus, bonis, an malis?* Vet. Schol.

Sani ut creta; ita legerunt quatuor Cruquii Codices pro *ſani. Creta. Carbone notentur ut inſani, an creta ut ſani?* Vet. Schol. Pro *ſani ut creta an carbone notandi* Bentleius ponere voluit *ſanin' creta, an carbone notati,* quod mihi vitioſum videtur.

Notandi, numerandi. Bona enim albo ſignabantur, adverſa nigro. Vet. Schol. Multi Codices habent *notati,* verum corrupte.

248 *Par impar, uni duo.* Vet. Schol.

249 *Verſet, defatiget.* Vet. Schol. Cruq. Hoc utique diceretur.

250 Cum Vet. Schol. atque optimis Cruquii Codicibus *Si* pro *Sic* reponendum duxi.

Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Solicitus plores: quæro, faciaſne quod olim
Mutatus Polemon? ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri?
Porrigis irato puero cum poma, recuſat:
Sume, Catelle; negat: ſi non des, optat. Amator
Excluſus quî diſtat, agit ubi ſecum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arceſſitus, et hæret
Inviſis foribus? Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Excluſit, revocat: redeam? non, ſi obſecret. Ecce
Servus, non paulo ſapientior; O here, quæ res
Nec modum habet neque conſilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore hæc ſunt mala; bellum,
Pax rurſum; hæc ſi quis tempeſtatis prope ritu

251 Differt *Sax. Vulgatus infinitivus refertur ad antec.* ratio evincet.—255 Cubitale *G. Z.* —259 Optet *etiam G.*—262 Nec nunc *edd. vett.*

Evincet, obtineri poterit. Vet. Schol. *Amare* autem parcendo dicit pro *ſcortari.*

251 *Utrumne* ut ſupra *Uterne* et *Quantane.* Παρίλλον.

252 *Quale prius,* ſupple dixi. B. Intelligo *luſiſti,* trimus, puer trium annorum. Z.

254 *Mutatus; quem pœnituit ſui.* Vet. Schol. B. Hiſtoria eſt Val. Max. 6. 9. ext. 1. *Perditæ luxuriæ adoleſcens, Polemo, Xenocratis philoſophi putentem januam vino gravis intravit. Is de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Polemo primum coronam capite detractam projecit: paulo poſt brachium intra pallium reduxit (vid. ſupra* v. 77.) *ex infami ganeone maximus philoſophus evaſit.* G.

Inſignia morbi; Feſtive ἀλληγορίζει. *Nam Paſſiolum, ſicut faſcias quibus crura veſtiuntur, et focalia et aurium ligamenta ſola excuſare poteſt valetudo.* Quintilianus (11. 3. 144.) laudante Turnebo.

255 *Faſciolæ* Περισκελίδες erant et Περιβραχόνια; faſciæ ſcilicet purpureæ quibus delicatuli et crura et brachia obvolvebant. *Ornamenta quædam ſunt brachiorum, pedum, articulorum, vel vittæ.* Vet. Schol. Cruq.

Cubital; pulvillus qui cubito cœnantis ſupponi ſolebat. Vet. Schol. Cruq.

Focalia, Tæniæ erant laneæ quibus fauces adverſum frigus muniebantur. *Collaria a colle dependentia ad fovendum collum et fauces.* Vet. Schol. Cruq.

Potus modo Subſtantive ponitur.

256 *Furtim carpſiſſe; pudore affectus hoc fecit.* Vet. Schol. Cruq. Notum eſt etiam colla et brachia coronari ſolita.

257 *Impranſi,* Comice et Satyrice pro ſobrii, vel pauperis. Xenocratem dicit.

259 *Sume, Catelle; heus, Catelle, ſume tu tibi illa.* Sic Lubinus, cum cæteri intelligant *Catelle* de ipſo puero, quod ſatis mirari nequeo. B. Omnino *Catelle* hic eſt blandimentum puero dictum, quod ſatis oſtendit Plaut. Aſin. 3. 3. 103. Et quomodo conveniet, ſi canem intelligimus, illud *negat?*

Bentleio placuit *optet;* verum *optat* magis directum.

260 *Excluſus; Totus hic locus de Eunucho Terentii.* Vet. Schol. B. Vid. Ter. Eun. pr. Add. Perſ. 6. 161. G.

Agit ſecum, intra ſe deliberat. Vet. Schol.

261 *Hæret, ſtupet et ſtat defixus.* Vet. Schol. Cruq.

262 Recte Bentleius ex melioribus Libris *Ne nunc, cum me vocat* [pro *Nec nunc cum me vocet*].

Mobilia, et cæca fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa ſibi, nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum Picenis excerpens ſemina pomis
Gaudes, ſi cameram percuſti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoſo verba palato,
Ædificante caſas quì ſanior? Adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio ſcrutare: modo, inquam,
Hellade percuſſa Marius cum præcipitat ſe,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Abſolves hominem, et ſceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita ſiccus
Lautis mane ſenex manibus currebat: et, Unum
(Quiddam magnum addens) unum me ſurpite morti,
Dìs etenim facile eſt, orabat; ſanus utriſque

---

274 Seris *reperiri in libris nonnullis teſtatur Lambinus.*—283 Quiddam G. *Sax. Z. et omn. puto ad Ald. qui* quoddam, *ut et Ro. Steph. et Fabric. Sed* quiddam *edidere etiam Lambi. et Torr. et H. Steph. Rutg. Heinſ. Burm.* Quid tam *Cruq. Talb. Bentl. Cun. Sandb.* Surripe *G. S.*

---

263 *Mediter*, mecum agitem, addiſcam.

266 *Conſilium*, rationem, meditationem.

267 *Tractari*, regi.

270 *Certa ſibi*, ſic Torrentii Codices diſtinguunt, cum alii legant *Certa, ſibi*.

Explicet, expediat, efficiat.

272 *Picena* mala ſcriptoribus celebrata ſunt.

273 *Percuſti*; ingenio leves captabant ejuſmodi auguria. B. Porphyr. Fabric. *Solent amantes ſemina ex malis orbiculatis duobus primis compreſſare digitis, eaque mittere in cameram, velut augurium, ut ſi cameram contigerint, poſſe ſperari ad effectum duci, quod animo conceperint.* Vid. omnino Pollux Onom. 9. 128. G. *Camera*, tectum, laquear. Z.

274 *Balba feris, per delicias.* Vet. Schol. B. *Feris verba palato*, metaphora a plectro et fidibus. Sed tamen *feris* magis placeret, ſi haberet auctoritatem, a *ferendo ſermo* dictus. G.

276 *Ignem gladio ſcrutare*; notum eſt Pythagoricum illud. Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, h. e. iram iræ ne opponas: verum hic ignem dicit amoris æſtum. *Auge ſultitiam crudelitate.* Vet. Sch. Cruq. Pythagoricum detorquet Ænigma.

277 *Marius quidam ob amorem Helladem puellam occidit, cum ab ea contemneretur, et ſe poſtea præcipitavit.* Vet. Schol.

Præcipitât, Syncope pro *Præcipitavit*. B. Puto recte pro ſyncope haberi, ut Prop. 2. 6. 2. *flemus* pro *flevimus*, et 2. 12. 7. ac 9. *mutamus, narramus*, pro *mutavimus, narravimus*. G.

278 *Cerritus*, quaſi *Cereritus*. Lambinus. Δαιμονιολήπτος, h. e. Larvarum incurſu vexatus, quæ ad *Cererem*, ſive Terram, ſpectant.

280 *Ex more; ex conſuetudine vulgari.* Vet. Schol.

Cognata, diverſa quidem, ſed non multum inter ſe diſtantia. Vet. Schol.

281 *Ab Auguſto Lares in compitis poſiti ſunt, atque ex libertinis ſacerdotes dati, qui Auguſtales ſunt appellati.* Vet. Schol.

Siccus Comicum eſt pro Sobrius. *ne poſſis dicere quod ebrius fecerit.* Vet. Schol.

282 *Lautis; ſolebant precaturi deos manus et pedes abluere.* Vet. Schol. Cruq. et bene *lautis mane*, nam purgabat noctem flumine.

Feſtive *ſenex currebat*: quod faciebat quidem ut quaquaverſum adoraret.

283 *Quiddam magnum addens*; apponens voti nomine: Quid manifeſtius? Et tamen cæcutiunt omnes, quod taceat Vetus interpres. Bentleius fatetur ita legi in Editionibus priſcis, me tamen, quem pro docto habet interprete, queritur nuperrime iſtam Lectionem inauſpicato revocâſſe. Interim ipſe repoſuit *Quid tam magnum?* Me movit Verbum *audit* tali ſenſui accommodatum. B. Favet Baxtero antiqua velut poſſeſſio: Bentleio facilitas ſententiæ,

Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fœcunda in gente Menenî.
Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri mensis jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit: casus medicusve levârit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore Deorum.
Hæc mihi Stertinius sapientum octavus amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
¶ Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)

288 Dasque—labores *Cun.* Minuisque *Z.*—289 Messes *H.*—301 Quam me stultitiam *Lamb. et Bentl.*

extenuantis munus, quod petat. Sed cogitemus hanc sententiam inesse in verbis *DIs etenim facile est.* Non est nugax Flaccus. Illud *quiddam magnum* potest votum esse, quod vult Baxterus; potest forte etiam nomina deorum et obtestandi quasvis formulas significare. G.

284 *Sanus utrisque; Qui vendunt mancipia, solent hoc adjicere, Sanus corpore et animo. Juris erat apud Veteres, ut cum servum distraheret quis, ejus omnia vitia, vel animi vel corporis publicaret.* Vet. Schol. Alioquin redhibebatur mancipium Jure Civili; ut ait Cicero.

285 Bene *Auribus atque oculis*, de sene.

286 *Exciperet*, h. e. Excipere deberet, nisi litium amans foret. B. Cic. off. 3. 23. *In mancipio vendendo sunt vitia, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium.* G.

Omnes indocti Stoicis pro vulgo sunt.

287 Chrysippus Stoicorum præcipuus pro quolibet Stoico.

Erat *Menenius* quidam illis temporibus stultitia insignis: *unde Meneniæ stultitiæ, vel inceptiæ.* Vet. Schol. Frustra tamen quæras *Meneniæ* in vulgatis Lexicis.

288 *Jupiter, ingentes;* scite insurgit in re ridicula: estque fortasse hoc ex aliquo Poemate desumtum.

Qui das adimisque; Jovem bonorum omnium malorumque auctorem credebant Veteres: quod et Archilochus ait, Τοῖς θεοῖς πάντα. Vir elegans Jacobus Cruq.

289 *Cubantis*, per Euphemismum pro ægrotantis. *Caput hujus quoque cubantis sublime esse debet.* Corn. Celsus.

290 *Frigida; Quartana frigida, quod fere ob ingenti horrore incipiat afflictare corpus*, teste Cornelio Celso. Cruq.

Illo mane die; Die Jovis. Vet. Sch. B. Videtur diem Jovis indicare, quo jejunabant Judæi (Vid. Selde. de I. N. 3. 15.) quorum tum superstitio Romanos quam plurimos infecerat. G.

291 *Jejunia*, supplicationes: nam Veteres jejuni supplicabant.

292 *In Tiberi stabit;* Veteres priusquam supplicarent tingebant se.

Casus medicusve; obiter pulsat medicos.

293 *Ex præcipiti*, ex ultimo periculo.

294 Bene subjecit *fixum*, cum præmiserit *necabit;* estque ὕστερον πρότερον.

295 *Ne* in *Quone* παρέλκει. *Insanitne naturæ vitio, an instinctu numinis?* Vet. Schol.

Concussa; exagitata, turbata. B. Ut commota v. 278. et 209. G.

296 *Sapientum octavus; sic et Juvenalis, Tertius e Cælo cecidit Cato.* Vet. Schol. Cruq.

297 *Compellare est injuriose alloqui quemlibet;*

Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
¶ Quid, caput abscissum demens cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
¶ Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio? ¶ Accipe; primum
Ædificas; hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: quî ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
¶ Major dimidio. ¶ Num tanto? ¶ Cum magis atque
Se magis inflaret; Non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc a te non multum abludit imago.

303 *Pro* demens, manibus *etiam G. S.*—317 Num tandem sufflans sic *G.* Tandem inflans sic *Z.* Tandem suffl. si *Med.* 1477. *Fl. &c. Vehementer fluctuatur.*—318 Major, dein: Num tantum? Major. Cum m. *Cun. ex conj. Pro* tanto *edidit* tantum *Bentl.*

ut Cicero in Philippicis, Laudat an compellat edicto. Vet. Schol.

299 *Ignoto, retropositо, ex Æsopi Fabula.* Vet. Schol.

300 Hic Stertinii præcepta finientem tandem Damasippum alloquitur Horatius. G.

Post damnum, res tuas perditas. B. *Sic* est bene precantis, ut Carm. I. 3. 1. Z.

Pluris, supple quam comparâsti. Vet. Schol. Atque hoc bene; quia pridem unus mortalium emere norat cum lucro: optat igitur ut rursum deponat Cynicam barbam et mercator fiat, uti ante, ut neque latret, scilicet quemquam, neque latretur ab ullo.

301 Bentleius, adductus auctoritate unius tantum Codicis, reposuit *Quam me stultitiam* pro *Qua me stultitia.* Quæ rara cara. In rarioribus etiam reperit *manibus* pro *demens* [v. 303.] quod ob eam rem in Edito suo reposuit.

304 *Gnati*; Penthei.

307 *Vitio* per Euphemismum pro morbo dicit.

308 Ædificatorem se fatetur etiam Epist. 1. 1. 100. G.

Festive *longos*, pro divites: cum fuerit ipse alias staturæ brevis.

310 *Turbo gladiator fuit parvo corpore, sed animosus pugna.* Vet. Schol.

311 *Animum et gestum tumidum.* Vet. Schol. Cruq. *Fuit Thrax Turbo.* Alter Schol.

312 *Mæcenas tunc in Esquiliis magnificas ædes et hortos amplos ornabat.* Vet. Schol. Cruq. B. Vid. Sat. 1. 8. 14.

Verum modo dicit rectum: nam *verum* norma est recti. B. Ut Epist. 1. 7. 98.

313 Bentleius *Tantum* maluit quam *Tanto* in initio hujus versus, auctoritate rarioris exemplaris a Cruquio adducti. Nescio tamen cur *Tanto* pro turpissimo habeat mendo.

316 *Cognatos, congeneratos, sive fratres.* Vet. Sch. ex MS. Stephani. B. Ut Gr. σύγγενοι.

Rogare, supple cœpit.

317 Ex vetustissima Cruquii membrana pro *tandem* reposuimus *tantum*, quod longe concinnius: et Comice *tantum sic* pro tam, cum esset adhuc inflatura se.

Pro *se inflans* scribendum cum Bentleio *sufflans se*, auctoritate bonorum Codicum.

Adde poëmata nunc; hoc eſt, oleum adde camino;
Quæ ſi quis ſanus fecit, ſanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem. ¶ Jam deſine. ¶ Cultum
Majorem cenſu. ¶ Teneas, Damaſippe, tuis te.
¶ Mille puellarum, puerorum mille furores.
¶ O major tandem parcas, inſane, minori.

SATIRA IV.

Leves Catillones Epicureæ Sectæ deridet. (Conf. Ser. 2. 8. G.) B. Eſt quoddam genus hominum, qui ſtudio rerum tenuiſſimarum et maxime vulgarium ac cognitione vehementer delectantur, eaſque jactant, tanquam res maximi momenti commendant et præ illis graviſſimas contemnunt. Hos videtur ridere poëta ſub nomine Catii cujuſdam, qui quæ de re coquinaria modo ex magiſtro audivit præcepta ſatis vulgaria, ea valde laudat, cupide recitat ipſiſque ſummorum philoſophorum de vita beata præfert præceptis. Sunt autem ſeptendecim: de ovis, oleribus, gallina mactanda, fungis, moris, mulſo, conchyliis, jure piſcibus apto, apris, piſcibus avibuſque, oleo, vinis, cibis ſtomachum corroborantibus, duplici jure, pomis, de vaſis et munditie.

Unde, et quo Catius? ¶ Non eſt mihi tempus aventi
Ponere ſigna novis præceptis, qualia vincunt
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

322 Facit, et ſanus facies *MSS. ap. Lambi. Boſ. Anim.*—323 Dicam *Sax.*

SAT. IV.

2 Vincant *Lamb. Chab. Bentl.* Vincent *in codd. quibuſdam Lambini.*

320 Bene *abludit* de Fabella: alias abludere et diſcrepare chordæ dicuntur diſſonæ.

321 *Oleum adde camino:* Proverbium Græcum eſt, Ἐλαίῳ πῦρ σβεννύεις. Vult ſignificare Poetica inſanum fieri inſaniorem. *Camino; in incendium.* Vet. Schol. ex MS. Stephani.

323 *Horrendam rabiem;* erat Horatius *iraſci facilis*, ut vel ipſe prodit in Epiſtolis.

Cultum dilogως dicit et veſtitum et vivendi modum.

324 *Teneas tuis te;* h. e. rem tuam age: nihil enim ad te attinent hæc.

325 *Furores* dicit delicias; nam *puellarum* et *puerorum* Genitivi ſunt materiæ. Sic et Virgilius, Seu *quicunque furor* pro amatus, vel amata.

326 Etiam Fabius Philoſophorum *infirmiora* dicit *ingenia*. B. Locus eſt 1. Pr. 14.: ubi comparantur cum oratoribus. Sed quid huc faciat, non liquet. Joco claudit ſermonem Flaccus ex ambiguo, Majorem enim parcere minori naturalis æquitatis eſt: et ſimul, magis illum inſanire, indicat. G.

SAT. IV.

1 *Unde, et quo? Familiaris Interrogatio, quæ lepide profertur cum ſermo ad ſecundam perſonam tanquam de tertia conſtituitur.* Landinus. Φίλε Φαῖδρε ποῖ δὴ καὶ πόθεν. Plato in Phædro. Hoc monuit Lambinus.

In Epicureis quidem levis, ſed non injucundus, Catius. Quintilianus (10. 1. 124.) citante Torrentio. *Marcus Catius ſcripſit quatuor Libros de Rerum Natura et de Summo Bono.* Vet. Schol. *Hic erat M. Catius Inſuber.* Lambinus. B. Eſt is a quo *ſpectra Catiana*, quæ riſit Cicero Fam. 15. 16. et 19. G.

¶ Peccatum fateor, cum te ſic tempore lævo
Interpellârim: ſed des veniam bonus, oro.
Quod ſi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive eſt naturæ hoc, ſive artis; mirus utroque.
¶ Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem;
Utpote res tenues, tenui ſermone peractas.
¶ Ede hominis nomen; ſimul et, Romanus an hoſpes.
¶ Ipſa memor præcepta canam; celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris, et ut magis alma rotundis
Ponere: namque marem cohibent calloſa vitellum.
Cole ſuburbano, qui ſiccis crevit in agris
Dulcior; irriguo nihil eſt elutius horto.
Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes,
Ne gallina malum reſponſet dura palato,

6 Quam ſi *Z. Med.* 1477.—10 Simul et *etiam H. S. et primæ editt.*—13 Alma *ex conj. Bentl.* Alta *conj. Cun.* Alba *vulg.*—15 Caule *edd. vett. et Bentl.*

Aventi, et per hoc properanti.

2 *Ponere ſigna, conſignare litteris.* Vet. Schol. Cruq.

Novis; hactenus inauditis. Ironia.

Melius forſan Bentleius ex aliis Libris *vincant.* Oportet tamen incertum eſſe quid ipſe Horatius ſcripſerit ob Satyrici ſtyli negligentiam.

3 *Rei omnes quorum de re diſceptatur.* Landinus. Socratem modo ſignificat.

4 *Lævo*; per Charientiſmum pro inopportuno ponitur: nam lævum eſt quod minus eſt felix.

6 Quidſi vera eſt lectio priſcarum editionum, *Quam, ſi interc. Quam mox repetes!* cum admiratione vel ingenii vel artis, quæ ſtatim ſequitur. G.

Interciderit, pro exciderit. Vet. Schol.

Repetes mox; h. e. *ſcio te mox poſſe repetere.* Vet. Schol.

7 *Naturæ*; acuminis tui naturalis: Nam memoria eſt vel naturalis, vel artificialis.

Artem poſuit pro ſtudio et doctrina.

Mirus utroque; ſalſa Ironia in ineptum et ſeroculum Philoſophaſtrum.

8 *Quin*; Laudatus criſtas tollit et cupide reſpondet.

Curæ, meditationi.

9 *Tenues*; ſubtiles admodum, et aciem mentis fugientes.

Tenui; acri, artis pleno.

Peractas, temperanter pro tractatas.

10 Pro *ſimul an* rectius Bentleius ex vetuſto Codice *ſimul et*, ut Conjunctio prior *utrum* vel *an* de more ſubintelligatur.

12 *Facies*; forma, figura.

Ovis; *bene ab ovis cœpit, id eſt, ab initio cœnæ.* Vet. Schol.

13 Bentleius mero ſuo arbitrio de *magis alba* fecit *magis alma*, nullo commodo intellectu. B. Immo *alma* ſunt alibilia, uti Varro R. R. 2. 11. 1. caſeos molles *magis alibiles* dixit. G.

14 *Ponere*, apponere.

Marem; ſic et Columella et Plinius ſentiebant, etſi contradicat Ariſtoteles, ut oſtendit Lambinus. B. Plinii locus eſt 10. 52. ſ. 74. Reliqua dedimus ad Colum. 8. 5. 11. G.

Cohibent, conſtringunt, unde cohibere dicitur gallina, hoc eſt, conſovere. Vet. Schol. B. *Calloſa* illa ipſa molecula, qua pulli ſtamina contineri putantur. G.

15 *Cole, hoc eſt, Caule, ut clode pro claude, ſurices pro ſaurices, coda pro cauda.* Vet. Schol. B.

16 *Elutius*; *aquatius, diſſolutius, minus ſapidum.* Vet. Schol. Cruq. B.

Inſipidius. Schol. Gott.

17 *Oppreſſerit, ex improviſo advenerit.* Landinus.

18 *Malum reſponſet*; h. e. minus placeat; ingratior fuerit et per hoc fruſtretur. B. In *reſponſet* lepida metaphora a ſervo reſponſatore ſumta, quaſi rixetur gallina, et recuſet edi. G.

Doctus eris vivam miſto merſare Falerno;
Hoc teneram faciet. Pratenſibus optima fungis
Natura eſt: aliis male creditur. Ille ſalubres
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore ſolem.
Aufidius forti miſcebat mella Falerno,
Mendoſe; quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mytilus et viles pellent obſtantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, ſed albo non ſine Coo.
Lubrica naſcentes implent conchylia lunæ.
Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ.
Murice Baiano melior Lucrina peloris:
Oſtrea Circeiis, Miſeno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.
Nec ſibi cœnarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione ſaporum.

19 Mixto *G.* Multo *Landi.* Muſto *Bentl.* Miſto *vulg.*—28 Petulus et dulces *Sax.* Mitulus *G.* Mugilus *Flor.* 1482. *Sic apud Seren. Samon.* v. 234. *ubi refertur hic verſus,* Mugilis *fuerat in editis, deinde ex MSS. repoſitum* Mitulus.—29 Chio *Z.*—33 Circeis *al.*—36 *Pro* Non, Ni *Sax.*

19 Feſtive *doctus eris*, pro noſſe debes. B. Audacter Bentleius pro *miſto* poſuit *muſto*; atque hoc cum nihil eſſet opus, quod ego video. Antiquo tempore *muſto* et *miſto* non adeo diverſo erant ſono. B. Gulæ proceres quidam impleri vino per os injecto volunt gallinam, et ſic ſtrangulari. *Merſare* hic eſt ſuffocare, quod adjectum *vivam* ſatis indicat. Qui *miſto* malunt, parcunt ſumtui: qui *muſto*, ſunt delicatiores: luxurioſum *mulſo* Landini. G.

Merſare, ſupple in aqua, quod fugit interpretes: vult enim admiſceri Falernum ei aquæ, in qua merſanda eſt gallina.

20 *Pratenſibus*; prata in illis partibus non ſunt uliginoſa uti noſtra.

21 *Male creditur*, ſic et Virgilius; *Non bene ripæ Creditur.*

22 *Prandia*; non itidem cœnas, teſte Galeno.

23 *Gravem*, æſtu dicit moleſtum.

24 *Miſcebat*; *conditum de Falerno vino faciebat.* Vet. Schol.

25 *Mendoſe*, per Charientiſmum pro impeſte: *Falernum enim erat auſterum, et non debebat niſi mollis vini conditum jejunus guſtare. Miſcebat autem propter conſtipationem ventris.* Vet. Schol.

26 *Lene* eſt quod ventrem lenit, h. e. non auſterum.

Præcordia modo ventriculum dicit, quem et vulgus cor appellat.

Mulſum eſt commixtio aquæ puræ et mellis incocti: id autem mulſum et conditum dicitur et melicratum. Vet. Schol. B. At apud Celſum *mulſum* fit ex melle et vino; *aqua mulſa* autem, ex melle et aqua. Z.

28 Ut Latine a Mus fit Muſculus, ita Græce Μύτιλος a Μῦς formari videtur: *viles* autem *conchas* tellinas, pectines, chamas, et cochleas appellare videtur.

29 Non *brevis herba*, ſed *brevis lapathi*, *Oxylapathi ſcilicet.* Lambin.

Albo Coo: quod Athenæus oſtendit eſſe pertenue.

30 *Conchylia*, oſtrea et ſimilia, quæ lubrica dicit quod deducant ventrem, atque ob naturam lubricam, Dilogως.

32 *Muricem* Figurate poſuit pro optimo conchyli, et contra *pelorida* pro peſſimo. Eſt

Nec ſatis eſt cara piſces averrere menſa,
Ignarum quibus eſt jus aptius, et quibus aſſis
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus eſt, ulvis et arundine pinguis.
Vinea ſummittit capreas non ſemper edules.
Fœcundæ leporis ſapiens ſectabitur armos.
Piſcibus atque avibus quæ natura et foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæſita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantum cruſtula promit.
Nequaquam ſatis in re una conſumere curam:
Ut ſi quis ſolum hoc, mala ne ſint vina, laboret,
Quali perfundat piſces ſecurus olivo.
Maſſica ſi cœlo ſupponas vina ſereno,
Nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

37 Avertere *H. G. Z. Med.* 1477, *&c. etiam Cun.* averrere *probat Heinſ. ad Sil.* 3. 321. —41 Curvat *G. F. &c.*—46 Palato *Sax.*—48 Satis eſt re *Cun.*

autem *peloris* e chamarum genere, Italis *poverazzo*, Hiſpanis *armilla*, Græcis autem βατραχὴ et φιλωρία, ob magnitudinem, teſte Diphilo apud Athenæum, ut monuit Cruquius.

Lucrina, *Rutupina* et *Circeia oſtrea* etiam Juvenali laudatiſſima.

33 *Echinus* cancer quidam eſt in modum erinacii aculeatus.

34 *Pectines* *concbas habent pectinatim ſtriatas.* Plinius.

Molle, delicatum, deliciis fractum.

35 *Temere*, leviter, non habita ſecum ratione.

36 *Exacta*, *perfecte cognita*, *conſiderata*, *explorata.* Vet. Schol. Cruq. Examinata.

Tenui ratione, h. e. ſubtili differentia et diſtinctione.

37 Plures Codices corrupte legerunt *avertere*: *menſam* autem dicit piſcatoriam. B. Par fere auctoritas utriuſque verbi. Mihi etiam placet *averri*, celeriter et cupide emendo piſces de menſa cetarii. Bentleius volebat eos *averri* inter ceteras reliquias, poſtquam contemti eſſent a faſtidioſis convivis, tanquam non recte parati. Quibus *avertere* probatur, intelligunt eos præripi aliis emtoribus. G.

38 Piſces elixantur jure.

39 *Languidus*, *fatigatus cibo.* Vet. Schol. *Reponet ſe in cubitum*; *ad edendum revocabitur.* Vet. Schol. Cruq.

41 *Inertem*, fatui ſaporis et diſſolutam. Nonnulli vitioſe legunt *curvat.*

43 *Summittit*, menſæ ſuggerit. Capreæ ſæpe in vineas irrumpunt.

44 Ex antiquiſſima Cruquii Membrana pro *Fœcundi* repoſui *Fœcundæ*. Vult ſignificare gratiores eſſe armos fœminæ ob frequentem partum, lumbos autem maris, quod non adverterunt Interpretes.

Sapiens, tam a ſapore quam a ſapientia, ſuavi Dilogia.

Sectabitur, quæret, cupiet; deſumta Metaphora a re venatoria.

47 *Cruſtula*, *opus Dulciarii.* Vet. Schol. Placentas. *Irridet eum quod de opere piſtorio in ſuo Libro ſcribit de ſeipſo*; *Hæc primus invenit et cognovit Catius Miltiades.* Vet. Sch. Cruq. Et Comice dicit *promit* quaſi cum gravitate.

48 *Conſumere*, totam inſumere.

49 *Laboret*, *curet.* Vet. Schol. Cruq. ſe cruciet.

51 Plures et vetuſtiores Libri *ſupponet*, in-

Surrentina vafer qui miſcet fæce Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo;
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Toſtis marcentem ſquillis recreabis et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Poſt vinum ſtomacho: perna magis ac magis hillis
Flagitat in morſus refici; quin omnia malit
Quæcunque immundis fervent illata popinis.
Eſt operæ pretium duplicis pernoſcere juris
Naturam: ſimplex e dulci conſtat olivo,
Quod pingui miſcere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confuſum ſectis inferbuit herbis,

57 Quatinus *Lamb.*—61 Immorſus *G. a manu ſecunda, Zar.*—62 Fervunt *Cun.*—65 At pingui *Bentl. qui conjecit etiam ex* 2. 8. 47. Quinquenni miſc. *Cun. conj.* At miſtum miſc.—66 Qua Byz. *Sic MSS. et primæ edit.* Al. *quæ.* Putruit *Mediol.* 1477. *it. F.* Potuit *G. et in marg.* putuit, putruit.

quit Bentleius. Verum in iſto Tempore ſæpius allucinatum eſt a Librariis, ut neſcias, quid ſit rectum quid non.

52 *Craſſi; immaturi et aſperi odoris.* Vet. Schol. Cruq.

54 *Lino vitiata, per ſarcum lineum colata.* Vet. Schol. et per hoc mutato ſapore.

55 *Surrentina debilia ſunt.* Vet. Sch. Cruq. *Surrentinum genereſum acetum dixit Tiberius, et Caligula nobilem vappam;* ut notavit Torrentius.

Vafer, catus ad fallendos hoſpites.

56 *Limum fæcem dixit.* Vet. Schol.

57 *Aliena;* per Charientiſmum poſuit pro *fæculenta*, quaſi diceret incommodantia, quæque abeſſent melius.

Vitellum modo dicit omne quod in ovo eſt. B. Nec hodie ignota ars ovis et ichthyocolla injectis vino, et bene ibi agitatis, præcipitare, ſi quid fæcium aut ſordium aliarum vel ſaporem vel odorem corrupit. G.

58 *Marcentem, languidum vino et bene ſaturum.* Vet. Schol.

Perperam Interpretes *ſquillas* accipiunt pro cammaris, cum ſint quos *aſtacos* appellant, ut vel ex Quinta Satyra Juvenalis manifeſtiſſime patet. Afræ cochleæ laudantur Varroni: ſupple autem per Syllepſin *toſta*.

59 *Lactuca;* huc pertinet Martialis Diſtichon a Cruquio laudatum, *Claudere quæ cenas lactuca ſolebat avorum, Dic mihi cur noſtras incboat illa dapes?*

Acri, ſupple facto.

60 *Hilla eſt Diminutivum a Poſitivo Hira, et ſignificat inteſtinum ſalſum, vel (ut alii dicunt) fartum ſalſitium: alii dicunt hillum in neutro.* Vet. Schol. Cruq.

61 *In morſus*, ad comedendum. Lubinus. G. *Potor flagitat in morſus refici*, ut dentibus denuo operas imperet. Ingenioſe Bentleius *ſtomachus refici flagitat immorſus*, dum immordetur vel admordetur vellicatur a cibis ſalitis. G.

Pro *malit* Bentleius poſuit *mavolt*, vetuſtatis puto ſtudio. B. Poſt *malit* vel *mavult* intelligo, quam lactucam. Lactucam plane poſt potum inutilem pronunciat. G.

62 *Fervent*, et per hoc olent, et bene de popina.

Pro *allatæ* alii Codices legerunt *illata*, alii *illota*. Lambinus. Nobis placuit *illata*. Bentleius prætulit *adlata*.

63 *Qui admovet aures ad audiendum opera utitur.* Vet. Schol.

Juris, i. e. *juſculi, ſive juſcelli.* Vet. Schol. Cruq.

64 *Ex oleo et liquamine omne jus conſtat.* Vet. Schol. B. Cum ſummo ingenio nec minore doctrina, et verbis plurimis, nihil hic egit Bentleius, eo quod non vidit, ut nec alius interpres, præter ſolum Baxterum noſtrum, *jus ſimplex* non poſſe *conſtare* (ipſa vi verbi repugnante et natura juris) ſolo *olivo*, ſed olivo, quod mero muriaque miſceatur. Poterat illum admonere Acron Fabricianus, *Ex oleo et liquamine omne jus conſtat.* Etiam Apic. 8. 1. *jus ſimplex* opponit *globo trituræ*, rebus ſiccis,

Corycioque croco ſparſum ſtetit; inſuper addes
Preſſa Venafranæ quod bacca remiſit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco;
Nam facie præſtant. Venucula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam:
Hanc ego cum malis, ego fæcem primus et halec,
Primus et invenior piper album, cum ſale nigro
Incretum, puris circumpoſuiſſe catillis.
Immane eſt vitium, dare millia terna macello,
Anguſtoque vagos piſces urguere catino.
Magna movet ſtomacho faſtidia, ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe, quantus
Conſiſtit ſumtus? neglectis, flagitium ingens.

74 Inveni *Ven. Glar.*—79 Fruſta *MS. Boſ. Animadv.* Fruſtra *S.*—81 *Pro* mappis, mattis *conj. Faber.*

quæ adjiciuntur: ipſum autem *jus ſimplex* conſtat *vino, aceto, liquamine, oleo.* Apparetne, criticum non minus quam ſapientem Stoicum, debere eſſe ſutorem, coquum, &c. Conferendum jus in cœna Naſidieni 2. 8. 45. G.

Dulci; novo, non olenti.

65 *Pingui*, h. e. vetere et maturo.

Muriam antiqui dicebant liquamen, et Syrorum lingua ſic dicitur. Vet. Schol. E thunnis fere ſicbat muria, uti garum e ſcombris.

66 Διὰ Συναιρέσεως profertur *Byzantia.* B. Nempe ablativo accipiebat vir doctus *orca*, quod legeret *quæ*: ſed libri meliores *qua.* Æque putet orca a muria, quam converſa vice muria ab vel in orca. G.

Cruquii atque Torrentii Codices legerunt *putuit* pro *putruit*, quod et nos præpoſuimus.

Orca; olla Græca, ore anguſto in formam ναυπλίου. Vet. Schol. Cruq. Atque hactenus de jure ſimplice.

67 *Sectis herbis*; inula ſcilicet et eruca, ut oſtendit Cruquius ex ultima Satyra.

68 *Corycio*; Cilicio, h. e. pretioſiſſimo.

Stetit; ceſſaverit agitari et fervere. Vet. Sch. Cruq. B. *Stetit* videtur indicare conſiſtentiam, quam vocant, et craſſitudinem juris a coctura et admixtis rebus ſiccis. G.

69 Notum eſt Venafranum oleum præſtantiſſimum.

Remiſit, exſudavit preſſa trapeto.

70 *Succo, ſapore.* Vet. Schol. Cruq.

71 *Facie, ſpecie.* Vet. Schol. Cruq.

Venucula a *Ve* et *nucula* dici reor, quod vel grandes, vel plures habeat nuculas, ſive nucleos. B.

Venuculam aliquando ſuſpicatus ſum *vermiculam.* Sed locis nimis multis facienda vis eſſet. Itaque nihil certe mutem. Conditivam eſſe *venuculam* ſ. *veniculam*, docet etiam Plin. 14. 2. ſ. 4. 6. G.

72 *Fumo duraveris*; iſta et uva penſilis et paſſa dicitur. B. Cato R. R. 7. 2. *ad fabrum ferrarium* mittit hoc genus uvas. G.

73 Narrat inventum ſuum, ſe primum in *puris catillis circumpoſuiſſe* majoribus lancibus delicias iſtas, *uvas, mala, fæcem, halec*, ſ. *allec*, &c. ut eligendi poteſtatem majorem haberent convivæ, quod genus condimenti aut pomi probarent.

Hanc ego, ſupple *primus et circumpoſuiſſe invenior.* Zeugma a poſteriore.

Fæcem liquamen dicit ex fæce generoſi vini. B. Vid. mox 2. 8. 9.

Halec liquamen eſt, ſive muria halecum: *fæcem muriæ* dicit Plinius. *Halec* piſcis eſt quem Maſſilienſes etiam hodie, teſte Hieronymo Columna, *Halaccio* appellant, atque homines noſtri SHAD, et *matrem Harengorum.*

74 *Plebs Itala nunc utitur ſale nigro.* Torrentius.

75 *Incretum, purgatum per incerniculum.* Cruquius.

77 *Vagos*, ſpatioſos. B. Forte etiam leporem in eo quærit, quod piſces vagari amant. Sic noſtri, cum poſt piſcem ſitim fatentur, *natare*, inquiunt, *amat piſcis.* Velut de re magna

Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes?
Oblitum, quanto curam ſumtumque minorem
Hæc habeant, tanto reprendi juſtius illis,
Quæ niſi divitibus nequeant contingere menſis.
¶ Docte Cati, per amicitiam divoſque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem juveris; adde
Vultum habitumque hominis; quem tu vidiſſe beatus,
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris ineſt, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

89 Quumcunque *Cu.*—90 Quamquam *S.*

deliberat Senatus ille Domitiani, concidine placeat magnum rhombum, an parari ſat magnam patinam. Juven. 4. 130. G.

Urguere, premere.

78 Cum quinque Torrentii Codicibus repoſui *movet* pro *movent*.

80 *Gravis* et oculis dicitur et narribus; oculis autem modo. B. An copia ſic indicatur, quæ pondus augeat? G.

Veteri, antiqui operis. Erat autem *craterа* pelvis quædam profunda tripodi impoſita, qua aqua mero immiſcebatur, ut ſupra oſtendimus.

81 *In mappis*; ejuſmodi abſterſoria penicillamenta nos hodie *Moppas* dicimus; ſupple vilibus per Zeugma. B. *Scobe* conſtratum ſolum triclinii. V. Juven. 14. 67. G.

Quantus, quantulus.

83 *Ten' lapides varios?* Teſſellata pavimenta; ſupple *decet*. Et bene *Ten'*, ad Emphaſin divitiarum.

In gradu ſcopas teſſalatur palma fuiſſe. Martialis 14. 82.

84 *Toral*, *integumentum ſori*. Torrentius. B. *Toralia* dantur vel ſternuntur circa *veſtes* ſtragulas purpureas, quo illas muniant a ſordibus: quod non fit, ſi ipſa ſint ſordida: certe dedecet contingi rem ita pulchram et pretioſam a pannis ſordidis. G.

87 "Melius in aliis Libris *nequeant*" Bentleius, cui equidem aſſentior.

88 *Docte Cati*; falſa atque urbana Ironia cætera exſequitur Poeta.

89 Illud *perges quocunque* reſpicit ad v. 11. ubi negarat Catius, ſe indicare velle auctorem horum præceptorum. Itaque rogat Horatius, ut quicunque is ſit, ad illum ſe aſſumat comitem. G.

90 Magni fecit Bentleius in ſcripto quodam Codice inveniri (memoriæ puto errore) *memori referas* pro *referas memori*.

91 *Interpres*, h. e. cum nihil fueris niſi interpres.

Adde, h. e. quod prætereundum non duco.

92 *Habitum*, *geſtum*. Vet. Schol.

Beati fere bona ſua pro nihilo habent.

93 *Contingere* dicuntur quæ maxima ſunt.

95 Unicum Philoſophiæ propoſitum eſt *bene et beate vivere*, quod Epicurei voluptate conſtare docent.

SATIRA V.

IN CAPTATORES ET HÆREDIPETAS.

Tireſias vates ille Thebanus Ulyſſi, roganti quo pacto diteſcere poſſit, reſpondet, ſenum teſtamenta aſtute eſſe captanda; atque deinceps recenſet varias artes, quibus Horatii ætate Romæ ejuſmodi captatores utebantur.

Hoc quoque, Tireſia, præter narrata petenti
Reſponde: quibus amiſſas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? ¶ Jamne doloſo
Non ſatis eſt Ithacam revehi, patrioſque penates
Aſpicere? ¶ O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopſque domum redeam, te vate, neque illic
Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus: atqui
Et genus et virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.
Quando pauperiem, miſſis ambagibus, horres;
Accipe, qua ratione queas diteſcere. Turdus
Sive aliud privum dabitur tibi; devolet illuc
Res ubi magna nitet, domino ſene; dulcia poma,
Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives;

---

3 Doloſo *etiam Schol. Cruq.*—10 Aſpice *G.*—11 Primum *G. S. et quidam apud Landin. Fl.* 1482.

---

1 Comicum principium ex abrupto. Scena eſt apud inferos; eſtque ex Odyſſea deſumtum. B. Nempe Od. A apud inferos conſulit Tireſiam Ulyſſes. Lepos ſatiræ in hoc eſt, quod Tireſiam et Thebas nominat poeta, manifeſto tamen Romanos pingit mores et facit perſonas. G. Præter narrata, de reditu in patriam, Odyſſ. λ', 99. ſqq. Nunc vero fingitur rogare de modo reparandæ rei familiaris. Z.

2 *Amiſſas*, a procis devoratas.

3 *Quid rides?* neque enim poteſt ut ſerio iſtud quæras. B. Tireſiæ tribuit hanc interrogationem. Sed mihi ita videtur: Obſervat Ulyſſes, ridere Tireſiam ad preces ſuas. G.

Jamne non ſatis eſt, h. e. Nonne jam gratificatus ſum tibi ſatis reditum pollicitus in patriam.

Suaviter *doloſo* appoſuit, cum artium atque modorum meminiſſet illi, quibus facile reparari poſſent quæ amiſerat. Quid opus fuerat Bentleium de ſuo mutare Dativum *doloſo* in Vocativum *doloſe?*

6 Bene *Nudus te vate*, de paſſuro naufragium. Nudum dicimus omnibus ſpoliatum bonis. B. Prædicit hoc Tireſias Ulyſſis Od. A, 110. ſq. G.

7 *Atqui;* quin etiam, quod adhuc gravius eſt.

8 *Virtus*, Σοφία, Doctæ artes, et belli mores.

Vilior alga; Proverbio dicitur etiam Virgilio. Σοφίη τρόπος κυνέων. Anacreon.

10 *Accipe*, audi, auſculta.

11 *Privum eſt quod unius eſt, unde et privilegium, ut hoc Plautinum indicat: Exite et ferte fuſtes privos in manu.* Vet. Schol. B. Itaque *privum* erit unicum quiddam ſui generis, et eo pretioſum. Hoc vero quomodo ad *turdum* commode applicetur, non video. *Primum*, cujus auctoritatem poſui ſupra, poſſumus intelligere vel ratione temporis, ut primos flores, fructus, pullos gallinaceos, haleces, in magnis urbibus caro venire novimus: vel propter præſtantiam aliquam in ſuo genere, quæ varia eſſe poteſt. G. *Privum*, interprete Aſcenſio, eſt proprium, quod vulgo non reperitur. Z.

Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
¶ Utne tegam ſpurco Damæ latus? haud ita Trojæ
Me geſſi, certans ſemper melioribus. ¶ Ergo
Pauper eris. ¶ Fortem hoc animum tolerare jubebo:
Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias æriſque ruam, dic Augur, acervos.
¶ Dixi equidem, et dico. Captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum: neu, ſi vafer unus et alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo,
Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.
Magna minorve foro ſi res certabitur olim,
Vivet uter locuples ſine gnatis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto
Defenſor: fama civem cauſaque priorem
Sperne, domi ſi gnatis erit fœcundave conjux.
Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:

---

18 Viſne tegam *Ven. Glar.*—21 Protenus *Bentl.*

Scite *devolet* de avi, pro properet.

13 *Cultus*, h. e. bene cultus: et fundus fere pauperculorum dicitur ager ad domum ſitus.

Honores, munera, quæ fere honoratorum erant atque decorum. B. *Honor* eſt, quidquid in ſuo genere præſtantius eſt. G.

14 *Ante Larem; Conſuetudo fuit ut rerum primitiæ diis laribus ponerentur.* Vet. Schol.

15 *Sine gente, libertinus: nam ſine gente libertini; contra ingenui generoſi dicuntur et gentiles.* Vet. Schol. Cruq.

Cruentus, cruentatus.

16 *Fugitivus*, h. e. ſervus nequam.

17 *Tu*; quaſi dicat, quod alii ſtulti faciunt.

Comes exterior; Veteres ambulabant catervis comitum circumſepti: hic enim præibat, ille ſequebatur; hic a dextra affectabatur, ille a ſiniſtra; atque hic modo *comes exterior* appellatur. B. *Interior* de duobus una euntibus, qui ad parietem it, ſive dexter ſ. ſiniſter: *exterior*, qui ab illa exteriori parte, qua non ita munitus eſt, latus illi claudit, vel tegit. G.

Si poſtulet; ſi officii tui id eſſe credat.

18 *Tegam latus*; hinc comites, ſeu milites, Veteribus *laterones*, vel *latrones*, appellati.

Spurco, projecto et vili: eſt autem *Damas* notum ſervi nomen et Diminutivum a *Damatrius*, vel *Demetrius*.

Ita, Comice pro talem.

19 *Melioribus*; veluti Ajaci.

20 *Fortem*, h. e. utcunque magnus et fortis ſit.

Jubebo, conſilium dabo.

21 *Et quondam majora*: Homericum eſt; Ἦδη γὰρ μάλα πόλλ' ἴπαθον, inquit Ulyſſes. Hoc oſtendit Cruquius.

22 *Ruam*, *Eruam*. Vet. Schol.

23 *Captare* proprie piſcantium eſt. *An captatorem piſcis amare poteſt?* Mart.

24 *Teſtamenta* modo dicit *legata*.

25 *Præroſo hamo vorata eſca*. Vet. Sch. Cruq.

26 *Illuſus*, h. e. quamvis deriſus et deſtitutus.

27 *Res*, lis, ſive negotium.

Olim, aliquo tempore.

28 *Improbus ultro*; h. e. tua voluntate, non rogatus eſto pertinax defenſor. B. Pertinent hæc ad deſcriptionem locupletis impudentis: *ultro* hic eſt, ſine cauſa, ſola animi libidine. G.

29 *In jus*; in curiam. Aliquem notum tangi reor.

30 *Priorem*, *meliorem*. Vet. Schol.

32 *Gaudent prænomine*; ſiquidem familiares

Jus anceps novi, cauſas defendere poſſum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum quaſſa nuce pauperet: hæc mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus; ire domum atque
Pelliculam curare jube: ſi cognitor ipſe.
Perſta, atquè obdura, ſeu rubra canicula findet
Infantes ſtatuas; ſeu pingui tentus omaſo
Furius hibernas cana nive conſpuet Alpes.
Nonne vides (aliquis cubito ſtantem prope tangens
Inquiet) ut patiens! ut amicis aptus! ut acer!
Plures annabunt thunni, et cetaria creſcent.
Si cui præterea validus male filius in re
Præclara ſublatus aletur; ne manifeſtum
Cœlibis obſequium nudet te, leniter in ſpem
Arrepe officioſus, ut et ſcribare ſecundus

---

36 Quaſſa nuce *etiam G. Z. et Med.* 1477. *Sed* caſſa nuce *jam Ven.* 1479. *it. Glar. Lamb. Bentl.* Caſſa unce *Fl.* 1482. *quod Landinus interpretari conatur, quaſi eſſet* uncia.—38 Sis *cogn. G. S. Z.* Si *Med.* 1477. *Cun.* Fis *F.* Fi *Bentl. firmat ex MSS.*—48 Adrepe *Baxt.*

---

compellabant prænominibus ſibi familiares atque intimos. B. Sic Cic. Fam. 1. 9. *Quoniamque illi haberent ſuum Publium* (Clodium) *darent mihi ipſi alium Publium* (Vatinium) *in quo poſſem illorum animos—repungere.* G.

Molles, delicatæ.

34 *Anceps*; Ἐπίδικον *Juris, quod incertum eſt, nunc propter ἀμφιβολίαν, nunc propter ἀντινομίαν.* Vet. Schol. Cruq.

35 *Eripiet oculos mihi*; Proverbium de re cariſſima.

36 *Contemtum*, male habitum.

Omnes MSS. habent quaſſa, vetere ſcriptura, ſicuti nonnunquam offendi quarere pro carere. Adagium de re nihili. Cruquius, quem ſequitur Torrentius. Bentleius ſcribi voluit *caſſa*, quod idem ſonat.

Pauperet, fraudet, ſpoliet. Vet. Sch. Vox Juris.

37 *Sis jocus; defenſore vacuus.* Vet. Schol. Cruq.

38 *Pelliculam curare*, unguentis ſcilicet atque balneis; quod quotidiani moris erat apud Veteres.

Fi cognitor; Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur ſi orator eſt; aut advocatus ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico; aut procurator ſi negotium ſuſcipit; aut cognitor ſi præſentis cauſam novit, aut ſic tuetur ut ſuam. Aſconius Pedianus, citante Cruquio. Nonnulli legunt *ſis cognitor*, contra fidem meliorum Codicum.

39 *Rubra, ardens.* Vet. Schol. Cruq.

40 Bene *Infantes*, quia in Fore ſtabant, ubi debebant fari: et Dilogus mutos percutit Cauſidicos. B. Mihi ſit probabile, videri poetam, qui in deſcriptione æſtus vehementis iſtum verſum poſuerat, et *infantes* dixerat recentes *ſtatuas*. G.

Omaſum dicitur inteſtinum bubulum. Vet. Schol. Atque hoc tanquam de paupere et voraci, ſatis ridicule.

41 *Furius Bibaculus in Pragmatia Belli Gallici: Jupiter hibernas cana nive conſpuit Alpes.* Vet. Sch. Quem verſum Quintilianus etiam reprehendit ut ſordidum. B. Metaphoram duram vocat Quinct. 8. 6. 17. G.

42 *Nonne vides; Principium verſus Lucretio uſitatum.* Lambinus.

Cubito tangens, et per hoc tacite admonens.

43 *Ut patiens!* Laboris ſcilicet non parcens ſibi. B. *Inquiet*, ad ſenem ſcilicet de te. Z.

Aptus, modo Paſſivum eſt; h. e. natus ſeu comparatus a natura.

Acer; calidus, vehemens.

44 *Thunni*, pingues et craſſi ſenes.

Loca in quibus ſalſamenta fiunt cetaria dicuntur. Cetaria, officina in qua liquamen conficitur. Vet. Schol. Nam *cete* quilibet grandiores piſces ſunt. B. Hic quoque captatorem hæreditatis cum piſcatore comparat, et ſenes cum piſcibus. Igitur ſenſus proprius eſt: plures ſenes allicientur ad te hæredem ſcribendum. Z.

Hæres, et ſi quis caſus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro hæc alea fallit.
Qui teſtamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere memento:
Sic tamen ut limis rapias quid prima ſecundo
Cera velit verſu; ſolus, multiſne cohæres?
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit riſus Naſica Corano.
¶ Num furis? an prudens ludis me, obſcura canendo?
¶ O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
¶ Quid tamen iſta velit ſibi fabula, ſi licet, ede.
¶ Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demiſſum genus Ænea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Naſicæ, metuentis reddere ſoldum.
Tum gener hoc faciet; tabulas ſocero dabit, atque

53 Limus *Sax.* Linus *Z.*

45 *Male* ſæpe Diminutive dicitur pro parum.

46 *Sublatus, ſuſceptus, natus.* Vet. Schol. Veteres non tollebant humo quos ali nolebant.

47 *Cælebs pro orbo capitur.* Vet. Schol. Cruq. Κοίλῳ, quaſi κοίτην λείπων, ut ſupra diximus.

Nudet te, h. e. technas tuas aperiat.

Leniter, ſenſim, pedetentim, uti felis dum captat mures.

49 Bene *egerit*, importune morantem.

Orco, ad Plutonem, ſive Terram: nam Chaldæis ארקא *Arca*, Terra eſt. Quare crediderim Orcum vocem fuiſſe Punicam.

50 *In vacuum, in poſſeſſionem vacuam hæredis.* Vet. Schol. Cruq. B.

Hæc alea; hoc genus technæ, vel ludi. THIS GAME.

51 *Cumque* refertur ad *Qui.* Z.

53 *Limis rapias, obliquis oculis raptim legas.* Vet. Schol.

Quid prima ſecundo; bene hoc et juxta ordinem, quia primo verſu teſtatoris nomen eſt, ſecundo hæredis. Vet. Schol. *Prima cera, prima tabula.* Vet. Schol. Cruq. Nam diptychæ erant ejuſmodi tabulæ, et aliquando polyptychæ.

54 *Verſu*, linea.

55 *Recoctus, ſæpe refectus et per hoc aſſutus: recocti autem dicuntur ſcribæ, qui ſæpius cum Proconſulibus miſſi exercitatiores facti ſunt uſu ipſo et frequentia: ſolent autem mitti quinque viri, qui cum rediiſſent, vendebant Decurias ſuas et Quinqueviri dicebantur.* Vet. Schol. Cruq. Coranum ſignificat. Vid. 2. 6. 36. Humilis curatio Quinquevirorum et vix magiſtratus. Cic. Acad. 2. c. 44. *Neminem eſſe Prætorem, Imperatorem, neſcio an ne Quinquevirum quidem, niſi ſapientem.* G.

56 Corvi inhiant cadaveribus, ut Captatores divitum funeribus.

58 *Ludis*, παίζεις. YOU BANTER ME.

59 *Aut erit, aut non; Jocatur in Apollinem, ut Satyricus.* Vet. Schol.

61 *Si licet*, h. e. niſi ſecretum ſit quod prodere nefas.

62 *Juvenis*, Perpetuum Auguſti et Apollinis Epitheton. B. Si recte ſe habent rationes Bentleii, et nondum video quod impediat; *juvenis* etiam ſtilo Romano tum erat Cæſar, qui *Parthis horrendus* ſpe atque omine dicitur. G.

64 *Forti*, Dilogως et ſtrenuo militi et ingenio promto et libero. Etiam Juvenalis *caſtrorum comitem* appellat.

Nubet modo poſuit pro coibit, vel concumbet: et mecum ſentit Dacerius. B. Nempe videtur; cum ſcriberet iſta Flaccus, recens fuiſſe hiſtoria illi affinis, quam habent fragmenta Petro. c. 140. de Philumene *filiam ingerente or-*

Ut legat orabit: multum Naſica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; invenietque
Nil ſibi legatum, præter plorare, ſuiſque.
Illud ad hæc jubeo; mulier ſi forte doloſa
Libertuſve ſenem delirum temperet, illis
Accedas ſocius: laudes, lauderis ut abſens:
Adjuvat hoc quoque; ſed vincit longe prius ipſum
Expugnare caput. ſcribet mala carmina vecors?
Laudato: ſcortator erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade. ¶ Putaſne,
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere curſu?
¶ Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantum Veneris quantum ſtudioſa culinæ;
Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtârit tecum partita lucellum,
Ut canis, a corio nunquam abſterrebitur uncto.

79 Venit *(venalis eſt)* enim *Penelopa* magno: donandi *eſt p. i. Sim. Boſius apud Lambi.* Ven. en. (indignum!) *Bentl.* Venit, Enim *vero id* magnum! *iron. Tunſtall. Epiſt. ad Middleton.* p. 82.

bis ſenibus. G. Igitur ingenioſe poëta vaticinari illam Tireſiam inducit, ut ſimul egregie laudetur Auguſtus. Z.

Procera nimis, nec ſatis lepida.

65 *Metuentis*, bene de avaro. B. *Metuens reddere*, qui non ſolet reddere, certe non *ſolidum*, de quo, ſi toto defraudare non poſſet, certe quamcunque particulam abraderet. *Metuens* ut Car. 2. 2. 7. G.

Soldum; aſſem, ſive totum debitum: ſpe novarum tabularum [teſtamenti] proſtituebat filiam.

66 *Gener*, ſic et ſupra S. 1. 2. 64. *Villius in Fauſta Sullæ gener.*

69 *Plorare*, οἰμώζειν: ita enim Græci.

Suiſque; nil enim reliquerat ipſi amatæ.

70 *Illud ad hæc*, Hoc inſuper.

Jubeo qui fidenter dat conſilium.

71 *Libertus*, diſpenſator.

Temperet, ad arbitrium ſuum regat. Vet. Schol. Cruq. Tanquam fræno ſcilicet.

72 Mire *ſocius*, ſubjecturus *vincit* et *expugnat*: nam ſocii ſunt in bello.

73 *Vincit*; præſtat.

74 *Caput*, ipſum ſenem, Patronum ſcilicet.

75 *Ultro*, tua voluntate, non rogatus.

76 *Penelopam* poſuit Bentleius pro *Penelopen*, uti mox *Penelopa*, affectato ſcilicet Æoliſmo, quod nimis putidum videtur. Notiſſimum eſt Horatium modo hoc, modo illo modo declinare. Putidior etiam videtur iſta Emendatio Bentleii, *Venit enim (indignum) donandi parca juventus*, pro *magnum donandi*, quam neminem probaturum ſcio.

Facilis potiori trade: Facilis pronus eſt obſequio: *Trade potiori*, h. e. commenda veluti digniorem illo.

77 *Perduci* ad crimen, unde *Perductores* dicuntur, lenonibus etiam pejores. G.

78 *Curſu*, propoſito vitæ: nam vita curriculum eſt: *a diſciplina morum.* Vet. Schol. Cruq.

79 Nihil plane cauſæ videre poſſum, cur omnium librorum conſentientem lectionem mutare opus ſit. Satiricum oxymorum *parca magnum* quid *donandi juventis*. Sunt homines liberales promiſſis, nugis; parci ubi magnum quiddam exſpectatur. Od. Σ, 290. enarrantur dona procorum, quæ tandem, præſente jam Ulyſſe, aſtu elicuit ab illis Penelope. G.

Comice protulit *magnum* pro magni pretii donum, vel quod illa magni faceret. B. *Enim* refertur ad ellipſin, more Græcorum, *Non eſt mirum: nam*, &c. Z.

82 *Guſtârit*, uti canis de cadavere. Nam lucri bonus eſt et odor et ſapor ex re qualibet.

83 *A corio*, *Proverbialiter.* Vet. Schol. Καλα-

Me ſene, quod dicam, factum eſt; anus improba Thebis
Ex teſtamento ſic eſt elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres:
Scilicet elabi ſi poſſet mortua: credo,
Quod nimium inſtiterat viventi. Cautus adito:
Neu deſis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem et moroſum offendet garrulus: ultra
Non etiam ſileas. Davus ſis comicus, atque
Stes capite obſtipo, multum ſimilis metuenti.
Obſequio graſſare: mone, ſi increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba,
Oppoſitis humeris: aurem ſubſtringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec Ohe! jam
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit, urge; et
Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.
Cum te ſervitio longo curaque levârit;

90 Ultro *Ven. Glar. Lamb. Bentl.*—93 Increbruit *MSS. Cruq. Mediol.* 1477, *&c. Al.* increbuit.

τὸν χοῖρον κύνα γινέσθαι. Theocritus, admonente Lambino. Et mire *corium* de ſene.

Abſterrebitur, abigetur, depelletur.

Uncto Dilogus poſuit, pro ſpurco ſcilicet et lauto. B. Quin ſimpliciter proverbium applicat, ut ſolet. Habemus etiam Germani adagium, *In parvulis loris condiſcunt canes vorare corium*. G.

84 *Improba*, mala falſa, aſtuta. B. Impudens. Quod dicit *Thebis*, Tireſiæ perſonæ ſervit, qui Thebanus fuerit. Utrum tale quid vel Romæ vel ubicunque contigerit, non dixerim: ſed in fine fragmentorum Petronii turpius etiam teſtamentum, certe horribilius, jubente teſtatore ſe mortuum comedi ab hæredibus. G.

85 *Elata*, ſepulta. Euphemiſmo uſitato.

87 *Si poſſet*; Comica Ellipſis pro *ut videret ſi poſſet*. B. Haud dubie hæc addita erat conditio, ut hæres excideret ex hæreditate, ſi illi corpus elapſum eſſet. Z.

88 *Inſtiterat*, *ſe ingeſſerat*. Vet. Schol. Cruq. B. Nimia moleſtia et intempeſtivo officio iſtam coluerat. Z.

Cautus adito; nolito eſſe odioſus importuno acceſſu. Vet. Schol. Cruq. B.

89 *Neu deſis*, *&c.* Cave ne pecces in alterutram partem, vel negligentia, vel odioſa ſedulitate. Z.

90 *Difficilis* dicitur cui vix quidquam placet; *Moroſus* autem cui nunc hoc, nunc illud, etiam contraria.

Bentleius ex conjectura ſua fruſtra repoſuit *offendas* pro *offendet*. Demiror doctiſſimo viro diſplicuiſſe Perſonæ Enallagen: Neque enim intelligo quid ſit *garrulus ultro*. Certe per totam iſtam Satiram cæcutire videtur vir magnus, vel ſaltem dormitare.

Optimi Cruquii Codices et nonnulli Lambini pro *ultro* legerunt *ultra*, quam ſcripturam et Vetus Interpres ſequutus eſt, nam *nimis* exponit, h. e. *Ultra quam ſatis eſt*, ut Epiſt. 1. 6. 16. expreſſum legimus.

92 *Obſtipo*; *ut Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum*. Vet. Schol. Cruq.

93 *Graſſari eſt impetu aditum aperire*. Torrentius. Suavi Oxymoro atque Dilogia uſus eſt, ut ſit, etiam ſpolia et denuda.

95 *Subſtringe*, acumina, contrahe et ſubrige, quod faciunt aſini atque jumenta ſonum captatura. B. *Subſtringe* picturam velut habet, certe metaphoram ſimilem illi, qua *Subſtricta alvus* canum venaticorum dicitur. G.

96 *Importunus pro importune*. Vet. Schol.

Obe vox eſt ſatietatis, auctore Donato.

97 *Manibus ſublatis ad cœlum*, admirantis et ſtolide prægeſtientis geſtus.

Urgue, inſta.

99 *Cura*, ſolicitudine, metu.

Et certum vigilans, Quartæ eſto partis Ulyſſes,
Audieris, hæres: Ergo nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge ſubinde: et, ſi paulum potes, illacrymare. Eſt
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permiſſum arbitrio, ſine ſordibus extrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte cohæredum ſenior male tuſſiet, huic tu
Dic, ex parte tua, ſeu fundi ſive domus ſit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperioſa trahit Proſerpina: vive valeque.

100 Eſto *Bentl. e MSS.*—103 *Bentl. poſt varios conatus aliorum conj.* Et ſic p. p. illacrimare, et Gaudia prudenter vultu celare.—105 Commiſſum *Ven. Glar.*

100 *Et certum vigilans; jucunde, quia ſolent homines quod cupiunt per ſomnum videre: ergo noli te heredem factum credere, niſi illud vigilans videris.* Vet. Schol.

Eſto; ita melius Bentleius quam *ſit*, ex Legum Formulis.

101 *Ergo nunc*, Pathos amariſſimæ recordationis. B. Vid. Car. 1. 24. 5. G.

Bellus ſane *ſodalis*, quem corvis toties mandaverat. B. Satis ridicule Ulyſſes inclytus dicitur ſodalis Damæ, quod eſt nomen ſervile. Z.

102 *Fortem*, liberalem et generoſum.

103 *Sparge*, parci et tenuis in ſumtu eſt ſpargere vel piper, vel ejuſmodi alia in convivia ſua manu. B. *Sparge* hic eſt die, interpone aliis ſermonibus. G.

Eſt, ἐν, licet. B. Ut Epiſt. 1. 1. 32. Potes lacrimando celare et intus continere vultum [conformationem oculorum, frontis, genarum] gaudia prodere alias ſolentem, et hic etiam cenantem erumpere. Circumpone tibi fletum tanquam perſonam, ſub qua ridere poſſis. *Prodens gaudia vultus* hic dicitur, ut mox *ſeu fundi ſit emtor*, h. e. eſſe velit. Emendando exæcant et interficiunt Venerem hujus loci. G.

105 *Sine ſordibus, ſine tenacitate.* Vet. Schol.

107 *Male*, graviter, ſeu periculoſe.

109 *Gaudentem*, contentum.

Nummo; et uno nummo, quæ erat imaginaria venditio pro donatione. Vet. Schol. *Hoc modo invidiam donationis vitabant.* Cruquius. B. Non defuere qui mallent jungere *gaudentem nummo*, quo magis evitaretur invidia. Sed ſic etiam nihil ſe debere ſentiret ſenex, qui captatur. Et eſt formula ſolennis de qua Bentl. ad Sat. 1. 4. 14. G.

Addicere, vendere, in alienum jus tradere.

110 *Imperioſa trahit; Nam poſt mediam noctem die adventante per Proſerpinam nihil umbris fari concedebatur*, ut docte Cruquius. Et mire *trahit* de mortuo. *Imperioſa* eſt in imperio inexorabilis: oportet enim parere imperioſo.

SATIRA VI.

HORATII VOTUM.

Laudat Poëta vitam rusticam, minus morbis obnoxiam, liberam a molestis negotiis Urbis, sobriam, frugalem, honestam, quam agat in villa, quam quidem dono acceperat a Mæcenate, ad cujus laudes adeo tacite rem trahit. Atque vitam urbanam ita reprehendit, ut simul laudetur scite Mæcenas.

Hoc erat in votis; modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum silvæ super his foret. Auctius atque
Dì melius fecere: bene est: nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem;

Si veneror stultus nihil horum; O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quæ mihi monstret! ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule: si, quod adest, gratum juvat; hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cætera, præter
Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,

9 Deformat *Vin. Clar.*—10 Quæ *etiam MS. Bos. in Animadv. et G.* Quæ al.

1 *In votis*, supple præcipuum, vel summum: sic et Persius: *Scire erat in votis, quid deciès sennio ferret.*

Modus; mensura, quantitas.

3 *Super his*, *sari vetuit.*

4 Comice dicit *bene* pro satis: vulgo sic dicimus pro contentus sum.

Nil, quod in Libris esse ostendit Bentleius, continuus et nobis videtur.

5 *Maia nate.* Horatius in tutela erat Mercurii. B. Vid. Carm. 1. 7. 13. et 17. 29. G.

Propria, perpetua. Vet. Schol.

Munera, artes.

7 *Culpa*, negligentia. B. De re ipsa vid. Sat. 2. 3. 179. G.

8 *Veneror*, religiose exopto. Cruquius.

9 *Denormat*, *diuturni et inæqualem facit. Est autem norma ad quam mensores fines æquales dirigunt, habita perpendiculi ratione.* Vet. Sch. Cruq.

10 Ex vetustis Libris Bentleius bene reposuit *fors quæ*; hoc est, aliqua.

Ut illi; *mercenario cuidam per quietem traditur Herculis thesaurum demonstrasse.* Vet. Schol. B. Persi 2. 10. *O si sub rastris crepet argenti mihi feria dextro Hercule.* G.

12 *Amico Hercule*; *Ideo quia thesauris præest; et sunt qui eundem Incubonem esse velint, unde putant quod Res rustica in tutela sit ejus: nam illi sacrificia reddunt rustici cum juvencos domuerint.* Vet. Schol.

13 *Si* clausam et conditionem impetrandi continet. G.

Gratum modo Passive pro *grate acceptum.*

14 *Præter ingenium*; ludit in gemino sensu:

(Quid prius illuſtrem Satiris Muſaque pedeſtri?)
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter,
Auctumnuſque gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.
Matutine pater, ſeu Jane libentius audis,
Unde homines operum primos vitæque labores
Inſtituunt, (ſic Dis placitum) tu carminis eſto
Principium. Romæ ſponſorem me rapis. ¶ Eiá,
Ne prior officio quiſquam reſpondeat, urgue:
Sive Aquilo radit terras, ſeu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
¶ Poſtmodo, quod mihi obſit, clare certumque locuto,
Luctandum in turba; facienda injuria tardis.
¶ Quid vis inſane? et quas res agis improbus? urguet
Iratis precibus; tu pulſes omne quod obſtat,

24 Urges *Lamb. et MS. Berſm.*—28 Et facienda *Bentl. et MSS. duo Berſm.*—29 Quid tibi v. i. et quam rem agis *Bentl.* *Illud* tibi *habent MSS. viam G.* *Sed potius eſt, illud* tibi *improvide aſſumtum a librariis, quam dediſſe Flaccum, ut vult Bentl., vel ut Cun.* et quæ agis.—30 Pulſas *MS. Berſm.*

nam pingue dicitur ingenium quod non ſubtile, ſed veluti craſſo filo: ſic et togam dicimus pinguem.

16 Hinc indicare incipit felicitatem ſuam ruſticantis, quam auget comparatione vitæ urbanæ. G.

In montes; in Sabinos meos.

Dilogus *arcem* poſuit pro montis ſummitate, et pro regia. *In arcem belle dixit, velut rex in villula mea.* Vet. Schol. B. *Arx*, villa in monte. Z.

17 Parentheſi incluſi verſum, ne interpellet nexum ſententiæ. G.

Illuſtrem, illuminem; exſequar. Vet. Schol. Cruq.

Pedeſtri, humili, proſaica.

18 *Mala*, moleſta: *ambitio, viſitatio amicorum.* Vet. Schol.

Perdit, enecat, ineptiendo ſcilicet et potando.

Plumbeus, quod plumbeos reddat. B. Inſalubris, qui corpus ſolet grave et languidum reddere. Z.

19 *Gravis*, ſævus, peſtiferus.

Libitina locus eſt in urbe quo conſtituuntur qui efferenda corpora conducunt, et præbent funeribus neceſſaria. Vet. Schol. *Sub tutela Libitinæ erant Deſignatores, Pollinctores, Uſtores, Sandapilarii, Veſpillones, Præfica, et Buſtuarii.* Torrent.

20 *Janus* et *Jana*; Sol et Luna, Κόρος et Κόρη, ab *ianire*, juveneſcere. Unde *Divus Janus* et *Diva Jana*; quod ſint perpetuo juvenes; et per hoc æterni. *Tu puer æternus—deus temporum et dierum: dicitur hic præeſſe rebus inſipiendis.* Vet. Schol.

Vitam urbanam deſcripturus incipit a prima parte diei, matutino, cui, ut omnium rerum initiis *Janus*, reſpectu diei *Matutinus* dictus præeſt. G.

Libentius audis; omnia deorum nomina citabant in hymnis, quod neſcirent quibus gauderent potiſſimum.

21 *Unde*, quo invocato.

22 *Inſtituunt*, ordiuntur, ineunt.

23 *Romæ, ad tuum Forum.* Vet. Schol. B. Cum Romæ ſum, mane me in forum tuum invitum etiam rapis, et ſic mihi imperas, *Eia*, &c. G.

24 *Officium* eſt quo perſona noſtra damus operam amicis.

Quiſquam, quidam alius.

Reſpondeat, ſatisfaciat. Vet. Schol. Cruq. h. e. fidejuſſorem ſe præbeat.

Urgue, propera. Vet. Schol. Cruq.

25 *Radit, ſtringit.* Vet. Schol.

26 *Interior gyrus* eſt, quem equi faciunt prope metam circi: a qua quo magis ſe removent, tanto majorem faciunt gyrum, ſ. anfractum, &c. G. *Interiore gyro*, breviore circulo, h. e. facit diem breviorem. Cf. Broukhuſ. ad Tib. IV. 1. 93. Z.

27 Cogitavit de Græco Proverbio, Ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτη. B. Similiter Germani *ſponſorem obtorto collo rapi* proverbio dicunt. G.

Clare certumque; ſatis ancipiti diſcrimine. B.

Ad Mæcenatem memori ſi mente recurras.
¶ Hoc juvat, et melli eſt, non mentiar. At ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa ſaliunt latus. Ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.
De re communi ſcribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminiſſes, Quinte, reverti.
Imprimat his cura Mæcenas ſigna tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit, et inſtat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere ſuorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet, iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus; Hora quota eſt? Threx eſt Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent:
Et quæ rimoſa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus ſubjectior in diem et horam
Invidiæ. Noſter ludos ſpectaverat una;

32 Mentior *Sax. et MS. Berſm.*—44 Thrax an Gall. *Lamb. et MSS. duo Berſm.*—48 Invidiæ noſter. Ludos ſpectaverit—Luſerit *Bentl.*

Verba ſponſionum quam clariſſime concipiuntur, et adhibita ſtipulatione certa redduntur. G.

29 Bentleius de ſuo poſuit *quam rem agis*, nimis ſcabre uti ego ſentio. B.

Mutavi diſtinctionem, ut *improbus* fiat convicium cujuſcunque cubito demoti ab Horatio, in ipſum Horatium. *Urguet* poſitum abſolute, ut *impulit*, de quo Bentl. Ser. 1. 4. 78. *Urget tardos* aliquis, *cui facta injuria, iratis precibus*, imprecationibus, diris, ac dicit, Tu, Horati, *pulſes*, &c. G. Vulgo diſtinguunt *agis? improbus urget. Tu improbus*, impudens, maledicus: *urguet*, inſtat.

30 *Precibus, imprecationibus.* Vet. Schol.

Tu pulſes. Comice de ſe loquitur ſecunda perſona, et Emphatice, quaſi dicat, Oportet tamen me ſurdum eſſe et properare.

31 *Memori mente*, promiſerat enim ad cœnam. B. Animo cupido et hoc agente. Z.

32 *Hoc juvat*, pulſare ſcilicet plebeculam. B. Quid juvat ad Mæcenatem ire. G.

Atras, exſecrando dicit *atras*, quaſi infelices, et horrendas. B. Immo, nuper atras, funeſtaſque. Vid. Ser. 1. 8. 14 ſqq. G.

33 *Eſquilias*, ad domum Mæcenatianam.

34 *Ante ſecundam*, nam *Bueres* [*Buxeres*] *tertia cauſidicos*, ut ait Martialis. *Tertia* autem nobis Nona eſt.

35 *Sibi adeſſes*; h. e. advocatus ſis, vel etiam teſtis.

Ad Puteal; *in quo Tribunal ſolebat eſſe Prætoris.* Vet. Schol. Vid. Epiſt. 19.

36 *De re communi*; *hoc loco ſignificat ſe Horatius Decuriam habuiſſe.* Vet. Schol. B. Vid. ad Sat. 2. 5. 55. In Decurias diviſi ſcribæ, decuriam i. jus illud collegii et poteſtatem adeo ſcriptum faciendi emere vendere poterant. G.

Nova, inexſpectata.

37 *Reverti*, ad curiam ſcilicet ſcribarum, quorum erat decurio. B.

38 *Signa*, Auguſti ſigillum quod cuſtodiebat. B. *Cura*, fac ut ſignes.

39 *Dixeris*, imperſonaliter, et negligenter: debebat enim *ſe dicam*, vel *dixerim*. G.

43 *Nugas*; *Hoc dapſiles tacituinitas Mæcenatis, qui nihil ſerii communicabat Horatio.* Vet. Schol. Cruq.

44 Torrentii et Cruquii Codices legerunt *Threx* pro *Thrax*, quod perinde eſt. Thrax parmula Thraïcia et gladiolo falcato depugnabat.

45 De frigoris noxa Sat. 1. 1. 80. Cœterum juvabit cum hoc charactere componere illum quem ex Ennio refert Gell. 12. 4. G.

48 *Noſter*; Ethopœia Invidorum. B. V. Sch.

Luſerat in campo; Fortunæ filius; omnes.
Frigidus a Roſtris manat per compita rumor:
Quicunque obvius eſt, me conſulit; ¶ O bone, (nam te
Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
Num quid de Dacis audiſti? ¶ Nil equidem. ¶ Ut tu
Semper eris deriſor! ¶ At omnes Dî exagitent me,
Si quicquam. ¶ Quid? militibus promiſſa Triquetra
Prædia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus?
Jurantem me ſcire nihil mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique ſilentî.
Perditur hæc inter miſero lux, non ſine votis:
O rus quando ego te aſpiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno et inertibus horis
Ducere ſolicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?
O noctes cœnæque Deûm! quibus ipſe meique,

57 Miratur *Bentl. ex uno cod.*

ad vocem *Noſter*, *Ita dicebant*, inquit, *invidi*. Nempe invidorum de ſe Sermones poeta refert hos: Noſter Flaccus ludos ſpectaverat una cum Mæcenate—Luſerat cum Mæcenate: omnes ſubjiciunt, Fortunæ filius eſt hic homo. Illud *ſpectaverat—luſerat* indicio eſt, has eſſe quaſi de medio ſermone excerptas particulas: alias enim poſuiſſet *ſpectavit*, *luſit*. Si probaſſet Bentleius, vel probari poſſe putarem, *Noſter* poni poſſe pro *ego*; plane probarem illius lectionem: *Per totum—invidiæ noſter*. *Ludos ſpectaverit una*, *Luſerit*, &c. G.

Ludos, Comœdias.

Miror placuiſſe Bentleio *ſpectaverit* et *luſerit* pro *ſpectaverat* et *luſerat*, auctoritate rariorum Codicum tantum. Pluſquam perfecto modo utitur Horatius pro Recordativo Tempore.

49 *In Campo* Martio ſe exercuerat.

Fortunæ filius; ſic et Græci εὐδαίμων ὁ δεῖνα fortunatum dicunt, uti Sophocles.

Omnes, ſupple dicunt.

50 Omiſſum *ſi* vel quoties. G.

Frigidus rumor, rumor fundus, vel nullo, vel incerto auctore. B. Fortaſſis *rumor frigidus* eſt triſtior, qui frigore ſ. metu pervellit animos hominum. Z.

A Roſtris; Roſtra erant in Foro. In Foro autem et Compitis maxima hominum frequentia.

51 *O bone!* Frigida compellatio.

52 *Deos* dicit *Auguſtum et Mæcenatem*, non tamen ſine mixtura Ironiæ, ex invidi perſona.

53 *De Dacis, qui tunc rebellabant Romanis.* Vet. Schol. Cruq.

54 *Deriſor*, Ἐκμυκτηριστής, A BANTERER.

Exagitatur a diis, qui ob ſcelus perpetratum furore concutitur. Vet. Sch. Cruq. B. Putd in tali contextu non elidi vocalem contractam in Dî, ſed legi *Dî agitent me*, Græco more. G.

55 *Poſt bellum Philippenſe metationem agrorum promiſit Cæſar.* Torrentius. Sed probabilius eſt acciduſſe poſt bellum Actiacum, de quo nunc agit Horatius. B. Ex Bentleianis rationibus, quæ mihi videntur veriores, ad A. U. 718. ubi Sexto Pompeio devicto, exuto Lepido, agros diviſit: de qua re Dio, 49. 14. G.

Triquetra, Sicula, Trinactia. *Militibus emeritis vel dabatur ſtipendium ex ærario, vel aſſignabantur agri quos colerent.* Vet. Schol. Cruq.

57 Non placet Bentleii *miratur*, nam de pluribus agit. Quin et *Quicunque obvius eſt* [v. 51. ſupra] vim habet Pluralis Numeri, neque in tali caſu Singulare Verbum ſatis videtur convenire.

Unam, unicum.

58 *Scilicet*, plane, pro certo.

62 *Ducite oblivia*, tanquam hauſtu Lethæo; et mecum eſt Torrentius *Ducere, id eſt, potare.* Vet. Schol.

63 *Cognata*; Pythagoras credebat fabarum

Ante larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices conviva solutus
Legibus insanis; seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit lætius. Ergo
Sermo oritur non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos?
Et quæ sit natura boni? summumque quid ejus?
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Solicitas ignarus opes, sic incipit: ¶ Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper, et attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum et ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna

67 Prout *omn.* Cum, ut *Bentl. ex uno MS.*—70 Humescit *S. Z. P. Fabric.* 1535. *Glar. Venet.*—77 Vicinos *MS. Bersm.*—78 Nam si quis laudat *Ven. Glar. Lamb.*—83 Ille *etiam G. S. Bes. F.*

caulículis ascendere animas hominum ex Orco, quod faba genitale caput referret. Inferorum portas etiam appellabat fabarum cáules, quod gemículis cárerent. Vide et alias rationes in Rutgersii Venusinis Lectionibus c. 24.

65 *Deûm. Namque deos didici securum agere ævum*, ut noster alias.

66 *Ante larem*, focum scilicet: nam focus ara est larium.

Procaces, qui confidenter loquuntur et libere. Vet. Schol. Cruq.

67 *Libatis*, degustatis, diminutis. Vet. Schol. Bentleius de his pro *Prout* posuit *Sum.* Displicuit illi sonus vocis *Prout*. Nimis hic videtur delicatus pro Satirico stilo.

69 *Insanis*: Leges dicit Architoclinas, quando capaces calices cíbibus ad æquales hausus. Vet. Sch. Cruq.

Capit acria, potest bibere grandia, quod acris potatoris est.

70 Comica *Ergo* pro Deinde.

72 *Lepos, nomen saltatoris ignotissimi.* Vet. Schol. B. Videtur ex re impositum nomen. G.

73 *Agitamus, disquirimus.* Vet. Schol. Cruq.

75 *Usus, utilitas: rectum, honestus.* Vet. Sch. Cruq. Quod ad rationis normam exigitur et rectum est et honestum.

76 *Natura, Definitio.* Vet. Schol. Cruq.

77 *Garrire est jucunde narrare.* Cruq.

78 *Ex re, ad exemplum rei propositæ pertinentia.* Vet. Schol. Nam ex re præsenti eas in memoriam revocabat.

Bentleius in vetustissimis reperiri scribit *Si quis nam*, inversim [pro *Nam si quis*] Lucilliana constructione.

Arelli, prædivitis et avari. Probabile est colonum hunc fuisse non longe ab Horatii villa, et prædivitem.

82 *Asper*, alienus a delicils.

Attentus, admodum cautus circa sumtus.

83 *Solveret*, laxaret, aperiret. B. Sensus est:

Vincere tangentis male ſingula dente ſuperbo:
Cum pater ipſe domus palea porrectus in horna
Eſſet ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc, Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorſo?
Vis tu homines urbemque feris præponere ſilvis?
Carpe viam (mihi crede) comes, terreſtria quando
Mortales animas vivunt ſortita, neque ulla eſt
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus;
Vive memor quam ſis ævi brevis. Hæc ubi dicta
Agreſtem pepulere, domo levis exſilit: inde
Ambo propoſitum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni ſubrepere. Jamque tenebat
Nox medium cœli ſpatium, cum ponit uterque
In locuplete domo veſtigia; rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos,
Multaque de magna ſupereſſent fercula cœna,
Quæ procul exſtructis inerant heſterna caniſtris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit
Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuatque dapes; nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata ſorte, boniſque

92 Vis tu *probat Bentl. et ſic G. Z. &c.* Vin' tu *al.*—95 Bene *G. F.*—108 Vernal. *etiam G. Z. F.* Verniliter *Bentl. auctoritas hic et alias fere par.*—109 Prælibans *Bentl. Cun.*

in tamen parcus et attentus ad rem, ut erga hoſpitem ſe liberalem præberet. Z.

Optime Bentleius ex Libris *illo* poſuit pro *illi*.

84 *Longa; habent enim glumam longam.* Vet. Schol. Cruq. Forte legendum *glumam longam.*

85 *Adimam*, pro *demo*, *ponitur.* Vet. Sch. Cruq.

87 *Male, vix.* Vet. Schol. Cruq.

88 *Cum pater ipſe*, Ridiculus Stili gravitas.

Horna, hujus anni, ſive Horæ, ſenis.

89 *Ador, far, ſea, vel ſpelta.* Torrent. B. *Relinquens* ſcil. hoſpiti. Z.

90 *Quid te juvat*, cur adeo delectaris.

91 *Patientem*, durum atque aſperum.

Dorſo nemoris villa erat Horatiana.

92 *Vis tu homines*; callide extorquet inſinuandos

93 *Carpe viam*; Heroicum charactera affectat in re ridicula.

94 *Mortales animas*; Urbani mures Epicurei ſunt. Vult autem ſignificare ſolis aſtris animas eſſe immortales. *Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque deorum.* Ovidius.

97 *Vive memor*, h. e. carpe diem.

98 *Pepulere*, attigit ejus aures.

Levis exſilit; Energia ſive Iconiſmus.

101 *Medium cœli ſpatium*, Metaphora a Circo, qui templum erat cœli et imago mundi.

103 *Canderet*, rubore fulgeret.

104 *Fercula, caſa quæ pleno putamina ſcriorum ſunt, et pinantur in caniſtris cum his quæ ſuperfuerunt.* Vet. Schol.

105 *Procul*, in altum, quomodo et Virgilius: *Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.*

Rebus agit lætum convivam; cum ſubito ingens
Valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque.
Currere per totum pavidi concluve, magiſque
Exanimes trepidare, ſimul domus alta Moloſſis
Perſonuit canibus. Tum ruſticus, Haud mihi vita 115
Eſt opus hac, ait, et valeas: me ſilva cavuſque
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

SATIRA VII.

Lepide ſe ipſe carpit ex perſona ſervi: et oſtendit liberum eſſe ſolum ſapientem. B. (Sequitur hic quoque morem ſuum, et ſeveriora præcepta, quæ approbare ſe aulicis ſuis poſſe vix ſperat, ex perſona Criſpini proponit (ut in Damaſippo ſ. 2. 3.) quæ venuſta quadam Oeconomia hic a ſervo ſibi ſuo fingit ingeri. G.) Inducitur ſervus, qui data per Saturnalia dicendi libertate, Horatio ea objicit, quæ ei vulgo ab obtrectatoribus et malevolis hominibus crimini data eſſe videntur. Hac ratione haud dubie efficere voluit, ut obtrectatio vana et irrita redderetur. Nam quæ hic vituperantur, ea primum a ſervo nequam proferuntur, deinde partim ſunt reprehenſione non digna; partim prorſus ſunt ficta et a perſona Horatii aliena, veluti quæ Davus ex Criſpini Stoici philoſophi janitore audierat et hic confuſe repetit; partim leviora vitia, a quibus ſe non liberum eſſe ipſe Poëta alias fatetur, et quorum facile ab æquis rerum judicibus veniam ſibi datum iri ſperabat.

Jamdudum auſculto; et cupiens tibi dicere ſervus
Pauca, reformido. ¶ Davuſne? ¶ Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi quod ſit ſatis; hoc eſt,
Ut vitale putes. ¶ Age, libertate Decembri 4

108 *Vernaliter:* ad inſtar urbani et delicati miniſtri.

109 *Officiis* miniſtrandi.

Prælambens, deridet lautorum ſervos. Minus placet Bentleii *prælibans*, quod in rariore reperit Exemplari. Certe *prælambere* magis erat vernæ quam *prælibare*. *Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo.* Juvenalis 9. 5.

111 *Agit l. conv.* præbet ſe lætum convivam.

112 *Excuſſit*, exterruit.

113 *Currere*, ſupple *cœperunt.*

114 *Moloſſis, Epiroticis.* Vet. Sch. Cruq.

116 Omnes Cruquii Codices legerunt *valeas*, pro Lambini *valeat.*

117 *Ervo*, Ὀρόβῳ. *Ervum* agreſtis eſt vicia.

SAT. VII.

1 *Auſculto*, auditor ſum tuarum Satirarum doctique ſermonis. Rutgerſius tamen hæc verba Horatio tribuit, quod non placet. B. Neque his poſſum aſſentiri, neque Bentleio, qui putat his verbis continuari Satiram præcedentem. Sed puto ſervulum introduci, qui dicat, ſe jam diu auribus captare, et velut venari opportunitatem loquendi. G.

Tibi, h. e. in te. *Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?* Juven.

Servus, ſupple *quia.*

2 *Reformido*, præ formidine me contineo.

Davuſne? Inducit ſervum, tanquam Satiricum hypocritam, ridentem omnia quæ de virtute ſplendide dixerat.

(Quando ita majores voluerunt) utere; narra.
¶ Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urguet
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia, saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas,
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste.
Jam moechus Romae, jam mallet doctor Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo

13 Doctus Athenis *Ven. Glar. Lamb. Bentl.*—15 Chiragra *Vulg.* Cheragra *post alios accuratiores etiam Cun.*—17 Pyrgum *G. marg. S. Z. Ven. Glar. Lamb.* Figulum *G. Med.* 1477. *&c.*—19 Ille *Ven. Glar. Bentl.*

Ita, Davus; Comica confidentia respondet.

3 *Meretrino*, vilissimum servi nomen.

Frugi, h. e. frugi bonae; non adeo nequam.

4 *Ut vitale putes; etenim qui nimii sunt in bonis, eos vitales non esse praedicimus.* Vet. Schol. *Eximie boni cito moriuntur.* Torrentius.

Libertate Decembri; convenienter haec aguntur Saturnalibus, quo tempore ex abitinione aurei saeculi omnes exaequabantur.

6 *Constanter*, perseveranter.

Propositum cursum *urguent* nautae.

7 *Natat*, fluctuat, et per hoc cursum mutat. B. Hanc inconstantiam describit pulchre Ser. 1. 3. pr. G.

8 *Pravum* inhonestum est et contrarium recto. Et rectum et pravum ad rationis normam exigimus.

Obnoxia, prona, proclivis.

9 Pro *annellis* veteres MSS. legunt *anellis*. Lambinus. Sic et Vet. Schol. Bentleius pravae *annellis*.

10 *Clavum, propositum vitae.* Vet. Schol. Et bene perseverat in Metaphora. Frustra sunt interpretes qui clavos vestium crepant. B. Oblitus videtur vir doctus loci, qui hunc illustrat Ser. 1. 6. 17. Et *clavus* ille vestis insigne demum per metaphoram institutum vitae notare potest. Natat Priscus, fluctuat, cum domo prodeundum est clavum ne latum sumat, an angustum, an togam puram? G.

11 *Aedibus ex magnis* intell. migrans. G. *Se conderet*, abderet se in cenaculum aliquod. B. Apte dixit, pro migraret in parvam domum, quae vix libertino digna esset. Z.

12 *Mundior; paulo liberalior.* Vet. Schol.

13 Quinque Lambini et totidem Cruquii Codices legerunt *Doctor* pro *Doctus*. *Dicitur enim Persius Oratoriam docuisse.* Vet. Sch. Cruq.

14 *Vertumnus deus est naturae.* Vet. Sch. Cruq. B. Describit pulchre Prop. 4. 11. Cic. *Quotquot sunt; fere in omnibus municipiis Italiae consecrabantur ejusmodi simulacra.* Vet. Schol.

Iniquis, iratis. Vet. Schol. Quod vim suam ei incusserint omnes isti Protei, sive Vertumni. B. *Natus Vertumnis iniquis* est, qui levi et inconstante est ingenio. Z.

15 *Scurram*, urbanum dicit aliena vivencem quadra.

Bene justa quae ejus puniret insaniam. Vet. Sch. *Et nunquam dixt justior ulta fuit.* Ovidius, citante Henrico Stephano. B. *Justum* illi de magna et gravi interpretantur. Z.

Bentleius in uno reperit *cheirobra*, atque ita ipse edidit, nec male.

16 *Contudit*, edomuit, fregit. Contundendo fere domantur insani, et feroces equi.

17 *Phimus instrumentum ex lignum finem oris ex quo conjiciuntur tesserae, fritillus, pyrgus.* Vet. Schol. Cruq. Martialis *turricula* etc. *Pyxis cava sine fundo.* Alter Schol.

Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
¶ Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant,
Furcifer? ¶ Ad te, inquam. ¶ Quo pacto, pessime? ¶ Laudas
Fortunam et mores antiquæ plebis; et idem,
Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recuses;
Aut quia non sentis quod clamas rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et hæres,
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas, absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus: ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se
Mæcenas serum sub lumina prima venire
Convivam; Nemon' oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furisque.
Milvius et scurræ tibi non referenda precati
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor;

---

30 *et* 31 Usquam in-vitus *conj. Marcil.*—35 Fugisque *etiam S. Z. Med.* 1477. *it. Ven. Glar. Lamb. Bentl.*

19 *Levis*, ... lerabilius B. Mimis. Z.

Cum Turnebo et Lambino pro *prior ille*, reposuimus *prior illo*, quod et Scholiasta probant. Bentleius retinens *prior ille*, quod mirum videtur. B. *Prius*, præstantior. Z.

20 *Jam contento, jam laxo fune*; Transfugio ab *intento ad remissum*. Lambinus. Num modo indulgent sibi nihil, modo omnia.

Nulla ... et contento tamen et laxo sibi displicet; tum semper relicta quærit.

21 *Non dicis*, ad Emphasin posuit impatienter exspectantis responsionem.

Ponis ... *inepta, edisa.* Vet. Schol.

23 *Furcifer*, [supple *tumilum*.

24 *Si quo casu* ... etiam impossibilia divinæ potentiæ falso antiquitus creditum est.

25 *Clamas*, ad ravim usque molestus ac si doceret, quod non crederet ipse, studio contradicendi.

26 *Insanisne?* pro mollitia non vales exsequi quæ decreveras.

27 *Cato* ... exercuit Græcum 'Ελεύθερε ἐρώτα, [scilicet, Quod Terentius monuit post Cruquium.

Sanorum ... *dimittunt senem.* Vet. Sch.

Stertum dicit nullis turbis vel ineptiis interpellatum, et quo quis placide fruitur, et sine aliquo incommodo suo. B. *Velut usquam vinctus eas*, quasi semper ad cœnam eas coactus, invitus, quasi vinculis tractus. Z.

32 *Jusserit*, i. e. si jusserit. Z.

34 *Oleum petit* ... *desse.* Vet. Schol. Cruq. Ego Lucernarium oleum dici puto, nec dubitabit lector. Satis erat olei balnearii apud Mæcenatem.

Rectius Bentleius *fert* in Præsenti [pro *ferat*] ex plurimis Libris.

35 *Blateras*, incondite clamas.

Pro furisque Bentleius *susus* [est] reponere de suo *fugisque*.

36 *Milvius et scurræ*, Vafre Milvium Horatii clientem scurris annumerat, urbanum significans parasitum, magis quam commodum sodalem. Et *Milvius* scribebatur et *Mulvius* in pluribus Libris. In causa fuit quod (ut sæpius dictum est) Vocales o, u, et vere ejusdem fuerint prolationis. Bentleius in Edito suo posuit *Mulvius*.

37 *Dixerit ille*, h. e. posse aliquem dicere. B. Dicere potest Milvius. G.

Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, cum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior, verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
Me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
Dum, quæ Crispini docuit me janitor, edo.
Te conjux aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrûm cruce dignius? acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum, neque solicitum, ne
Ditior aut formæ melioris meiat eodem.
Tu, cum projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es quod simulas? metuens induceris, atque

39 Sim quid vis *Ven. Glar.*—42 Ipse *Glar. Lamb.*—45 Chrysippi *F.*—46 Conjunx *Glar. Bentl.*

38 *Levem*, cupidum. B. Pictura lepida auram et nidorem culinarum captantis, cujus ab ipso respiratu tollatur et velut suspendatur nasus. G.

39 *Popino*, popinarum et ganearum consectator et amator. Z.

Imbecillus, iners, libidini obnoxius et cessator.

Si quid vis, h. e. Si qua cupis. Et Comicum est et Morale. IF YOU HAVE ANY MIND TO IT.

40 *Ultro*, nulla alia causa nisi quod ita velis: sola voluntate.

42 Verba *Obvolvas vitium* sunt ultima eorum quæ tribuuntur Milvio. Nunc addit de se Davus, *Quid si me stultior ipso*, non modo Milvio, tui ordinis homine, sed me, servo. G.

43 *Auser terrere*, h. e. Vide ne terreas; Comica elocutio. B. Hic nempe fugitur frontem contrahere, et minacem digitum tollere Horatius. At servus postulat, ut sibi liceat, salvis cruribus, recitare quædam de Crispini disputationibus sublecta, non in Horatium dicta, sed in vitiosos, quæ tamen vernili quadam malignitate torquet in herum. G.

45 *Janitor*; scite Poetæ servus Philosophi servum audit.

47 *Acris*, callida, vel ardens.

48 *Sub clara nuda lucerna*, in lupanari scilicet: etiam Juvenalis Messalina erat *fumo lucerna fœda*. B.

51 *Famosum*, infamem. Z.

52 *Meiat eodem*; projecte loquitur ut verna.

53 Non objicit hæc servus Horatio: sed, uti dixerat, de Crispini declamationibus quædam repetere se ait, (qua œconomia Horatius alium mordere voluit, arbitror) unde etiam v. 72. *Non sum machus*, &c. Et perpetuo hoc gloriatur, ab illicitis se purum. Quæ fuisset impudentia, hæc de se scribere? Taceo, quod non constat, an anulo equestri usus, an judicum decuriæ alicui adscriptus unquam Flaccus fuerit: licet Tribunatus ei locum in equestribus, (unde una cum Mæcenate ludos spectare potuit, Ser. 2. 6. 48.) Augusti gratia censum forte equestrem dederit. G.

Annulo equestri; vaferrime tanquam de persona sua insignem aliquem mœchum perentit.

54 *Romano habitu*; Toga Romanorum propria.

Notum est tunc temporis judices electos fuisse ex Equestri et Senatorio Ordine. B. Dama servile nomen etiam Ser. 1. 6. 38. G.

55 *Lacerna*; rusticorum Lacerna cucullata

Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis, ferroque necari
Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis
Contractum, genibus tangas caput? Estne marito
Matronæ peccantis in ambo justa potestas?
In corruptorem vel justior: illa tamen se
Non habitu mutatve loco, peccatve superne,
Cum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Eyâsti? credo metues, doctusque cavebis.
Quæres quando iterum paveas, iterumque perire
Possis. O toties servus! quæ bellua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

62 Ambos *edd. vett.*—64 Peccatque *coll. Sax.*—68 Metues, credo, *Bentl. ex ed.*—70 Totiens *Bentl.*

erat, et a servis gestata, uti hodie a mulierculis nostris.

56 *Quod simulas*, h. e. revera servus es.

Induceris; in domum adulteræ, Vet. Sch. B.

57 *Altercante*, h. e. metu pugnante cum cupiditate. Z.

58 *Quid refert*, Quid interest? *Refert tanquam Rei fert.* Donatus. Verum nil opus, cum prima syllaba sit communis.

Uri virgis; Gladiatores ita se vendunt, et cautionem faciunt, Uri virgis; ferro necari. Vet. Schol. Cruq. B. Petro. 117. *In verba Eumolpi sacramentum jusjurandum, uri, vinciri, verberari,—tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus.* G.

59 *Auctoratus, qui se vendidit ludo, auctorati vocantur.* Vet. Schol. Auctoramentum pretium erat, quo accepto gladiatores et milites addicebant se. Vel ancillæ, cf. supra Serm. I. 2. 130. Z.

62 *Justa potestas: Lex fuit apud Athenienses, ut adulterum cum adultera deprehensum marito liceret occidere; hanc Lex abolita est Lege Julia, qua justa cognitionem adulterii ad Judices refertur.* Vet. Sch. B. *Justa potestas* lege naturali, et consuetudine Romana, de qua etiam plusc. Sat. 1. 2. 37. et 127. sqq. Lex Julia formam et modum præscripsit ultionis maritorum, sed post hujus Satiræ tempora. G.

64 *Non habitu: non deponit ingenuitatis insignia.* Vet. Schol. Cruq.

Mutatve loco; vel gerit se pro ancilla, ut pro Dama.

Peccatve superne; inferne tantum meretrix est, neque enim cucullata incedit ut tu, et discernata prostibula. Cæcutiunt hic doctissimi et monstra fingunt, dum non advertunt hæc dici ἐφ' ὑψηλοῦ σκώμματος, ut ait Cruquianus Interpres, qui eo dicto facem nobis prætulit. B.

Fateor etiam me hic non esse Lynceum: nisi quod placet comparari peccatum adulteræ humilioris conditionis cum adulterii altioris loci turpitudine. Modestior illa est, cautior est, non se permittit adultero, ut hic dominatrix se adulteræ et illius viro. G. Sunt qui *superne* interpretentur ex versu 50. Z.

68 *Cum*, etsi. B. Quia. Z.

Mulier, quia mulier.

66 *Ibis sub furcam: in servitutem.* Vet. Schol. Nam furcæ ferendæ obnoxii erant servi. *Est autem furca lignum planum cui vinci solent*; ut monuit Lindenius ex Plutarchi Coriolano. Quin et verniliter docuit in muliebrem furcam quam subit mœchus. B. Hoc vult, quid causæ dices, personate servæ, si pro servo te tradet maritus, in crucem te agat? G.

Libidinem dicit dominum. B. Minime vero, de marito sermo est, quem dominum sibi adulter constituit, ut is possit in vitam, corpus, famam, rem ipsius grassari. G.

69 *Corpore*, ea parte corporis qua vir est.

68 *Furens*, maritus.

Non ſum mœchus, ais: neque ego, hercule, fur, ubi vaſa
Prætereo ſapiens argentea: tolle periclum,
Jam vaga profiliet frænis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantiſque minor? quem ter vindicta quaterque
Impoſita haud unquam miſera formidine privet?
Adde ſuper, dictis quod non levius valeat; nam
Sive vicarius eſt, qui ſervo paret (uti mos
Veſter ait) ſeu conſervus; tibi quid ſum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer, atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; et in ſeipſo totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit ſemper fortuna. Poteſne
Ex his ut proprium quid noſcere? Quinque talenta
Poſcit te mulier, vexat, foribuſque repulſum
Perfundit gelida: rurſus vocat. Eripe turpi
Colla jugo: Liber, liber ſum, dic age. Non quis;

78 Adde *ſuper, dictis etiam G.* Supra dictis *al.*—83 Sibi qui *etiam G. S. et primæ edit.*

69 *Periit*, Hypesbole pro ingens adire periculum.

71 *Prava*, stolide perversa.

73 *Tolle periclum*, crede ro infra Epist. I. 16. 53. Z.

75 *Rerum imperiis; cui pecuniæ, amor, libido, homines tot tantique imperant, dignum est te imperare mihi?* Vet. Schol. Cruq.

76 *Vindicta, virga Prætoris qua pertusti lantur servi dum liberi fiebant, unum mittebatque capiti impositæ: unde semper multi fit manumissio, Vindicta, sensu, Tertullianeo.* Vet. Schol. Cruq.

78 Melior Lectio est Bentleii ex Libris. *Adde super* [quam *Adde supra*] ih. *Super adde*, Luciliano puto stilo.

79 *Ultimus Socratici*, h. e. unus ex ingenuis ridendis nominare consuevisti. Bon *Vincius*, servus qui est in alterius servi peculio.

82 *Mobile lignum Oplastiqua fabricata de ligno facta nervis moventur pro* Vet. Schol. *Nevrospasta* Græcis appellabantur istæ Apage Bentleii *mobile signum.* Majus quid est moveri *lignum* quam *signum.* Quid quod in nullo Libro legatur *signum?*

83 *Sibi qui imperioſus*; qui imperat affectibus. Lege cum Bentleio *ſibi qui* [pro *ſibique*].

85 *Reſponſare*, cum vultu negare, et obsistere. B. *Reſponſare* est detrectare imperium. G.

86 Stoicus sapiens deo Stoico similis h. e. mundo, rotundus est, ut ad centrum, ad animum et felicitatem illius, introrsum velut nutu suo ferantur quæ agit omnia; i. e. ipso suspensus ut habeat bene vivendi rationes. V. Cic. Fam. 5. 13. pr. Globus marmoreus ob ipsam levitatem non potest facile sufflaminari. G.

Teres, æqualis. Vet. Schol. *Lenis.*

87 *Externi ne quid, τὸ ἔξω λυπῇ.* Vet. Schol. Cruq.

Per leve, propter levigationem ejus, h. propter effectam sapientiam, qua veluti marmoreus ad unguem perpolitur Stoicus.

88 *Manca, inefficax.* Vet. Schol.

89 *Noſcere, agnoſcere.* Vet. Schol.

90 *Vexat*, inquietat dictis, lacessit.

Urguet enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat laſſo ſtimulos, verſatque negantem.
Vel cum Pauſiaca torpes, inſane, tabella,
Quî peccas minus atque ego, cum Fulvî Rutubæque,
Aut Placideiani contento poplite miror
Prœlia, rubrica picta aut carbone; velut ſi
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? Nequam et ceſſator Davus; at ipſe
Subtilis veterum judex et callidus audis.
Nil ego, ſi ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus atque animus cœnis reſponſat opimis?
Obſequium ventris mihi perniciosius eſt: cur?
Tergo plector enim; quî tu impunitior illa,
Quæ parvo ſumi nequeunt, opſonia captas?
Nempe inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ,
Illuſique pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus. An hic peccat, ſub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat ſtrigili? qui prædia vendit,
Nil ſervile, gulæ parens, habet? Adde, quod idem

102 Nil ſum ego *Mediol.* 1477. Ductor *Beſ. Animado.*—105 Quid? tu *Lamb.*—106 Cum opſonia *Ven. Glar.*—107 Immarceſcunt *G.*—109 Uva Furtivam m. ſtrigilem. *Lamb.*

91 *Gelida, ſupple aqua.* Vet. Sch. Per iſtam contumeliam ſignificare voluit amoris extinctionem.

93 *Urguet*, impellit.

94 *Laſſo*, inerti.

Stimulos, urticas.

Verſat, agitat, quieſcere non ſinit.

95 *Pauſiae nobilis Pictor fuit.* Vet. Schol. De quo adi Plinium.

Torpes, præ nimia admiratione obſtupeſcis, et per hoc multa impendis.

96 *Fulvî Rutubæque*; inſignes erant gladiatores: de Placideiano Lucilius; (apud Non. 4. 64.)

Cum Placideiano hic componitur, optumu' longe
Poſt homines natos, gladiator qui fuit unus.

97 *Contento poplite, gladiatorum pugnat extendit poplitem.* Vet. Schol. Cruq.

98 *Rubrica picta*; an in taberna aliqua vinaria, ubi ceſſator iſte potabat?

Velut ſi; ridicula laudatio plebeii artificis. B. Forte ne artificis quidem, ſed otioſi hominis, qui qualemcunque delineandi facultatem a natura habeat, eaque petulanter utatur. G.

100 *Arma viri*, ſuaviſſima Parodia Æneadis. B. *Davus* ſcil. audit ſ. dicitur. Z.

101 *Audis*; famam tu trahis unde ego infamiam.

102 *Nil ego; homo nihili.* Vet. Schol. Cruq.

Libum, panis erat dulciarius ex oleo, melle et farre. GINGERBREAD.

103 *Virtus* eſt qua viri ſumus, et *ſpiritum* hoc loco ſignificat.

Reſponſat; verbis Herculis obſiſtit. B. Vid. v. 85. Baxterus reſpicit ad Prodicium illum Herculem Xenophontis, voluptate conculcata virtuti ſe tradentem. G.

104 *Obſequium ventris*; veluti Subjectio eſt; ex perſona enim ſua et interrogat et reſpondet.

105 *Tergo plector*, h. e. ego quidem vapulo, tu cruditatibus laboras.

106 *Sumi*, edi, vorari, uſitato Charientiſmo. *Captas*, piſcaris, venaris, aut ſequeris.

107 *Inamareſcunt*, acuſcunt: vomiturientibus commovetur bilis.

108 *Illuſi pedes*; *qui cum ſtare ſe poſſe credunt, vacillant.* Landinus.

Vitioſum, ægrotum.

110 *Furtiva ſtrigili*, ea Lectio eſt omnium

Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere; teque ipsum vitas, fugitivus ut erro,
Jam vino quærens, jam somno fallere curam:
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.
¶ Unde mihi lapidem? ¶ Quorsum est opus? ¶ Unde sagittas?
¶ Aut insanit homo, aut versus facit. ¶ Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

SATIRA VIII.

In Nasidienum Rufum convivatorem vapide garrulum. (Plusc̃ula his similia sunt Ser. 2. 4. G.) Fundanius Horatio rogatus narrat convivium, quo Mæcenas exceptus erat a Nasidieno quodam, homine inepto et ridiculo, qui singulorum ferculorum juriumque præstantiam putide enarrat et rationem conficiendi exquisitam exponit. Quare merito ab umbris Mæcenatis deridetur hominis stultitia et inepta jactatio.

Ut te Nasidieni juvit cœna beati?
Nam mihi quærenti convivam, dictus here illic
De medio potare die. ¶ Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. ¶ Da, si grave non est,

1 Ut Nasidieni *cum Bentl. etiam G. et H.*—2 Conviram quær. *Bentl. Cun.*—4 Dic *omnes ante Ald. it. Torr. Bentl. Cun. G.*

meliorum Codicum, pro *Furtivam strigilem*, estque Hypallage. *Strigil est instrumentum aueum quo sudorem in balneis solent homines tergere, hodieque in campsariis multæ sunt strigiles Romæ.* Vet. Schol. Legendum puto *capsariis:* nam Balneorum erant capsæ, seu loculi ad res balnei reponendas. B. Mihi videbantur *campsoriæ* esse tabernæ, ubi varii generis scruta venduntur, emuntur, *permutantur*, unde nomen: est enim *campsare*, mutare. G. Sensus est: Quod si servus peccat, qui strigili furto ablata emit sibi unam; nonne is magis peccat, qui prædia vendit ad opsonia emenda? Z.

112 *Recte*, cum ratione, sapienter.

113 *Ponere*, impendere.

Fugitivus ab erro, sic legimus cum optimis Cruquii MSS. pro *Fugitivus et erro*. *Est autem erro servus nugator vagabundus, sed tandem ad dominum rediens.* Ulpianus, citante Cruquio.

114 *Fallere curam*, oblivisci solicitudinis.

115 *Atra*, infelix, dira. B. Car. 3. 1. 40. *Post equitem sedet atra cura.* G.

116 Fatigatus Horatius longa disputatione Stoica, lapidem quærit, vel sagittas, quibus importunum servum abigat. G.

Unde mihi lapidem? supple comparem.

117 *Aut versus facit*: Dilogen et παρὰ προσδοκίαν: nam et potentes læsisse significat, et cum furentis gestibus versus suos componere consuevisse. Rodebat ungues et cædebat pluteum. B. Cum *sanos* arceat Helicone poetas Democritus, &c. Vid. Ars Poet. in fine. G.

118 *Opera*, operarius.

Nona; quasi octo servos Horatius miserit in regastula agri Sabini. Vet. Schol.

SAT. VIII.

1 Cum duobus Cruquii Codicibus, et Despauterio Grammatico, reposui *Ut te*, cum alii ponant *te* post *juvit*. In causa fuit Rhythmi confragositas ex nimia imitatione Lucilii. B. Si hoc placeat, *Nasidieni* nomen semper incipiet a Dactylo: qui alterum præfert, i inter *d* et *e* consonantem faciet, ut in *obiit, pariet*, cum Dactylum faciunt. Ceterum *Rufi* cognomen, quod v. 58. habet Nasidienus, favet con-

Quæ prima iratum ventrem placaverit eſca.
¶ In primis Lucanus aper: leni fuit Auſtro
Captus, ut aiebat cœnæ pater; acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum, ſiſer, halec, fæcula Coa.
His ubi ſublatis, puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit, et alter
Sublegit quodcunque jaceret inutile, quodque
Poſſet cœnantes offendere: ut Attica virgo
Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes
Cæcuba vina ferens; Alcon, Chium maris expers.
Hic herus; Albanum, Mæcenas, ſive Falernum
Te magis appoſitis delectat; habemus utrumque.
¶ Divitias miſeras! Sed queis cœnantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, noſſe laboro.

---

5 Pacav. *G. S.*—10 His ut *Sax. Cun.*

---

jecturæ, Horatio hic propoſitum fuiſſe *Salvidienum*, de quo Sueto. Aug. 66. Fingit autem Horatius ſe agere cum Fundanio, vid. v. 19. G.

Beati ſibi videntur ineptuli.

2 *Here* pro *heri*. Vet. Schol.

3 *De medio*; feſtis diebus maturi cœnabant Veteres. B. Seu feſtus dies fuerit ſeu profeſtus; cœna certe hæc tempeſtiva. G.

4 *Da, dic*. Vet. Schol. Cruq. Omnes tamen Cruquii atque Torrentii Codices legerunt *Dic*: Ex gloſſemate ut puto. Sic et Virgilius, *qui ſi da, Tityre, nobis*. Et magis Comice et blande dicitur *Da* quam *Dic*. Bentleio tamen magis placet *dic*, quod ex interpretamento eſt.

5 Bene *placaverit* cum præmiſerit *iratum*.

6 *Lucanus, valentiſſimus*. Vet. Schol. Cruq. *Leni Auſtro; non æſtuoſo*. Vet. Schol. Cruq. Ne fœteret ſcilicet; auſtro tamen flante, quod *affirment laſſam carnem apri eſſe meliorem*. Alter Schol. B. Pro *laſſam* forte legendum *laxam*. Forte ita excuſavit Naſidienus *rancidum aprum*. Vid. Ser. 2. 2. 41. G.

7 Ridicule *patrem* nominat quem puerum putabat. Fidem facit pater cum docet. B. Simpliciter *cœnæ pater* eſt pater familias, qui etiam *dominus cœnæ* vel *epuli* vocatur. G.

8 *Rapula, Diminutive pro rapis, ſeu napis*. Vet. Schol. Cruq.

Radices, Ῥάφανα. Vet. Schol. Cruq. Sic et Ovidius; *Intubaque et radix*.

9 *Pervellunt*, pertinaciter vellicant, et bene de laſſo ſive pigro.

Siſer, Tiberio Cæſari erat in deliciis: Galli vocant *Cheruy*, nos SKIRRET, quod corruptiſſime profertur pro SUYCKERWORT, ut appellatur Belgis. De Halece et Fæce vide ſupra 2. 4. 73. B. Hic dubium non eſt, e vino Coo paratam. G.

10 *Alte cinctus*, quo expeditior eſſet. Cruquius legit *alter* ex tribus MSS. quod non probo.

Acernæ menſæ prima poſt citream gloria. Torrentius ex Plinio.

11 *Gauſape, mappa villoſa, hic Gauſapes*. Vet. Schol. A CARPET. *Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum*. Martialis. Uſus eſt ipſo gauſape pro peniculo. *Purpureo terſit tum latus gauſape menſas*.

13 *Attica virgo*, Κανηφόρος, quæ lento paſſu progreditur; Proverbialiter, quale Ἥρωος βαδίζειν. B. In ſolennibus pompis ſacras ciſtas aut caniſtra ferebant virgines, κανηφόροι. Vid. ad Ser. 1. 3. 11. et Spanhem. ad Callim. p. 731. ſq. G.

14 *Fuſcus Hydaſpes*, ſervulus Indus.

15 *Maris expers*, h. e. *Factitium, de quo Cato*. Cruquius. B. Acron, *Cui aqua marina more Græco non eſt adjecta*. Vinum Græco illi ſimile parare docent ex vino Italico, muria affuſa, Cato 24. et 105. it. Colum. 12. 37. *Chium* vinum, cui aquæ marinæ, ut alias ſolet, nihil affuſum eſt. G.

18 *Divitias miſeras!* quæ ſcilicet miſerum habebant Dominum, *Quis ferat iſtas Luxuriæ ſordes?* Juvenalis 1. 140. B. Nihil hactenus

¶ Summus ego, et prope me Viſcus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra,
Ridiculus totas ſimul obſorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, ſi quid forte lateret,
Indice monſtraret digito: nam cætera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, piſces,
Longe diſſimilem noto celantia ſuccum;
Ut vel continuo patuit, cum paſſeris atque
Inguſtata mihi porrexerat ilia rhombi.
Poſt hoc me docuit, melimela rubere minorem
Ad lunam delecta: quid hoc interſit, ab ipſo
Audîeris melius. Tum Vibidius Balatroni;
Nos, niſi damnoſe bibimus, morietmur inulti:
Et calices poſcit majores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil ſic metuentis ut acres

23 Supra *S.*—24 Semel *et* ſimul *hic et tantundem auctoritatis habet, et eandem ſignificationem.*—29 Paſſeris aſſi et *Bentl. ex MSS. Lambi.* Aſſi, atque *Cun.*—30 Porrexerit *G. F. &c.* Porrexit *conj. Marcilius.*—35 Poſcunt *Ven. Glar.*

ſordidum video equidem. *Miſeræ divitiæ*, quæ ſic ſollicitum habent dominum, quem copia incertum faciat. G.

19 *Fundanius* Poeta erat inſignis et Horatio familiaris. B. *Tibi* more gr. regitur ab *una, ἅμα σοι, una tecum.* Z.

Laboro, impatienter cupio, geſtio.

22 *Umbræ* joculari nomine dicuntur a vocatis ad cœnam una adducti. B. Puto autem Mæcenatis umbras fuiſſe Balatronem et Vibidium, qui cum illo medium triclinii lectum occuparint. Nomentanum et Porcium ſibi quaſi ſubſervituros, et adjutores quoſdam ſibi Naſidienus aſſumſiſſe videtur: inter quos accumbit *ipſe*, *ubrò*, Paterfamilias v. 23. Vibidius et Balathro liberius omnia agunt. Nomentanus deinde ſolatur Naſidienum: ipſe et Porcius convivæ imi lecti v. 40. Fundanius cum Viſco et Vario primi. G. Figuram triclinii vid. Geſn. Theſ. voc. Triclinii. Z.

24 Meliores Codices pro *abſorbere* legerunt *obſorbere*, quod et Cruquio placuit. Bentleius ſervat *abſorbere*, quod fortaſſe alio tempore non faceret. B. *Ridiculus obſ.* qui ridicule obſorbebat. Z.

25 *Ad hoc*, ſupple *ridiculus*. B. Intelligo *erat*, fungebatur hoc officio, ut, ſi quæ deliciæ latuiſſent Naſidienum, is demonſtraret. Z.

Si quid lateret; erat huic uſus edendi maximus.

26 Comice *Nam*, pro *quod attinet ad*. B. Nos nihil curamus, quid eſſet, quod appoſitum eſſet, cœnamus taciti. G.

28 *Succum*, *ſaporem*. Vet. Schol. Cruq.

30 *Inguſtata mihi*, h. e. hactenus mihi nunquam guſtata: et cum Lambino et Cruquio *porrexerat* pro *porrexerit* repono. B. *Paſſer* hic piſcis eſt: de *aſſo*, quem inculcant, Sat. 2. 4. 38. G.

31 *Melimela* Κυδώνια μῆλα. Vet. Sch. Cruq. Plinio *mala muſtea*. Cydonia illarum regionum ſunt omnium ſuaviſſima. Virgilio *Aurea mala* dicuntur.

Minorem; *ad incrementum Lunæ*. Vet. Schol. Cruq.

34 *Damnoſe*, *ut damnum ſentiat*. Vet. Schol. Cruq.

Morietmur inulti: nam enecabit nos. Parodia Virgiliana (Æn. 2. 670).

Nunquam omnes hodie morietmur inulti. B. Male habet illos loquacitas domini ſua fercula commendantis: hanc ulciſci volunt. G.

35 *Vertere*, ſupple *cœpit*.

36 Salſe *Parochum* dicit, ac ſi eſſet caupo ob ſordes. B. *Parochi* non ſunt caupones, ſed qui publice præbent hoſpitium: nec *ſordes*, ut jam

Potores; vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod ſubtile exſurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, ſecutis omnibus: imi
Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur ſquillas inter muræna natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus, Hæc gravida, inquit,
Capta eſt, deterior poſt partum carne futura.
His miſtum jus eſt; oleo, quod prima Venafri
Preſſit cella; garo de ſuccis piſcis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur (cocto Chium ſic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non ſine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monſtravi incoquere, illutos Curtillus echinos,
Ut melius muria, quam teſta marina remittit.
Interea ſuſpenſa graves aulæa ruinas

39 Allifanis *ex MSS. Cruq. et N. Heinſ. ad Sil.* 8. 537. *it. Bentl. ob auctoritatem ſcriptorum recepi: vulgo* Alliphanis.—45 Mixtum *Ven. Bentl.*—50 Mutaverat *Ven. Lamb.*—52 Inlutos *Baxt.* Cotillus *Glar.*—53 Remittat *Ven. Glar.*

monui, hic apparent; ſed putida diligentia, et commendatio epularum. Et metuit potores acres Naſidienus non ob ſordes, &c. G.

37 *Quod maledicunt; metuebat enim ſuas ſordes propalari.* Cruquius.

38 *Fervida*, acrius potata.

Exſurdant, ut non poſſit ſentire ſaporem. Vet. Schol.

39 *Invertunt; eſt Hypallage, ut ſit ſententia, invertunt Alliphanos calices, et vinaria tota ponuntur pro vino.* Vet. Schol. Cruq. B. Magis placet, quod additur, vel οἰνοφόρα κατὰ κεφαλῆς τρέπονται, *Vaſa vinaria in caput vertunt, ita ut ore terram tangant.* Alliphanis poculis implendis evacuant, ut inverti poſſint, vinaria. G.

Alliphe oppido Samnii majores calices fiebant. Vet. Schol. Cruq.

Vinaria, οἰνοφόρα. Vet. Schol. Cruq. h. e. lagenas.

40 *Imi convivæ lecti*, Porcius et Nomentanus ſtudio parcebant vino, quo gratificarentur domino cui conſueverant paraſitari. Erant hi accubitores domini, in imo lecto.

41 *Lagenæ*, fictilia erant vaſa anguſtis collis et ventricoſa, quibus hauſtum vinum triclinio inferebant: minores cadi. Jugs.

42 *Squillas*, modo cammaros dicit.

Muræna, anguilla marina in ipſa teſta, qua juſcello ſuo incoquebatur.

45 *Prima cella, optima olearia cella.* Vet. Sch. Cruq.

46 *Garum* liquamen erat ex ſcombris, quorum optimi capiebantur in Hiſpania. B. Vid. Plin. 31. 8. pr. Conf. ſupra Ser. 2. 4. 64. ſq.

47 *Citra mare nato*; vino Italico uſus eſt dum coqueretur, Chio poſt coquturam.

50 *Vitio*, acore. Male plerique *mutaverit* pro *mutaverat*. B. At mihi neceſſarium videtur, quod libri pene omnes agnoſcunt. Acetum alias *vitium* eſt vini; pro vino hîc *uva* dicitur. G.

51 *Amaras, auſteras.* Tortentius.

52 Optimi Cruquii Codices legerunt *inlutos* pro *illutos*, et puto dici hoc loco pro intinctos, aut lavatos, etſi diſſentiant omnes. Bentleius *inlotos*. B. Nempe Cruquius *illutos* dicit, cum ſua falſugine aſſumtos: Lambinus non tabefactos, ἀτήκτους, integros. Apicius 9. 8. *liquamen* echinis coquendis adhibet. G.

In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, poſtquam nihil eſſe pericli
Senſimus, erigimur. Rufus, poſito capite, ut ſi
Filius immaturus obiſſet, flere. Quis eſſet
Finis, ni ſapiens ſic Nomentanus amicum
Tolleret; Heu, Fortuna! quis eſt crudelior in nos
Te deus? ut ſemper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compeſcere riſum
Vix poterat. Balatro ſuſpendens omnia naſo,
Hæc eſt conditio vivendi, aiebat; eoque
Reſponſura tuo nunquam eſt par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Solicitudine diſtrictum? ne panis aduſtus,
Ne male conditum jus apponatur? ut omnes
Præcincti recte pueri comtique miniſtrent?
Adde hos præterea caſus; aulæa ruant ſi,
Ut modo; ſi patinam pede lapſus frangat agaſo.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.
Naſidienus ad hæc: Tibi Dî, quæcunque preceris,
Commoda dent; ita vir bonus es, convivaque comis.
Et ſoleas poſcit. Tum in lecto quoque videres
Stridere ſecreta diviſos aure ſuſurros.

---

58 Rufus capite hactenus, ut ſi *Cun. ex conj.*—71 Ruent *Ven. Glar.*—75 Preceris *tuctur Bentl.* Precaris *vel* precare *al.*

---

53 *Ut melius muria*, h. e. quia mea ratione fit melius liquamen, quam muria eſt, quæ ex piſcibus teſtaceis paratur. Z.

Teſta marina, Græca orca, de qua ſupra 2. 4. 66. Optima muria liquamine conſtat thynnorum. B. *Teſtam* non intelligo orcam ſ. dolium, verum ipſos piſces teſtaceos ut oſtreas, mytilos, &c. G.

54 *Suſpenſa; conſuetudo apud antiquos fuit, ut aulæa ſub cameras tenderent, ut ſi quid pulveris caderet ab ipſis exciperetur.* Vet. Schol.

58 *Erigimur, Liberamur a metu.* Landinus; Dilogus. B. Metu ſe contraxerant ad primum ſtrepitum ac terrorem.

Poſito capite; in lectum. Vet. Schol. Cruq.

59 *Flere*, ſubaudi *cæpit.* B. Vel *perrexit*; eſt enim infinitum hiſtoricum. G.

60 *Sapiens*, amarulenta Ironia.

62 *Deus*, Epicœno, ſeu promiſcuo Genere, dicitur, ut Græcis Θεός.

64 *Suſpendens omnia naſo*; detorto ad rhonchos et ſannas, et identidem excuſſo. *Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.* Perſius.

66 *Tuo*; certa Perſona pro incerta. B. Putabam, ſermonem directum ad Naſidienum.

67 *Tene*; ſupple *decet*, vel *æquum eſt.*

68 *Diſtrictum*, divulſum, diſtractum.

70 *Recte*, ad unguem.

71 Comice *hos* pro ejuſmodi.

72 Certe magis hoc agaſonis erat quam commodi miniſtri. *Agaſo is proprie eſt qui jumenta tractat; hic autem Satirice ſignificat eſcarum miniſtrum, quem vulgo nominant Infertorem* Vet. Schol. Cruq. B. *Agaſo* pertinet ad Na-

¶ Nullos his mallem ludos ſpectâſſe: ſed illa
Redde, age, quæ deinceps riſiſti. ¶ Vibidius dum
Quærit de pueris, num ſit quoque fracta lagena,
Quod ſibi poſcenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone ſecundo;
Naſidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde ſecuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis, ſparſi ſale multo non ſine farre;
Pinguibus et ficis paſtum jecur anſeris albi;
Et leporum avulſos, ut multo ſuavius, armos,
Quam ſi cum lumbis quis edit. Tum pectore aduſto
Vidimus et merulas poni, et ſine clune palumbes;
Suaves res, ſi non cauſas narraret earum et
Naturas dominus; quem nos ſic fugimus ulti,
Ut nihil omnino guſtaremus, velut illis
Canidia afflâſſet pejor ſerpentibus Afris.

85 *Hic v. deeſt Z.*—88 Albæ *quid MSS. quaſi ſexus referret.*—89 Leporis vulſos *Boſ. S. Z*—90 Edit *etiam G.* Edat *Sax.*—91 Palumbos *Cun.*—94 Veluti ſi *contra omnes libros Bentl.*—95 Atris *ex MSS. Bentl.*

ſidienum ridendum, qui ejuſmodi ſervum ſordidum adhibuerit ad cibos apponendos. Z.

74 *Nudare*, propalare.

75 *Ad hæc*, ſupple *dixit.*

76 *Commoda*, bona, vel animo tuo grata. *Comis*, ſuavis, civilis.

77 *Soleas, calopodes ad reparandum convivium.* Vet. Schol. Cruq. Nam accubituri deponebant ſoleas: erant autem ſoleæ, ſeu crepidulæ, domeſtica calceamenta. B. Vult exire, et imperare neceſſaria triclinio reſtituendo, redituras v. 84. G.

Tum, poſtquam diſceſſiſſet.

78 *Stridere; notandum eſt quod in ipſo verſu Gi imitatus ſonitum ſuſurri.* Vet. Schol. Cruq.

Diviſos, diſpertitos.

80 *Redde*, refer, narra.

83 *Fictis rerum*; ob res fictas, ne ſcilicet ſentiat Naſidienus ſe a convivis derideri. Helleniſmus, ut alibi *vanis rerum.*

Secundo; Hypocritam agente. Vet. Sch. Cruq. h. e. ſecundarum partium actorem.

84 *Arte*, ficta ſcilicet conſtantia.

85 *Fortunam*, ſupple *malam.* B. Reſpicit puto ad illam Platonicam ſententiam de vita aleæ ſimili, quam expreſſit etiam Ter. Ad. 4. 7. 23. *Quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* G.

86 *Mazonomo magna ſcutella.* Vet. Schol. Cruq. Alteri Scholiaſtæ *grande ſalſare eſt*, quo ſcilicet Mazas vel pultes inferebant Veteres. Ridicule poſitum. B. Neque hîc ridiculum quid indicari ſentio præter dominum, et credo poetæ v. 92. In Libro Coll. Sax. *Scutula* ex gloſſa pro voce ipſa *Mazonomo* irrepſit. *Salſare*, V. Schol. a *Salſa* eſt, *Sauce*, majoribus noſtris *Saltze. Mazonomo* circumferuntur, de quibus quiſque pro lubitu ſumere partem invitatur, atque eligere, quid vel quantum placeat. Nomen a diſtribuenda maza vel pulte. G.

87 *Farre*, micis panis.

88 *Ficis paſtum jecur.* Veteres Συκωτὸν, ſive *ficatum*, appellavere, ut oſtendit Cruquius.

Præcipui honoris erant res albæ.

89 *Leporum*, fœcundorum ſcilicet; niſi ſuſpicati ſunt delicati omnes lepores parere, ob famam ambigui ſexus.

90 *Edit*: vetuſte pro edat. B. Nam *edit* eſt Conjunct. ab *edim, edis, edit:* ut ſupra Epod. 3. 3. Z.

92 *Si non cauſas*, an ſermonem orſus eſt de coitu animalium?

95 Mire *afflaſſet* de venefica et garrulo, ac ſi vel ſpiritu necarent, hæc quidem carminibus, ille autem ineptiis. B. *Afflare* etiam dativo jungi, quod dubitare videtur Bentleius, oſtendit Stephanianus Theſaurus. G.

Notum eſt Afros ſerpentes eſſe omnium terrimos.

Q. HORATII
FLACCI
EPISTOLARUM*
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.
AD MÆCENATEM.

Omiſſa re ludicra Philoſophiæ ſe tradit. (Et philoſophèmata quædam, tanquam ſpecimina illius, per lancem ſaturam addit. G.) B. Horatius, a Mæcenate provocatus ad verſus ſcribendos, excuſat ſe ob ætatem ingraveſcentem, et animi propoſitum, quo ad ſapientiæ ſtudium amplectendum ducatur, ſeligendis philoſophorum variorum præceptis iis, quibus putet ſe vitam quodam modo regere et inſtituere poſſe ſapienter, ut certe vitia fugiat careatque ſtultitia, qua vulgo laborent homines, qui divitias honoreſque tantum magni faciant, contemtis animi ingeniique virtutibus, ſintque valde ſive divites ſive pauperes in rebus appetendis et fugiendis inconſtantes, et negligentiam rerum minutarum in vitæ cultu habituque graviter reprehendant, vitia contra animi graviſſima, utpote vulgaria et uſitata, non curent.

PRIMA dicte mihi, ſumma dicende Camœna,
Spectatum ſatis, et donatum jam rude, quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens. Veianius, armis 4

3 Inducere *MSS. Berſm.*—4 Non ætas eadem, non mens *MS. Berſm.*

* Ut *Satira* prima itemque libellus de arte poetica *Epiſtolæ* vocari poſſunt, propter appellatum ibi Mæcenatem, hic utrumque Piſonem: ita Epiſtolæ hæ *Satirarum* nomen ob varietatem argumenti et vitiorum reprehenſionem ferre poſſunt, *ſermonum* vero propter pedeſtre genus orationis, &c. G.

1 Primus liber Satirarum, primum Horatiani ingenii ſpecimen vulgatum, habet pri-

Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem;
Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
Nunc itaque et verſus et cætera ludicra pono:
Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc ſum:
Condo et compono quæ mox depromere poſſim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, et merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos rigiduſque fatelles:

6 Totiens *Bentl.*—7 Purgata—aure *coll. Sax.*—10 Ludicra cætera *MS. Berſm.*—16 Verſor *MSS. Lambi. et Boſ. it. Z. Med.* 1477. *it. Ven. Glar.*

mum ſermonem inſcriptum Mæcenati. Sic etiam prima omnium Odarum Mæcenatem alloquitur. G.

Tale eſt illud Virgilianum. Ecl. 8. 11. *A te principium, tibi deſinet.* Vet. Schol. Cruq.

Dicende; videtur Horatius hanc Epiſtolam Mæcenatis hortatu ſcripſiſſe. Vet. Schol. Cruq.

2 *Spectatum*, Dilogως etiam pro *probatum.* Landinus.

Rudibus batuebant in ludo: Rudis etiam inſigne erat miſſionis a gladiatoria opera, et jam facti laniſtæ. Publice autem alebantur exauctorati. Erat et duplex rudis; ferula ſcilicet et gladius ligneus quo inter ſe batuebant tirones. Vide Lipſii Saturn. Polybio ξυλίνη μάχαιρα.

3 *Ludo*; quia *fecuit urbem* ut olim Lucilius. B. Gladiatorium ludum intelligi, manifeſtum eſt vel ex *rudis* mentione. G.

4 *Mens*, ſtudium. *Mutatione ætatis fit mutatio mentis*; ut ſcite Landinus.

Veianius, inſignis gladiator ejus temporis.

5 *Herculi Fundano conſecravit arma.* Vet. Sch. Gladiatores in tutela erant Herculis. B. Vitruv. 1. 7. *Herculi, in quibus locis non ſunt Gymnaſia neque Amphitheatra, ad circum* vult ædem ædificari, ut intelligamus, Amphitheatris vel ſacella Herculis adjuncta, vel tota fuiſſe inſtar templorum Herculis. Hîc igitur figunt arma gladiatores. G.

6 *Populum exoret; ſpectatorum clementia prohibebatur victor invictum ſævire.* Landinus.

Extrema arena; cura amplius fugere non poſſet retiarius ſecutorem.

7 *Eſt mihi; ipſe animus, qui ἐν ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκεῖ*, i. e. *qui in auribus hominum habitare dicitur Herodoto*, ut eleganter Cruquius. Ejuſmodi erat Socratis Dæmon.

Purgatam, quia *Mordaci lotus aceto*, ut ait Perſius 5. 86. nam calido aceti fumo vaporabant aures minus audientes.

8 *Solve ſeneſcentem; Sicut fortis equus ſpatio qui forte ſupremo Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit:* Ennius apud Cic. de Sen. c. 5. citante Lambino. B. *Solve* ſcil. de curru. Z.

9 *Peccet ridendus*, ridicula peccata committat, ut erat illud in ludis Pompeii, de quo Cic. Fam. 7. 1.: *Honoris cauſa in ſcenam redierant ii, quos ego honoris cauſa de ſcena deceſſiſſe arbitrabar:* et quæ de Æſopo addit. G.

Ilia ducat; frequenter anhelet. Vet. Schol. Cruq. *Ilia ſunt inter coxas et pubem.* Celſus, monente Torrentio.

10 *Verſus* lyricos, *ludicra* ſatiras, illas *illudere* ſe *chartis* dicit Ser. 1. 4. 139. Add. 1. 10. 37. G.

11 *Verum animi bonum.* Τὸ καλὸν βίῳ. Cruquius.

Curo, meditor.

12 *Condo et compono*, recondo et in unum congero; tanquam in penum ſcilicet, vel promtuariam cellam.

13 *Quo lare*; h. e. in cujus Philoſophicæ domus clientela ſim: et bene *tuter*, cum præpoſuerit *duce*, ac ſi militiæ operam daret.

14 *Addictus*, factus alieni juris: Sacramento devovebant ſe clientes et milites pro ſalute ducum, verbis ab ipſis ducibus conceptis. B. Gladiatores ſe addicunt ſacramento. Vid. Ser.

Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, ſubjungere conor.
Ut nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Lenta videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æquo;
Æque neglectum pueris ſenibuſque nocebit.
Reſtat, ut his ego me ipſe regam ſolerque elementis:
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungui;
Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere cheragra.
Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.
Fervet avaritia miſeroque cupidine pectus?

---

21 Lenta *Bentl. ex MS. vetuſto Barthii, quod ob elegantiam et varietatem dicendi recepi pro vulg.* longa. *Sic* nox longa, dies lenta *et* annus piger *commutate dicitur.* Z.—28 Oculos *I. Bentl. et MSS. Berſm.*—29 Inungi *edd. vett.*—30 *Pro* Nec, Et *Med.* 1477. Neu *Cun.*—31 Cheragra *etiam G.* Chir. *al.*—32 Quadam *firmat Cruq.* Quoddam *Z. Med.* 1477.—33 Miſeraque *Ven. MS. Berſm.*

---

2. 7. 59. Medici olim jurant in verba ſui Hippocratis. G.

Magiſtri per contemtum dicebantur Philoſophi.

15 *Tempeſtas*, animus, qui inſtar venti et maris varius eſt. B. *Hoſpes*, ad varias philoſophorum ſectas, tanquam ad loca aliena, in quibus non habitare, ſed tantum aliquamdiu commorari animi cauſa ſoleo. Z.

16 *Agilis fio*; vitam laudo civilem, ut Stoicus: nam Epicurei ſibi vivunt, et curam Reipublicæ, ſi moleſta futura eſt, ſapiente indignam putant: Λάθε βιώσας præcipuum horum Dogma eſt.

17 *Rigidus* ad utrumque ſubſtantivum refertur. Vid. ad Od. 2. 19. 28. G.

18 *Ariſtippus Epicureæ ſectæ princeps fuit.* Vet. Schol. B. Falſo: Cyrenaicæ, voluptuariæ magis etiam quam erat Epicurea. G.

19 *Et mihi res; Stoici dicunt, natum hominem ad Republica regatur. Epicurei vero ut homo Rempublicam regat.* Vet. Schol. Quod ſi hoc nequit, ut prorſus eam negligat.

Septem Lambini Codices atque omnes Cruquii cum Vetere Scholiaſte legerunt *ſubjungere* pro *ſubmittere.* Subjunguntur vehicula jumentis, non jumenta vehiculis. B. Huc pertinet illa nobilis vox Ariſtippi, Ἔχω τὴν Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι ὑπὸ τῆς Λαΐδος, *Habeo, non habeor.* G.

21 Bentleius ex ingenio *Lenta* poſuit pro *Longa*, quo ſcilicet Horatium ipſum emendaret.

Opus debentibus; mercenariis. Vet. Sch. Cruq.

22 *Premit*, compeſcit veluti fræno.

24 *Conſilium*, propoſitum. B. *Id quod*, &c. h. e. ſapientiæ virtutiſque ſtudium. Z.

27 *Elementis*, *præceptis primis.* Vet. Schol. Cruq. *Elementa* dicuntur, quaſi quæ ſint *e limine.*

28 *Non poſſis*; ſecundâ perſona pro prima, Comico ritu, et ſupprimitur *Si.*

Maluit Bentleius *oculos* Numero multitudinis; ſed *oculos* poſuit ex mera conjectura. Ego nihil moveo. B. Tanto minus aliquid mutandum, quod *oculos contendere* videtur ſimpliciter modo hoc ſignificare, verſus aliquem locum dirigere oculos, et velut collineare; *oculo contendere* vel *oculis* indicat ſummum conatum efficiendi, et effectum adeo. G.

Contendere oculo; contento oculo videre.

29 Ipſe erat *lippus. In omnibus fere MSS. legitur inungui.* Torrentius.

30 *Glycon athleta fuit fortiſſimus.* Vet. Sch.

31 *Nodoſa*, lapidoſa, tuberibus informis.

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator;
Nemo adeo ferus eſt, ut non mitescere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.
Virtus eſt vitium fugere, et ſapientia prima
Stultitia caruiſſe. Vides, quæ maxima credis
Eſſe mala, exiguum cenſum, turpemque repulſam,
Quanto devites animi capitiſque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per faxa, per ignes:
Ne cures ea, quæ ſtulte miraris et optas,
Diſcere, et audire, et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmæ?

---

34 Laborem C. *poſt Cruq.*—40 Accommodet *Sax. et MS. Berſm.*—44 Animi Z. *Med.* 1477. *Fabric.* 1555, *&c. Jura fere paria.*—48 Audere Z.

Hoc etiam loco Bentleius poſuit *cheragra*, quod non improbaverim.

32 Bentleius ex admodum vetuſto Exemplari recte repoſuit *quadam* pro *quodam*. B. *Eſt* autem idem quod licet, ut Ser. 2. 5. 103. G.

33 *Fervet*, calet uti febre.

34 *Sunt verba et voces:* Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι, Euripides in Hippolyto, citante Lambino. Notum eſt carminibus demulceri febres conſueviſſe.

36 *Tumes*, veluti hydrope. B. Et alioqui *tumere* ad morbos animi refertur. Intumeſcunt ſuperbi, irati, cupidi. Vid. Bentl. ad Ar. P. 197. G.

Bene *piacula*; nam Veteres morbos omnes ad iram deorum referebant, ut dudum monuit Celſus.

37 *Ter pure lecto: ut ſe mergunt qui ſe purgant.* Vet. Schol. Deridet enim piacula ſacerdotum.

Recreare, levare.

39 *Ferus* durus, incultus, indomitus. *Feritatem vocat inſcitiam et animi duritiem.* Vet. Sch. Cruq.

40 Animus ſubigitur et purgatur Philoſophia, uti ager *cultura*.

41 *Virtus eſt*; bene hæc intulit cum jam culturæ meminerit, qua purgantur agri infelicibus herbis.

43 *Repulſam, rejectionem ab honoribus.* Vet. Schol. Cruq.

44 Tres Cruquii Codices legerunt *Quanto animo* pro *animi*, h. e. quanta audacia. Bentleius cum aliis prætulit Genitivum *animi*, Horatiana varietate parum perpenſa. B. Revocavi lectionem plurium librorum bonam. Z.

Labore, diſcrimine, vitæque periculo.

46 *Per mare*; *hoc loco Theognidis verſus imitatus eſt, qui ait:* Ἦν δὴ χρὴ φίνγοντα καὶ ἐς μεγαλήτεα πόντον Ῥιπτυῖν, καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων. Vet. Schol.

Per ignes, per torridam Zonam.

47 *Mirari*, eſt pro magno aut bono aut malo aliquid habere, ut mox Epiſt. 1. 6. 1. *Nil admirari.* G.

48 *Diſcere, et audire*; ὕστερον πρότερον. Vet. Schol. B. *Audere*, quod prima habet editio, mihi blanditur, ut ſit vehementior et acrior cohortatio. Brevior longe ad tranquillitatem via eſt, ſi audeas contemnere, quæ mirantur alii, quam ſi ea parare ſtudeas. G.

Meliori, doctiori. Vet. Schol. Cruq.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos: hæc Janus summus ab imo
Prodocet; hæc recinunt juvenes dictata senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque:
Sed quadringentis sex septem millia desint;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aheneus esto,

52 Vilius est auro argentum *Bentl. et MS. Bersm.*—55 Perdocet *Z. Med.* 1555. Prædocet 2 *MSS. Cruq. Fl.*—*Versum* 58. *ante* 57. *posuit, et hunc a* Sed *incepit unius MS. ætate Cruquius, quem secuti Bentl. Maitt. Cun. Sanad.* Sed *habent MSS. plures, etiam G. Inde vero transpositionis necessitatem eo minus colligas, quod illud* Sed *potest indicare excusationem avarorum omissa per solennem ellipsin conditionali particula.* Gesn. *Equidem ob sensus elegantiam et librorum auctoritatem secutus sum Bentl. Vulgo autem sic:* Si quadringentis sex septem millia desunt, Est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque. *Z.*

51 *Conditio duleis, non dulcis palmæ.* Satis mirari nequeo Interpretes latuisse Interrogative distinguendum esse post *Olympia*. B. Ut sumus homines, mihi contra videtur sententia huic loco aptissima nasci, si ita jungas, quis athleta circumforaneus non malit Olympia coronari, si spes et conditio offeratur sine labore assequendæ illius palmæ? Miratur Horatius, non potius cupidinem malum exstirpare homines, et sic finem bonorum consequi, quam pugnare cum quotidianis perturbationibus. Qui ἀνάθυμον habet, vicit Olympia: qui studet satisfacere cupiditatibus, pugnat quotidie pugnas ignobiles. G.

Sine pulvere, Proverbialis Elocutio, ἀκονιτί. Erasmus.

52 Hinc novo quasi exordio ostendit inconstantiam et stultitiam hominum, qui in ore quidem habeant præclaram sententiam *Vilius argentum* cet. sed eodem tempore, si non totidem verbis, toto tamen vitæ tenore clament, *O cives, cives!* eamque sententiam legibus etiam sanciant. G.

Bentleius posuit *Vilius est auro argentum*. Verum ejusmodi errores labenti memoriæ videntur tribuendi.

53 *O cives;* Ironica Prosopopœia, qua vult significare urbanos pluris facere Arithmeticam quam Philosophiam. *Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere.* De Arte Poet. 325. sq.

54 *Janus summus;* h. e. Universum Forum et Romanus Populus. V. s. 2. 3. 18.

55 *Prodocet, aperte docet.* Vet. Schol. Cruq. Atque hæc lectio est plurium atque meliorum Codicum, cum alii habeant *Perdocet*. Mecum sunt Lambinus et Cruquius, (Bentl. Bos.) Torrentius contra est. B. *Recinere* est ad molestiam usque audientium aliquid repetere: ita ICtos *cantores formularum* appellat Cicero de Orat. 1. c. 55. Origo ab avibus cantatricibus. G.

Senesque; h. e. æque ac senes, vel una cum senibus, quos habent præceptores.

56 Hoc versu utitur Sat. 1. 6. 74. ubi est descriptio puerorum ludum literarium frequentantium. Hic illo Satirice utitur, ut indicet, senes etiam toto die puerili illa exercitatione computandi, numeros et æra suarum rationum tractandi, occupatos esse. Ita hic versus, qui insiticius videri poterat, et visus est Cuningamo, gratiam et venerem addet orationi. G.

57 *Animus;* supple *generosus*, vel *liberalis*.

Mores; supple *probi et belli*.

Lingua, eloquentia.

58 Non est mirum homines ita diligenter computare nummos. *Si* enim *quadringentis* millibus HS. qui equestris census est, modo *sex* vel *septem millia desunt;* si de reliquo *est animus tibi—Plebs eris*. Plane hæc verborum ordinatio indignitatem auget, et invidiam facit legi, quod sibi admovet illa duo *Est animus, mores, lingua*, et *Plebs eris*. Ut non reprehenderim lectionem, quam transpositio duorum versuum efficit: sic receptum ordinem multo digniorem poeta arbitror. G.

59 *Plebs eris;* i. e. *In quatuordecim ordinibus non sedebis*. Vet. Schol. Δῆμος ἔσῃ.

Rex eris; Pueri ludentes magistratus exercent et Reges creant.

60 *Si recte facies;* si jura servaturus es, nec tuo arbitrio imperabis. B. Nihil opus est, ut hic peculiarem ludum βασιλίνδαν cogitemus. Olim moris fuit *regem* vocari a pueris et adul-

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui, rem facias; rem,
Si possis recte; si non, quocunque modo rem;
Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupî:
An qui, fortunæ te responsare superbæ
Liberum et erectum, præsens hortatur et aptat?
Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar îsdem;
Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

67 Puppi *vulg.* Puppî *Lamb.*—69 Optat *vulg.*

tis ludentibus, qui optime rem gessit. Locum Platonis in Theæteto, et alium Dionis Chrysost. laudavit hic Lambinus. Et quid hodie in Germaniæ urbibus notius est *rege jaculatorum?* Similis est hujus loci suavitas Epigrammati primo Callimachi, ubi Pittacus petentem consilium de uxore ducenda ad pueros ludentes ablegat, quî frequentant illud, τὴν κατὰ σαυτὸν ἴλα. Sententiam, *Hic murus* saturæ lege vel licentia intexit poeta, ac statim ad næniam illam puerorum, ejusque interpretationem redit. G.

Hic murus aheneus; innocentia sit tibi pro munimento Regi inexpugnabile. Conscii arcibus magis fidunt quam civibus. Proverbiali sermone *aheneum* dicimus quod rumpi nequit; potuit etiam cogitare de muris Trojæ.

62 *Lex Roscia est qua cavetur, ut proximis ab Orchestra quatuordecim gradibus spectent, quibus est quadringentorum sestertiorum.* Vet. Schol.

63 *Nænia*, puerilis cantilena. *Hoc dicto valde gravat Legem Rosciam.* Vet. Schol. Cruq.

64 *Et maribus Curiis;* h. e. generosis et justis, qui scilicet ad normam hujus cantilenæ Rempublicam regebant. B. Heroës illi tales facti sunt, quales illos admiratur posteritas, quod non cecinere modo pueri cum essent, sed viri etiam animum sic induxerunt, regem esse qui *recte faciat:* non qui *rem faciat.* Hanc deinde formulam, ipsa repetitione ridiculam et odiosam reddere studet. G.

65 *Facias*, luceris. B. *Qui* scil. *suadet.* Z.

66 *Recte*, juste. Notam aliquam historiam tangit. B. Est hic Ellipsis Græcis, amicis Horatii, usitata. *Si possis recte*, bene habet! *si non*, &c. Tanto facilius autem potuit uti hac omissione, quod ipsum *recte* repetitum apodosis locum sustinere valet, *si possis recte*, recte est! G.

67 *Lacrimosa; Pupius Tragœdiographus ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret, inde ipsum versum fecit: Flebunt amici et bene noti mortem meam: Nam populus in me vivo lacrymatu' est satis.* Vet. Schol. B. *Ut propius spectes*, h. e. sedeas in quatuordecim, s. ut sis locuples s. eques. *An qui*, scil. *suadet.* Z.

Pupî; hoc ex Libris ostendit Bentleius. Plurimi erant *Pupii* Romæ, ut patet ex Inscriptionibus.

68 *Responsare; contumaciter respondere.* Vet. Schol. Vid. Ser. 2. 7. 85.

69 *Liber* est qui audacter promit quæ sentit. *En ego liber, Ille ferox tacui.* Ovidius Met. 1. 757.

Præsens, valens persuasione. Vet. Schol. Cruq. Septem Cruquii et novem Torrentii Codices legerunt *aptat* pro *optat. Aptat, format.* Vet. Schol. Cruq. Concinnat.

71 *Porticibus*, ambulacris. Cloysters. B. *Judiciis fr. iisdem*, h. e. idem sentiam de rebus appetendis et fugiendis. Z.

74 *Quia me vestigia; Luciliana sunt hæc.* Vet. Schol. Lucilii Distichon est apud Nonium: *Quid sibi vult, quare fit ut intro versus et ad te Spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus. Ad Paradoxa Stoicorum descensum sibi facit.* Vet.

Bellua multorum es capitum: nam quid ſequar? aut quem?
Pars hominum geſtit conducere publica: ſunt qui
Cruſtis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque ſenes, quos in vivaria mittant:
Multis occulto creſcit res fœnore. Verum
Eſto, aliis alios rebus ſtudiiſque teneri;
Iidem eadem poſſunt horam durare probantes?
Nullus in orbe ſinus Baiis prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus et mare ſentit amorem
Feſtinantis heri; cui ſi vitioſa libido
Fecerit auſpicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vita;
Si non eſt, jurat bene ſolis eſſe maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonſores; conducto navigio æque

---

76 Capitum es *Z. Med.* 1477.—78 Fruſtis *G. S. Z. Med.* 1477. *Fabr.* 1555. *Lamb.*—82 Poſſuntne *Lamb.*—83 Nullius in urbe *Z.*—91 Viden' ut mutat *Bentl. conj.* Rides - *Cun.*—92 Conducit navigia *MS. Berſm.*

Schol. h. e. Omnes præter ſapientes et inſanos et ſervos eſſe: certe tam libertati quam vitæ metuebat Æſopi vulpes.

76 *Bellua multorum;* tanquam altera Hydra. Vet. Schol. Cruq.

Non video cur Bentleius mutaverit *es* in *eſt*, cum Poeta alloquatur Populum Romanum ſub tertia [f. ſecunda] Perſona. B. Non tantum bellua es, o popule, ut ille leo, periculoſa; ſed multorum capitum, quam quis ſequi, ne ſi velit quidem poſſit. G.

77 *Conducere publica; Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus, Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver.* Juvenalis.

78 *Cruſtis et pomis*, uti parvulos. *Cruſta* dicit Placentas. Plurimi Codices habent *Fruſtis*, ſed male.

Avaras, et per hoc divites et orbas.

79 *Excipiant;* ex inſidiis capiant obeſos thunnos. B. *Vivaria* ubi ſervantur et ſaginantur animalia, feræ, piſces, aves. G.

80 *Occulto, illicito.* Vet. Schol. Cruq.

81 *Eſto;* h. e. Concedo hoc dandum eſſe naturæ humanæ. Μετάβασις. B. Auget ita illud, quod negabat, populi ſe poſſe judicia ſequi. G.

84 *Lacus Luerinus* mari immiſſus. B. Cf. Garm. II. 15. Z.

Sentit, ob onuſta materia et cæmentis navigia. B. *Contracta piſces æquora ſentiunt.* Car. 3. 1. 33. G.

Amorem, ſtudium.

85 *Vitioſa*, ægra, delira.

86 *Fecerit auſpicium;* ridicule *facerit auſpicium* de novo ſuborto deliramento. *Sua cuique libido eſt deus*, et, *Anus quæ vult ſomniat*, ut vulgo dicitur. B. Voluit forte laudare Æn. 9. 185. *Sua* cuique Deus ſit dira cupido. G.

Ferramenta, fabrilia inſtrumenta. Torrentius.

Teanum civitas eſt Campaniæ, Sidicinum. Vet. Schol. Cruq.

87 *Genialis*, Genio Naturæ deo ſacer. Δαίμων, ſive Genius in ſole eſt. B. *Aulam* dicit pro *Atrio*, ubi eſt *lectus genialis*, qui idem *adverſus* dicitur. G.

90 *Nodo;* Laqueo retis. B. Reſpicit ad fabulam Ariſtæi Protea vincire docti a matre Cyrene, quam narrat Virg. Georg. 4. 405. G.

91 Invitat Mæcenatem, et quemvis lectorem, ut rideat conatus pauperum, qui ſimiles fieri volunt divitum illa inconſtantia, ut Ser. 2. 3. 310. de Turbone. Nihil igitur opus eſt mutata lectione. G.

Tenues conducebant *cœnacula; Quos tegula ſola tuetur A pluvia molles ubi reddunt ova columbæ.* Juvenalis 3. 201.

Nauſeat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curtatus inæquali tonſore capillos
Occurri, rides: ſi forte ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar,
Rides. Quid, mea cum pugnat ſententia ſecum?
Quod petiit, ſpernit; repetit quod nuper omiſit?
Æſtuat, et vitæ diſconvenit ordine toto?
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?
Inſanire putas ſolennia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati; rerum tutela mearum
Cum ſis, et prave ſectum ſtomacheris ob unguem
De te pendentis, te reſpicientis amici.
Ad ſummam, ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

---

94 Curatus *etiam G. S. Z. Med.* 1477. *F. Cun.*—95 Occurro *Bentl. e MSS.*

---

92 *Conducto*, et per hoc *non ſuo*.

93 *Priva*, propria. B. Domino ſoli parata: non communis victoribus, ſ. meritoria. G.

94 Etſi *curatus* ſit Lectio plurium Codicum, magis tamen placuit *curtatus* propter Enargian. Mirum videtur Bentleium ſervâſſe *curatus*. Certe *inæqualis tonſor* magis *curtabit* quam *curabit* capillos. Curatio capillorum tonſoris opus eſt. B. Nec poteſt aliter hic peccari, niſi *curtatis capillis* quibuſdam magis quam opus erat. Sed cum hæc notio jam ſit *in inæquali tonſore, curatus* damnare non auſim. *Inæquali tonſore*, ut *exigua togæ textore*. Epiſt. 1. 19. 13. G.

Inæquali tonſore, Hypallage, quia inæqualiter tondet. Vet. Schol. Cruq.

95 *Occurri*, Comica Enallage Temporis et Perſonæ; nam Virgilium tangit. Vide Satir. 1. 3. 29. Bentleius prætulit *Occurro*; ſed nihil tanti. Librarii frequenter permutant Tempora, fallente eorum memoria. B. Lubrica ſane fide neſcio quorum Scholiaſtarum nititur illud de Virgilio hic et Sat. 1. 3. 29. reprehenſo. Auguſtum, Mæcenatem, Virgilium, interponunt ubi collibuit. Conqueritur Horatius, ſe in minutis rideri et reprehendi a magno amico ſuo, in majoribus non emendari. G. Mæcenatem in rebus ejuſmodi minutis diligentem fuiſſe, et ipſum in cultu et habitu mollem et delicatum, conſtat. Cf. Senec. Epiſt. 114. Z.

Poſtquam binas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt habere ſubuculam et induſiam. Landinus ex Varrone. Erat enim tunica vel interior, vel exterior.

Pexæ, novæ, non tritæ. Torrentius. Lanoſæ, ſeu villoſæ.

98 *Omiſit*, neglexit, reliquit. B. Conf. Sat. 2. 3. 308. de iſta Horatii inconſtantia. G.

99 *Æſtuat*, fluctuat.

Ordine, ratione.

101 *Solennia*, humaniter. B. Eſſe putas hunc morbum inveteratum, qui fruſtra tentetur: nec mihi proprium, ſed conſuetum et epidemium. G.

102 *Furioſo dabatur Curator a Prætore.* Cruq.

103 *Rerum tutela mearum*; h. e. Patronus meus. Patronorum erat res clientium tutari.

104 *Prave, inæqualiter.* Vet. Schol. Cruq.

105 *De te pendentis*, h. e. Judicio tuo ſe metientis.

Iterum Bentleius emendando Horatium ipſum, ſolius Heinſii auctoritate niſus, edidit *ſuſpicientis* pro *reſpicientis*, ac ſi reſpectus ſemper eſſet minorum, nunquam majorum. Plinius nihilominus auctor eſt 2. 7. *aliis nullum* eſſe *decorum reſpectum, aliis pudendum*. B. *Reſpicimus* ea, unde opem exſpectamus, non minus quam ea, quibus auxilium debemus. Nudum latus hic Johnſono præbuit Bentleius. G.

Amicus minor Cliens eſt, major Patronus.

106 Temperat ſeveritatem ſuperiorum ſen-

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Moralem Philoſophiam commodius tractari ab Homero quam Philoſophis. (A v. 32. lanx ſatura præceptorum vivendi. G.) Lollium adoleſcentem hortatur ad ſapientiæ et virtutis ſtudium. Oſtendit igitur, ex Homero luculentius et certius bene et ſapienter vitæ inſtituendæ rationem diſci poſſe, quam ex Stoicorum Academicorumque libris. Iliadem enim continere mala graviſſima, quæ ex ira, libidine aliiſque cupiditatibus oriantur: Odyſſeam autem virtutis ſapientiæque exempla utiliſſima. Tum addit, operam eſſe dandam mature, ut pravæ cupiditates et pernicioſæ coërceantur, avaritia ſcilicet, libido, invidia, ira.

TROJANI belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi;
Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe; quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum et populorum continet æſtus.

4 Planius *etiam G. Z. Med.* 1477 *et* 1486. *Marcil. Bentl. Cun. San. Sandb.*—5 Deſtinet *MSS. ap. Lambi. et G. Forte voluere* diſtinet.

tentiarum irriſione Stoicorum ſimili illi, quæ eſt Sat. 1. 3. extr. G.

Ad ſummam; ut ſummatim intelligas totum quod velim: *ad ſummum*, denique eſt.

Imo ſi Senecæ credendum, *Vir bonus eſt Jove major.* B. Reſpicit, puto Epiſt. 18. extr. *Eſt aliquid, quo ſapiens antecedat deum: ille naturæ beneficio non timet, ſuo ſapiens.* G.

Hæc ex Lucilio tracta ſunt; nam ſic ille, *Nondum etiam hæc omnia habebit; Formoſus, dives, liber, Rex ſolu' vocetur.*

107 *Honoratus*, nobilis, honorabilis.

108 *Sanus* Dilogus modo ponitur, de animo et corpore.

Pituita moleſta eſt; tuſſit enim interdum. Et ſenes et atrabiliarii vexantur tuſſi. Suavi riſu ſeria diluit, quo gratificetur Mæcenati Epicureo. B. In oculis ſedem quaſi propriam et in naſo habet pituita, et ſenſum utrumque obtundit. Hinc κορυζῶντες, hebetes, &c. G.

EPIST. II.

1 *Lollius* iſte erat moderator juventæ Caio Cæſari, ut ſupra oſtendimus. B. Reſpicit ad Od. 4. 9. Verum hic agit cum filio illius Lollii natu *maximo*: neque enim elogium hic eſſe poteſt *maximus*; et cognomen in ea gente non ſatis probatur ex Inſcr. Grut. p. 638. 2. Agi cum adoleſcentulo, ſatis apparet ex v. 68. Ad eundem ſcripta Epiſtola hujus libri 18.: frater illius ibi commemoratur v. 63. cujus reſpectu hic *maximus* vocari potuit. G.

2 *Declamas*; h. e. animi gratia Rhetoricæ Scholæ operam das: erat enim et adoleſcens et nobilis.

3 *Quid ſit pulchrum*, τὸ καλὸν, vel honeſtum. Quatuor iſta loca minus ad Rhetoricam quam ad Philoſophiam pertinent. Vult enim ſignificare Homerum etiam civilis vitæ uſum tradere.

4 Mire *Plenius*, cum *Chryſippus* Stoicus ſupra ſeptingenta volumina conſcripſerit, *Crantor* autem Academicus ad triginta millia verſuum, auctore Laërtio. Pro *Plenius* doctiſſimus Bentleius auctoritate multorum Codicum repoſuit *Planius* in ſua Editione Horatii. Neſcio quomodo tamen *Plenius* nobis probabilior videtur Lectio: Certe *Plenius* magis ad materiam referri videtur, et *melius* ad ſtilum. Neque ſane potuere tanti Scriptores non planiſſi-

Antenor cenſet belli præcidere cauſam:
Quid Paris? ut ſalvus regnet vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peliden feſtinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rurſus, quid virtus et quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem;
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit; latumque per æquor,
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.
Sirenum voces et Circæ pocula nôſti;
Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet,

10 Quod *etiam Sax. Cun. San.*—17 Rurſus *omnes præter unum MS. Bentl.*—18 Ulyxem *Ven.* Ulixen *Bentl.*—23 Circes, *et mox* Penelopes *Ven. Glar.* Novit *Med.* 1477.

me ſcribere tam grandibus voluminibus. B. *Planior*, apertiorque via docendi per exempla et imagines, *plenius* docent philoſophi, qui totis libris agant, quod poetæ ſub exemplis, &c. G.

Melius, luculentius. B. Seu, aptius ad faciendum et cavendum. Z.

6 *Fabula*, Ilias.

7 *Græcia Barbariæ*; forſan Ennianus eſt verſus: nam *Barbaria* veteribus Poetis pro Phrygia erat.

8 *Æſtus*; dementes iras. B.

Perturbatio omnis et inconſtantia, fluctibus et æſtui maris ſimilis, notari videtur. G.

9 Vid. Il. H, 347. G.

Præcidere cauſam; Helena et rebus redditis. Verbum medicum eſt.

10 Bentleius edidit *Quod Paris*, pro *Quid*, auctoritate quorundam Librorum, quibus equidem nequeo fidem habere quod Horatiano careant ſpiritu. B. Recte ſane. Corrumpitur vigor ille carminis conſiliis et medicina virorum doctorum. Non vult Poeta, totidem verbis dixiſſe Paridem, *ſe cogi non poſſe ut ſalvus regnet*, &c. Verum hoc, ita ſe geſſiſſe rebus ipſis, quaſi hoc verbis profiteretur. Ita noſtri ad recuſantem bona conſilia, *ſi tu vis inſanire*, &c. G.

Ut *ſalvus regnet*; Ironia, ad oſtendendam Paridis dementiam.

11 *Componere*, ſedare.

12 *Feſtinat*; ſtudet, geſtit. B. Vid. Il. A, 247. G.

13 *Hunc amor*; Achillem Briſeidis amor. *Urit*, incitat.

14 Heſiodi eſt (Op. 260.) Ὄφρ' ἀποτίσῃ δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων. Cruquius.

15 *Seditio* eſt a *ſe* et *itio*, Διχοστασία.

Scelere, ſævitia. B. Violata pietate in deos vel homines. G.

17 *Rurſus*, in Odyſſeide. Bentleio ſuavius videtur *Rurſum* quam *Rurſus*. Non eſt noſtrum tantas decidere lites. Neque enim habemus tam eruditam aurem. B. Sibilus et ὁμοιοτέλευτον evitatur, ſi legas *rurſum*. G.

19 *Domitor*, h. e. Poſtquam eſſet domitor.

Multorum providus urbes: Homerus (Odyſſ. pr.): Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω. Vet. Schol. Sic in Arte Poetica; *Qui mores hominum multorum vidit et urbes.*

21 *Aſpera*; gravia, dura.

22 *Immerſabilis*, in animo habuit illud Pindari [Pyth. 2. 145.] ἀβάπτιστός εἰμι φιλοῖς ὠΐ. Cruquius.

23 *Voces*, cantus, Sirenes monſtroſæ erant volucres, ut et Harpyiæ et ad Magicam pertinebant. Dicuntur autem Σειρῆνες a Σειρὰ, catena. Etiam Hebræis שיר, et catena eſt et cantus, ab שׂרה *necto*.

Caper Grammaticus auctor eſt Horatium ſemper dixiſſe Circa. Torrentius.

Sub domina meretrice fuiſſet turpis et excors,
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.
Nos numerus ſumus, et fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopæ, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.
Ut jugulent hominem, ſurgunt de nocte latrones;
Ut teipſum ſerves, non expergiſceris? atqui
Si noles ſanus, curres hydropicus: et ni
Poſces ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendes animum ſtudiis et rebus honeſtis;
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum, feſtinas demere; ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet: ſapere aude;

31 Ceſſatum *omnes, niſi quod* ceſſantum *Flor.* 1482. *quod Landinus reddit* otioſorum. Ceſſanti *conj. Cun.*—32—63 *Poſt Epiſt.* 1. 51. *collocari vult Da. Heinſ.*—32 Hominem *Bentl. ex pluribus MSS. et evitatur ſic ingratum Homœoteleuton.*—34 Nolis—cures *plures MSS.* Cures *etiam primæ editt. Sed* noles *MSS. apud Lambi. Ex* nolis, non is *conj. Da. Heinſ.*—38 Oculum *probat Bentl.* Oculos *al.*

24 *Cupidus*, intemperans.

25 *Fuiſſet*, manſiſſet.

27 *Numerus ſumus*, i. e. *Quos fama obſcura recondit. Eos qui abſunt ſtudio Philoſophiæ, ait numerum tantummodo explere hominum.* Vet. Schol. B. Non puto ita ſevere hic philoſophari poetam, ſed ſuam potius et aliorum otioſorum vitam ſic deridere. G.

28 Feſtiva Ironia *Sponſos* dicit procos: erant enim voto ſponſi.

Nebulones, prodigi, qui nihil habent penſi, a νὴ et βυλὴ, ut ait Donatus. B. Alcinoi Phæacum regis aula ita deſcribitur ab Homero, ut nihil ſerium ibi egerint homines, ſed in menſæ et ludorum voluptatibus tempus omne conſumſerint. G.

29 *In cute curanda*; pretioſis ſcilicet unguentis et balneis, quod quotidie factum eſt a Veteribus ante cœnam: qua re intelligitur etiam cœnandi luxuria.

Operata, operam inſumens: vox iſta propria eſt convivatorum et ſacrificia parantium.

31 *Ceſſatum; eſt Infinitivus a Futuro.* Vet. Sch. *Et ſcite ceſſatum tanquam feriatum.* Rutgerſius. Bentleius poſuit neſcio quibus modis, ex diverſis Chartis et Libris *ceſſantem ducere ſomnum*, quod nil opus eſt refellere, cum provenerit ex ignoratione Exſcriptoris, qui interpretari voluit quod non intellexerat. B. Placet in primis, quod Rutgerſius monet, Belgas ſimiliter dicere, *Syn Sorge ſpelen leiden.* Si qua cura in animo forte oboriatur, illam *ceſſatum ducunt ad citharæ ſtrepitum*, i. cantu illo et oblectatione ſopitum eunt: ut dicimur curas *ventis tradere portandas in mare* Car. 1. 26. pr. G.

32 Hinc incipit poeta adtexere præcepta alia Lollio juveni profutura, per ſaturam, ut ſolet. Heinſiana tranſpoſitio fundamento idoneo deſtituitur. G.

33 *Teipſum ſerves*, h. e. animi tui rectum ſenſum.

34 Hydropis cura ap. Celſ. 3. 21. *Multum ambulandum, currendum aliquando.* Ceterum ſimilitudine tantum hydropis utitur, omiſſis, ut ſolet, comparandi particulis. Diſputat enim in genere contra deſidiam. Cf. v. 42. it. 1. 3. 19. G.

Hydropicus; ſiticuloſus, avarus; *Curres*, properabis.

37 *Vigil*, quia non poteris dormire.

Nam cur, ex abrupto intulit: eſt enim Anacoluthon. Quatuor Torrentii Codices legerunt *oculum* pro *oculos*. B. *Nam cur* idem eſt, quod *cur nam*: non habet reſpectum ad ſuperiora; ſed eſt inceptivum, ut loquuntur Grammatici. G.

Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.
Quæritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere silvæ.
Quod satis est cui contigit, hic nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non æris acervus et auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas; quodcunque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege; qui, nisi paret,

41 Annum *pro* horam *F. et Med.* 1486. Incipe: vivendi recte qui *Glar. Lamb.*—46 Contingit, nihil *MSS. et primæ editt. et Bentl.*—52 Podagram *omnes.*—61 Dum vim *Bof.*

39 *Est*, ἐδίτι. B. Homerica formula Il. Z, 203. ἐν δόμῳ ναιετάων, quod Cic. Tusc. 3. c. 26. reddit, *Ipse suum cor edens.* G.

40 *Dimidium facti*; de Proverbio Græco est, Ἀρχὴ ἥμισυ παντός, ut post Erasmum Lambinus monuit.

Aude, audacter experire. B. *Sapere aude*, quia res est ardua, difficilis coërcere cupiditates, vitiorum blandimenta superare et spernere. Z.

41 *Recte*, vere, ad Philosophicam normam. *Horam*, tempus.

42 *Rusticus*, h. e. ut rusticus ille de quo Fabula; qui noluit transire flumen, donec tota defluxeret aqua. B. Omittit et hic comparandi particulas, ut modo monuimus ad v. 34. G.

44 *Beata*, et dives et bene nata.

45 *Pacantur*, mitescunt.

46 *Optet*, a diis petat. *Nil ergo optabunt homines?* Juvenalis.

48 *Deduxit corpore febres*, Parodia Lucretiana est: nam ille [2. 34.] *Decedunt corpore febres.* Hoc advertit H. Stephanus.

50 *Comportatis*, coacervatis, Metaphora a formica.

Bene cogitat uti, Hellenismus, μᾶλλον εὖ χρᾶσθαι.

51 Cum Lambini et Cruquii Codicibus reposui *et res*, pro eo quod erat *aut res*.

52 *Ut lippum*; de seipso cogitavit.

Fomenta videntur levare podagram, revera irritant.

Puto Bentleium recte ex conjectura posuisse *podagrum* pro *podagram*, quo conveniret voci *lippum*: Nam et pronus est lapsus in voce minus nota, qualis est *podager* pro *podagricus*.

54 *Sincerum*, purum vitio, quasi *sine querela*, et ἄμωμον.

56 *Finem*, modulum et limitem.

57 Bene *macrescit*, nam *opimum* pingue est.

Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magiſter
Ire viam qua monſtret eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſilvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. Quod ſi ceſſas, aut ſtrenuus anteis;
Nec tardum opperior, nec præcedentibus inſto.

EPISTOLA III.

AD JULIUM FLORUM.

Perquirit de Tiberio et comitibus in Oriente hoc tempore militantibus.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Auguſti privignus, ſcire laboro.
Thracane vos, Hebruſque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,

65 Quam monſtrat *Ven. Glar. Lamb.*

EPIST. III.

1 Luci *conj. Marc.*

58 *Siculi tyranni*, de Phalaridis Tauro cogitavit.

59 *Moderari* eſt modum ponere.

60 *Mens* obſtinata voluntas dicitur, et propoſiti violentia, dolor autem indignatio.

61 *Odio inulto* Dativum eſt.

62 *Animum*, ſpiritum.

63 *Frænis; fertur homo quatuor perturbationibus et equis indomitis.* Cruquius ex Platone.

65 Pro *quam* repoſui *qua* ex MSS. Torrentii ex, et duobus Cruquii.

67 *Puro*, ſincero, tanquam de vaſe. B. Cum animus tuus nondum ſit infectus et corruptus vitiorum contagione et peccandi conſuetudine. *Nunc*, dum puer es. Z.

68 *Puer*, h. e. dum puer es. *Ad Lollium ſcribit adoleſcentem Oratorem.* Vet. Schol. B. *Adbibe* vide et ſæpe bibe. V. Car. 2. 13. 32. G.

Melioribus offer; doctioribus excolendum.

70 *Teſta*; cadus vel amphora.

Ceſſas; tardior es, et negligentior.

71 *Nec inſto*; vere philoſophantibus abeſt æmulatio. B. Credo, ut ſuſpicionem omnem a ſe removeat, quaſi ſuam rem agat, hoc addere Horatium. Quidquid tu egeris, viam ego meam perſequar nec tardius tua alteriuſve cujuſcunque cauſa, nec celerius. G.

EPIST. III.

1 *Julius Florus fuit in Coborte i. e. inter Comites Tiberii Neronis, qui ab Auguſto imperium accepit.* Vet. Schol. Cruq. *Hic Florus fuit Satirarum Scriptor, cujus ſunt Electæ ex Ennio, Lucilio, Varrone.* Alter Schol. B. Tiberius Claudius Nero Liviæ filius anno U. C. 734. ab Auguſto miſſus ad Orientem regnum Armeniæ Tigrani reſtituit; recepit etiam ſigna, quæ M. Craſſo ademerant Parthi. Sueton. Tib. c. 9. Z.

Oræ ſunt extremæ partes terrarum, id eſt, maritimæ. Cruquius ex Feſto.

2 *Laboro*, geſtio.

3 *Thracane, Græce protulit:* Θρῇκη. Vet. Sch.

An pingues Aſiæ campi colleſque morantur?
Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit? Hæc quoque curo;
Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?
Bella quis et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus et rivos auſus apertos?
Ut valet? ut meminit noſtri? fidibuſne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet, auſpice Muſa?
An tragica deſævit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celſus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo;
Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus. Ipſe quid audes?

6 Hoc quoque c. *Bentl. ex codd. non male: nam refertur ad antecedens membrum.* Z.

Cruq. B. Per Macedoniam Thraciamque exercitum ductum eſſe, tradit quoque Suetonius Tib. cap. 14. Z.

Mire *nivali compede* de Hebro tanquam Deo: an cogitavit de Xerxe, [Juvenal. 10. 182.] *Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum?* B. Ad glaciem referendum videtur. G.

4 *An freta;* Helleſpontum dicit.

Turres, Seſtos et Abydos. Vet. Schol. Bentleius ex conjectura poſuit *terras*, quod minus probaverim; ille non putavit et *Seſti* et *Abydi* fuiſſe turrem. Poetæ non fuerat iſta diſquirere, ſed Geographi vel Hiſtorici. B. Certe etiam Abydos urbs munita. Vet. Schol. Cruq. *Turres* pro urbibus Helleſponti poſuit.

5 *Morantur*, oblectant, amore ſui, captos diſcedere vetant. B. Perſequitur iter Tiberii eo ordine, quo illud inſtitui debuit.

6 *Cohors nunc Amici; nam et Lucilius eos, qui nunc Præſidibus ad Salarium eunt, mercede inventas Legiones ait.* Vet. Schol. Hinc effectum eſt noſtrum COURT: Homero autem Ἀχαιῶν Χαίτη dicitur noſtrum COURT-YARD. B. *Cohors* ſunt amici Tiberii, comites, contubernales, qui et commenſales dicuntur. Z.

Curo, ſunt mihi curæ et per hoc perquiro, et ſcire laboro. B. Quia Horatius ipſe aut ob difficultatem non audebat, aut, tanquam priſtinus libertatis defenſor Brutique amicus, nolebat ſcribere: veruntamen rei ipſius cupidus volebat videri ob gratiam Auguſti. Z.

9 *Titius Septimius Lyrica Carmina et Tragœdias ſcripſit Auguſti tempore; ſed libri ejus nulli exſtant: hujus autem inſigne Monumentum eſt infra Ariciam.* Vet. Schol. Cruq. B. De hoc Car. 2. 6. Epiſt. 1. 9. G.

10 *Non expalluit:* res tantæ aleæ cuivis pallorem incutere potuerat, bene igitur ſubjecit *auſus*. B. Vid. Car. 4. 2. pr. G.

11 Bene etiam *apertos:* nam reconditioris intellectus ſunt Pindari vatis Carmina.

13 *Auſpice*, bona dante initia.

14 *Deſævit*, Comicum erat Horatio ingenium, atque ideo minus arridebat Epicum Carmen, et Tragœdia. B. *Deſævit*, ſæva, crudelia, qualia in tragœdiis tractantur, deſcribit. Z.

Ampullatur, bombos edit, λημνίζει. Καλλίμαχος Μοῦσαν λημνίαν τὴν τραγῳδίαν λέγει. Scholiaſtes Hephæſtionis, citante Lambino. *Projicit ampullas; hoc de Callimacho ſuſtulit.* Vet. Schol. in Artem Poeticam 97. B. Ampullis verborum utitur, ſublimi dicendi genere, ut ars poſtulat, utitur. Z.

In arte; h. e. in Dramate; hinc et Actores Artifices appellabantur.

15 Moralem habet Emphaſin particula *mihi*: nam ineptulum ſignificat.

16 *Privatas;* nam quivis deprehendat bibliothecam publicam compilantem.

Tangere vitet; minantis ſunt hæc verba.

17 *Cæſar ſibi in bibliotheca ſtatuam poſuerat ut*

Quæ circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt, nec turpiter hirtum.
Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica jura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen;
Prima feres hederæ victricis præmia: quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quo te cœleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus et ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari.
Debes hoc etiam reſcribere, ſi tibi curæ,
Quantæ conveniat, Munatius: an male ſarta
Gratia nequicquam coit, et reſcinditur. At, vos
Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat,
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.

22 *Pro* nec, et *Bentl. ex codd.*—30 Sit tibi *MSS. Lamb. Cruq. Torr. G.* Curæ eſt *conj. Bentl.*—32 Ac vos *Bentl. ex codd.*—33 Heu—heu *MSS. Cruq. Torr. Sax.* Verſat *ed. Ven. et Loſcheriana.*

habitum ac ſtaturam Apollinis. Vet. Schol. B. Conf. Ser. 1. 4. 22. G.

19 *Cornicula ponitur Abuſive pro graculo.* Vet. Schol. Cruq.

20 *Coloribus*, quibus ſe pingi gaudebat inepta. *Audes*, moliris.

21 *Agilis*, tanquam ſedula apis. Vide Od. 4. 2. 27. Omnes qui bene ſcribunt ſua mella excerpunt e Veterum Scriptis.

22 *Incultum*, agreſte, hirtum, aſperum.

24 *Amabile* utitur tanquam perpetuo Epitheto.

25 *Feres*, domum tuam, tanquam a Poetico Certamine, et per hoc accipies; nam qui accipit ſecum fert.

26 Abuſive dicimus *frigida fomenta*. Antonius Muſa Auguſti Medicus frigidis aſperſionibus Arthriticos curavit, cum alii calidis fomentis uterentur. Vide Epiſt. 15. Feſtive ſignificat refrigeſcere ingenium cogitatione pecuniæ atque honorum; nam et *frigidum* pro emortuo ſignificatur. Utitur igitur ſolita Dilogia.

Relinquere, deponere, negligere.

28 *Studium* opera eſt qua perpetuo oblectamur. B. Intelligitur ſtudium ſapientiæ, quod alienum eſt a cupiditate divitiarum, honorum, &c. *Properemus*, maturemus, ſine mora colamus. De activo verbi properare ſenſu vid. Broukhuſ. ad Tibull. pag. 380. Z.

29 *Nobis*, h. e. inter nos: eſtque Præparatio ad ea quæ dicturus eſt: nam deſcendit ad ſequentia.

30 Comice *ſi* pro *an* protulit. B. V. Epiſt. 1. 7. 39. G.

Curæ, amori; curæ ſunt quæ amamus: ſumus enim eorum ſemper memores.

Tua cura palumbes. Virgilius.

31 *Male ſarta*; Metaphora a re veſtiaria.

32 *Coire* proprie dicuntur vulnera, et veſtium ſuturæ.

At, hoc eſt, utcunque vel nihilominus. Bentleius me invito fecit *Ac:* Quod etſi tantillum ſit, ego nollem factum. B. Continuari vult Bentleius interrogationem uſque ad feros. Sed magis placet, quia vehementiorem motum habet, illud *At*. G.

33 Patheticum valde et miſerationi aptum illud *Heu—heu:* et pene eſt ut præferam, cum præſertim *calidus ſanguis* et *rerum inſcitia* non disjuncta videantur, ſed ex eodem fonte profecta, et valde conjuncta. G.

Juventa *calidus*.

Vexat, agitat, in furorem agit.

34 Comparat cum juvencis eidem jugo alligatis, quod una ferre recuſent. Poſt *indigni* omiſſum *eſſis*. G.

35 Cognatos omnes, imo et coævos *fratres* appellant Veteres: potuerunt eſſe *fratres patrueles*, vel *fratres affinitate*.

EPISTOLA IV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Tibullum ſodalem ſuavi alloquio ſolatur mœrentem. (Vid. ad v. 4. G.) B. Videtur Tibullum ad ſeſe invitaſſe Horatius. Quid agis, inquit, nunc? num carmina ſcribis, an meditabundus philoſopharis? Certe tibi ingenium eſt præclarum, forma corporis egregia, divitiæ earumque rectus uſus, mentis prudentia, facundia orationis, gratia apud principes, gloria, firma valetudo, habitus cultuſque vitæ ſplendidus et magnificus. Quare vive lætus et tranquillus, et, ſi ridere velis, viſe me, qui tanquam Epicureus cutem curo, edo et bibo, nec curæ ullæ animi mei turbant tranquillitatem.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſsî Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubres,
Curantem quicquid dignum ſapiente bonoque eſt? 5
Non tu corpus eras ſine pectore. Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui ſapere et fari poſſit quæ ſentiat, et cui

9 Quam ſ. et f. ut *vulg.* Quam ut ſ. *Boſ. Nobiſcum Bentl. Cun. San. Sandb.*

36 *Lyrici juvencam immolabant, Tragœdi hircum, alii Poetæ taurum.* Vet. Schol. B. Illud de hirco Tragicorum ſpeciem habet. Vid. Ar. P. 220. Sed reliqua olent ſuperbulum nugatorem. G.

EPIST. IV.

1 *Sermones* dicit Satiras ſuas et Epiſtolas communi ſermoni ſimiles, ac ſi non eſſent Poemata. B. Etiam Epiſtolas hic intelligendas eſſe, non video. Z.

Candidus purus eſt, neque malignus, neque fictus.

Judex, Criticus erat ſcriptorum Horatii. Vet. Schol.

2 *Dicam*, conjiciam.

Pedum oppidum haud longe ab urbe fuit, nunc non eſt. Vet. Schol. B. *Inter Tibur et Præneste* collocat Schol. Cruq. G. Ibi villam haud dubie habuit Tibullus. Z.

3 *Hic eſt Caſſius qui in partibus Bruti et Caſſii Tribunus militum militavit, quibus victis Athenas ſe contulit: Quintus Varius ab Auguſto miſſus ut eum interficeret ſtudentem reperit, et peremto eo ſcrinium cum libris tulit: unde multi crediderunt Thyeſten Caſſii Parmenſis fuiſſe; ſcripſerat enim multas Tragœdias Caſſius.* Vet. Schol. B. Recte hoc ſcholion erroris convincitur a viris doctis. Nam Caſſius Parmenſis, victo ad Actium Antonio, cujus partes ſecutus erat, fugit Athenas, ubi a Varo quodam, qui videtur fuiſſe dux Auguſti, et perperam cum L. Vario tragico confunditur, juſſu Auguſti occiſus eſt. Vid. Valer. Max. L. 7. 7.: Ruhnkenio ad Vellei. Paterc. et inprimis Wieland. ad noſtrum loc. Z.

Opuſcula, h. e. auro contra cara, nam et Diminutiva nonnunquam laudis ſunt. Liberalis recordatio Brutianarum partium, quarum et ipſe fuerat. B. Opuſcula Caſſii quidem hic laudantur; at laus non eſt in Deminutivo. Z.

4 *Tacitum*, meditabundum.

Reptare, leniter ambulare, quod meditantium eſt. B. Sic Plin. Epiſt. 1. 24. *Reptare per lineam.* G.

6 *Corpus inanime* Proverbiali ſermone inertem dicimus et meticuloſum.

Ercs, ſupple *olim*. Certe et agilis et generoſus fueras. B. *Eras* refero ad naſcendi felici-

Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter ſpem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum:
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur, hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

13 Deluxiſſe *primæ editt.*

tatem. *Ingenium*, quod ingenitum eſt, in puero ſtatim eminebat. G.

Dii tibi; contra Epicureorum ſententiam qui negant eos aliquid curare. Vet. Schol. Cruq.

7 Hic verſus debebat monere viros eruditos, ne putarent hoc agere Horatium, ut conſoletur Tibullum, decoctorem, in agello anguſto lugentem ſuperiorem ſtultitiam. G. *Dederunt, media ſyllaba brevi.* Vet. Schol. Cruq. B.

Artemque; callide laudat etiam prodigalitatem Albii.

8 *Nutricula;* Vota divitiarum exagitat. B. Non puto: nam quorſum illud, *non deficiente crumena?* Peripateticus hic eſt: nova omnia complectitur. G.

9 Lectio Veterum Codicum eſt *Qui ſapere et fari poſſit*, non *Quam ſapere et fari ut poſſit*, ut Vulgati; et probavit Torrentius: h. e. qui ejuſmodi eſt ut jam poſſit. B. *Fari quæ ſentiat;* de eloquentia et facundia hoc eſt accipiendum, non de libertate impune dicendi quæ velis. Z.

Qui talis eſt, ut hic deſcribitur, ille non opus habet votis cariſſimorum. Felix es, Albi, tua ſi bona noris. G.

10 *Gratia* apud potentes, *fama* propter ſcripta.

11 Cum Bentleius in uno vel altero vetuſto Exemplari repererit *Et modus, et victus*, ille de ſuo ingenio fecit *Et domus, et victus*, quæ videtur mihi præ altera Lectione frigidiuſcula, et ſola ratitate commendabilis.

13 Miſerum eſt pendulum eſſe de futuro: ſoliciti et parci vivunt futuro, quod nunquam futurum eſt. B. Contra perturbationes v. 12. commemoratas remedium eſt cogitatio mortis. Qui cogitat unum quemque diem eſſe forte ultimum, ſingulos, quibus vivit, in lucro ponit, et gratus accipit. Conf. Ter. Phorm. 2. 1. 11. Putabam aliquando *deluxiſſe* forte rectum eſſe, ut finem lucis ſignificet, et ſit iſta cogitatio cubitum euntium. Sed non obſervavi quidquam, quo aliunde verbum illud firmetur. G.

Diluxiſſe, ſe aperuiſſe, Ἐναργῶς.

14 *Grata* modo Paſſivum eſt pro grate acceptа; et bene *ſuperveniet* de non proviſo.

Hora, h. e. vel una horula. Unica vitæ ancora eſt ſperare nihil: qui nil ſperat nil metuit, ſpes ſola ſtultitiæ eſcam præbet.

15 *Pinguem et nitidum*, h. e. gaudentem præſentibus, nec ſumtibus parcentem ut tu.

Viſes, Imperativus in Futuro.

16 *Cum ridere voles;* h. e. ubi aliquando remiſſior fueris: nam ſemper me ridentem deprehendes. Appoſui ſubdiſtinctionem poſt *voles*, quod neminem reprehenſurum ſcio.

Porcum; obeſulus erat Horatius, et porci audiebant Epicurei. *Epicure noſter ex hara producte, non ex ſchola*, Cicero in Piſonem, referente Ludovico Deſprez. B. Fere in eundem modum jocatur Cicero Epiſt. IX. 20. ubi ait, ſe nunc edacem eſſe factum: ſe in Epicuri ſui adverſarii caſtra ſe conjeciſſe, &c. Z.

EPISTOLA V.

AD TORQUATUM.

Manlium Torquatum invitat ad cœnam. B. Morosus prorsus sit necesse est, cui hoc Horatii convivium non placeat. Vinum enim haud contemnendum, idque non parce apponitur, est pura et munda supellex, tempus opportunum, sermones faceti, delectus convivarum fidorum et bene convenientium.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella;
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vinà bibes, iterum Tauro diffusa paluſtres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum. 5
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam: cras nato Cæsare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit 10

1 Archaicis *Z. Med.* 1477, *&c.* *Sed* Archiacis *G. S. Porphyr. Fabricii et ipse Fabr. R. Steph. &c.*

1 *Archiacis; Archias breves lectos fecit, unde Archiacos, sicut a Boetho Boethios, dicimus.* Vet. Sch. Hanc Lectionem Turnebus probat, cum cæteri contra omnium MSS. fidem reponant *Archaicis.* B. Videntur nunc, post Bentl. et disputationem Kusterianam in Hist. Acad. Inscr. T. 2. in tuto esse *Archiaci lecti*, licet illorum Archias faber aliunde quam ex Porphyrione Fabricii nondum innotuerit: sed nec *Sotericus* ille, cujus *lecti* sunt ex Seneca apud Gell. 12. 2. G.

2 *Olus omne; qualecunque, ut dicere solemus nos omne vinum bibere.* Vet. Schol. Cruq.

3 *Supremo te sole;* contra quam faciebant lauti, qui de medio die cœnam ordiebantur.

4 *Iterum Tauro*, supple *Consule:* et significat ea non esse admodum vetusta. B. Incidit hic annus in A. U. C. 728. fuitque vinum ex Bentleii rationibus VI. vel VII. annorum. G.

Diffusa; expressa. Vet. Sch. Cruq. B. Non quasi idem sit *exprimere* vinum uvis, et *diffundere* ex lacu in Amphoras et lagenas: sed quia utrumque temporibus non multum diversis solet fieri. G.

5 *Petrinus vicus olim in agro Falerno.* Vet. Schol. B. Certe Minturnarum et Sinuessæ mentio etiam Falernum agrum indicant. G.

6 *Arcesse;* me invita ad te. B. Potior videtur Lambini interpretatio, qui ita: vel arcesse vinum, quod habes, melius meo, i. e. jube tecum afferri ad me: vel patere tibi meum apponi. Z.

Imperium fer; i. e. patere tibi a me imperari, tanquam domino convivii. G. *Dicitur hoc quia antea pascentes Reges appellabantur. Inde qui senatui cœnam post triumphum dabant in Capitolio, Consulem vel Dictatorem rogabant, ne ad cœnam venirent, se illis quod ederent domum missuros, ne illos ut Reges domum a senatu deduci illis præsentibus necesse esset.* Vet. Schol. B. Si conferas cum h. l. Val. Max. 2. 8. 6. et Plut. Qu. Ro. 80. colligas inde, a triumphantibus epulo exceptum fuisse Senatum, qui deinde dominum convivii domum duxerit, quod indecorum, consule vel dictatore præsente, alii cuiquam tribui. G.

7 *Tibi*, in usum tuum apud me. Z.

8 *Leves*, vanas et incertas.

9 *Moschi; hic Pergamenus Rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cujus causam ex primis tunc Oratores egerunt, Torquatus hic, de quo nunc dicit, cujus exstat Oratio, et Asinius Pollio.* Vet. Schol.

Nato Cæsare; Divi Cæsaris natalem significat; ille Idibus Juliis celebratur. Vet. Schol. B. Ad natalem Augusti, vel ad Caii Cæsaris, qui referunt, nihil adferunt præter conjecturas. Cæ-

Æſtivam ſermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti?
Parcus ob hæredis curam nimiumque ſeverus
Affidet inſano. Potare et ſpargere flores
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit;
Spes jubet eſſe ratas; in prælia trudit inertem;
Solicitis animis onus eximit: addocet artes:
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?
Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus; ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares; ne non et cantharus et lanx
Oſtendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par
Jungaturque pari. Butram tibi, Septiciumque,

11 Extendere *fr. edit.* Tenderé *G.*—12 Fortuna *etiam G. S. Z. &c.* Geſn. *Equidem cum Bentleio lectionem codicum nonnullorum reſtitui, ita ut intelligatur* optem. *Nam vulg.* fortuna *repudiatur a verſu.* Z.—17 Inertem *G. S. Talb. Bentl. Baxt.* 2, *&c.* Inermem *al.*—26 Butram—Septicium *etiam G.* Brutum *edd. vett.* Septimiumque *Lamb.*

terum IV. Id. Julii natalem aſſignat Divi Cæſaris Macrob. Sat. I. 12. G.

10 *Impune*, neque enim a Cenſore vetabimur æſtivo hoc tempore noctis uti refrigerio. B. *Veniam*, feriandi, abſtinendi a negotiis. *Somnum*, et adeo permittit diutius dormire, quo facilius per noctem poſſis convivio intereſſe. Z.

11 *Benigno*, largo, copioſo.

Tendere, producere; Metaphora a lanificis deducta.

12 *Quo mihi*, Enallage Perſonæ: pro *quo tibi*.

Fortuna, ſupple *magna*. Contra fidem Codicum Muretus repoſuit *fortunas*, quod video a pleriſque probatum. Sed nil opus: nam cauſa metri factum eſt. Bentleio placuit *fortunam*, verum ſub tenui auctoritate.

14 *Affidet inſano; ſedet ſtulto proximus.* Cruquius. B. Ut *affinis* eſt, *proximus, vicinus* eſt. G.

Potare et ſpargere; Τρίζειν καὶ σπένδειν.

15 *Patiar*, contentus feram.

Inconſultus, Charientiſmus prodigi et improvidi.

16 *Deſignat*; molitur. *Deſignare rem novam facere.* Donatus. B. Ut *deſignantur* magiſtratus in futurum. Eſt hæc laus vini, quod fortes facit, ut illos, qui Pyrrhum interfecturi erant, niſi lagena defeciſſet. Quinct. 6. 3. 10. Ex hac deſignandi notione eſt Gall. *deſſein*. G.

18 *Onus eximit*; tanquam jumenti dorſo.

Addocet artes; ingenium acuit ad percipiendas diſciplinas.

20 *Contracta*; Dilogus et anguſta et inaudaci vel mœſta.

Solutum, hilarem, laſcive ridentem.

21 Diſpenſatoris eſt *procurare*: nam procuratio eſt vicaria curatio: erat igitur Ἔφορος, vel collatitia cœna.

Idoneus; ad lætitiam et munditias, naturæ comparatus; et per hoc bene electus. B. *Hæc imperor* Græciſmo, pro hæc mihi imperantur idoneo. G.

22 *Toral*; integumentum lecti.

23 *Corruget nares*; gravi odore.

Cantharus, Bacchi poculum; anſatus erat. A CANN, or TANKARD.

24 *Tibi te*; Enallage Perſonæ, pro *ſibi aliquem*. B. Vult nitere vaſa ut pro ſpeculo eſſe poſſint. G.

25 *Eliminet, foras limen efferat.* Vet. Schol.

Coëat, apte conveniat, ætate ſcilicet et moribus.

26 Recte Bentleius, auctoritate Codicum plurium, pro *Brutum tibi Septimiumque* reſcripſit *Butram tibi Septiciumque*. Cauſa fuerat tanti erroris quod ea nomina paucis erant nota. Pleriquo enim Librarii Scriptores nihil præter ſcribere

Et niſi cœna prior potiorque puella Sabinum
Detinet, aſſumam. Locus eſt et pluribus umbris;
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.
Tu quotus eſſe velis, reſcribe; et rebus omiſſis,
Atria ſervantem poſtico falle clientem.

EPISTOLA VI.

AD NUMICIUM.

Vita beata conſtat externorum contemtu. B. Numicius videtur homo fuiſſe in vitæ genere et inſtituto probando ac ſectando admodum inconſtans et moroſus. Quare docet Horatius, ad vitæ tranquillitatem pertinere nihil admirari, nec quicquam magis ab illa abhorrere, quam in rebus appetendis fugiendiſque fluctuare. Quod ſi in virtutis admiratione excedi poteſt modus; quid futurum eſt in vaſis argenteis, ſtatuis, veſtibus, honoribus, opibus et divitiis admirandis et nimis appetendis? Ad animi igitur tranquillitatem tuendam opus eſt, ut in optimo, quod quidem viſum fuerit tibi, ſervando et ſectando ſis conſtans et ſtabilis. Quod ſi virtus te beatum reddere et ſervare poteſt: virtutem cole, cæteris omiſſis ſtudiis. Si fieri poteſt, ut in divitiis vitæ felicitatem poſueris; has unice ſectare et auge quantum potes. Si honores tibi viſi fuerint animi tranquillitatem afferre; honoribus omnem adhibe curam et operam. Si in menſæ gulæque deliciis ſummum poſueris bonum; tanquam tribu motus et impotentes Ulyſſis ſocii hoc voluptatis genus ſectare. Si denique nihil ſine amore jociſque jucundum putaveris; vive in amore jociſque.

Nil admirari prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere et ſervare beatum.
Hunc ſolem, et ſtellas, et decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla

novere. B. *Brutam* vel *Butram* puellam facit. Vet. Schol. Cruq. G.

27 *Potior puella; urbanus jocus in Sabinum.* Cruquius.

29 *Convivium* modo dicit convivarum gregem.

Capræ; olentes alæ.

30 Ordo eſt; *Reſcribe quotus tu eſſe velis.* B. *Quotus:* dicitur enim *epulari cum duodeviceſimo comite* Plin. 12. 1. Martial. 14. 217. *Dic quotus, et quanti cupias cœnare.* G. Varro apud Gell. XIII. 11. dicit, convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad Muſarum. Z.

31 *Atria ſervantem*, h. e. te in atrio exſpectantem. B. *Poſtico* ſcil. *oſtio*, porta falſa, ψευδοθύρα. Z.

EPIST. VI.

1 *Pythagoras interrogatus quid tam diuturno ſtudio proficeret, reſpondit, Nil admirari.* Torrentius ex Plutarchi Περὶ τῆ ἀυτῆ. *Eum qui ſe in rebus omnibus gratiæ odioque exemerit, ſecurum vivere poſſe ſignificat.* Vet. Schol. B. *Admirari* in hac diſciplina eſt magnum putare, h. e. valde vel expetendum vel averſandum. Docet hoc tota hæc epiſtola. Conf. Od. 3. 16. 25. et 29. 11. it. 4. 9. 15. Sat. 1. 6. 32. Epiſt. 1. 1. 47., 1. 14. 18. Sic ſæpe Cicero. G.

Una, præcipua. Vet. Schol. Cruq.

Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plauſus et amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis et ore?
Qui timet his adverſa, fere miratur eodem
Quo cupiens pacto: pavor eſt utrobique moleſtus:
Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque:
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius pejuſve ſua ſpe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui;
Ultra quam ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam.
I nunc, argentum et marmor vetus, æraque et artes
Suſpice; cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude quod ſpectant oculi te mille loquentem:
Gnavus mane forum, et veſpertinus pete tectum;
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus; et (indignum, quod ſit pejoribus ortus)

7 Lud. et pl. Z.—12 Metuatve. *Ven. Glar.*—22 Mutus et *etiam G. it. MSS. Lamb. et Torr.* Mutius et Z. Geſn. Mutius *ſine* et *Ven. Glar. Lamb.*

2 *Una hirundo non facit ver, nec una dies beatum.* Ariſtoteles, citante Landino.

3 *Hunc ſolem* ad Emphaſin poſuit quaſi diceret; *adeo verendum.*

4 *Tempora;* Horas ſcilicet, vel Quatuor Tempora, et numeros Lunares, ſive Sabbata.

Sunt qui; Atheos ſignificat illorum temporum: nam maximam religionem incuſſerat Veteribus timor Solis. B. Hic quidem nihil impietatis eſt. Nam ſapientis eſt non metuere ſibi quidquam ab eclipſi ſolis, a Saturni et Martis conjunctione, et ſimilibus, quæ genethliaca ſuperſtitio timet. G.

5 *Munera terræ;* aurum ſcilicet et reliquas divitias.

6 *Maris* ſcil. *munera*, Uniones et gemmas.

7 *Plauſus*, ſupple *ſcilicet.* B. *Ludicra*, ludi, ſpectacula. Z.

Dona Quiritis; honores, qui ſcilicet in vulgi arbitrio, non tuo ſunt.

8 *Senſu, judicio; ore, ſpe.* Vet. Sch. Cruq.

9 *Mirari* eſt magnum putare, ut diximus. Hoc facit qui timet non minus quam qui cupit. G.

10 Optimi Lambini, Cruquii atque Torrentii Codices cum Scholiaſtis pro *utrique* legerunt *utrobique.* B. *Utrobique;* h. e. in metuendo et cupiendo. Z.

11 *Improviſa;* derepente ſuperveniens. B. Ad quam te non paraveris ope philoſophiæ, G.

Speciem vanam dicit imaginem, quales fere in ſomnis occurrunt.

14 *Defixis oculis; quia nihil aliud intuetur.* Landinus. B. Cum reſpectu ad vim magicam, qua *defigi* dicuntur homines, ut attoniti ſint, promovere pedem non poſſint. G.

Torpet, ſtupore hæret. Vet. Schol. Cruq.

15 *Ferat*, poſſit accipere, et ſecum auferre.

Juſtum conſtat *æquo*, τῷ ἴσῳ.

17 *I nunc*, inconſultos ita affamur. B. Argumentatur a minori ad majus, ſi in virtutis admiratione poteſt modus excedi, quid fiet in divitiis? Conf. Epiſt. 2. 2. 76. G.

Vetus argentum, Vetera æra, et *Veteres artes;* nam Zeugma eſt. B. Vaſa argentea veterum artificum, ſtatuas marmoreas, æreas antiqui operis. Z.

Artes, veterum artificum opera.

18 *Suſpice; cum admiratione aſpice.* Vet. Schol. Cruq. Ut Veteres Stellarum ortus.

19 *Loquentem; ad populum in Republica.* Vet. Schol. Cruq.

21 *Dotalibus;* Mutus ignobilis accepta divite uxore locupletatus eſt.

22 *Mutus et (indignum; quod ſit pejoribus or-*

Hic tibi ſit potius, quam tu mirabilis illi.
Quicquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas,
Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum
Porticus Agrippæ, et via te conſpexerit Appî,
Ire tamen reſtat Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una poteſt dare, fortis omiſſis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putes, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter:
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia ſuccedant, et quæ pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,

31 Deliquitus Z. *quaſi fuiſſet* deliquiis. Putas *Glar. Lamb. pro* ut *edidit e codd. Bentl.* et.—
34 Porro, et *ſic MSS. Lamb. Cruq. Bentl. etiam G.* et *omn. al.*

tus). Sic rectiſſime editum eſt a Bentleio: et bona ſub auctoritate. Exſcriptoribus ignotum fuerat *Muti* obſcurum nomen, ideoque de more ſuo quæ non intellexerant corruperunt.

Indignum, non ferendum; ἀνάξιον.

23 Plane aſſentior Torrentio interrogative legenti. B. Facilior, et dignior Horatio mihi videbatur ſententia, ſi ita conſtruas, *ne plus emetat Mutus, et ne potius hic tibi ſit mirabilis*, h. e. invidendus ζηλωτὸς, *quam tu illi*, quòd *indignum* foret. G.

24 *Sub terra*; in obſcuro et per Enallagen generis *Quicquid* poſuit pro *Quiſquis*. Terræ filii dicuntur qui ſubito ex ignotis noti fiunt. B. Græca formula ἐν ἅδῃ, in ſtatu rerum ſenſui noſtro nondum ſubjectarum, eſſe dicuntur futura, eodemque præterita redire. Deinde fingunt quaſi domicilium earum rerum ſub terra. Ἀΐδης eſt ἀϊδής, qui videri non poteſt, &c. G.

Locus dicitur *apricus* ubi Sol ſe aperit. *In lumen et ſolem.* Vet. Schol.

Ætas, ſupple *multa*, vel *longa*.

25 *Nitentia*; fama atque divitiis ſplendentes et conſpicuos. Omnium rerum viciſſitudo eſt.

26 Porticus hæc erat Panthei, ſive Templi Jovis Ultoris, qua vel deambulabant, vel geſtabantur, lauti.

Te conſpexerit; inſigni curru, vel manno vectum. B. *Appii via.* Nam divites Romani illa iter faciebant in Campaniam amœnam, ubi habebant villas. Z.

27 Neque enim pieta quicquam profuit Numæ, neque Anco bellica gloria. B. Conf. Car. 4. 7. 15.

28 *Tentantur*, fatigantur, irritantur.

29 *Quære*; Imperativus pro Futuro. B. Quaſi permittat, Eſto, quæras licet. Sed hoc cum facias ut fine propoſito quæras remedia, quidni etiam in rebus animi? G.

Recte; ad naturæ modulum et normam rationis.

31 *Hoc age*; huic uni ſtudio te totum trade. Proverbialis elocutio.

Deliciis, molli otio et delicato faſtidio.

Virtutem verba; cogitavit de verbis Herculis apud quendam Tragicum, quæ Brutum jam moriturum pronuntiaſſe fingit Dion. [certe narrat L. 49. extr.] Ὦ τλήμων ἀρετή! λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλως· Ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ γὰρ τύχης ἔφυς. Ita enim corrigendum duxi. Atque huc ſpectat et illud Ovidii ad Uxorem; *Rara quidem eſt virtus quam non fortuna gubernat.* B.

Non puto hic impietatem notari; ſed ſimpliciter hoc dici, ſi putas virtutem conſtare verbis (et nihil præterea eſſe) ut lucus conſtat lignis ſ. arboribus: etiam conſentanea ratione agendum eſt. Oratio plane ſimilis illi Prophetæ 1. Reg. 18. 21. ubi claudicare vetat populum ſed aut Jovæ ſe dedere aut Baali. Conf. Epiſt. 1. 17. 41. G.

Bentleius ex Libris recte repoſuit *putes* [pro *putas*] et bene Verbum Dubitativum in Modo etiam poſuit Dubitativo.

Ut lucum ligna; deriſores ſacrorum lucos vulgo dicebant eſſe ligna, et ſacras ædes tantum ſaxa.

32 *Occupet*, ante te petat.

33 *Negotia*; negotiationes.

34 *Rotundentur*; nihil tam explet avari ani-

Et genus, et formam regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venuſque.
Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si poſſet centum ſcenæ præbere rogatus,
Quî poſſum tot? ait: tamen et quæram, et quot habebo
Mittam: poſt paulo ſcribit, ſibi millia quinque
Eſſe domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus eſt, ubi non et multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, et proſunt furibus. Ergo
Si res ſola poteſt facere et ſervare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc poſtremus omittas.
Si fortunatum ſpecies et gratia præſtat,
Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina;

42 Quod habebo *MSS. Lamb. Fabr.* 1555. Geſn. *Recepi lectionem Glar. Lamb. Bentl. et al.* Z.—47 Potis *coll. Sax. Cun.*—50 Sævum *MSS. Torr. it. G. S. et primæ edd. Sed* lævum *MSS. Lambi. Cruq. Bentl. Cun. Sandb.*—51 Fodiat *edd. vett.*

mum quam rotunda ſumma. B. Congerantur, coacerventur. Lambin. Z.

35 *Quadret*, ut fiat ſolidum et ipſo numero perfectum patrimonium quater mille talentûm. G.

36 *Fidem* dicit fidei opinionem apud vulgus. *Contemnere fulmina pauper Creditur.* Juvenalis.

37 *Reginas* dicebant Patronorum Matronas, quas nos Dominas hodie. B. Conf. Ser. 2. 3. 94.

38 *Decorat Suadela Venuſque*; h. e. ingenii vis et venuſtas. *Suadela* armat, *Venus* ornat. *Suadela Epitheton eſt Veneris, Græcis* Πειθώ. Vet. Schol. Comites decorant Patronos quos honoris cauſa ſequuntur.

39 Domino et ſervis conſtat pauperculum regnum: Cappadocum etiam Reges vendebant cives jure dominii.

40 Comice *hic* pro *talis*. Noli tu miſerum regnum præferre divitiis. Μιταβατικῶς et Conceſſive proferuntur iſta. B. Si virtus nihil eſt quam verba, non ſit tibi ſatis uno genere divitem eſſe: faciendum eſt, ut, quemadmodum Craſſo, omnium generum copiæ ſuperſint. G.

Chlamys militaris erat Græcorum lacerna, ſive palliolum, inferius rotunda, ſuperius contracta. Laxius erat aliquanto Romanorum paludamentum.

41 *Rogatus*; a Prætore ludorum Præfecto.

43 *Millia quinque*; convenienti Hyperbole uſus eſt, cum Lucullus nominâſſet ducentas, ut oſtendit Cruquius ex Plutarchi Lucullo. B. At prior Horatius. G.

47 *Si; pronuncia ut irridendo magis horteris.* Vet. Schol.

49 *Species*; honorum ſplendor. B. Scil. prætexta, ſella curulis, latus clavus, calcei lunati, faſces, lictores, comitatus, &c. Lambin. Z.

Gratia; popularis aura.

50 *Qui dictet nomina*; Nomenclator hic erat, qui ſingulorum civium et nomina et conditiones noverat.

Sævum qui fodicet; ſic plerique ſcripti Codices et Cruquii et Torrentii, pro *lævum qui fodiat*: Scholiaſtæ ſilent. Et bene *Sævum* et *fodicet*, quo ſtudium et properationem oſtenderet, quod et ſequentia firmant. Bentleius tamen retinuit *lævum*, indicta cauſa. B. Sed *lævum* poſcit *dextra*, et favent illi auctoritates: *ſævum* nimis hic ſævum eſt. *Fodicet*, ſubinde fodiat. Cf. Ter. Hec. 3. 5. 15. G.

51 *Trans pondera*; trans ſarraca ſaxis vel trabibus onuſta. B. Aut *trans pondera* togæ jam ſuſceptæ ab infimo limbo, qua antea tegebatur manus, ut vult Ferrar. de re Veſt. 3. 2.: aut, quod ad Fabri et Stephani theſauros mihi placere oſtendi, *trans pondera*, ultra æquilibrium corporis, cum periculo cadendi. Fodit latus lævum candidati nomenclator: alacris nimi[illegible]

Cui libet is faſces dabit, eripietque curule
Cui volet importunus ebur: Frater, Pater, adde;
Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.
Si, bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus
Quo ducet gula: piſcemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, ſervos,
Differtum tranſire forum populumque jubebat,
Unus ut e multis populo ſpectante referret
Emtum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti; Cærite cera
Digni; remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti cenſet, ſine amore jociſque
Nil eſt jucundum; vivas in amore jociſque.
Vive, vale: ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

53 Hic faſces *edd. vett.*—68 Imparti *G. Cun.* Si nil *coll. Sax.*

et cupidus candidatus ita protendit dextram, ut æquilibrium pene perdat, &c. *Pondera* de æquilibrio dici, ſatis oſtendit Ovid. Met. 1. 13. *Ponderibus librata ſuis tellus.* G.

52 *Fabia* et *Velina* Tribuum nomina ſunt. B. Tribuum ſuffragia petebant paullo ante candidati per ſe, et per homines gratioſos, qui dicebantur *tribum conficere* alicui, &c. G.

53 Recte Bentleius diviſim poſuit *Cui libet*, et *is* pro *hic*, idque auctoritate Librorum idoneorum.

Faſces, Conſulatum.

Curule ebur; ſellam curulem, et per hoc Ædilitatem. Eburneo feretro vehebantur in Curiam Ædiles. *Virga quam Imperator in Curiam ferebat, Curulis vocabatur.* Vet. Schol. Cruq.

54 *Importunus*; Comica feſtivitate *importunum* dicit præ nimia potentia ferocientem.

Blandi *Fratres* coævos compellabant, et natu majores *Patres*. *Vis Frater ab illis Ilibus.* Juvenalis.

55 *Facetus*, comis *Faceto* ſemper adeſt quod dici convenit: eſt enim quaſi *fando cietus*. B. *Adoptare* dicitur etiam filius patrem, ut Hammonem Alexander. G.

56 *Lucet*; ſupple *cum primum*.

58 *Gargilius luxurioſus ac perditus fuit, qui ſe venari ſimulabat, dum emeret apros.* Vet. Schol.

59 *Per famam et populum.* Juvenalis.

Bentleius auſus eſt reponere *campum* pro *populum*; neque vidit *forum* modo non eſſe a *populo* diverſum. Nullibi tamen comparet vox *campum* præterquam in Horatio ſuo nuper edito. Verum auribus erat adeo delicatis, ut non poſſet, vel in Satirico carmine, iſtam repetitionem ferre, *populum* et *populo*. Nobis non licet eſſe tam diſertis. B. Mane jubet Gargilius ſervos cum apparatu venatorio tranſire plenum forum, et populum adeo dividere ac dimovere; ridiculo eventu, ut eodem populo ſpectante veſperi referret aprum unum, eumque non a ſe captum ſuis in prædiis, ſed emtum nummo. Magnam vim elegantium verborum hic perdidit vir doctiſſimus. *Populi* nomen bis poſitum: hujus enim oculos maxime captabat Gargilius, alioqui ſummo mane ſ. de nocte exiturus. G.

60 *Unus ut e multis*; nam et multos habuit ad majorem pompam et ſtrepitum, ut oculos populi ad ſe converteret.

61 *Crudi*; etiam a cœna lavabant luxurioſi alteram venantes famem ad medias noctes. B. Cf. Perſ. 3. 98. et quæ ibi Caſaub. G. *Tumidi*, cibo potuque repleti. Z.

62 *Cærites tabulæ erant civium ærariorum, qui tribu movebantur.* Torrentius. *Qui aliquid flagitii admiſerat in Cæritum tabulas relatus eſt.* Vet. Schol. Cruq. *Victis Cæritibus Romani in percutiendo fœdere non dederunt ſuffragii ferendi jus.* Vet. Schol. B. Quin pro beneficio Cæritibus data civitas, ſed ut tum ſolebat, ſine ſuffragio. Res nota. G.

EPISTOLA VII.

AD MÆCENATEM.

Otium anteferendum divitiis. B. Horatius, quem, cum diutius quam promiserat, Roma abesset et in villa rusticaretur, vel Mæcenas ipse vel per alium quendam, ut promissi redituſque memor esset, monuerat, idque, ut videtur, gravius et cum quadam ingrati animi exprobratione, respondet liberius nec tamen sine urbanitate consueta, sese quidem gratissimo animo liberalitatem Mæcenatis agnoscere, qua locuples sit factus: verum, si Mæcenas eum, nunc ingravescente ætate, nunquam a se dimittere vellet, nec ei pristinam valetudinem juvenilemque vigorem redderet: se æquo animo, quicquid ab ejus benignitate accepisset, resignaturum esse, quoniam ita ipse non magis donis illis uti posset, quam Telemachus equis a Menelao oblatis. Tum rem more suo, hoc est, egregie illustrat exemplo Vulteii cujusdam hominis tenuis, qui, a Philippi liberalitate ex urbano rusticus factus, donum auctori reddiderit, cum priorem conditionem vitæ meliorem sibi esse cognovisset.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis, recteque videre valentem;
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam; dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris;
Dum pueris omnis pater et matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, et opella forensis

3 *Sic G. Med.* 1477. *Ven.* 1479. *Flor.* 1482. *Med.* 1502. *Loch.* Vis sanum recteque val. *al.* Si me vis vivum, sanum, r. v. *Cun.*

63 *Vitiosos ideo ait, quia nec apud Ulyssi Circen poculis ejus, nec apud Sirenas cantibus, sibi temperare poterant.* Vet. Schol. B. Omisit, suo more, comparandi particulam: simus tales, quales Ulyssis socii. G.

65 *Mimnermus* Poeta erat Venereus, cujus hi duo versus a Cruquio referuntur ex Plutarcho, et a Mureto ex Stobæo: Τίς δὲ βίος; τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Τιθναίην ὅτι μοὶ μηκέτι ταῦτα μέλοι.

Deest conclusio, ergo etiam si virtus est summum bonum, danda illi est opera. Cf. v. 29. sq. G.

67 *Novisti*; didicisti.

68 *Candidus, benignus, sine invidia.* Vet. Schol. Cruq.

Hoc sumtum videtur ex Isocrate ad Nicoclem, Χρῶ τοῖς τιμωμένοις, ἢ ζήτει βελτίω τούτων. Vir elegans Jacobus Cruquius.

EPIST. VII.

1 *Quinque dies*; supple *duntaxat.*

Rure, apud villam. *Rure* Poetæ dicunt pro *ruri*, auctore Servio; quod monuit Cruquius.

2 *Desideror*; absum, exspector.

Atqui, fidenter et ex abrupto.

3 Valde mihi placet hic versus, qualem ex MS. primisque editionibus repossui: *sanum* illud cum *recte valentem* positum abundat: in *videre* est dulcedo quædam et ἦθος, quod intelligunt soli qui amarunt. G.

5 *Ficus prima*, pro *primus auctumnus*, facete.

6 *Designatores sunt funerum mancipes, et ordinatores; nam designare est ordinare; unde et qui loca in Theatris spectatoribus distribuebant designatores dicebantur.* Vet. Schol. Cruq.

Belle *decorat*, tanquam de Magistratu aliquo majore.

7 *Matercula*, misella mater.

Adducit febres, et teſtamenta reſignat.
Quod ſi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare deſcendet vates tuus, et ſibi parcet,
Contractuſque leget; te, dulcis amice, reviſet
Cum Zephyris, ſi concedes, et hirundine prima.
Non, quo more pyris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. ¶ Veſcere ſodes.
¶ Jam ſatis eſt. ¶ At tu quantumvis tolle. ¶ Benigne.
¶ Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.
¶ Tam teneor dono quam ſi dimittar onuſtus.
¶ Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinquis.
¶ Prodigus et ſtultus donat quæ ſpernit et odit;
Hæc ſeges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et ſapiens dignis ait eſſe paratus;
Nec tamen ignorat quid diſtent æra lupinis.
Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.
Quod ſi me noles uſquam diſcedere, reddes

19 Relinquis *Zar. Cun.* Relinques *al.*—22 Paratum *edd. vett.*

8 *Officioſaque ſedulitas*; in matutina ſalutatione et in deductione ad Forum; Ut primus ſcilicet omnium compareat.

Opella forenſis, qua defendit amicorum cauſas.

9 *Reſignat*; detractis ſignis aperit. B. Teſtamentorum reſignatio eleganter pro morte. Z.

10 *Albanis, Latinis.* Vet. Schol. Cruq. Nam Alba olim Latii caput.

11 *Ad mare; quod per hiemem calorem præſtat, et æſtate frigus.* Vet. Schol. Cruq. B. Vid. ad Epiſt. 1. 15. 18. G.

Sibi parcet; ſibi indulgebit cavendo a frigore.

12 *Contractus; præ frigore.* Vet. Schol. Cruq. Rigidulus erat Horatius. B. *Contractus* in parvum cubiculum: quod facile vaporetur, jacens in lectulo, involutus veſtibus. G.

14 *Calaber, Apulus* vel *Tuſcus* pro quovis ruſtico dici ſolebat: modo autem populares ſuos ſuaviter deridet. B. Senſus eſt: Tu mihi non munera ea dediſti, quæ ipſe ſperneres, ſed magna et magni a me facienda merito. Z.

16 *Benigne; humane facis, et gratias ago.* Vet. Schol. Cruq.

18 Senſus eſt: Non poſſum mecum ferre; ſed exiſtimes velim, donum, quod offers, mihi non minus placere, quam ſi illo onuſtus domum abirem. Z.

19 *Hæc* et *hodie* commendandi habent Emphaſin, et Comice proferuntur. B. Fit actio illa vividior, ſi legamus *relinquis*: magis urget bonus Calaber hoſpitem ſuum. G.

20 *Stultus*, rudis, agreſtis, imperitus.

Odit, faſtidit, nauſeat.

21 *Hæc ſeges*; hic ager, hoc genus hominum.

Ingratos; qui gratiam non queunt mereri. Vet. Schol. Cruq.

Omnibus annis: in omne ævum: dum Sol et Luna ſunt.

22 *Ait*: h. e. libenter ait, nec renuit.

Quinque Cruquii Codices pro *paratum* legerunt *paratus*, quam lectionem Gulielmus Canterus primus ex Soſipatri Charifii Inſtitutionibus eruebat.

23 Parvuli hoc ignorant, quibus lupini ſunt pro nummis. Aleatoribus hi erant pro calculis, [vid. l. 1. Cod. de Aleatoribus] unde natum Proverbium. Oſtendit etiam Muretus ex Plauti Pœnulo [3. 2. 20.] hos fuiſſe *aurum Comicum*, prodente Turnebo in Adverſariis. B. Senſus eſt: Et probe tamen ſcit, quid diſtent probi nummi a falſis; adeo ut dignis hominibus det nummos veros, h. e. munera præſtantiſſima. Z.

24 *Pro laude*; pro merito. B. Ob hanc ipſam quoque cauſam dignum me præſtabo beneficiis tuis, Mæcenas, ut tu laudaris digno tribuiſſe. *Pro* hic ponitur ut Lucr. 5. 2. *Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen Condere pro rerum majeſtate*, i. quale poſcit majeſtas rerum: ita hic qualem requirit laus bene de me mereu-

Forte latus, nigros anguſta fronte capillos;
Reddes dulce loqui; reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cynaræ mœrere protervæ.
Forte per anguſtam tenuis nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti; paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra:
Cui muſtela procul, Si vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubîſti.
Hac ego ſi compellor imagine, cuncta reſigno:
Nec ſomnum plebis laudo, ſatur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudâſti; rexque paterque
Audîſti coram; nec verbo parcius abſens:
Inſpice, ſi poſſum donata reponere lætus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulyſſei;
Non eſt aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tiber placet, aut imbelle Tarentum.

30 Cameram *conj. Dac. infeliciter.*—34 Compellar *edd. vett.*—41 Ithacæ *vulg.*—42 Nec multæ *Bentl.*

tis. Hæc nunc placent præ Tmeſi *promerentis*, *et* præ conſtructione *dignum pro laude*. G.

25 *Diſcedere*, ſcil. a te rus, animi et valetudinis gratia. Z.

26 *Forte latus*, h. e. ſpiritum et inceſſum. B. *Anguſta fronte*, a multis capillis tecta, quemadmodum eſt in juventute. Z.

28 *Fugam*; quia ſe ſubduxerat ebrio. B. Fortaſſis hæc res apud Mæcenatem ipſum acciderat, ipſius Mæcenatis conſilio. Z.

29 Patet ex Sancti Hieronymi Epiſtola ad Salvinam beſtiolam iſtam genus fuiſſe muris. Ita enim Dacerius Hieronymi verbis; "Docet "Æſopi fabula plenum muris ventrem per an- "guſtum foramen egredi non valere." Reſcribendum igitur cum Bentleio *nitedula* pro *vulpecula*. Erat autem *nitedula*, ſive *nitela*, Græcis μῦς ἀγρεσῖος, quem vulgo vocabant Διπεδοβάτην, quod oſtendunt Philoxeni Gloſſæ. Moris fuerat Librariis etiam corrumpere quæ non valebant intelligere. Vide eruditiſſimum Cuningamium.

30 *Cumera vaſis frumentarii genus, factum ex vimine admodum obductum*. Vet. Schol. Vide Sat. I. 1. 53.

34 Sex Cruquii Scripti Codices legerunt *compellor* pro *compellar*, quod magis Horatianum eſt. *Compellari* autem eſt jure arceſſi.

Reſigno; ſatis aſpere. Vet. Schol. Cruq. *Reſignare autem eſt conventum irritum facere*. Torrentius. B. Conf. Car. 3. 29. 54. ubi cum ipſa fortuna ſic agit. G.

35 *Altilium; domi paſtarum avium*. Vet. Sch. Cruq. B. Nam facile *qui ſatur eſt pleno laudat jejunia ventre*. Negat ſe tum demum laudare otium, cum ventrem expleverit deliciis: ſed ſe æquo animo commodis etiam vitæ urbanæ atque aulicæ renunciare. G.

37 *Paterque, Patronus*; Mire igitur *verecundum* pro gratum poſuit, *quod jam aſperior fuerat*, ut ait Vet. Schol. Cruq. B. Lambinus *verecundum* explicat minime cupidum, paucis contentum. Z.

41 Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ' δρόμοι ἰυρεῖς, οὔτ' ἄρι λειμών. Odyſſ. Δ, 605.

Bene Bentleius *Ithace* in Nominativo, atque ita etiam ille edidit.

43 *Atride*, Menelaë.

Ἴσασι δ' εἰς Ἰθάκην ἐκ ἄξομαι. Odyſſ. Δ, 601.

45 *Vacuum*; ob paucos incolas atque ob oti-

Strenuus et fortis, cauſiſque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque Foro nimium diſtare Carinas
Jam grandis natu queritur; conſpexit, ut aiunt,
Adraſum quendam vacua tonſoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, (puer hic non læve juſſa Philippi
Accipiebat) abi, quære, et refer; unde domo; quis;
Cujus fortunæ; quo ſit patre, quove patrono.
It, redit, et narrat, Vulteium nomine Menam,
Præconem, tenui cenſu, ſine crimine notum;
Et properare loco, et ceſſare, et quærere, et uti,
Gaudentem parviſque ſodalibus, et lare certo,
Et ludis, et poſt deciſa negotia Campo.
Scitari libet ex ipſo quæcunque refers: dic
Ad cœnam veniat. Non ſane credere Mena:
Mirari ſecum tacitus. Quid multa? Benigne,

---

56 Natum *Bentl. ex duobus codd.*—58 Curto *Heinſ. ad Ovid. Faſt.* 2. 645. *et Bentl. ex* 2 *MSS.* —60 Quodcunque *Ven. Glar. Bentl.*

---

um: Dilogos. B. *Imbelle*, Tarentum, quia ob mercaturam abundabat divitiis, notum erat ob luxum et molles effeminatoſque incolarum mores. Z.

46 *Strenuus et fortis*, efficax et generoſus.

Lucius Marcius Philippus Conſularis et Cenſorius. Torrentius. B. Videtur fuiſſe ille Ciceronis æqualis pater ejus, qui vitricus Auguſti fuit. G.

47 *Ab officiis*; a defendendis amicorum cauſis apud Forum.

48 *Carinæ locus eſt ad Tellurem, ubi eſt Pompeiana domus.* Vet. Schol. Et domus etiam hujus Philippi.

50 *Adraſum*; commendatio hæc erat novaculæ. B. Puto intelligi ὑ χρῦ ψιλίαν, raſum ad cutim uſque, parci hominis indicium, qui nollet ſæpe nummum tonſori dare. Vid. 1. 18. 7. Non omiſit hoc in parci ſ. μικρολόγυ charactere Theophraſtus, et illuſtravit Caſaubonus. Non audiendus eſt Marcilius, qui libertinæ conditionis hoc inſigne dicat. Ne ſervi quidem externo ſigno diſcerni ab ingenuis poterant. Et interrogat Philippus, *quo patre*, ſi ingenuus; *quove patrono*, ſi libertinus. G.

Vacua, otioſa. B. Quia in tonſorum officinas ſolebant convenire homines otioſi. Z.

Umbra; Pergula hæc erat.

51 *Leniter*; vacui animi indicium.

53 *Unde domo*; Romanus an hoſpes.

56 *Præconem*; hujus munus erat, inquit Lambinus, in comitiis tribus citare: qui magiſtratus creati eſſent, renunciare: leges quæ ſuadebantur, pronunciare: in judiciis teſtes, reos citare: in auctionibus, rerum pretia declarare. Z.

Notum; h. e. multis notum: nam ſubdiſtinguendum puto poſt *crimine*. Neque enim placet Bentleii *natum*. Non erat laus egregia, præſertim illis temporibus, non fuiſſe notum. B. At mihi videtur laus eſſe, ſi quis *notus ſit ſine crimine*, i. e. ab innocentia potius nobilis, quam nobilitatus flagitiis, aut ob ignaviam obſcurus. Itaque delevi inciſum poſt *crimine*. G.

57 *Properare loco*; ſedulam operam navare, ubi res poſtulabat.

Ceſſare: interquieſcere, otiari. Vet. Sch. Cruq. B. *Quærere et uti*, rem quærere et re parta et quæſita uti. Z.

58 *Lare certo*; avito, non a Patrono ſibi ad libitum conceſſo; nec a voluntate Domini pendente. Bentleii *lare curto* pro *certo* mihi non probatur. B. *Certo lare*, ne talis videatur, qualem deſcribit Epiſt. 1. 15. 28. G.

59 *Ludis*, ſupple *ſcenicis*.

Deciſa; abſoluta, finita.

Campo, ſupple *Martio*. B. Ubi ſcilicet homines otioſi verſabantur, fabulabantur, &c. Z.

60 *Scitari, audire.* Vet. Schol.

Reſpondet. ¶ Neget ille mihi? ¶ Negat improbus, et te
Negligit aut horret. ¶ Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat, et ſalvere jubet prior. Ille Philippo
Excuſare laborem et mercenaria vincla,
Quod non mane domum veniſſet; denique quod non
Providiſſet eum. ¶ Sic ignoviſſe putato
Me tibi, ſi cœnas hodie mecum. ¶ Ut libet. ¶ Ergo
Poſt nonam venies: nunc i, rem ſtrenuus auge.
¶ Ut ventum ad cœnam eſt; dicenda tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum,
Mane cliens et jam certus conviva, jubetur
Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis, arvum cœlumque Sabinum
Non ceſſat laudare. Videt ridetque Philippus:
Et ſibi tum requiem, dum riſus undique quærit,
Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem
Promittit, perſuadet uti mercetur agellum.
Mercatur: ne te longis ambagibus ultra
Quam ſatus eſt morer; ex nitido fit ruſticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, præparat ulmos,

---

63 Negat *vulg.*—69 Prævidiſſet *Glar.* Proviſiſſet *Lamb.*—73 Hinc *G.* Ergo *Cun.*

---

61 *Credere*, ſupple *potuit.*

62 *Benigne, ſermo vulgaris eſt; gratias agit.* Vet. Schol. Et ſe excuſat.

63 Melius ex Libris *Neget* pro *negare poſſit.* Et ſic Bentleius ex vetuſtiſſimis Membranis.

Temperanter dicimus *improbus* pro *ſceleſtus, et impudens.*

65 *Tunicato popello;* h. e. ruſticis; nam illi non utebantur toga. *Pars magna Italiæ eſt (ſi verum admittimus) in qua Nemo togam ſumit niſi mortuus.* Juvenalis 3. 171. B. Sed etiam urbani opifices et tabernarii tunicati: expeditiores nempe ad opus faciendum. G.

Scruta: Huc facit Lucilii Diſtichon: *Quidni? Et ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius' laudat; Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam.* Græcis γευτάρια dicuntur *ſcruta*, et *ſcrutarius* γευτοπώλης, ut oſtendit Cruquius.

66 *Occupat; prævenit ſalutando.* Vet. Schol. B. Seu, prior vidit et compellat. Z.

68 *Mane domum;* ſalutatum de more clientium.

72 *Dicenda tacenda; velut plebeius expers rerum.* Vet. Schol. Cruq.

73 *Dormitum*, domum ſcilicet bene potum. B. Non ſatis intelligo illud *ubi.* An vult Philippi domum etiam aliis clientibus fraudi fuiſſe? Mihi magis placeret generalis ſententia, *Hinc (uti ſæpe—hamum) mane cliens.* G.

76 *Indictis Latinis; Feriis Latinis in urbe agi aliquid non licebat.* Vet. Schol. Dies erat conceptivus in honorem Jovis Latialis; ut oſtendit Cruquius, ex Varrone. B. *Indictis*, quia a Conſule ſolebant indici ſeu imperari ad tempus certum. Z.

77 *Mannis*; buricis trahebatur rheda.

78 *Videt*, intelligit.

79 *Requiem*, locum quo interjungat. B. *Diverſorium* ſolet vocare Cicero. G. Materiam ſe oblectandi et recreandi. Z.

Immoritur ſtudiis, et amore ſeneſcit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando;
Offenſus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratuſque Philippi tendit ad ædes.
Quem ſimul aſpexit ſcabrum intonſumque Philippus,
Durus, ait, Vultei, nimis attentuſque videris
Eſſe mihi. Pol, me miſerum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque deoſque Penates
Obſecro et obteſtor, vitæ me redde priori.
¶ Qui ſemel aſpexit quantum dimiſſa petitis
Præſtent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.

93 Ponere *probat etiam Heinſ. ad Ovid. Faſt. 5. 73. Sic et Lamb. et Bentl. ſed* dicere *Ven. Glar.*—96 Semel *etiam Bentl.*

80 Septem millia ſeſtertiûm.

83 *Nitido*, hilari ſodale, et bello homuncione. *Hilares nitidique vocantur.* Juvenalis 11. 176.

84 *Crepat mera;* jactantiores fere ſumus in re quam non ſumus experti. B. Nil niſi vineta, loca vitibus obſita, loquitur. Z.

Ulmos, ad maritandas vites.

85 *Seneſcit;* impalleſcit. *En pallor ſeniumque!* Perſius 1. 40. B. Conficitur, maceratur. Z.

86 Scite confert Lambinus locum ſimilem Xenoph. Cyropæd. VIII. 3. 41. Z.

88 Per Charientiſmum *offenſus* dicimus pro in rabiem verſus.

Caballum, equum ruſticum.

91 *Durus;* addictus labori, nec tibi parcens quod ſatis eſt.

Attentus, deditus curis et rei faciendæ. Per Charientiſmum *attentum* dicimus avarum, et *durum* aſperum et immitem.

92 Plebeii Patroni quem ſibi volebant antiqua lege deligebant.

93 *Ponere* lectio eſt fere omnium Codicum; *dicere* ex Interpretamento eſt.

94 *Quod te: Hi duo verſus a Mena Philippo ſunt dicti, et ab Horatio Mæcenati.* Vet. Schol. B. Per Genium domini et patroni jurabant ſervi et clientes. Z.

96 Magis placet *ſemel* quam *ſimul*, quam ſcripturam reperit Lambinus in ſuis, et in uno Cruquius.

98 *Modulus* pes ligneus eſt, ſive forma. Vide Epiſt. 10. Huc facit, Proverbium Græcum, Μὴ ὑπὲρ πόδα τὸ ὑπόδημα. B. De re conf. Cic. de Offic. I, 31. Z.

Verum eſt; veritas eſt norma recti.

EPISTOLA VIII.

AD CELSUM ALBINOVANUM.

Queritur se melancholia laborare. B. Scribit, se morosum hypochondriacum minus animo valere, atque hortatur Celsum, ut Tiberio Neroni ejusque comitibus studeat placere, fortunamque, qua utatur, ita ferre, ut homines de eo bene existiment.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata refer, comiti scribæque Neronis.
Si quæret quid agam; dic, multa et pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit æstus,
Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris;
Sed quia mente minus validus quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet ægrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis;
Cur me funesto properent arcere veterno?
Quæ nocuere sequar, fugiam quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post hæc, ut valeat, quo pacto rem gerat et se;
Ut placeat Juveni, percontare, utque cohorti.

---

5 Oleamque *edd. vett.*—6 Arvis *primæ editt. Cun.*—12 Venturus *MSS. Cruquiani, et Bentl. Sed* ventosus *etiam Serv. ad Virg. Æn.* 4. 224.—14 Atque coh. *Ven. Glar.*

---

1 *Gaudere*; expressit Græcorum χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν. Vet. Schol.

2 *Refer*, h. e. meo nomine jube.

Comiti, clienti et sectatori. B. In cohorte Neronis, haud dubie tum, cum hic jussu Augusti esset in oriente: de qua expeditione vid. Epist. I. 3. 1. Z.

Neronis, Tiberii.

3 *Quid agam*; Dilogos, ut valeam, et quid scribam: hoc ostendunt sequentia.

Minantem; cum elatione quadam promittentem. B. Jactantem, ut Serm. II. 3. 9. Z.

4 *Nec recte*; nec ad rationem nec ad libidinem.

Haud quia grando; obiter pulsat avaros.

5 *Oleamque* solenni Librariorum errore pro *oleamve*. Sic et Bentleius.

6 *Longinquis in agris*: In Lucania vel Apulia Romani pascebant armenta et greges. Omnes fere scripti Codices legerunt *agris* non *arvis* ut Vulgati. B. *Arvis* minus placet, quia *arva* proprie sunt, quæ arantur segetis causa. G.

7 *Corpore toto ideo ait, ut quamvis partem validiorem ostendat quam animum suum.* Vet. Schol.

8 *Ægrum*, melancholicum.

10 Sentio cum Stephano hunc versum cum Interrogatione proferendum: est enim Ethopœia offensi et impatientia laborantis.

Funesto; diro, et pestifero.

Veterno, lethargo.

11 *Quæ nocuere*; supple *quia ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*. B. Medeæ Ovidianæ se facit similem, *video meliora proboque, Deteriora sequor.* Met. 7. 20. G.

12 De simili inconstantia vid. Serm. II. 7. 28. *Ventosus*, levis et inconstans, mobilis. Z.

13 *Gerat*; habeat. B. *Rem gerat* ad officii publici rationem pertinet, *se gerat* ad privatam vitam et mores. G.

14 *Cohorti*; Comitatui, sive Assectatorum gregi. *Erat enim scriba militum.* Vet. Schol.

Si dicet, Recte; primum gaudere; ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento;
Ut tu fortunam, ſic nos te, Celſe, feremus.

EPISTOLA IX.

AD CLAUDIUM NERONEM.

Egregie callidum et rigidum Principem demulcet. B. Ne commendatio apud Tiberium ſuperbum, invidioſum, ſuſpicacem eſſet vana et irrita, admodum caute et conſiderate rem tractat.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus
Quanti me facias: nam cum rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi ſe laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honeſta Neronis;
Munere cum fungi propioris cenſet amici;
Quid poſſim videt ac novit me valdius ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui, mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ,

Cruq. B. *Cohors* proprie comites magiſtratuum provincialium. G. *Juveni*, h. e. Tiberio Claudio, qui tum circiter annos viginti duo natus erat. Z.

15 *Recte*; animus nobis plerumque eſt norma recti.

Gaudere, ſupple *me dicite*. Vet. Schol. Cruq.

Subinde, deinde, ut oſtendit Cruquius ex Vallæ elegantiis. B. Sed ad repetitionem præcepti etiam pertinere, non dubito. G.

16 *Auriculis inſtillare*, inſuſurrare, ut nemo audiat.

17 *Fortunam*, ſupple *magnam*.

Nos: debuit dicere Claudium et Comites, verum urbane diſſimulat quod amice monet, ne fido offendatur medico. B. Ut tu, recte an male et inſolenter, fers fortunam, ſic homines de te exultimabunt. Z.

EPIST. IX.

1 Titus Septimius Eques Romanus erat et Poeta inſignis, atque olim Horatii commilito. B. Idem, ad quem eſt Car. 2. 6. G.

Nimirum; quantum conſtat, ni multum fallor.

Unus; nam et meipſo melius novit. B. Ergo non metuendum eſt, ne te commendatione aliorum obtundam. Z.

2 Concinnior mihi videtur hæc Scriptura, quam Petrum Victorium ſecuti plerique probant, quam *me*: confirmant etiam Scripti Codices. B. *Prece cogit*. Ita ſibi conjunctum indicat Septimium, ut precibus ſuis vim ſibi facere et ſe cogere poſſe videatur. Sed tota epiſtola eſt perfectum commendationis exemplar. G.

3 *Tradere*; commendare.

4 *Mente domoque*; amicitia et menſa. B. Prudentia et domeſticis. *Legentis*, h. e. deligentis. Z.

Honeſta; et per hoc *honeſtos*.

5 *Propioris*, intimioris. B. *Fungi* ſcil. *me*. Z.

7 *Abirem*, evaderem.

9 *Opis*; gratiæ apud te.

Uni *mihi* ſtudens.

Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quod si
Depositum laudas ob amici jussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

EPISTOLA X.

AD FUSCUM ARISTIUM.

Mira rusticanæ atque otiosæ vitæ præconia. B. Fuscus Aristius, admirator vitæ urbanæ, minus alienus esse videtur a studio divitiarum gratiæque potentiorum. Quare amici intimi morbo mederi leniter ac prudenter studet Horatius ita, ut ostendat, quid sibimet ipsi de hac re videatur. Scribit enim, se ruri paucis rebus tenuique victu contentum lætumque vivere: hic esse hiemem tepidiorem; auram quæ calorem æstatis temperet ac leniat gratiorem; somnum curis et invidia non turbari; herbas suavius pavimentis tessellatis urbis olere; aquam puriorem fluere cum murmure grato, et prospectum in longos agros reperiri. Qui vero divitiis et vitæ splendore ducatur, eum ob fortunæ inconstantiam minus tranquillum, beatum et liberum esse posse.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cætera pene gemelli,
Fraternis animis, quicquid negat alter, et alter;
Annuimus pariter vetuli notique columbi.
Tu nidum servas, ego laudo ruris amœni

3 At *Cruq. Heinf. ad Ovid. Met.* 7. 99. *Bentl. Cun.* Ob *Z. Med.* 1477.—5 Vetulis notisque columbis *Lambi. conj. Cruq. ex MSS.*

11 *Urbana frons confisus in audacia civili.* Vet. Schol. Cruq. Dilogus usus est voce *urbana*: sunt enim urbani petulantes et minus verecundi; sunt etiam faceti et alloquio blandi.

Præmia, dotes; inverecundiam scilicet et argutias.

13 *Tui gregis*; tuæ familiæ, sive clientelæ.

Fortem; generosum et simpliciter bonum. B. *Fortem*, non molliæ sectantem, sed labores tolerantem, cupiditatibus resistentem. *Bonum*, qui amicis prodesse et vult et potest. Z.

EPIST. X.

1 *Fuscum* Aristium dicit, Grammaticum illius temporis insignem. B. Ad hunc videtur esse Car. 1. 22. G.

Jubemus, optamus, volumus.

2 Antitheta veluti in acie componit.

3 *Ad cætera*; supple *quod attinet*. Tres Codices legerunt *at*: sed nihil opus, etsi Bentleius malit *at*. B. Recepi *at*, quia auctor solet absolute ponere *cætera*, pro *cæteroqui*, in cæteris rebus: ut in fine hujus epistolæ, et Carm. IV. 2. 60. Z.

Gemelli Proverbiali sermone dici solent simillimi.

5 *Annuimus*: alter alteri affirmanti quid. Et scitus est Iconismus columborum, quorum fere perpetuus iste gestus est.

Columbi; *quia plurimus amor columborum*. Vet. Schol. Perpetua Horatii figura, qua ex similitudine facit metaphoram, omittere particulas comparandi. Si posuisset *tanquam*, *veluti*, &c. nemo desideraret *vetulis*. Cf. ad Epist. 1. 2. 34. G.

6 *Tu nidum*; mire servat Metaphoram. No-

Rivos, et muſco circumlita ſaxa, nemuſque.
Quid quæris? vivo et regno, ſimul iſta reliqui
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo:
Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo;
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ ſi convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda eſt area primum,
Noviſtine locum potiorem rure beato?
Eſt ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt ubi divellat ſomnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?

9 Fertis *Sax. et Bentl.*—18 Depellat *MSS. quid. Lambi. Boſ. Gott. it. Z. Med.* 1477.—19 Tapetis *conjic. Bentl. ſi quis velit indormire.*

his etiam hodie COCKNEYS; h. e. pullorum ova, dicuntur perpetuo urbi hærentes.

Laudo, miror. B. Probo, ſector. Z.

8 *Quid quæris?* quid ulterius deſideras? Comica Enallage Perſonæ. B. *Quid quæris?* ſimpliciter continuat, et concludit ſermonem, ut *breviter, denique*, &c. G.

Vivo, h. e. nitide et hilariter ago.

Ad Emphaſin ingentis faſtidii poſuit *iſta* et *vos*. B. Ut in orationibus *iſte* ſemper ad adverſarium, contra quem dicitur, pertinet, ut *hic* ad clientem. G.

9 *Rumore ſecundo;* unanimi et conſentiente voce: *ſecundum* enim dicitur quod juxta poſitum eſt, et per hoc, quod convenit, a *ſecus* ut puto. *Qui ſecundis aliquando fruſtra curatus eſt, contrariis ſæpe reſtituitur.* Cornelius Celſus. Alias etiam dixit *ſecundum remediis tempus*, pro *conveniens*. Dicimus *ſecundo* et *adverſo amne navigare: Et Curruque volens dat lora ſecundo* apud Virgilium eſt.

10 Mire *fugitivus*, quia ipſe fugit urbem. B. Et Mæcenatis dapes. Z.

Liba, mellitos panes. GINGERBREAD. B. *Liba*, jucunda, ſi rara ſint: in familia ſacerdotum copia ex multitudine ſacrificantium faſtidium adfert. Verum quid ſibi vult Acron Fabric. *Cum in ſervis ſuſpicio furti habetur, ducunt ad ſacerdotem, qui cruſtum panis carmine infectum dat ſingulis, quod cum ederit* [f. ederint] *manifeſte furti reum aſſerit.* An ita antiquum eſt Ordalium per euchariſtian probandæ innocentiæ, ut ita de illo loqui potuerit homo a ſacris Chriſtianis alienus? Exempla quibus utuntur Hachenbergius et I. A. Schmidius ad hanc antiquitatem non aſcendunt. An tale quid etiam inter deorum cultores in uſu fuit? G.

11 *Egeo*, et per hoc cupio.

Placentas, caſearias dicit tortas, nobis CHEESE-CAKES.

12 *Vivere naturæ;* quod Philoſophiæ propoſitum eſt. Natura humanæ rationis norma eſt.

13 *Ponendæ*, erigendæ. B. *Area*, locus ad domum ædificandam. Z.

14 *Noviſtine;* bella Interrogatione extorquet id quod vult.

16 *Momenta*, motus ſive horribiles inceſſus.

17 *Acutum*, *acrem*, *vehementem*. Vet. Schol. Cruq.

18 Plures libri *depellat*, ſed melius *divellat*. Sic et Anacreon, Κατὰ μοῦ σχίσεις ὕπνους.

Dilogως poſuit *invida:* invidet enim cura nobis quietem, uti et nos invidemus aliis honores atque divitias.

19 *Libycis:* ex marmore Numidico, quod colore erat vario, conficiebantur teſſellata pavimenta.

20 Vicis conſtabant antiquæ urbes, interjectis hortis et viridariis, hinc et in Plurali numero Athenæ, Thebæ, Mycenæ, &c.

Tendit, nititur; alias tendere eſt arcum dirigere. B. *Plumbum* intelligere oportet fiſtulas plumbeas quibus conſtant aquæductus Romani, et ex eo ipſo aliquid inſalubre corporibus con-

Nempe inter varias nutritur ſilva columnas,
Laudaturque domus longos quæ proſpicit agros.
Naturam expelles furca, tamen uſque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiuſve medullis,
Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,
Mutatæ quatient: ſi quid mirabere, pones
Invitus: fuge magna: licet ſub paupere tecto
Reges et regum vita præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit:
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque

24 Expelles *primæ editt. it. coll. Sax.*—25 Veſtigia *Med.* 1477. *Cruq.* Faſtigia *Boſ. Sax.*—27 Sucum *Z.* Succum *Med.* 1477. *Flor.* 1482.—30 Plus æquo *Sax.*—37 Victo *etiam coll. Sax.* Victor victo *Cun.*—40 Vehit *ſex editt. apud Cun. et Bentl. e codd.*

trahunt. Quanto laudabilior aqua ex ipſo fonte, vel certe ex rivulo fonti proximo hauſta? G.

22 *Varias columnas*; porticuum ſcilicet. B. Cf. Car. 3. 10. 6. G.

24 *Expellas furcâ: Furcillis expellere Proverbialiter dici poteſt, pro eo quod eſt ignominioſa vi ejicere: Sic et Græci* Διχοάνοις ὠθεῖν *ἢ* ἀποκινεῖν. Cruquius. *Expelles* placuit Bentleio, at nobis vulgata Lectio *expellas*. B. Auctoritates poſuimus. Accedit ratio, quæ *expelles* probat, quia aſſeveratius hoc eſt, et vehementius. G.

25 *Mala*; perverſa.

Furtim; et per hoc, tu velis nolis. B. Divitum deliciæ repugnant ſimplicitati naturæ, quam faſtidiunt: ſed paullatim tamen vincit natura, ut cupide ad contemtam illam ſimplicitatem redeant. G.

26 Bene *contendere* pro *comparare*; nam una tendunt pannos qui comparant, et internoſcere volunt diſcrimina. B. *Qui callidus neſc.* h. e. qui purpuram falſam et ſpuriam callide non poteſt diſcernere a vera et germana, qualis eſt Tyria. Z.

27 Aquinates Tyriam purpuram falſabant, qua decipiebant imperitos. B. Mirum eſt nullam hujus officinæ mentionem ſupereſſe apud Plinium. De *fuco* ejuſque in purpura tingenda uſu, de collatione item *lanæ fuco tinctæ* cum *purpura* diſputatum ad Quinctil. 12. 10. 75. G.

28 *Propiuſve medullis*; Negotiatores tangit, quos immaniter angunt hujuſmodi damna.

30 *Plus nimio*; ultra modum delinivere. B. Valde mihi placet *plus æquo*. G.

31 *Mutatæ quatient*, eleganti Charientiſmo poſuit pro adverſæ turbabunt. B. De *mirabere* conf. Epiſt. 1. 6. 1. G.

33 *Reges*, potentes patronos, atque etiam ipſos reges Dilogως.

Vitâ; ſupple *beata*.

34 *Cervus Equum*; hanc Fabulam narravit olim Steſichorus Himerienſibus, cum Phalaridi Satellites pararent, ut ex Ariſtotelis Rhetoricis oſtendit vir doctus Joannes Hartungus. Philoſophum ipſum adi et ridebis.

Melior, ſuperior, κρείττων.

35 *Minor*, inferior, ἥττων.

36 *Opes* modo poſuit pro *opem*.

37 *Violens*; ferox, inſultans. Pro *victor vio-*

Serviet æternum; quia parvo neſciet uti.
Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, ſubvertet; ſi minor, uret.
Lætus ſorte tua vives ſapienter, Ariſti;
Nec me dimittes incaſtigatum, ubi plura
Cogere quam ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.
Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius quam ducere funem.
Hæc tibi dictabam poſt fanum putre Vacunæ,
Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus.

41 Neſciat *Lamb. ex codd.*

lens Bentleius legit *violens victo* de ſuo arbitrio. Neque videtur advertiſſe disjunctim dici *victor* et *violens*: neque enim dicit *violens victor*: ſed *violens diſceſſit*, quod eſt ferociter, ſuperbiens ſcilicet ob ſuperatum hoſtem.

39 *Metalla* dicit aureos et argenteos nummos per contemtum.

40 *Caret*, qui ſe privat.

Bentleius *vehit* pro *vehet*, verum tantundem fuerit: Diſſentiunt Exemplaria quod Librarii parum referre crederent.

Mire improbus, pro eo quod eſt avarus et cupidus, ut; Quos improba ventris Exegit cæcos rabies. Vet. Schol. Cruq. Verum Dilogos uſus eſt et pro vili, et pro importuno: quin et irati *Improbum* dicimus pro ſceleſto.

41 *Æternum*: et per hoc immiſerabilis.

Plurium Codicum Scriptura eſt *quia neſciet*, nonnulli tamen malunt *qui neſciat*, quod minus probabile videtur. B. *Neſciit*, mihi magis placeret. G.

Uti; contentus frui. B.

42 *Non conveniet ſua res*, ſi ob rem tenuem et anguſtam, quæ videtur, dolet; ob amplam vero ſuperbit, luxui et cupiditatibus indulget. Z.

Olim; ita fere ordiri ſolent, qui Fabulas narrant.

43 *Uret*, vexabit premendo.

44 *Vives*, Futurum pro Imperativo, eleganti Enallage. B.

46 *Cogere*, rem quærere, divitias corradere. *Ceſſare*, rei quærendæ modum et finem facere. Cæterum urbane et prudenter de ſeſe loquitur id quod ad Ariſtium pertinebat. Z.

47 Hoc eſt, ſi non ſervit, imperat.

48 *Digna ſequi*; h. e. æquum eſt pecudem ſervire pecuario, non pecuarium pecudi, cum neceſſe ſit ut alter alterum trahat. Notum eſt pecudes fune ligari in paſcuis. Huc ſpectat et illud Perſii [5. 118.] *Quæ dederam ſupra repeto funemque reduco.* Hic locus ab omnibus quos vidi peſſime exceptus eſt. B. Referunt ad ludum illum, funem utroque extremo prehenſum ad ſe trahentium, vel ad eos, qui reſtim ductitantes ſaltant. Sententia quidem non obſcura, undecunque formula repetita ſit. G.

49 *Dictabam*; puero meo amanuenſi.

Vacunæ in Sabinis deæ, quæ ſub incerta eſt ſpecie formata. Varro in Primo Rerum Divinarum Minervam [*Victoriam* Acro Fabric.] *dicit, quod ea maxime hi gaudent qui ſapientiæ vacant.* Ex utroque Schol.

50 *Lætus*, quia contentus.

EPISTOLA XI.

AD BULLATIUM.

Animi ægritudinem peregrinationibus non levari. B. Bullatius vel ob ſpem aliquam, quæ fruſtrata erat, vel ob incommodum, quo affectus erat, vel ob animi moroſitatem, Romam relinquere et in aliquo Græciæ aut Aſiæ vivere ſtatuiſſe videtur. Ab hoc igitur conſilio amicum avocare conatur Flaccus, docens, ad bene et beate vivendum non locum facere, ſed animum æquum, rationem et prudentiam.

Quid tibi viſa Chios, Bullati, notaque Leſbos?
Quid concinna Samos? quid Crœſi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora minorave fama?
Cunctane præ Campo et Tiberino flumine ſordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quid ſit; Gabiis deſertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblituſque meorum, obliviſcendus et illis,
Neptunum procul e terra ſpectare furentem.
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Aſperſus, volet in caupona vivere; nec qui

3 Minorane *vulg. et Bentl.*—4 Cunctane *etiam primæ editt.*—7 Lebedus quam ſit Gabiis *edd. vett.*

1 Comice *quid?* pro Qualis et Quanta res? B. In peregrinatione verſanti ſcripta videtur epiſtola, quod colligo præſertim ex v. 6. G. Vid. Argumentum. Z.

Nota; famâ nobilis.

2 *Concinna*, bella.

3 Omnes Cruquii Codices pro *minorane* legerunt *minorave:* et *cunctaque* pro *cunctane* erat in pleriſque Torrentii. *Minorave;* nam ſentio ea minora tibi viſa. Bentleius prætulit *minorane;* utrum vero rectius, qui vult dijudicabit: mea parum intereſt. *Cunctane* etiam poſuit Bentleius pro *Cunctaque*, etſi nihil opus.

4 Synecdochice *Campum* et *Tiberim*, exercitii loca, pro ipſa Roma protulit.

5 *Una;* Pergamus, vel quædam alia. B. Ut Apollonia, Thyatira, Myndus, Tralles. Z.

6 *An Lebedum laudas?* quod magis puto.

Odio; faſtidio, vel immani tædio.

7 Hæc jam e ſua perſona ac de ſe poeta: ſe quoque in obſcuro loco malle vivere, quam immerſum eſſe moleſtiis belli civilis. Interim fatetur, rebus ſecundis præferendam eſſe Romam; ante omnia vero parandam tranquillitatem animi, quæ ubique præſtet felices. G.

Omnes fere ſcripti Codices legerunt *quid* pro *quam;* ſed malim ſine Interrogatione.

Gabii vicus in Sabinis juxta Lucretilem montem, unde et aqua Gabia. Vet. Schol. B. Verba, *Tamen illic—furentem* videntur eſſe Bullatii et ejus objectionem continere, hoc ſenſu: Quamquam ſcio eſſe locum deſertum: tamen ibi mallem habitare et turbas, motus et incommoda patriæ procul remotus ſpectare. Z.

10 *Spectare*, Helleniſmus pro *ut ſpectem.* Notum eſt Veteres maxime delectatos fuiſſe locis maritimis. *Hoc autem dicit ad imitationem Lucretii, qui ait* [2. pr.] *Suave mari magno motantibus* [turbantibus] *æquora ventis, E terra magnum alterius ſpectare laborem.* Vet. Schol. Cruq.

11 *Imbre lutoque; quo colligit non debere totam odiſſe vitam propter interveniens incommodum.* Vet. Schol. Correctio quædam eſt ſuperioris ſententiæ.

Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene præſtantia vitam;
Nec, ſi te validus jactaverit Auſter in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
Pænula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus.
Dum licet, ac vultum ſervat fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos abſens.
Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata ſume manu; neu dulcia differ in annum;
Ut, quocunque loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas: nam ſi ratio et prudentia curas,
Non locus effuſi late maris arbiter, aufert;
Cœlum, non animum, mutant qui trans mare currunt:
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere: quod petis, hîc eſt;
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

18 Auſtris *coll. Sax.*—20 *Pro* et *recepi* ac *duce Bentleio ob ſonum.* Z.—22 Deus ſeu Fors donaverit *Cun. e conj.*—23 Neu *etiam* G.

13 *Frigus collegit;* eſt et *colligit ſitim* apud Virgilium. Vetus erat dictum in eos qui perpetuo rigebant: *Nunquam eos de balneo, aut furno conducendo cogitâſſe.* Vid. Grangæum in Septimam Satiram Juvenalis.

16 *Trans Ægæum mare*, h. e. ubi tu ultra mare fueris; reditum enim tibi abſcindes.

17 *Incolumi*, h. e. illi qui incolumi capite eſt, et ſana mente.

18 *Pænulam* modo dicit gauſapinam, non ſcorteam: eſt autem pænula hiberna et viatoria veſtis; amiculum ſcilicet humerale in modum lacernæ, ſuperne quidem undique concluſum, inferne autem in duos limbos partitum.

Sic et Virgilius, *Solſtitium pecori defendite*, pro *æſtatem.*

Campeſtre; tenue eſt, et totius corporis nihil præter inguina tegit. Vet. Schol. Campeſtre dictum, quod in Campi Martii exercitiis eo uterentur nudi juvenes. Alias ſubligaculum, ſuccinctorium, et perizoma dicitur.

19 *Per brumam Tiberis; Quis enim tunc nataret?* Vet. Schol.

Caminus; fumarium, focus.

20 *Servat;* retinet.

22 *Fortunaverit; beatam fecerit.* Vet. Schol. Cruq.

Horam; quantulumcunque tempus.

23 *Sume manu*, h. e. carpe, uti brevis ævi florem, ne decidat.

Bentleius ex Libris vetuſtis *neu* [pro *nec*] quod rectius.

Dulcia, ſuavitates vitæ, vel gaudia.

In annum; in aliud tempus. Vet. Schol. Cruq. Tempus certum pro incerto. Nam fere conſuevimus in alterum annum familiaria differre negotia.

24 *Libenter*, ad votum, vel ad libitum.

25 *Dicas*, et per hoc credas.

Ratio et prudentia, Logica, et Moralis Philoſophia.

Curas, ægritudines.

26 *Maris arbiter*, h. e. mare ſpectans, et per hoc amœnus.

27 *Animum*, ſupple *ægrum.* Οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετάλλαξιν, ut olim Æſchines Orator de Cteſiphonte, quod monuit Cruquius.

Currunt, navigant.

28 *Strenua inertia;* h. e. ſedula deſidia. Ὀξύμωρον Figura. B. *Navibus atque quadr.* maria et terras peragramus. Z.

Exercet; per Charientiſmum pro inquietat, vel huc agit atque illuc.

EPISTOLA XII.

AD ICCIUM.

Solatur in tenui re philoſophantem amicum, qui plantam e cæno avaritiæ evellere nequibat. B. Iccius, qui philoſophiam affectabat et ſimul rei quærendæ avidior erat, ut ſupra Carm. I. 29., ita et hic falſa, quamquam tectius, ridetur. Tum commendatur homini Pompeius Groſphus. Tandem de ſtatu reipublicæ quædam adduntur.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non eſt ut copia major
Ab Jove donari poſſit tibi. Tolle querelas;
Pauper enim non eſt cui rerum ſuppetit uſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt pedibuſque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si forte in medio poſitorum abſtemius herbis
Vivis et urtica, ſic vives protenus, ut te

1 Icci *etiam G. H. primæ editt. Ald. Steph. uterque, Cruqu. &c.*—8 Protenus *cum Bentl. reſcripſi pro vulg.* protinus. Z.

30 *Ulubræ locus in Italia, in quo nutritus eſt Cæſar Auguſtus, propter quam cauſam ab Horatio nominatur, cum ſit deſertiſſimus vicus.* Vet. Schol. B. An confundit Scholiaſtes cum *Ulubris Velitras?* Hic educatum Auguſtum docet Suetonius. *Ulubras*, Trebatii ſui patriam ridet Cic. Fam. 7. 18. G.

Æquus, rectus, immotus, et ſua ſede quietus.

EPIST. XII.

1 Bentleius *Iccium* pro *Ictium*, et primo verſu *Icci* pro *Icti*, præ negligentia et incuria. B. Vid. Var. Lect.

Quos colligis; Procurator Agrippæ hic erat. Vet. Schol. Vid. Lib. I. Od. 29.

2 *Recte;* ſapienter, et ad rationis normam.

Non eſt ut; Helleniſmus, ὐκ ἔστιν ὅπως. Cruquius.

3 *Tolle*, aufer, apage; ἴθι ἄπιθι.

4 Mira Hypallage *rerum uſus* poſuit pro *res ad uſus.*

Suppetit, ad manum eſt, non deeſt; ὑποπίπτει.

5 *Lateri;* etiam tergum latus dicitur, uti venter Ovidio in iſto; *Pœnitet et lateri conſeruiſſe latus;* ut ſint quatuor hominis latera. B. Pectus et officinam ſpirandi maxime intelligi, docet verſiculus Græcus, quem reſpexit noſter, pars illorum, quos Soloni tribuit Plutarchus Solo. pr. quique inter Theognidis carmina leguntur 722. ſq. γαστέρι τε καὶ πλευρῇσιν, καὶ ποσὶ ἀβρὰ πάθοιν, ubi idem locus eodem modo tractatur. G.

Pedibuſque; ſi tibi ſint calceamenta. Vet. Sch. B. Pedibus bene eſt, ſi ſani ſunt, non dolent. Z.

6 *Regales*, Dilogως vel magnorum regum, vel ipſius Agrippæ patroni tui: et Proverbialiter dicimus *regias opes.* B. Videtur ſpectare *beatas Arabum gazas*, de quibus Carm. I. 29. Z.

7 *Poſitorum;* eorum quæ tibi ſatis large apponuntur, fructus ſcilicet Agrippæ, de quibus memini.

Abſtemius; ſine vino, ſiccus et ſobrius. Vet. Schol. Abſque temeto. Aliquid de nimia ejus parcimonia inaudierat Horatius. B. *Si forte*, &c. Intellige *enim.* Reddit enim rationem, cur, ſi ventriculo quis valeat et corpore ſit ſano, vel maximæ divitiæ apud hominem avarum non habeant hanc vim, ut lautius vivat. Z.

8 *Urticam* etiam herbam edulem eſſe habitam, docet Plin. 21. 15. ſ. 55.; ſed vere tantum cum tenera eſt. Hanc autem epiſtolam auctumno ſcriptam, ex ultimo verſu patet. Et v. 21. piſces memorat, et vivit Iccius in inſula. Itaque *urticam* piſcem hic intelligi, nihil dubito. G. Quia piſces ad delicias tum referc-

Confeſtim liquidus fortunæ rivus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit;
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre eſt animus ſine corpore velox:
Cum tu inter ſcabiem tantam, et contagia lucri,
Nil parvum ſapias, et adhuc ſublimia cures:
Quæ mare compeſcant cauſæ; quid temperet annum;
Stellæ ſponte ſua, juſſæne vagenter et errent;
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem;
Quid velit et poſſit rerum concordia diſcors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen.

20 Empedocleum *conj. Cun.* Stertinii *Ven. Glar.*

bantur, h. l. autem de tenui et ſordiore victu eſt ſermo: urtica de herba eſt accipiendum. Z.

9 *Confeſtim;* non intermiſſo curſu, ut oſtendit vir elegans Jacobus Cruquius ex Soſipatri Chariſii Inſtitutionibus. *Confeſtim et protinus conjunxit, indulgens Emphaſi celeritatis.* Vet. Sch. Cruq. B. Mihi videbatur hic *confeſtim* retinere vim originis ſuæ, ut ſit *confertim* denſe, non tenui modo bracteola, ſed ſolido auro. Illa celeritatis et continuitatis notio ſatis jam expreſſa in *protinus.* G. Diſtinguendum eſt, ut fecimus, et explicandum: Ejuſmodi tenui victu ſemper uteris, quamvis confeſtim ditiſſimus fis factus. Z.

Liquidus Fortunæ rivus, cogitavit de Pactolo et Mida: et mire *liquidus*, alias non inauraret: quin et *inaurari* Proverbiale eſt.

10 *Naturam*, avari animum atque aviduin ingenium: et ſupple, *Et hoc facis.* B. Iccius ut procurator, poterat certe in tantum genio indulgere, ut uteretur in *medio poſitis* deliciis. Quod igitur abſtinet, illud vel hanc habet cauſam, quia *pecunia*, in qua nunc eſt, *naturam* aſſuefactione moderatam *mutare* ſtatim *neſcit*, vel hanc, quod philoſophia illum docet, *cuncta* eſſe *minora virtute*, &c. Nihil equidem hic Ironiæ video, nihil mordax: ſed ingenuum laudatorem amici et virtutis. G. Equidem ironiam puto. Z.

11 *Virtute;* Stoica temperantia. Salſa Ironia eſt per plures verſus: nam mordendo laudat; et vult ſignificare fieri non poſſe, ut quis Philoſophiæ et avaritiæ ſerviat. B. Imo ridet Iccii philoſophiam, quaſi virtus eſſet, ſi quis, ob avaritiam, utatur victu tenuiſſimo. Z.

12 *Democriti; hic, dum Philoſophiæ intentus erat, neglexit agros ſuos, adeo ut vicinorum pecora ibi libere paſcerentur.* Vet. Schol. Cruq. *Conflat autem Democritum apud Abderitas rives ſuos cauſam dixiſſe amiſſi patrimonii ſui, et abſolutum prolatis libris, quos de Phyſica ſcripſit.* Vet. Sch. B. Auctores meliores dabit Menag. ad Diog. Laërt. 9. 39. G.

13 *Culta;* ſata, vel ſegetes.

14 *Scabiem;* dicit cupiditatem ſtolidam, importunam et inexplebilem. B. Puto, hic irritamenta tantum cupiditatis intelligi: qui tractant rem pecuniariam, eos ab illa urtica non uri, ab illa ſcabie non prurire, mirum, et laudis eſt. Major virtus eſt, ſi quis dum tractat quotidie pecuniam, ab ea non corrumpitur, quam qui illam plane non audet attingere. G. Senſus loci eſt: Democritus ob ſtudium ſapientiæ patrimonium neglexit et agros deſeruit incultos. Ergo mirum eſt, quod tu in ſtudio tanto rei quærendæ et augendæ philoſophiam (h. e. non tam ſapientiæ ſtudium, quam phyſicam) etiam tractas, &c. Salſam ironiam hanc eſſe, quis non videt? Z.

Contagia dicimus late ſerpentia mala: nam *Crefcit amor nummi.*

15 *Sublimia*, Μετέωρα ſive Cœleſtia.

16 *Mare compeſcant;* ne in terras exeat.

Temperet, h. e. æſtivo calore et hiberno frigore miſceat.

17 *Stellæ*, Planetæ.

18 *Premat*, occulat, tegat: Dilogus Eclipſim dicit et Lunares Numeros.

19 *Rerum concordia diſcors:* in animo habuit Empedoclis illud; Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα, Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει. Atque hic quidem locus optime declaratur Ovidii Verſibus Met. 1. 430. *Quippe ubi temperiem ſumſere humorque calorque, Concipiunt; et ab his oriuntur cuncta duo-*

Verum, ſeu piſces, ſeu porrum et cæpe trucidas,
Utere Pompeio Groſpho; et ſi quid petet, ultro
Defer: nil Groſphus niſi verum orabit et æquum,
Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid de'ſt,
Ne tamen ignores quo ſit Romana loco res:
Cantaber Agrippæ, Claudî virtute Neronis
Armenius cecidit: jus imperiumque Phraates
Cæſaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italiæ pleno defudit Copia cornu.

23 Offer *San. e gloſſa.*—27 Phrahates *Baxt.*

bus; Cumque ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes Res creat, et diſcors concordia fœtibus apta eſt.

20 Ridicule *Stertinium acumen* Stoiciſmum appellat, ob Paradoxa. *Stertinius iſte ducentos viginti libros Stoicorum Latine ſcripſit.* Vet. Sch. Advertendum autem omnes pene libros habere *Stertinium*, pro eo quod eſt Stertinii, cum Cruquiano etiam Interprete. B. De Stertinio Ser. 2. 3. 33. G.

21 *Seu piſces;* quod faciunt lauti. B. Vid. ad v. 8. G.

Seu porrum; quod audio te facere: et obiter pulſat Pythagoreos et Ægyptios.

Trucidas; convenit hoc verbum hujuſmodi pulmentis. Vet. Schol. B. Jocoſe *trucidas* de victu Pythagoreo. G.

22 *Utere;* h. e. convivam adhibe.

Ultro, libenter, bono et benigno vultu.

23 *Verum*, rectum; nam ex vero judicatur rectum.

24 *Vilis amicorum*, h. e. Vili venit amicitia, ubi hujuſmodi boni viri aliquo egent. Eſt autem Proverbialis Elocutio. Pro *deeſt*, antiquiſſimi Codices habebant *de'ſt*, ut advertit Lambinus.

25 *Quo loco*, quo ſtatu.

Romana res; ſupple *publica.*

27 *Armenius cecidit;* dum regnum Tigrani reſtituit Tiberius. De Phrahate vide Lib. II. Od. 2. B. Conf. Brouckhuſ. ad Tibull. p. 377. Z.

28 *Genibus minor; ſubtiliter dixit, ad genua devolutum.* Vet. Schol. Vix enim æquabat ejus genua: et talis conſpicitur in Cæſaris Nummis, uti monuit Torrentius.

29 *Defudit* ſcriptura plurium Codicum eſt, non autem *diffudit*, auctore Cruquio et Lambino. Bentleius Præſenti Tempore *defundit:* Verum magis placet Præteritum *defudit*, quo melius conveniat cum ſuperioribus. Exemplaria ſunt varia de more Exſcribentium. B. Bene monet Bentleius, ſi *defudit* verum ſit, poſt meſſem ſcriptam epiſtolam; *ſi defundit*, forte ante meſſem. [Imo, meſſis tempore, ut Bentleius ait. Z.] *Diffudit* ubertatem ſignificat: *defudit* Copiam deam facit, de cælo liberalem. Sed quis docebit verum? G.

Copia, ubertatis dea, ſive Amalthæa. Cruquius. B. Ubertatem Italiæ noſſe intererat Iccii, qui in Sicilia lucro operam dabat et frumentum vendebat. Z.

EPISTOLA XIII.

AD VINIUM ASELLAM.

Docet amicum quemadmodum velit carmina ſua Auguſto tradi. B. Vinio Aſellæ, qui videtur ruſticus Sabinus et tabellarius fuiſſe, mandat, quemadmodum ſcripta tradat Auguſto. Tota epiſtola eſt jocoſa, quæ ludit in nomine Aſellæ.

Ut proficiſcentem docui te ſæpe diuque,
Auguſto reddes ſignata volumina, Vini,
Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet;
Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente miniſter.
Si te forte meæ gravis uret farcina chartæ,
Abjicito potius, quam quo perferre juberis
Clitellas ferus impingas, Aſinæque paternum
Cognomen vertas in riſum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor propoſiti ſimul ac perveneris illuc,
Sic poſitum ſervabis onus, ne forte ſub ala
Faſciculum portes librorum, ut ruſticus agnum;
Ut vinoſa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ;
Ut cum pileolo ſoleas conviva tribulis.

2 Vinni *vulg. edunt.*—14 Glomus *etiam G. et Sax.*

1 Mire *ſæpe diuque* de Aſina.

2 *Reddes;* Futurum pro Imperativo, uſitata Enallage.

Bene *ſignata*, ne quis legat ante Auguſtum.

Vini, quod oſtendit Bentleius. Fuerat enim Romana Familia *Vinia*, non *Vinnia*, ut ſatis conſtat ex Inſcriptionibus. *C. Vinius Fronto, ad quem hæc Epiſtola ſcripta eſt, patrem habuit cognomine Aſinam.* Vet. Schol.

4 *Studio*, ſupple *nimio.*

Odium, faſtidium, et mire *importes* de Aſina.

5 *Sedulus*, officioſus, et ſupple *dum tu es.*

Opera vehemente, pro importuno ſervitio, per Charientiſmum.

6 *Uret*, onere ſuo vexabit. Significare vult volumen ſuum eſſe ſatis grande.

8 Mire *ferus;* nihil enim aſino irato ferocius.

Aſinæque paternum; dum elevare ſtudet ſcripta ſua, ad frigidos jocos deſcendit; quod in tam levi materia excuſare debemus.

9 *In riſum*, in vulgarem jocum.

Fabula fieri Proverbialis Elocutio eſt.

10 *Lama eſt voraga; λάμας enim eſt ingluvies: Lamiæ quoque dicuntur devoratrices puerorum.* Vet. Schol. *Silvarum ſaltus, latebras lamaſque luteſas.* Ennius, referente Cruquiano interprete. Noſtrati vulgo SLOUGHS dicuntur.

11 *Victor propoſiti; compos voti.* Landinus. Cum difficultate ſcilicet. B. Victis viæ difficultatibus: Continuat enim huc uſque allegorian de Aſina. G.

12 *Servabis*, geres, fovebis.

14 *Glomos; glomus eſt rotundus globus filorum.* Vet. Schol. Cruq. Fuerat et *glomus*, *glami*, atque *glomus*, *glomeris*, contra quod ſentit Bentleius. Certe unus glomus filorum lanæ vix ſufficeret furaci *Pyrrhiæ*. B. Negat Bentleius, *glomos* alias inveniri: putat, unum *glomus* etiam deprehendi poſſe. G.

Pyrrhia; nomen eſt ancillæ in quadam fabula

Ne vulgo narres te ſudaviſſe ferendo
Carmina, quæ poſſint oculos aureſque morari
Cæſaris: oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

EPISTOLA XIV.

AD VILLICUM SUUM.

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint, Agricolas! B. Servus, quem ex mediaſtino fecerat Horatius villicum, nunc flagrabat deſiderio Urbis et vitæ urbanæ. Poeta igitur oſtendit, non locum, ſed animum eſſe moroſitatis cauſam, ſemet ipſum delectari ruri ob commoda quæ affert, iſtum vero Urbe ob ſtudium nugarum et deliciarum urbanarum.

VILLICE ſilvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu faſtidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos ſolitum Variam dimittere patres;
Certemus ſpinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior ſit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas et cura moratur,
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis

16 Neu *Bentl. ex MS.*—17 Poſſunt *Ven. Glar.*—18 *Bentleius diſtinguit* nitere. porro Vade, *&c.*

EPIST. XIV.

3 Bariam *G. et primæ editt. etiam Fabric.* Baria *quidam MSS. Cruq.*—5 Rus *conj. Da. Heinſ. et probat Cun.*—6 Moretur *Lamb.*

Titinnii, quæ furata lanæ glomos, ita geſtavit, ut deprehenſa ſit. Vet. Schol. Cruq.

15 *Cum pileolo ſoleas;* ita ſordidus erat ut ipſe pueri ſui munus implerit. *Soleæ* calceamenta erant domeſtica: erat etiam et pileolus domeſticus, ut vel ex hoc loco patet. Vide Lib. I. Satir. 3.

Conviva, h. e. vocatus ad cœnam.

Tribulis, h. e. contribulis meus. *Incertum eſt quem notet.* Vet. Schol. Cruq. B. Neminem privatim ſignat: ſed hoc nomine indicat plebeium hominem imi ſubſellii, qui non eſſet conviva, niſi pars eſſet tribus, quam paſcit aliquis civis lautior. G.

17 *Morari, detinere oculos dicit Naſo.* Henricus Stephanus. B. *Morari*, delectare: *oculos*, ob calligraphiam: *aures*, ob argumentum. Z.

18 *Oratus multa prece;* hoc eſt, etſi oratus fueris. Ut alicubi reſiſtas et garriendo tempus teras. B. Satis te oravi; quod ſupereſt, tu nitere, &c. G. Baxteri explicatio potior eſt. Z.

19 Bene *cave ne titubes*, cum Aſinæ jam dixerit, *Nitere porro.*

Mandata nunc Participium eſt. Vet. Schol.

Frangas, poterant enim frangi quæ frivola erant.

EPIST. XIV.

1 *Villicus ruſticæ familiæ præerat, ut Diſpenſator urbanæ.* Torrentius. Atque hi erant plerumque liberti.

Silvarum, Metonymice pro *gregum* et *rei paſtoritiæ:* nam communia paſcua ſilvis ferè conſtabant et montibus. *Montibus et ſilvis ſtudio jactabat inani.* Virgilius Ecl. 2. 5.

Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas.
Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quæ deserta et inhospita tesqua
Credis, amœna vocat mecum qui sentit, et odit
Quæ tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;

9 Avet *ex conj. Bentl.*

Agelli, ruris et villæ meæ. B. Ubi post negotia urbana me recreo. Z.

2 *Habitatum*, supple *quamvis*.

Focis, *domibus*. *Ad octavum Lapidem ultra Tibur in Via Valeria*. Vet. Schol. Cruq.

3 *Bonos Patres*; pro ratione illorum temporum divites Senatores. B. Non *Senatores* intellexit, credo, vir doctus Romanos, sed decuriones proximi municipii. Ego ne hos quidem in Flacco video, sed patres familias, municipes aut colonos Variæ, singularum villarum dominos, Variæ contributos s. adscriptos. G.

Varia oppidum in Sabinis olim, nunc Vicus imminens Anieni. Vet. Schol. Cruq. An hic erat Commune Sabinæ gentis Consilium antiquis temporibus? Advertendum omnes fere scriptos Codices habere *Variam* non *Bariam*.

4 *Spinas*, molesta vitia: carduos et paliuros dicit.

5 *Melior*, purgatior.

6 *Cura*; animi ægritudo. B. De Lamia Od. 1. 26. et 36. it. 3. 17.

7 *Rapto*; ante diem sublato.

8 *Mens animusque*: propositum et libido. B. *Istuc*, in villam meam. Z.

9 *Amat*, temperando dicit pro gestit.

Clausira sunt carceres; et est Translatio ab equis Circensibus. Vet. Schol. B. Cupit tollere impedimenta, quæ me Romæ remorantur, ut possim otiari et libere vivere. Z.

11 *Est odio*, displicet, fastidio est.

Sors, vitæ status.

13 *Animus*, supple *ægrotus*. *Patriæ quis exsul, Se quoque fugit?* Od. 2. 16.

14 *Mediastinus*, *servus ad omnia viliora officia comparatus*. Torrentius. Idem qui et calo: quasi *mediodestinus*, ut *clandestinus*.

Mire *tacita prece* de calone, qui non audebat promere sua vota.

15 *Villicus*, supple *factus*, ut supra etiam ad *mediastinus*.

16 De constantia Horatii alia omnia Ser. 2. 7. 28. G.

17 *Invisa*, temperando dicit pro *detestabilia*.

18 *Miramur*, magna et beata putamus. V. Epist. 1. 6. 1. G.

19 *Tesqua*; *Lingua Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus sic nominantur*. Vet. Sch. Quasi texta vel plexa. Etiam Belgis Twisschen est plectere, cum quo convenit, et Latinum *texere*; quæ omnia a Saxonico nostro Twegen, *Duo*.

21 Plurimi MSS. *putas*, non *vocas*. Lambinus; atque sic legit Cruquius.

Fornix; in fornicibus Circi prostabant meretriculæ.

Uncta, *redolens et optimis cibis plena*. Vet. Sch. Cruq. B. Recte igitur præcipit Columella l. 8. ne villicus ex eo servorum ordine instituatur, *qui urbanas ac delicatas artes exercuerit*. Sa-

Nec vicina ſubeſt vinum præbere taberna
Quæ poſſit tibi: nec meretrix tibicina, cujus
Ad ſtrepitum ſalias terræ gravis: et tamen urgues
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et ſtrictis frondibus exples:
Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid noſtrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togæ nitidique capilli,
Quem ſcis immunem Cinaræ placuiſſe rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cœna brevis juvat, et prope rivum ſomnus in herba;
Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat; non odio obſcuro morſuque venenat:
Rident vicini glebas et ſaxa moventem.
Cum ſervis urbana diaria rodere mavis;

28 Dejunctum *Lamb. ex quatuor codd.*—33 Cynaræ *edd. vett.*—40 Reddere *Fl.* 1482.

cors et ſomniculoſum genus id mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleæ, popinis, lupanaribus conſuetum, nunquam non eaſdem ineptias ſomniat, &c. Z.

23 *Angulus iſte*, agellus meus, Ἐνταῦθα μοὶ μὲν Ἡσιόδειος. B. Senſus eſt: Agellus iſte non magis feret uvas quam piper et thus, h. e. nunquam. Z.

24 *Subeſt*; ſuppetit, ad manum eſt ὑποκείσθω. B. *Subeſt* ſimpliciter prope eſt. G.

26 Pulchre *ſtrepitum* dicit cantum indoctæ et pauperculæ fidicinæ.

Terræ gravis; deridet agreſtem ſaltatorem.

Et tamen, plurima habes quæ agas, neque vacat tibi nugari. B. Recte vir doctus et melius illis, qui hic proponi volunt objectionem ſ. excuſationem villici, quem potius ipſe laudat hic Horatius, quod deſiderio urbis non negligat officium. G. Quamquam in te eſt urbis et urbanarum deliciarum nugarumque deſiderium: tamen tu non negligis opera ruſtica. Z.

Urgues, oportet te urgere, h. e. fodicare.

27 *Ligonibus*, ſarculis latis; Μαχίλλαις Græci dicunt, noſtri ноwɪs: erant et Δίκελλαι, quos bidentes vocabant.

29 *Pigro*, otianti, interquieſcenti.

30 *Docendus*; *præfoſſis tramitibus*: *ſic alibi* (A. P. 68.) *ipſe de fluvio*; *Doctus iter melius*. Vet. Schol. B. Nempe de incilibus et foſſis vel fodiendis, vel purgandis aperiendiſque, aquæ pluviæ derivandæ cauſa, loquitur. G.

31 *Comice* protulit *quid* pro *quantum*. B. Quantum inter me atque te interſit. G.

32 *Nitidi*, uncti. Z.

33 *Immunem*, *ſine munere*. Vet. Schol. B. De Cinara Od. 4. 1. 4. et 13. 21. G. *Scis*, quippe qui internuncius fuiſti, et mihi puellam adduxiſti vinumque appoſuiſti. *Rapaci*, qualis erga alios amatores erat. Z.

34 *Liquidi*, ſacco liquati. B.

35 *Juvat*, ſcil. *me nunc*, ubi ætas mea alios mores, aliam vitam poſtulat. Z.

36 *Pudet* modo poſuit, pro *pudor eſt*.

Incidere; abrumpere, vel per compendium finire.

Ludum per Charientiſmum dicit res Venereas et cæteras nugas.

37 Temperanter dixit *mea commoda* pro *meas felicitates*. B. *Iſtic*, in villa mea Uſticæ. Z.

38 *Limat*, radit et per hoc urit. *Floriferis ut apes in ſaltibus omnia limant*. Lucretius. B. Locus eſt 3. 11. Sed meliores *libant*. *Limat* eſt minuit, detrahit. G.

Obſcuro; *invidia tacitum eſt odium*. Vet. Schol. Cruq. Clancularie res ſunt et Invidia et Obtrectatio, quam modo morſum dicit.

39 *Rident*; adeo non invident.

40 Bentleius *cum ſervis tu urbana*, tenui de

Horum tu in numerum voto ruis: invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo, argutus et horti.
Optat ephippia bos piger; optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

EPISTOLA XV.

AD NUMONIUM VALAM.

Horatius curandæ valetudinis causa Philosophicum arcum retendit. B. Cum Horatius auctoritate Antonii Musæ medici celeberrimi aquis frigidis usus (quamquam invitis Baiarum incolis, qui ægre ferebant, quod ægroti ad aquis frigidis utendum, spretis thermis, Clusium Gabiosque peterent) hiemem transigere vellet in locis maritimis; petit a Vala, ut scribat de Velia et Salerno, quæ illorum oppidorum vicinorum in Lucania sit conditio, reperianturne ibi ea, quæ ad vitæ commoditates pertineant, cœlum, panis, aqua, lepores, apri, pisces. De vino se non quærere ait, quia generosum ibi esse constet. Etsi enim, quamdiu in villa sua rusticetur, quovis vino contentus sit: cum tamen ad mare descenderit, se requirere optimum ad cuticulam curandam. Omnino autem se in hac re similem esse Mænii, qui, si non accepisset unde laute et opipare cœnaret, sed tenuissimo uti victu coactus esset, luxuriantes nepotes vituperaret: sin vero lautiora nactus esset, laute comedentes laudaret beatosque prædicaret.

Quæ sit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via (nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis

caula, et nullo cum fructu, nisi quod auribus placuerit suis.

Diarium unius dici demensum est. Torrentius. B. Recte. Sic Petronianum illud scortillum negat se *post esellum sumere diaria*, cibum videm post delicias. Non audiendus est Langinus, qui *diaria* interpretatur lucra diurna, quæ servus mercatur domino. Nempe legebat *reddere* pro *rodere*. G. *Rodere* apte de victu arido et tenui. Z.

41 *Horum tu in numerum*; etsi sueris rure procurator meus et libertus.

42 *Calo*; mediastinus, qui jam de longinquo ligna atque olera petit. B. *Argutus*, callidus, seu potius, loquax. Z.

43 *Optat ephippia bos*; etiam nostratibus familiare adagium est, AS A SADDLE TO A COW.

43 Piger *refert Bentleius ad* caballus.

Ephippia; fugmata. Vet. Schol. et bene de rustici caballi stramentis. Hodie etiam caballi arare norunt. B. *Piger*, quem piget laboris sui. Ita nihil refert, sive ad bovem, sive ad equum referas. G.

44 *Ut scire*, tu scilicet et calo meus. B. Præsertim cum tu artem calleas villici. Cf. vers. 20. seqq. Z.

Censebo; sententiam dicam, tractum a Senatu. Notum est Græcorum dictum, [Aristoph. Vesp. 1482.] Ἐκκλησίᾳ δὲ χαιρε, κοὐκ ἐγὼ τάχα.

EPIST. XV.

1 Familiaris sermonis negligentiam imitatur hæc epistola. Pendet prima illa interrogatio a v. 35. *Par est, ita nobis scribere, quæ si biami*, &c. nam ego in illam oram inferi maris venire non soleo, cum Antonius Musa in-

Me facit inviſum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui,
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput et ſtomachum ſupponere fontibus audent

5 Myrteta *edd. vett.*—7 Sulfura *edd. vett. Bentl.*

terdicat thermis, quales ibi ſunt, commendet fontes frigidos. G.

Velia et Salernum oppida ſunt Lucaniæ: Salernum a ſalis copia dictum eſt. Vet. Schol. Et *Velia*, olim *Helia*, teſte Plinio, h. e. Paludoſa; a Græco Ἕλος.

Vala; in antiquo Nummo eſt C. Numonius Vaala. Lambinus.

2 *Quorum hominum*; i. e. *quibus moribus ibi ſunt homines.* Landinus.

3 *Antonius Muſa, frater Euphorbi Medici Jubæ, Auguſti libertus.* Torrentius. *Antonius Muſa agritudine Auguſti artem ſuam illuſtravit: nam cum dolore Arthritico laboraret, et ad ſummam maciem perductus eſſet, curante Aimilio Medico, qui cum adeo calidis curabat, ut tectum cubiculi ejus velleribus muniret: hic poſtea in contrarium verſis omnibus, non ſolum perfuſionibus frigidis, ſed etiam Gargariſmis Cicernine Aquæ, quæ eſt Atellæ, in domo Cæſaris, et potionibus uſus eſt; ita ut intra breve tempus cum curaret. Ob quam cauſam ab Auguſto uſque ad Seſtertium quadringenties ex Senatuſconſulto accepit. Hic autem Muſa Horatio juſſerat ut lavacro frigido uteretur propter oculorum dolorem.* Vet. Schol. Cruq. *Medico Antonio Muſæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, ſtatuam ære collato juxta ſignum Æſculapii ſtatuerunt.* Suetonius in Auguſto [c. 59.]. En autem quod nuperrime accidit Londini, apud *Fontem* dictum *Cleritorum*, qui haud ita longe eſt ab *Iſelduno*, frequenti vico, aquis frigidis modo celebris: a viro autem et claro et fide digno, *Edvardo Baynardo*, M. D. Collegiique Londinenſis Socio celeberrimo accepimus. Ruſticus quidam cognomento *Plumbarius*, in vico agit vernacule appellato HARROW ON THE HILL, quod eſt *Herga* ſive *Caſtra ſuper Colle*, qui quidem vicus ſatis notus eſt in Mediosaxonum noſtrorum pago; præſertim vero nobis, qui in ſacro iſto monte Muſas primum adivimus. Laborarat hic vir ſeſquimeſtri fere ſpatio immanibus arthritidos vagæ, paralyſeos, atque etiam ſpaſmatum doloribus; adeo ut neque pedibus inſiſtere valeret. Plurimis autem incaſſum tentatis remediis, imo et Mercuriali ſaliva inutiliter mota, miſellus iſte tandem (incredibile dictu) ab omnibus iſtis tam ſævis ſymptomatibus, vel unica in Frigidas noſtras immerſione ex toto liberatus, ad integram ſanitatem reſtitutus eſt; juſſus tamen firmioris efficaciæ cauſa iterato bis terve in eaſdem aquas ſe demittere. Oſtendit idem vir elegans et locum mihi Senecæ, qui eſt in Epiſtola quadam illius ad Lucilium; [83.] quem quoniam huc pertinere videbatur, apponendum duxi. *Ab hac fatigatione magis quam exercitatione in frigidam deſcendi: hæc apud me vocatur parum calida; ille tantus Pſychrolutes qui Kalendis Januariis in Euripum ſaltabam.* Derivabantur autem *Euripi* iſti *ex Aqua Virgine* gelidiſſima atque Alſietina: atque hi ad inſtar MOTARUM noſtrarum circuibant Circi Maximi et Theatri interiora, nonnunquam et privatas domos. *Auſpicabar* (inquit idem Auctor) *in Virginem deſilire.* Qua de re et Ovidius de Ponto [1. 8. 38.] *Stagna quoque Euripi Virgineuſque liquor.* Atque alias [Ar. 3. 385.] *Nec vos Campus habet, nec vos gelidiſſima Virgo.* Vide Julium Frontinum de Aquæductibus. Neque hoc loco ſilentio prætereundas cenſeo pene a tribus retro ſæculis apud Venedotos Britannos miraculorum fama nobiliſſimas *Albicollinas Frigidas*: ſic enim illas appellandas duxi, quod vetere indigenarum ſermone idem ſit GWENVRE, vel GWENBRE, quod Romanis *Albus Collis*; et quod WY eadem lingua aquam ſonet. Ex Britannico igitur GWENVREWY, vel MENBRE-WY Johannes a Pennant, *Salopiæ* (ſive *Novi Veroconii*) Abbas, qui primus Fabellam iſtam ex ore vulgi depromtam conſarcinavit, pro more rudioris ſæculi, neſcio quam Saxonico Vocabulo *Winefridam*, ſive Divam, ſive Nympham, auſus eſt comminiſci. Verum e diverticulo in viam redeundum erit.

Supervacuas per Charientiſmum poſuit pro inutiles, vel nihil agentes.

Tamen; neque enim excuſor auctoritate tanti Medici.

4 *Inviſum*; ob amiſſum quæſtum ſcilicet.

5 *Sane*; neque enim per jocum mentior.

Murteta; ea eſt ſcriptura meliorum Codicum. *Eſt et quarundam naturalium ſudationum* [*calor*] *ubi e terra profuſus calidus vapor ædificio includitur, ſicut ſuper Baias in Murtetis habemus.* Cornelius Celſus 2. 17. pr.

6 *Ceſſantem morbum*; *podagram.* Vet. Schol.

Elidere; efficaciter eliminare, per ſudores ſcilicet.

7 *Invidus*; *quia itur ad alia loca.* Vet. Schol. Cruq.

Cluſinis, Gabioſque petunt et frigida rura.
Mutandus locus eſt, et diverſoria nota
Præteragendus equus: Quo tendis? non mihi Cumas
Eſt iter aut Baias, læva ſtomachoſus habena
Dicet eques: ſed equi frænato eſt auris in ore.)
Major utrum populum frumenti copia paſcat;
Collectoſne bibant imbres, puteoſne perennes
Jugis aquæ; (nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo poſſum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generoſum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque meum, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis piſces et echinos æquora celent;
Pinguis ut inde domum poſſim Phæaxque reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere, par eſt.

13 Equis *Bentl. Cun.* Equi *defendit Jonſon.*—16 Dulcis aquæ *Lamb. ex duobus codd.*—17 Quodvis *conj. Heinſ. Adv.* 3. 13. p. 493.—25 Nobis, ac nos tibi credere *Glar.*

8 *Qui caput; Aqua frigida infuſa, præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt: item articulis, doloribuſque qui ſunt ſine ulceribus: item rubicundis nimis hominibus, ſi dolore vacant.* Cornelius Celſus (1. 9). In reſolutione etiam ſtomachi idem celeberrimus Auctor hæc præcipit (4. 5.) *Huic generi inutiliſſimum balneum eſt: Lectiones exercitationeſque ſuperioris partis neceſſariæ: item unctiones frictioneſque; hinc perfundi frigida, atque in eadem natare, canalibus ejuſdem ſubjicere etiam ſtomachum ipſum, et magis etiam a ſcapulis id quod contra ſtomachum eſt: conſiſtere in frigidis medicatiſque fontibus, qualis Cutiliarum Subcutiliarumque ſunt, ſalutare eſt.* De Cutiliis autem et Subcutiliis Aquis vide Plinium (2. 95. et 31. 2.) et Vitruvium (8. 3).

9 *Cluſinæ et Gabinæ aquæ frigidæ ſunt, Cluſinæ in Hetruria, Gabinæ in Sabinis.* Vet. Schol.

Frigida rura, montana loca, maritimis contraria; Sabinos agros intellige.

10 *Locus;* Vetus hoſpitium.

Diverſoria; interquieſcendi loca. B. Equi meritorii aſſueti viæ Baias ducentis, eo tendebant ab ea, quam exſpectationem ſimilium caſuum vocat hodierna ſchola. Fingit ergo expoſtulationem poeta equitis ſuo cum equo, quem dextrorſus ad Cumas et Baias nitentem *læva habena* ad Gabios reflectit. G.

11 *Tendis;* niteris.

13 *Eſt auris in ore; ſuavis Allegoria, qua ſignificat voluptatem magis homines captare, quam curam corporis.* Vet. Schol. B. Nempe proprie dicit, ad equum verbis nihil profici, frænis opus eſſe. Ab hoc autem verſu redit ad queſtiones v. 2. cœptas. G.

14 *Major utrum;* ſupple *Te nobis ſcribere par eſt.* Vet. Schol. Cruq.

Utrum populum; utram civitatem, Velinam an Salerninam.

15 *Collectos, ciſternino.* Vet. Schol. Cruq.

16 Nonnulli Codices ineptè reponunt *Dulcis* pro *Jugis*, ex aliquo interpretamento ut puto: eſt autem *Jugis* quæ continenter manat, et *perennis*, quaſi per omnes annos.

Nihil moror; quia nihil capior. B. Ego ita putabam, *Non moror*, non opus habeo de illis quærere: novi illa Campana, Maſſica, Cæcuba, Falerna: quibus rure meo facile carco, cum ad mare deſcendi, utor jucunde. G.

18 *Ad mare*, ad loca voluptatum. B. Calabriam intelligere nos jubet N. Heinſ. Adv. 3. 13. p. 493. Hic pariter et Epiſt. 1. 7. 11. Sed hic Lucaniam intelligi nimis apertum: et ipſum *deſcendere* in loco priore *inferum* potius mare ſignare videtur.

Lene; ſuave. Vet. Schol. Cruq.

Mænius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumtis urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret,
Impranſus non qui civem dignoſceret hoſte;
Quælibet in quemvis opprobria fingere ſævus;
Pernicies et tempeſtas barathrumque macelli,
Quicquid quæſiêrat, ventri donabat avaro.
Hic, ubi nequitiæ fautoribus et timidis nil
Aut paulum abſtulerat, patinas cœnabat omaſi,
Vilis et agninæ, tribus urſis quod ſatis eſſet;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Beſtius. Idem
Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, ſi qui comedunt bona; cum ſit obeſo
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego ſum; nam tuta et parvula laudo,

26 *Ab hoc verſu ſit initium novæ epiſtolæ in ed. Glar.*—30 Stringere *conj. N. Heinſ.* Figere *conj. Cun.*—32 Donarat *G. S.* Donaret *Bentl. ex MS.*—35 Agnini *MSS. Torrent. G. Z. Med.* 1477. *F.*—36 Lama *G. it. Med.* 1477. *F.*—37 Corrector *Lambi. ex MS. etiam Sax.* Beſtius *omnes MSS. Cruq. G. pr. edd.*

21 *Juvenem commendet;* i. e. *quod calidiorem faciat ad amplexus.* Vet. Schol. Cruq.

23 *Echinos;* Vide Sat. 2. 4. 33.

24 *Phœax;* alter Alcinous. B. Vid. Epiſt. 1. 2. 28. G.

25 *Scribere te nobis; hic verſus principia Epiſtolæ concludit.* Vet. Schol. Immane Hyperbaton.

Accredere, verbum Lucretianum. B. Valæ hæc loca erant nota, qui videtur ibi prædia habuiſſe. Z.

27 *Fortiter, magnanimus puer*, ut ait Perſius. B. Sine ullo paupertatis metu. Z.

Urbanus; dicax, ſalſus, ſodalis commodus.

28 *Scurra;* paraſitus, ad aſſentationem compoſitus.

Præſepe; mire tanquam de voraci bellua. *Satirice pro menſa.* Vet. Schol.

29 *Impranſus; ideo iratus ob hoc ipſum.* Vet. Schol. Eſt autem *Impranſus* pro *impaſtus.* B. Marcilius *impranſum* interpretatur bene ſaburratum, et inde petulantem. Sed deſtituitur, puto, ab exemplo. *Impranſus* certe noſtro eſt non pranſus Ser. 2. 2. 7. et 3. 257. G.

31 *Barathrum, vorago.* Vet. Schol. Cruq. B. V. Sat. 2. 3. 166. G.

32 *Quicquid quæſierat;* nam emendicabat undique, hinc Pantolabus dictus.

33 *Nequitiæ fautoribus*, luxuriæ plauſoribus: nam fautores ſunt qui plaudunt fere ſcenicis.

Timidis, non generoſis: nam meticuloſi ſunt avari. B. *Timidos* interpretor, qui metu quodam petulantis hominis os illud maledicum offercire cibis malebant, quam fame irritare. Duplex genus eorum, qui ſcurras alunt, *fautores*, quibus placent maledicta: *timidi*, qui metuunt, ne in ſe convertantur. G.

34 *Patinas*, ſupple *plenas.* Teſtaceis patinis elixabant carnes et piſces.

Omaſi, viſceris bubuli. Vet. Schol. Tripe.

35 Omnes fere MSS. pro *agnini* legerunt *agninæ* cum Cruquiano Interprete, et Turnebo. Agnina nihil vilius apud Veteres. Qua de re videſis Turnebi Adverſaria.

36 *Lamna candente;* Ligurientium ſervorum ventres ſtigmate ſcribebantur, ut oſtendit Dacerius ex Galeno.

37 Mænius interdum invehebatur in lautitias hominum æque ſevere ac *Beſtius* ille nobilis *corrector* et caſtigator nequitiæ. G. Igitur *Beſtius* verti debet, tanquam alter Beſtius. Z.

Cum res deficiunt, ſatis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos ſapere et ſolos aio bene vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

EPISTOLA XVI.

AD QUINCTIUM.

Vitam beatam æquanimitate conſtare, et conſcientia veræ virtutis. B. Quinctius Hirpinus, quo familiariter uſum eſſe Horatium etiam ex Od. II. 11. intelligitur, videtur honoribus divitiiſque et auræ populari plus tribuiſſe quam par erat, ſervata tamen viri boni laude. Huic igitur percontanti de villæ reditibus reſcribit Noſter, de reditibus non eſſe quod ſcribat, cum illa villa ob ſitus amœnitatem ſalubritatemque cœli ſibi placere, ibique ſe corporis valetudine recta et tranquillitate animi frui. Tibi vero alia vivendi ratio probatur, nec, fateor, male vivis, ſi non modo videri, ſed et eſſe bonus ſtudes. At vereor, ne virtutem in externa ſpecie vulgique opinione ſola ponas. Quæ res eſt vana, aliena minuſque ſtabilis, eaque non magis capi ſapiens debet, quam infamia falſa terreri. Vir bonus eſt virtutis amore, non pœnæ metu: atque cum externa bona non magnifaciat, nec adeo metuat et cupiat, eſt vere liber habendus. Nam qui mori poteſt, is cogi non poteſt.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo paſcat herum, an baccis opulentet olivæ,

2 Bacis *MSS. ap. Cruq. it. G. S. Ven. Lamb.*

Omnes fere ſcripti Codices legerunt *Beſtius* pro *Mænius*, et nonnulli *correptus* pro *correctus*. *Beſtius* etiam eſt in Cruquiano Interprete, *nomen parciſſimi cujuſdam Romani*. Lucro hic unice deditus eſt. *Cornelius Beſtius* apud Plutarchum pupillum ſuum, ut alter Polymneſtor, ob ſpem auri obtruncavit; quod oſtendit Cruquius. Pro *correptus* vel magis *correctus*, Bentleius poſuit ex ingenio ſuo *corrector*, optima ut puto cum ratione. Fuerat enim *Beſtius* iſte homo frugi atque avarus, et nebulonum caſtigator, quod vel ex Perſii Satira (6. 37.) conſtat.

38 *Siquid* Bentleius, levi de cauſa; quod ſcilicet unus vel alter ſcriptus Liber repræſentet *Siquid*. Ego nihil moveo.

39 *Verterat in fumum et cinerem*; h. e. in culina abſumſerat.

41 Notum eſt ſuillam vulvam olim habitam in deliciis. B. Plin. 11. 37. ſ. 84. *Vulva ejecto partu melior quam edito: ejecticia vocatur illa, hæc porcaria.* Martial. 13. 16. *Te fortaſſe magis capiet de virgine porca, Me materna gravi de ſue vulva capit.* V. Apic. 7. 1. G.

42 *Hic ego ſum*; de me fabula narratur. B. Seu, ego hac in re ſum ſimilis Mænii. Z.

43 *Fortis*; magniloquus, alter Hercules.

44 *Unctius*; lautius, opimius.

45 *Aio bene vivere; Peteſt hoc Epicurus dicere, qui ait divitias, ut non appetendas, ita nec fugiendas, ſi contigerint.* Vet. Schol. Cruq.

46 Bene *conſpicitur* ſubjecturus *nitidis*: nam marmoreas ſignificat villas.

Fundata, et per hoc manſura: nam facile perit pecunia in fœnore poſita, vel intus condita.

EPIST. XVI.

1 *Ne*; *id eſt, ne forte.* Vet. Schol.

Fundus ager eſt cum ædificio. Torrentius.

Pomiſne, an pratis, an amicta vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter, et ſitus agri.
Continui montes, niſi diſſocientur opaca
Valle; ſed ut veniens dextrum latus aſpiciat Sol,
Lævum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid? ſi rubicunda benigne
Corna vepres et pruna ferunt? ſi quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus;
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, et jam, ſi credis, amœnæ,
Incoluniem tibi me præſtant Septembribus horis.
Tu recte vivis, ſi curas eſſe quod audis:
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,

3 Pomiſne, *ſic edd. vett. et Bentl. qui pro* et *repoſuit* an *ex codd. recte: nam ſic ſolet Noſter: v. c. Epod.* 7. 13.: *Epiſt.* I. 3. 3.: I. 11. 4.: I. 18. 102. Z. — 7 Diſcedens *edd. vett.* Deſcendens *codd.* 2 *Berſm.*—9 Ferant *et mox* juvet *edd. vett.*—11 Florere *MS. Berſm.*—14 Fluit aptus et *S. Z. Med.* 1477. F.

Hic forte erat Q. *Hirpinus, de quo Od.* 2. 11. Torrentius.

2 *Arvum ager dicitur ſegetis ferax et præparatus frumento.* Vet. Schol.

3 Optimi MSS. pro *pomiſne* legerunt *pomiſve*, quod mihi cum Cruquio arridet. *Pomiſne* Bentleius, ſed parum refert. Placet tamen *an*, pro *et*, auctoritate ſcriptorum Codicum.

4 *Loquaciter*; non quod multa dicat, ſed quod de ſuis crepet, ut fere ſolent loquaculi.

5 Cruquius putat Uticam dici et Lucretilem, de quibus in Odis.

6 *Dextrum* in ſacris erat oriens, quod Romanis deorum ſimulachra in templis ſpectarent meridiem. B. Pomiſe ſe et ſuum Quinctium in villa, quæ, ut in frigida regione meridiem adſpicit, et vallem, cujus dextrum latus orienti ſoli oppoſitum eſt, lævum occidenti. G.

7 *Decedens* Bentleius ex optimis Libris.

Vaporet, Lucretio *vapor* dicitur calor. B. *Vaporare*, eſt quocunque modo calefacere, fomentis, igne accenſo, &c. G.

8 Bentleius præpoſuit Adjectivum *benigni*, quod non æque placet. Major enim eſt vis Adverbii in iſto loco. B. Sed *benigni* eſt *κατὰ τιμὴν*. Z.

9 Melius in Indicativo *ferunt* et *juvat*: atque ita Bentleius ex Libris quos ipſe probandos putat; neque nobis ſecus videtur.

10 *Frige*; glande.

11 *Dicas*, h. e. fatendum tamen tibi erit. B. Si temperiem illam conſideres, ſitum, amœnitatem, dicas alterum hic eſſe Tarentum, quaſi a maritima illa et humili regione huc verſus mediterranea adductum. G.

Nota Horatium in Italia nihil magis laudare quam Tibur et Tarentum. Vet. Schol.

12 *Fons Bandinus, e quo rivus qui Digentia dicitur.* Vet. Schol. Cruquianus interpres *Banduſius* habet. B. V. Car. 3. 13. 1. G.

Dare nomen rivo; mira Hypallage, pro *dare rivum non ſine nomine*. B. Quo plus aquarum dat fons rivo, tanto digniorem facit, ut ſuum ſibi nomen habeat. Itaque dat nomen cum aqua. G.

15 Acutiſſime Bentleius pro *etiam (ſi credis) et (jam ſi credis)* h. e. audita mea deſcriptione. B. Mihi magis placet, *et jam*, etiam nunc, hoc ipſo tempore, quo ſcribo, debeo valetudi-

Neve putes alium ſapiente bonoque beatum,
Neu, ſi te populus ſanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimules, donec manibus tremor incidat unctis.
STULTORUM incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures;
" Tene magis ſalvum populus velit, an populum tu,
" Servet in ambiguo, qui conſulit et tibi et urbi,
" Jupiter;" Auguſti laudes agnoſcere poſſis.
Cum pateris ſapiens emendatuſque vocari,
Reſpondeſne tuo, dic ſodes, nomine? ¶ Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.
¶ Qui dedit hoc hodie, cras, ſi volet, auferet; ut ſi
Detulerit faſces indigno, detrahet idem.
Pone, meum eſt, inquit: pono, triſtiſque recedo.
Idem ſi clamet furem, neget eſſe pudicum,

22 Tempus habendi *Zar.*—30 Cum cupias *MS. Beſ. G. S.* Cupies *Z.*—32 *Verba* ego ac tu *ad antecedentia refero.* Zeu.

nem agello meo, tempeſtate anni alias graviſſima. Illud *tibi* ἴδιος habet amicitiæ. G.

16 *Septembribus horis*, h. e. quaque Septembri hora, ſive tempeſtate: *quo tempore in urbe facile morbo tentantur corpora, ex Auctumni æſtu noxio*; ut ait Vet. Schol.

17 Temperando dicit, *Tu recte vivis ſi*, pro *Non recte vivis niſi: recte* autem dicit tam ad animum quam ad rationem: nam et animus vulgo norma recti eſt.

18 *Jactamus*: prædicamus.

Beatum, opinione vulgi, ob famam ſcilicet atque divitias.

19 *Ne cui de te plus*; egregius eſt ille Catonianus verſus [1. 14.] *Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.*

20 *Alium*; divitem ſcilicet, vel fama celebrem: eſt autem Helleniſmus in *alium ſapiente*, quaſi ἄλλον τῦ σοφῦ, quod advertit Cruquius. *Quod ſi accuſator alius Scjano foret.* Phædrus 3. Pr. 41. B. Add. 2. 1. 240. G.

22 *Febrem*; notum eſt Stoicos omnes affectus pro animi morbis habere. B. Comparandi particulas more ſuo omittit. Similis eſt diſſimulator morborum animi ægroto intemperanti, qui, ne interdicatur ipſi cibo, diſſimulat ſenſum adventantis febris, donec in ipſis epulis ſuperveniens ille algor tremore partium prodatur.

23 *Manus unctas* vocat, jam jurulentis cibis pingues. G.

Paralyticus *tremor* futuræ mortis indicium.

24 *Malus*; perverſus et pravus.

26 *Dicat*, cantet.

Vacuas; et per hoc patulas.

27 *Tene magis*; *Hæc enim Varius de Auguſto ſcripſerat*; *ſunt autem ex notiſſimo Panegyrico Auguſti.* Vet. Schol. Obiter et Auguſto et Vario amico ſuo gratificari ſtudet.

29 *Auguſti laudes*; non tuas. B. Poſſiſne ita ſtolidus eſſe, ut in te agnoſcas laudes, quæ in neminem præter Auguſtum conveniunt? Sed non multo prudentius admittas *ſapientis* vel *emendati* hominis nomen, &c. G.

30 *Sapiens emendatuſque*, h. e. doctrina et moribus egregius.

31 *Reſpondeſne tuo nomine?* h. e. an non falſo nomine appellaris, neque enim ſapientis eſt captare opinionem imperiti vulgi. B. Metaphora ſumta a dilectu vel luſtratione militum, cenſu, &c. ubi nomine ſuo recitato quiſque reſpondet, ſe adeſſe. *Nomine* Dativus antiquus videtur Marcilio, nec repugnem. Sed poteſt etiam ad quæſtionem, Quis eſt ſapiens? ſuo nomine reſpondere, caſu auferendi. G.

Nempe, ex abrupto concedentis eſt; forſan

Contendat laqueo collum preſſiſſe paternum,
Mordear opprobriis falſis mutemque colores?
Falſus honor juvat, et mendax infamia terret,
Quem, niſi mendoſum et medicandum? Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges juraque ſervat;
Quo multæ magnæque ſecantur judice lites;
Quo res ſponſore et quo cauſæ teſte tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrſus turpem, ſpecioſum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, aio.
¶ Non hominem occidi: ¶ Non paſces in cruce corvos.
¶ Sum bonus, et frugi: ¶ Renuit negitatque Sabellus:
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, et opertum miluus hamum.

40 Medicandum *probat etiam Bentl. it. Cun. Sandb.*—45 Introrſus *Bentl. ex codd. recte: nam vulg.* introrſum *efficit ſonum ingratum.* Z.—46 Dicit *poſt alios Bentl. et Cun.*—49 Negitatque *ex MSS. Cruq. Bentl. Cun.* Renuitque *Z. fuit forte* renuitque negatque.—51 Suſpectus *Sax.*

enim dicturus es, omnes hoc morbo pariter laborare.

32 *Prudens*, doctus, Philoſophus.

Ego ac tu, ſupple *æque*.

33 Poſtquam conceſſit jucundum eſſe vocari bonum et prudentem, addit, ab eodem populo æque facile auferri illum honorem. Itaque leve putandum eſt, quod pendet a levitate multitudinis. Si volumus non dolere ſiniſtris judiciis plebis, neque debemus efferri ſecundis. G.

34 *Indigno*, ſupple *mihi*. B.

35 *Inquit*, ſcil. *populus*. Z.

36 Mire *clamet*; de rauca turba. B. *Idem* refert Bentleius ad *mordear*: ſed, niſi fallor, rectius refertur ad nominativum *populus*, qui latet in *clamet*. Z.

38 Magis nobis arridet *mutemve* quam *mutemque*. Verum Particulæ *que*, *ne* et *ve* frequenter errore Librariorum commiſcentur.

Tres Cruquii Codices cum Vetere interprete pro *colores* legerunt *colorem*, quod rectum eſt. Neſcio cur eruditiſſimus Bentleius prætulerit hoc loco Plurali Numero *colores*, etſi forſan rarius occurrat in tali ſenſu. B. Lectionem edd. vett. cum Bentleio revocandam putavi, tanquam exquiſitiorem, quia crebro pallorem ruboremque ire ac redire ſignificat: ſed per interrogationem extuli. Z.

40 *Mendoſum*, vitiis minorem et hoc ſtultum,

Mendoſum et Mendacem Cacozelon eſt Horatio indignum: quare non dubitavimus cum Cruquii MSS. et Veteri Interprete *medicandum* in ſuam ſedem reducere. *Medicandum*; h. e. *non ſanum*. Vet. Schol. Egentem ſcilicet Helleboro.

Vir bonus eſt quis? Subjectio eſt Horatii, cui vulgus ſuo more reſpondet.

42 *Secantur*; dirimuntur.

43 *Reſponſore*, fidejuſſore. Bentleius poſuit ſolute *res ſponſore*, ſecutus quendam Cruquii ſcriptum Librum. Verum hæc Lectio ſola raritate placitura eſt. B. Cum *reſponſor* nondum habeat alium auctorem; cum pro veteri ratione ſcribendi vix diſtinguantur *reſponſore* et *res ſponſore*; cum denique poſterior ratio ſententiam pulcherrimam pariat: faciendum putavi ut exhiberem lectionem, cujus paraphraſis quædam eſſe videtur Perſ. 5. 78. *Marco ſpondente recuſas Credere tu nummos? Marco ſub judice palles? Marcus dixit; ita eſt.* G.

Tenentur, *obtinentur*. Torrentius. Sic et Cicero voce utitur.

44 *Domus*, domeſtici ſui.

45 *Pelle decora*; i. e. *ſolummodo fama bonum, ſimulatione virtutum*. Vet. Schol.

49 *Bonus et frugi*; probus: neque enim te fallo; vel quæ tua ſunt luxuriæ inſumo.

Quis probet Bentleii *negitatque Sabellus*, etſi adducat teſtem neſcio quem manuſcriptum Librum? B. Nititur codd. duobus, eſtque ver-

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.
Nam de mille fabæ modiis cum furripis unum,
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto.
Vir bonus, omne forum quem ſpectat et omne tribunal,
Quandocunque Deos vel porco vel bove placat,
Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da juſto ſanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Quî melior ſervo, quî liberior ſit avarus,
In triviis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat et obruitur re.
Vendere cum poſſis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: ſine paſcat durus aretque;

55 Unam *conj. Cun.*—56 Eſt damnum levius mihi, non facinus tamen; eſto. *Lambin. ex Accurſio Florent.*—61 Juſto ſanctoque *Cruq. Torr. Rutg.*—63 Quo melior—quo lib. *Ven. Glar.*—66 Vivit *Ven. Bentl.*

bum exquiſitum, quod apud Lucret. Plautum, et ipſum Cic. occurrit. Vulgatum autem *negat atque* eſt Horatio indignum. Z.

Sabellus; Horatius Sabinus, et per hoc durus, catus et ſeverus, ut oſtendunt ſequentia.

51 Vetuſti Codices legerunt *milvus* non *milvius*. B. Piſcem *milvum* hic eſſe, hamus monere poterat interpretes Gallum, Germanum, Anglum. Tria totidem generum animalia rapacia memorat poeta. G.

52 *Signate locutus eſt primum non timent peccare, ſed oderunt; deinde non metu pœnarum, ſed amore virtutis.* Vet. Schol. Cogitavit de Biantis dicto, Μὴ διὰ φόβον ἀλλὰ διὰ τὸ δίκαιον ἀπίχεσθαι χρεῶν ἁμαρτημάτων, Cruquius oſtendit.

53 *Admittes in te*; verum naturam tuam expellis furca.

54 *Fallendi*, latendi.

Miſcebis ſacra profanis, Proverbiale dictum eſt de his qui quævis ſcelera pro levibus habent.

56 *Damnum eſt, non facinus; Hoc ſecundum Stoicos, qui paria dicunt eſſe peccata.* Vet. Schol.

Mihi; apud me. Vet. Sch. Cruq. B. *Mihi*, mea ſententia et judicio. G. Hactenus philoſophatus eſt Flaccus cum ſervo. Z.

57 *Spectat*; in quem ora convertit. Salſiſſima Ironia eſt.

60 *Laverna in via Salaria lucum habet; eſt autem dea furum, dicta Laverna a lavando; nam fures lavatores dicuntur.* Vet. Schol. Unde etiam forſan et Hebræis גנב fur, quaſi γναφεύς, Ducta Metaphora a re fullonica: Erat et Cella Lavernæ juxta Ædem Telluris, ut oſtendit Voſſius: qui diverſam hanc putat a Græcorum Praxidice. B. Voſſ. de Idol. 8. 17. et 9. 37. Cf. Perſius 2. 4. G.

61 *Fallere*, latere.

Etſi aliquot Exemplaria a Bentleio huc adducta pro *juſtum ſanctumque* habeant *juſto ſanctoque*, non auſim tamen affirmare utra Lectio fuerit Horatiana, cum utravis poſſit ſtare. B. At Bentleiana eſt exquiſitior, Græca, et Horatio digna. Ergo recepi. Z.

62 *Objice*, Oppone.

64 *In triviis fixum*; notiſſimus puerorum luſus. B. Solent etiam in Germania ferrum vel calidum abjicere temere, vel affigere, in qua

Naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonæ profit; portet frumenta penuſque.
Vir bonus et ſapiens audebit dicere; Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? ¶ Adimam bona. ¶ Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. ¶ In manicis et
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo.
¶ Ipſe Deus, ſimul atque volam, me ſolvet. ¶ Opinor,
Hoc ſentit, Moriar; mors ultima linea rerum eſt.

72 Penuſque *etiam* S. Penumque *al.*

vel manus adurant, vel fruſtra certe conentur boni patres familias, qui lucellum neque parvum contemnunt. Perſ. 5. 111. *Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum.* G.

66 *Liber mihi;* aliud Stoicorum Paradoxum eſt, *ſtultos eſſe ſervos, et ſolos ſapientes liberos.*

69 *Vendere;* amarulenta Irriſio, quâ ſignificat ignoſci debere hujuſmodi mancipiis, quia proſunt aliis, etſi ſibi ſint inutiles.

70 *Paſcat,* paſtorem agat.

71 *Mercator:* nam apud Romanos mercaturam in contemtu fuiſſe conſtat. Z.

72 *Annonæ proſit;* efficiet enim ut viliori veneat triticum.

Portet, importet.

73 *Pentheu;* iſta deſumta ſunt ex Bacchis Euripidis [v. 492. ſqq.] ut olim oſtendit vir doctiſſimus Antonius Muretus. Dialogiſmus eſt inter Bacchum captivum et Regem Penthea.

74 *Quid me;* Εἰφ' ὅτι παθεῖν δεῖ. τί με τὸ μηδὲν ἐργάσῃ.

75 *Adimam bona;* Πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τιμῶ σίθεν. Suaviter pro *capillis* repoſuit *bona.*

76 *In manicis;* Εἰρκταῖσι σ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν.

78 *Ipſe Deus:* Λύσει μ' ὁ δοὺς αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω. *Deus ipſe, ὁ δαίμων αὐτὸς* populari loquendi formulâ Principis Dei numen ſignificabatur. Sic et Homerus Iliad. 9. 445.

— Οὐδ' ἴσχεν μοι ὑποσταὶν Θεὸς Αὐτός.
Τῆρας ἀποζύσας, θάσσειν νέον ἠβώοντα.

Ἡ γὰρ Αὐτὸς Ἀνωνυμία τὸν ὄντως ὄντα σημαίνει Θεόν. Juſtin. Martyr in Cohort. ad Græcos. B. Ambiguum reſponſum Bacchi, qui ſe vindicaturum ſeſe in libertatem jactabat, ad Stoicum dogma et Autochirian accommodat. G.

79 *Ultima linea,* meta: Metaphora a ſtadio. *Extrema linea* Proverbio dicitur. Erat autem linea iſta ſulcus tranſverſus, ſolo impreſſus inſperſa calce vel creta; ut monſtravit doctiſſimus Grævius: *Ad hanc albam lineam* (inquit idem vir doctus) *decurſis ſeptem ſpatiis, legitimo ſcilicet miſſu peracto, conſiſtebant, Dicebatur illa linea etiam creta et calx.* Unde et Proverbium *Arena ſine calce,* de Infinito.

Rerum, ſupple *malarum.* Sic et Virgilius, *Feſſi rerum;* et, *ſunt lacrymæ rerum. Mors ſola omnium eſt finis malorum.* Vet. Sch. Ἐπ' ἄκρας ἤκομεν γραμμὰς κακῶν. Euripides in Antigone, ut oſtendit Torrentius.

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

Modus promerendi potentes. Non esse scurrandum. B. Modeste ac prudenter docet, quomodo Scæva adolescens potentioribus uti debeat. Si ei vita otiosa placeat et urbana displiceat, migrandum esse Ferentinum (ubi fortassis prædium habuit Scæva); sin suis sibique ipsi prodesse velit, exemplo Aristippi philosophi amicitiam potentium virorum esse comparandam. Hoc enim vitæ institutum non alienum esse ab officio viri boni et honesti. Res magnas gerere, hostes vincere, patriam defendere esse maximum et prope divinum, at proximum esse principibus placere. Verum hoc esse difficile, et requirere vigilantiam, diligentiam et animum fortem, qui impedimenta vincat. Inprimis cavendum esse, ne quis impudenter beneficia flagitet et paupertatem suam suorumque jactet, aut rerum amissarum jacturam et incommoda quædam comminiscatur; quia ita non magis tandem fides habeatur, quam meretrici damna fingenti vel plano crus esse fractum simulanti.

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti;
Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus; ut si
Cæcus iter monstrare velit: tamen aspice, si quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.

8 Lædet *Cruq. Bentl. Cun.*

1 *Quamvis*; προδιόρθωσις. Vet. Schol. *Ad Scævam Lollium Equitem Romanum hæc Epistola scribitur.* Vet. Schol. B. Nondum inventum est hoc cognomen in gente Lollia. Sed potuit esse proprium hujus juvenis, et alias non commemorari. Certe argumentum adeo affine illi, quod proxima epistola tractatur, quæ Lollium alloquitur, ut non sit improbabile, vel plane eam conjungendam et continuandam huic nostræ, vel certe, cum ad hanc nostram respondisset Lollius Scæva, se parasitari et scurrari non posse, illi repositam esse Epistolam 18. G.

2 *Majoribus*: *id est, amicis, sed in consuetudine majores dicimus.* Vet. Schol. B. *Majores* hic sunt potentes, ut Serm. II. 1. 61. Z.

Uti, Commode cum illis versari.

3 Ordo est, *docendus quæ censet*: neque enim nosti quæ ego censeo, cum satis per te sapias. B. Mihi placet *amiculus adhuc docendus*, qui tamen docere audet, et *cæcus* ipse *iter monstrare*: ut modo 1. 16. 40. *mediocandum* dixit, ægrum. Illustravit Bentleius ex imitatione Ausonii præf. Cento. et Epist. 17. G.

Amiculus, etsi tantillus: elevando se commendat.

4 *Cæcus iter*; Græcum est Proverbium. Τυφλὸν ὁδηγέν.

5 *Cures*; operæ pretium duxeris in usum vitæ reponere, et memoriæ tuæ mandare.

6 Prima hora nobis septima dicitur matutina. *Magnis opibus dormitur in urbe*, ut scite Juvenalis.

Si prodeſſe tuis, pauloque benignius ipſum
Te tractare voles, accedes ſiccus ad unctum.
¶ Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Ariſtippus. ¶ Si ſciret regibus uti,
Faſtidiret olus, qui me notat. ¶ Utrius horum
Verba probes et facta, doce; vel junior audi,
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia. namque
Mordacem Cynicum ſic eludebat, ut aiunt:
¶ Scurror ego ipſe mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo eſt. equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poſcis vilia rerum
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.
¶ Omnis Ariſtippum decuit color et ſtatus et res,
Tentantem majora, fere præſentibus æquum:
Contra, quem duplici panno patientia velat,

11 Benignior *Cun.*—12 Inunctum *Cun. ſolus.*—21 Vilia, verum es *vulg.* Vilia, verum *Z. et Cruq.* Vilia rerum *Lambi. ex MSS. H. Steph. in marg. Bentl. G.*

8 *Livius aquæ Ferentinæ meminit.* Glareanus. Puto dici Tuſcum Ferentinum, non Campanum: deſertum hoc erat oppidulum.

10 *Fefellit*, latuit; ut fere ruſtici, quorum et vita et mors æque in obſcuro eſt. *Eſt autem Epicureorum hæc ſententia.* Λάθε βιώσας, h. e. *Late in vita.* Vet. Schol. Cruq.

12 *Siccus*, quantumlibet ſobrius.

Ad unctum, ſupple *epulum.* Sic et Perſius 6. 16. *Canare ſine uncto*; h. e. cibo duplice jure condito, de quo vide Sat. 2. 4. 63. B. Sed *ſicco* melius opponitur *unctus*, ut perſona intelligatur, homo *lautus*, qui *ungi* extra et intus ſolet. E balneo lauti et uncti ad cœnam ibant. G. Lambinus non male ſic: Tu pauper et tenuis ad amicitiam divitis et copioſi applicabis. *Unctum*, unguento delibutum, et ita divitem. Z.

13 *Si pranderet*; ex notiſſima Hiſtoria deſumtum: eſtque Subjectio, cui Horatius reſpondet veluti Ariſtippi verbis. B. V. Diog. Laërt. 2. 68. G.

14 *Si ſciret*; quod ego ſcilicet jam monſtro.

15 *Notabant* proprie Cenſores. B. *Qui me notat*, h. e. Diogenes Cynicus. Z.

16 *Junior*, h. e. implens locum junioris, cujus eſt majorem natu patienter audire. B. Scribit ad juvenem, ſi hic Scæva eſt Lollius, ad quem eſt Epiſt. 18. Vid. ibi v. 60. ſq. G.

18 *Mordacem* ſcite de cane.

Cynicum, Antiſthenem, vel Diogenem. Vet. Sch. Nam de utroque fabula iſta narrabatur.

Gladiator eludit, dum arte effugit ictus.

19 *Scurror*; aretalogum ago, vel urbanum, et per hoc verniliter obſequor. B. *Mihi*, ut proſim mihi, habeamque unde laute vivam. Z.

Populo tu; venabantur Cynici plebeculæ gratiam obtrectando ſuis potioribus; quod oſtendit Dio Chryſoſtomus.

Rectius, rationabilius.

20 *Splendidius*, forti viro dignius.

Proverbium Græcum eſt, ἵππος μὲ φέρει, βατιλεὺς μὲ τρέφει. Vet. Schol.

21 *Officium facio*, humanitate reges demereor, et per hoc non me demitto.

22 *Dante minor*; neque enim pro ſodali haberis, uti ego, ſed pro vago ſcurrâ.

Fers te, te geris. B. Jactas te. Z.

23 *Omnis Ariſtippum*; *laudat Ariſtippum ex ſententia Platonis, qui cum inveniſſet illum naufragum diploide, id eſt, panno duplici, involutum, laudavit eum dicens*; *Omnis color et ſtatus et res decuit Ariſtippum.* Vet. Schol. Ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ καὶ προσώπῳ. Laërtius 2. 66.

Color, ſpecies; *ſtatus*, locus; *res*, fortuna.

24 *Tentantem*, affectantem.

Æquum; quieto animo ferentem. *Æquus* eſt cui ſemper mens in ſua ſede eſt.

25 *Duplici panno*; diploide, ſeu pallio cynico, quod in alterum humerum rejectum, altero nudo, eo modo duplicabatur. Vide Salmaſium de Pallio (p. 396. ſqq.). Forſan etiam in eam formam conſuebatur: *Pannum* autem contemtim dicit, ut Græci ῥάκος. B. *Quem*, &c. h. e. Diogenem Cynicum et ejus ſimiles. Z.

Mirabor vitæ via ſi converſa decebit.
Alter purpureum non exſpectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Perſonamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane pejus et angue
Vitabit chlamydem; morietur frigore, ſi non
Rettuleris pannum: refer, et ſine vivat ineptus.
Res gerere et captos oſtendere civibus hoſtes,
Attingit ſolium Jovis et cœleſtia tentat.
Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit ne non ſuccederet: eſto:
Quid? qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hîc eſt, aut nuſquam, quod quærimus: hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore majus;
Hic ſubit, et perfert. Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.

30 Angui *Bentl. ex Priſcia. et Cun. ex* XX. *editt. Recepi hanc formam rariorem.* Z.

Patientia; tolerantia, duritia.

26 Ἐν ἅδῃ poſuit *mirabor* pro *mirandum eſt.*

Converſa, temperanter dicit pro *contraria.* B. *Via*, ratio, genus vitæ. Z.

27 *Non exſpectabit*, non morabitur: nam ſuſque deque habet. Reſpicit ad ea quæ ſuperius dixi de naufragio.

29 *Non inconcinnus*; quia ſatis erat compoſitus ad utramque fortunam. *Perſonam ferre*, Tranſlatio eſt a ſcena.

30 *Mileti*; *ſane nunc veſtes Miliſiæ pretioſæ ſunt.* Vet. Schol.

Cane pejus et angue; pejus quam inſui culeo cum cane, angue et ſimia uti parricidæ. Inepti ſunt Interpretes quos vidi. B. Nihil equidem ineptiarum video, ſi quis *canem*, rabioſum, et *anguem*, viperam intelligat. Hæc fugiunt omnes; parricidarum culeum timent pauci. Certe de hoc non cogitavit Theophraſtus cum εἰρωνα ſ. cavillatorem caveri juſſit magis quam viperas, φυλάττεσθαι μᾶλλον ὅσι ἢ τὰς ἔχεις. G.

31 *Chlamydem*, purpureum palliolum.

Morietur frigore; *aiunt Ariſtippum, invitato Diogene ad balneas, dediſſe operam, ut omnes prius egrederentur, ipſiuſque pallium induiſſe, illique purpureum reliquiſſe, quod Diogenes cum induere noluiſſet, ſuum repetiit, tunc Ariſtippus increpuit Cynicum, famæ ſervientem, qui algere vallet quam conſpici in veſte purpurea.* Vet. Schol.

32 *Ineptus*; ſtomachabunde ineptum dicit.

33 *Res*, ſupple *magnas.* Vet. Schol.

34 *Tentat*, affectat. Veteres nihil magis probabant in ſummo numine quam potentiam. B. Vid. Car. 1. 1. G.

35 *Principibus placuiſſe*; *promereri principes civitatis.* Vet. Schol. ex MS. Steph.

36 *Non cuivis*; *Græcum Proverbium eſt*: Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς. Vet. Sch. Cruq. Contigit hoc ſane Ariſtippo noſtro, qui Laidem Corinthiam habuit, ſed non habebatur a Laide. B. Sed hic *Corinthum adire* eſt magnum quiddam efficere vel conſequi. G.

37 *Sedit*, domi manſit.

Eſto; ſit ut libet, de hoc nihil pronuntio.

38 *Pervenit*, ſupple *Corinthum.* B. *Quid? qui pervenit*, h. e. Quid videtur tibi de eo, qui ſuperatis difficultatibus eo pervenit, quo voluit? num recte et fortiter fecit? Jam vero in hac poſita eſt quæſtio, deceatne amicitiam potentium ſectari. Z.

Atqui hic eſt; *quaſi tergiverſantem urget ad reſpondendum.* Vet. Schol.

39 *Quod quærimus*, et per hoc, quod nobis dicendum eſt. B. Quærimus, utrum deceat virum bonum affectari reges? G. *Hic*, h. e. alter, qui ita timidus aut ignavus eſt, ut rei difficultatibus ſe deterreri ſinat. Z.

41 *Virtus nomen.* Vid. Epiſt. 1. 6. 31. G.

Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. distat, sumasne pudenter,
An rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
" Indotata mihi soror est, paupercula mater,
" Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,"
Qui dicit, clamat, " Victum date: succinit alter,
" Et mihi dividuo findetur munere quadra."
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam aut subducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum; licet illi plurima manet
Lacryma; per sanctum juratus dicat Osirim,
Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum:
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

43 Suo *vulg.*—44 Ferunt *conj. Cun.*—62 Reclamant *conj. M. Heins.*

42 *Recte*; suo merito. B. *Decus*, honores. *Pretium*, mercedem s. præmium suæ fortitudinis, qua superatis impedimentis assequitur potentium amicitiam. Z.

Experiens vir; qui scilicet audet experiri quid possit.

43 *Rege*, majori amico.

Sua de paupertate; ita ex conjectura sua Bentleius edidit [pro *suo*, &c.] neque male, etsi parum interest. Nemo est qui non videt, hanc Lectionem altera esse longe concinniorem.

45 *Atqui rerum*; h. e. Quin et hoc palmare præceptum est: et Comice protulit *rerum* pro *rei*. B. *Atqui*, &c. et sane hoc spectabant, ut a rege beneficia acciperent. Z.

47 *Firmus*, satis certus.

48 *Succinit: cantilenam mendicorum paulatim expressit, qui succinunt sibi invicem.* Vet. Schol.

49 *Quadra; Satirice panis qui uni cibus dari potest.* Vet. Schol. Notum est quid sit quadra panis. B. Postulat, non totam dari placentam illi primum petenti; sed eum cogi, ut secum dividat. Vid. Cerda ad Virg. Æn. 7. 115. G.

50 *Si posset corvus: nam corvus cum accedit ad cibum strepitu vocis alias aves ruinæ dat.* Vet. Schol.

55 *Acumina, astutias: hic locus de Truculento est, Plauti Fabula* [1. 1. 32.] *ubi adolescens dicit; Aut aurum periit, aut conscissa pallula est, aut armillula Græca; aliquid semper est quod pereat, debeatque amans scorto suo.* Vet. Schol.

Catellam, catenam parvam. Vet. Schol. Cruq.

56 *Perisceliden*, tibialia: delicatulæ fasciolis involvebant sibi crura et femora. B. Hîc potius intelligam eas, quas Petronianus Trimalchio c. 67. *compedes mulierum* vocat, ex auro, &c. G.

58 *Irrisus*; illusus, falsus.

Attollere, in rhedam, vel vehiculum; de via scilicet.

59 *Planum, mendacem erronem.* Vet. Schol. Cruq. *Planum autem scurram dixit. Hinc etiam Proverbium natum est; Qui semel scurra nunquam paterfamilias.* Vet. Schol.

60 *Osirim*; notat Ægyptios et cæteros orientis populos, ut Planos improbissimos. Est autem Ægyptiis Ὀσίρις, ὁ αὐτὸς ὃς καὶ Διόνυσος, h. e. Liber, sive Bacchus; qui et Sol. B. Salmasiana hæc sententia,

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIUM.

In eandem materiam. Vitandam esse asperitatem in affectatione divitum. B. Plane aurea præcepta hic Lollio adolescenti traduntur, quibus ille vitam recte instituere possit, ut principibus placeat eorumque amicitiam honeste tueatur ac conservet. Primum duo vitia extrema eaque contraria, inter quæ virtus sit media, vitanda esse docet Flaccus, adulationem parasiticam, quæ puerilem in modum blandiatur et assentetur, atque morositatem agrestem invisamque, quæ de lana caprina rebus prorsus futilibus vehementer rixetur nesciatque alteri cedere. Præterea a vitiis flagitiisque, ut Venere lasciva, alea, studio nimis se exornandi, habendi cupiditate et stulto paupertatis pudore, esse abstinendum: arcana amici non esse scrutanda et commissa tegenda: nec propria studia laudanda, nec aliena reprehendenda: cedendum amici voluntati, velut in venationis meditationumque campestrium studio: quid, de quo, et cui dicatur, probe esse perpendendum: percontatorem fugiendum: ab amore pueri aut puellæ in ædibus amici abstinendum: in commendando aliquo summam adhibendam diligentiam, nec indignum, si forte deceptus commendaveris, amplius tuendum: innocentem vero adversus obtrectatores defendendum: mores, quantum fieri possit, ad amici mores accommodandos: atque omnino, ne in cupiendo modum excedas animumque curis perturbes, legendos esse hominum doctorum libros. Ad extremum Horatius suum ipsius exemplum proponit, quomodo sentiat, ut sua sorte sit contentus.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope majus,
Asperitas agrestis et inconcinna, gravisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris;

quam refellit consultissimus rerum Ægyptiarum P. E. Iablonskius in Pantheo 2. 1. 7. p. 130. sq. G.

61 *Non ludo*, non fingo.

62 *Rauca; ad ravim.* Vet. Schol. Cruq. B. *Peregrinum*, h. e. qui te, tuasque fallacias non novit: nos, qui novimus, tibi fidem habemus nullam. Z.

EPIST. XVIII.

1. *Liber* dicitur qui ea quæ sentit dicit.

Crediderim hunc esse *Lollium* Scævam, ad quem præcedentem scripsit. B. Vid. ad illius princip. dicta. G.

2 *Scurrantis*; leviter assentantis, seu belli et urbani parasiti.

Mire *speciem*; neque enim potuit plane scurrari vir bonus et ingenuus.

Professus, supple *cum fueris*: *amicum* autem nunc dicit minorem, seu clientem.

4 *Discolor*, specie diversa.

Infido, ficto. B. Cui fides haberi potest nulla. Z.

6 *Inconcinna gravisque; insocialis et odiosa.* Vet. Schol. Inconcinnus incompositus dicitur et parum commodus sodalibus.

7 *Tonsa cute*, ad cutem tonsus is κεῖρ ξυρῷ. B. Vid. Epist. 1. 7. 50. G.

Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus eſt medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obſequium plus æquo pronus, et imi
Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum ſævo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas:
Alter rixatur de lana ſæpe caprina;
Propugnat nugis armatus; ſcilicet, ut non
Sit mihi prima fides; et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet.
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat, an Dolichos plus;

8 Lib. mera dici *vulg.*—9 Redactum *Z. Med.* 1477.—15 Rixatus *MS. Cruq.* Rixator *conj. Muret. probat Cun. Sed Bentleius poſuit* et *ex conj. in fine verſus.*—19 Docilis G. *et pr. editt. it. Bentl.*

Atris; ſordidis ab inſulto. Vet. Schol.

8 *Facete* vult *dixit.* Vet. Schol. Uti et *mera.*

Libertas dici mera; ita edidit Bentleius ex melioribus quos putat Codicibus, atque hoc dicit meliore eſſe Rhythmo atque auribus magis placere. Atque equidem non ibo infitias, quando tantus vir ita in ſuo ediderit Libro. Vellem enim, quod ille ait, aurem habere eruditam.

9 *Virtus eſt: virtus inter contraria vitia debet in medio ſita eſſe, ut ab utroque crimine tantundem remota ſit.* Vet. Schol. Atque hoc ex Ariſtotelis diſciplina, virtutes medio conſtare ſcribit.

Reductum, retractum.

10 *Imi deriſor lecti; Μεταφορικῶς, pro accubitoris amici: nam in ſummo et in medio amici, in imo vero ipſe dominus diſcumbit.* Vet. Schol. Cum accubitoribus ſcilicet, ſeu certis convivis ſuis, quos quotidie paſcere conſueverat. B. *Deriſor, ludus* ſ. ſcurra in imo lecto apud regem convivii ſ. patrem familias accubans. *Deriſor,* ut Art. P. 433. Sen. Ep. 27. *Satellitis Quadratus ſtultorum divitum* arriſor, *et quod ſequitur* arriſor, *et quod duobus bis adjunctum eſt,* deriſor. G.

11 *Horret; horrere ſe fingit.* Vet. Sch. Cruq.

13 *Dictata,* quæ Magiſter prælegendo puero ediſcenda tradit.

14 *Partes ſecundas; ſcilicet ut in actoribus Græcis fieri videmus ſæpe illum qui eſt ſecundarum partium, aut tertiarum, cum poſſit aliquanto clarius dicere, quam ipſe primarum, multum ſummittere, ut ille princeps quam maxime excellat.* Cic. div. in Cæcil. c. 15. referente Cruquio. *Primæ partes ſunt dictatoris, ſecundæ mimi qui refert dicta prioris.* Vet. Schol. Cruq. Hypocritarum erat principum actorum actionem mimice referre, et loculatores hi erant.

Tractare, pronuntiare: et manu et linguâ tractare eſt.

15 *De lana caprina;* de villo caprino, utrum lana ſit an ſeta. Proverbium ex antiqua aliqua fabella.

16 *Propugnat nugis;* h. e. *pugnat pro nugis.* Minellius.

Mire armatus, tanquam pro aris et focis decertaturus. Minellius.

Scilicet, ut non; Ethopœia ſeu Mimeſis agreſtis Diſputatoris. *Scilicet;* quippe hoc vult, et ſecum cogitat.

17 *Placet vere,* ut Gaius lib. 2. § 2. ff. ad L. Aquil. *An ſues pecudum appellatione contineantur, quæritur, et recte Labeoni placet, contineri.* G.

18 *Elatrem;* mire de rabioſulo.

Pretium; deſignat nam tanti facere immortalitatem, ut quod ſenſerit non defendat. Vet. Schol. *Ætas altera;* renovata qualis Hippolyti. *Altera inſtauratio vitæ ut Virbio conſtitit.* Vet. Schol. B. Pone huc rixatori aſſignatos fato annos ſexaginta: quod ſi deus aliquis illi promittat alteros ſexaginta ea lege, ut concedat, non pugnet; hoc tantum pretium modeſtiæ et *ἀπραγμοσύνης* jejunum et ſordidum illi videtur præ libidine animum explendi, &c. G. *Sordet,* prorſus a me ſpernitur, inquit iſte rixator agreſtis. Z.

19 Comice *quid enim* pro *quid putas?* B. Suſpendit lectores exſpectatione: *Quidnam eſt, de quo ambigitur?* Deinde infert quæſtiones futiles. *Parturiunt montes,* &c. G.

Caſtor et Dolichos erant illius temporis nobiles gladiatores. Vet. Schol. Scholiaſtæ conſentiunt tres Cruquii Codices; alii tres pro *Docilis* vitioſe legerunt *Dolicis.* Bentleius tenuit *Docilis*

Brundiſium Minuci melius via ducat, an Appi.
Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem ſupra vires et veſtit et unguit,
Quem tenet argenti ſitis importuna fameſque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Sæpe decem vitiis inſtructior, odit et horret:
Aut, ſi non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam ſe ſapere et virtutibus eſſe priorem
Vult: et ait prope vera; Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res eſt:
Arcta decet ſanum comitem toga; deſine mecum
Certare. Eutrapelus cuicunque nocere volebat,
Veſtimenta dabat pretioſa: beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia et ſpes;
Dormiet in lucem; ſcorto poſtponet honeſtum
Officium; nummos alienos paſcet; ad imum

28 Mihi contendere *Lamb. ex codd.*

invito Scholiaſte, atque indicta cauſa. Puto illum parum attendiſſe.

20 *Minucia Via eſt a Porta Minucia, ſive Trigemina; per Sabinos ad Brundiſium. Minucia autem Porta dicta eſt a Minucio Augurino Praefecto Annonae, qui quod farris pretium ad aſſem redegerit, Statuam aeream extra Trigeminam portam habuit.* Plinius, citante Cruquio. Alii corrupte legunt *Numici*. Mirari ſatis nequeo *Minuci* placuiſſe Bentleio pro *Minuti*. B. Si *Minuti* ſcribas, derivatum videtur a *minutus* penultima longa: quam tamen brevem habet. Cic. Att. 9. 6. pr. eſt eadem varietas, ſed prævalet *Minucius*, quod probat etiam ad Bergerium Henninius. *Minucii* apud Livium et in lapidibus plurimi. Itaque hic etiam *c* poſuimus pro *t*. G.

21 *Damnoſa*, pretioſa.

Nudat, omnibus bonis exuit.

22 *Supra vires; ultra vires habitus nitor.* Juvenalis.

23 *Importuna*, Metonymice quod importunum facit et odioſum domino.

24 *Pudor et fuga*, dum certare ſtudet lautitia cum domino.

25 *Decem vitiis auctior ad peccandum quam amicus minor.* Vet. Schol.

Odit, hauſcat, faſtidit.

26 *Regit*, catechizat. B. Monet, ut à vitiis iſtis abſtineat. Z.

Veluti pia mater; feſtiva Ironia. B. Votum piorum parentum, ut liberi ſui ſe meliores fiant. G.

28 *Prope vera*; imo veriſſima. Comica Meioſis. B. *Ait*, ſcil. *Dives iſte*. Z.

Meæ; per Mimeſin loquentem divitem facit. Vet. Schol.

29 *Patiuntur*; excuſant. *Optimo compenſo ſtultitiam meam. Simile illud eſt Salluſtii* (Hiſt. 1. Or. Lepidi 24.); *Quia ſecunda res vitia obtentui.* Vet. Schol. B. Meæ opes tantæ ſunt, ut ſtultitia illa veſtiendi illas non attenuet; quam ob cauſam vix ſtultitia vocati meretur. Quod in divite ſtultitia eſt et vanitas, illud in paupere furor eſt ac dementia. G.

30 *Arcta decet*; Toga quæ bis ter ulnarum non ſit, ut in Epodis dixit. *Pro opibus enim veteres magnas vel parvas habebant togas.* Cicero: *Velis amictos non togis.* Vet. Schol.

Sanum; *mentis compotem.* Vet. Schol. Cruq.

Comitem; affectatorem, clientem.

31 *Volumnii Eutrapeli non uno in loco meminit Cicero.* Torrentius. Eutrapeli nomen illi adhæſit ob urbanum ingenium.

Cuicunque nocere volebat; Ποικίλος ὁ ἄνθρωπος καὶ οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τρόπου μεγάλα ἀδικεῖν ἐθέλουσιν, ἀλλ' ἵνα τις ὑπόψεται, κἀδικεῖν ἐπιχειρεῖ. Ariſtoteles in Rhetoricis, citante elegantiſſimo Viro Jacobo Cruquio.

32 *Beatus enim jam*; ridicule tumefcit; et

Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu ſcrutaberis illius unquam;
Commiſſumque teges, et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes;
Nec, cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, diſſiluit, donec ſuſpecta ſevero
Conticuit lyra. fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotieſque educet in agros
Ætolis onerata plagis jumenta caneſque,
Surge, et inhumanæ ſenium depone Camœnæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus emta;
Romanis ſolenne viris opus, utile famæ,
Vitæque et membris; præſertim cum valeas, et
Vel curſu ſuperare canem vel viribus aprum,
Poſſis: adde, virilia quod ſpecioſius arma
Non eſt qui tractet: ſcis quo clamore coronæ
Prœlia ſuſtineas campeſtria: denique ſævam
Militiam puer et Cantabrica bella tuliſti
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refigit
Nunc, et ſi quid abeſt, Italis adjudicat armis.

36 Thrax *edd. vett.*—37 Scitaberis *Cun.* Illius *Bentl. ex MSS. etiam G.*—46 Æolis *MS. Bof. et Vlitius ap. Bentl.*—54 Suſtentes *Cun.*—56 Refigit *etiam Bentl. ex MSS. it. Z.* Refixit *vulg. et Talb. Cun.*—57 Et nunc ſi quid *edd. vett.* Arvis *conj. Bentl.*

ſupple *factus*. B. Verba ſunt Eutrapeli rationem ſibi reddentis conſilii ſui. G.

33 *Nova conſilia fiet delicatus*. Vet. Schol. Non enim vivet ut hactenus, ſed convertet vitæ propoſitum.

34 *Honeſtum Officium* dicit pauperis amici inopiam ſublevare.

35 *Poſcet, ad fœnus accipiet* et *augebit*. Landinus.

Ad imum; ad extremum. Vet. Schol. Cruq.

36 *Threx erit; auctorabitur ſe in ludum, ut gladiator ſit*. Vet. Schol. Thraces parmula Thracica et gladiolo depugnabant.

Aut olitoris aget; Satirice invenit ſordidiſſima poſt beatum inceſſum cultumque lætantem. Vet. Sch.

37 Recte Bentleius *illius* pro *ullius*. In cauſa fuit erroris quod Vocales *i*, *y*, et *u* non fuerint olim adeo diverſi ſoni, ut alias diximus. B. Conf. v. 40. G.

38 *Commiſſum*; nempe arcanum.

Vinum et ira tormenta ſunt, quibus multi inviti ſecreta fuderunt. Vet. Schol. B. Vid. Art. P. 435. G.

39 *Studia*, exercitationes corporis, vel ingenii.

40 *Panges*, condes.

41 *Gratia*, intima amicitia. Ex Antiopa Euripidis, quod oſtendit Daniel Heinſius ex Olympiodoro, Platonis Gorgiæ Enarratore.

42 *Suſpecta* per Charientiſmum poſuit pro *odioſa*.

Severo, agreſti et paſtori, et per hoc, triſti et imperito.

45 *Lenibus imperiis; quia cum poteſt imperare blanditur*. Vet. Schol. Et quia nihil imperat quod jure poſſit tibi diſplicere: Dilogia eſt.

46 *Ætolis plagis*; uti alter Meleager aprum venaturus.

Jumenta; burdones, vel mulos.

Ac, ne te retrahas et inexcusabilis absis,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno;
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem est;

58 Abstes *conj. Bentl. et Baxt. 2.*

47 *Inhumanæ*, insocialis.

Senium; pallorem, mœstitiam. *An pallor seniumque!* Persius I. 40. B. Senes tardi, pigri, morosi. Sic *insenuit*. Epist. 2. 2. 82. G.

48 *Pulmenta*, opsonia quasi pulpamenta.

49 *Opus*; Studium, Exercitatio. B. Studium venandi. Z.

50 *Vitæ*, supple *longæ*, et per hoc *valetudini*.

53 *Coronæ*; circumstantis turbæ.

54 *Prælia Campestria; armorum ludicra*. Landinus. In Campo Martio scilicet.

56 *Sub duce*; sub Augusto.

Pro *refixit*, *Et nunc*, omnes fere scripti Codices legerunt *refigit Nunc*, et sic Vetus Schollastes. B. Pulchre etiam ratio temporum Bentleiana convenit. G.

57 *Abest*, deest; sic et Juvenalis; *Nullum crimen abest*. *Est* et *abest* contraria sunt.

Mire *adjudicat*; tanquam sedendo vincat: nam per Tiberium recepit Crassi signa. B. Ut *adjudicare se vita* est adimere sibi vitam: ita *adjudicare armis Italis* est subjicere, vel metu certe armorum ad comiter reverendam majestatem imperii adigere. G.

58 *Ne te retrahas*; h. e. ne videare inexcusabiliter te officiis subtrahere virilibus.

Melius *abstes*, [quam *absis*] quod ostendit Bentleius sub auctoritate quorundam Librorum. B. Quin mera conjectura est, nec illa necessaria. Hoc dicit, ne te subtrahas studiis venandi Tiberii, et ita absis, ut plane excusationi locus non sit, illud te admoneo: soles ludos tuos et tu habere; hos si probari vis Tiberio, vicissim illius studio faveas facito. Alias excusationes jam præciderat, nunc subjicit, quod videtur potentissimum. G.

59 *Quamvis nil, προδιόρθωσις subsequentis Ludi in Villa paterna*. Vet. Schol. Cruq.

Extra numerum modumque; quod Græci Proverbiali Schemate dicunt παρὰ μέλος. Numerus in voce est, modus in Lyra: *Numeros memini si verba tenerem*. Virgilius Ecl. 9. 43. B. Quin *numerus* et *modus* tum voci tum lyræ conveniunt. *Numerus* est longorum brevium que temporum permistio; *modus* melos etiam et sublationem atque depressionem sonorum indicat. G. *Extra numerum modumque*, h. e. inepte. Z.

60 *Curas*, amas, gratum tibi est, vel cordi.

Ad Emphasin posuit *nugaris*, quasi ludos pro nugis ille haberet. Ostendit illum non esse natura alienum ludis.

61 *Lintres, monoxylos*.

Actia pugna; *Imaginem pugnæ Actiacæ tu Cæsari* (melius Cæsaris) *facis*. Vet. Schol.

62 *Per pueros*, per vernas tuos.

Refertur, exprimitur. Vet. Schol. Cruq.

63 *Donec alterutrum*; *Tamdiu simulatis nominibus servantur, donec alterutri vincat*. Vet. Schol.

64 Dilogus *velox* posuit, et quia Victoria pennata est, et quia Actiaca victoria fuit omnium celerrima.

Fronde, laurea.

65 *Qui crediderit*, Augustum dicit.

66 *Fautor*, plausor.

Utroque pollice compresso significare volebant decertandum esse cum qui bene luserat; contra conversis pollicibus ignave devictum necari jubebant. Eo enim modo necantur pulices; *Et verso pollice vulgi, Quemlibet occidunt populariter*. Juvenalis 3. 36. Frustra se hactenus torserunt eruditissimi. Quid apertius?

67 *Protinus*; ferente impetu, absque ulla præfatione. B. Porro continuatis præceptionibus. G. Ut prioribus monitis alia addam, videto, &c. Z.

Si quid; προδιόρθωσις est.

Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures;
Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici:
Ne dominus pueri pulchri caræve puellæ
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam aſpice; ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem ſua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, ſi tentent crimina, ſerves,
Tuteriſque tuo fidentem præſidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet;
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi,

70 Commiſſa *Sax.*—77 Ruborem *Sax. Cun.*—80 At *Bentl. Cun.*—81 Fidenter *Bentl. Cun.*

68 *Quid, de quoque; Tria dixit, quid dicas, de quo dicas, et cui dicas.* Vet. Schol.

69 *Pertentatorem; Eadem enim libidine prodit qua et audit.* Vet. Schol.

71 *Et ſemel emiſſum; terribiliter pronuntiandum eſt.* Vet. Schol.

72 *Jecur*, affectuum ſedes propter bilem.

Ulceret, incendat, amore urat.

73 *Marmoreum limen*, Synecdochice pro *marmoream Villam*, vel *Prætorium*.

75 *Munere te parvo*; mancipio ſcilicet. *Alludit ad Virgilium, cui Alexandrum puerum Pollio dominus dono dedit.* Vet. Schol. B. Munere parvo dato magnas gratias a te eliciat: qua re alterius forte majoris obtinendi ſpes tibi pereat. G.

Incommodus, male falſus in negando.

Angat; crueiet, dum hoc agit ut doleas, et minum tibi parat de tua fruſtrata libidine.

76 *Aſpice*; vide, conſidera.

77 *Incutiant*; inſpergant, injiciant.

78 *Fallimur*; nonnunquam.

79 *Premet*; urgebit, onerabit.

80 Bentleius conjecit *At* reponendum eſſe pro *Ut*, contra quod ego ſentio. B. *Ut* poſſis tanto majori cum fiducia tueri innocentem, omitte tueri eum qui peccavit, eaque re integrum et dignum fide Patrono te proba. G.

Tentent; invadant, impetant.

Crimina, criminationes, mendacia; ſupplendum enim *falſa*.

81 *Fidentem* pulchrum, quin dulce eſt et ἡδὺ maxime. Talem, tam dignum tua ope ut poſſis tueri, para tibi fidem. G.

Præſidio, patrocinio.

82 *Luthienus Theon libertinus, dicacitatis amaritudine præter cæteros, ita Patronum ſuum exaſperavit, ut domo ejus ſummoveretur, et quaternario legato* (an *quadrantario?*) *juberetur reſtem ſibi palumque emere.* Vet. Schol. Cruq.

Circumroditur; undique a pluribus obtrectatoribus.

85 *Sumere*, colligere.

86 *Dulcis inexpertis*; detorſit antiquum adagium, *Dulce bellum inexpertis*. B. Τλυκὺς πόλεμος ἀπείροις. Pindarus.

Cultura; affectatio. B. Seu, cultus. Z.

87 *Dum tua navis in alto eſt*; *cum proſperum*

Sedatum celeres, agilem gnavumque remiſſi;
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula; quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores:
Deme ſupercilio nubem: plerumque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum;
Ne te ſemper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet;
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An ſecretum iter et fallentis ſemita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus;

91 De luce *conj. Bentl. et Cun.*—93 Tepores *G. S. Med.* 1477.—96 Percunctabere *Lamb. et Baxt.*

curſum amicitiæ tenes, et eſt Tropus Ἀλληγορία. Vet. Schol.

88 *Hæc age*; huic rei totus incumbe.

Aura, tenuis ac levis culpa. Vet. Schol. Hoc oſtendunt ſequentia.

90 *Sedatum; lentum, tardum.* Vet. Sch. Cruq.

Remiſſi; enerves, pigri: Metaphora ab arcu retento.

91 Bentleio non placent *Potores bibuli*, putatque idem valere quod *potores potantes*, cum *bibuli* ſint *nimii* vel *aſſidui* in potando. Ipſe mallet de ſuo penu reponere *liquidi*; quod ſi fieret, nihil illud eſſet niſi perpetuum Epitheton. B.

Potores acres *oderunt* te recuſantem bibere *pocula Falerni* poſt mediam noctem tibi *porrecta*, *quamvis jures*, te recuſare ob metum æſtus nocturni a vino intempeſtive ſumto orituri. Plana ſententia et recta emendando corrumpitur. G.

93 Plurimi MSS. pro *vapores* legerunt *tepores*, verum interpretamentum eſt: *Vapor* Lucretio calor eſt, ut alias diximus. Bentleius utcunque vult retinere *tepores*, etſi ſit minus Poeticum et minus Lucilianum.

94 *Modeſtus*; gravis, vel, ut vulgo dicimus THE FORMAL: qui ſcilicet modos ſuos et numeros per omnia ſervat. B. Conf. Ser. 1. 3. 60. G.

95 *Obſcuri*, tecti, inſidioſi.

Acerbi, Cenſoris amari.

96 *Optimi quique ſcriptorum veterum, cum doctos nominant, fere Stoicos intelligunt.* Cicero, citante Cruquio.

97 *Leniter*, ſuaviter.

98 *Semper inops*; uno ſpiritu proferenda ſunt.

Agitet, inquietet, huc et illuc diſtrahat: *Vexet*, in diverſa vehat.

99 *Mediocriter utilia* externa ſunt, quæ Stoici dicunt *Media*, h. e. per ſe neque bona, neque mala.

100 *Doctrina*; ars, diſciplina. B. Theorema antiquum Socratis, εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή; an virtus doceri poſſit? Tractat dedita opera Æſchines dial. 1. G.

101 *Quid te tibi reddat amicum; nihil ſtulte facere, ac per hoc teipſum non lædere.* Vet. Schol. B. Plato Polit. 10. extr. διχαιοσύνην μετὰ φρονήσεως πανταχῇ τρόπῳ ἰσχυροτάτην εἶναι, ἵνα καὶ ἡμῖν ἀνιοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς ἀ. τ. λ. G.

102 *Pure tranquillet*, h. e. animum ſerenet, ut ne ſit vel macula nubis.

Honos, magiſtratus.

Lucellum, mercaturam elevat.

103 *Fallentis*; ſenſim relabitur in Epicureiſmum, quorum Dogma eſt, *Late in vita*: λάθε βιώσας. B. *Secretum iter*, vitæ genus otioſum, remotum a ſtudio honorum, divitiarum. Z.

104 In Sabinis hæc ponenda cum fonte *Banduſiæ*, *Lucretili* et *Uſtica* montibus, oſtendit ipſe Car. 2. 18. 14. *Contentus* unicis *Sabinis*. G.

Quid ſentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi quod nunc eſt; etiam minus: et mihi vivam
Quod ſupereſt ævi, ſi quid ſupereſſe volunt Dî:
Sit bona librorum et proviſæ frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ. 110
Sed ſatis eſt orare Jovem quæ donat et aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo.

111 Ponit *Bentl. ex MSS.*—112 Opes, animum mihi ego ipſe *MSS. apud Bentl.*

Reſcit, refrigerat.

105 *Rugoſus; rugoſa faciens hominum corpora.* Vet. Schol.

107 Pro *ut mihi vivam*, optimi et plurimi Codices legerunt, *et mihi vivam*; quod cum Lambino, Cruquio, Torrentio mihi quoque arridebat. Quaſi dicat, nec ulterius ſim in clientela potentum.

109 *Proviſæ frugis in annum*; quantum una meſſis villæ meæ præſtare poſſit.

110 Omnia fere ſcripta habent *neu* pro *ne*; et ſic legerat Cruquianus Interpres.

Fluitem, h. e. inter ſpem vitæ et metum mortis natem.

Horæ, extenuando poſuit pro *vitæ*; Mortis contemtum optat, vel potius, *ut ſpatium vitæ extremum inter munera ponat Naturæ*; quod ait Juvenalis 10. 358. B. *Neu fluitem*, &c. Et ne incertus ſim de futuro, quod quidem ad uſum vitæ ſit neceſſarium. Z.

111 Male nonnulli repoſuerunt *Hæc* pro *Sed*, cum ſit Correctio priorum votorum; ut docte Minellius.

Tres Torrentii Codices pro *qui* legerunt *quæ*, quod multo melius videtur. Res mira mihi videtur potuiſſe placere Bentleio *quæ donat et aufert* pro *quæ donat et aufert*: Verum illum obſcura fere ſemper nescio quomodo magis delectant, et veluti de angulis petita. Conqueritur ille hæc Librariorum nationi minus placitura. B. Nihil tale video: ſed monet, quod ego etiam verum puto, ſi qua lectio ſit obſcurior, abſtrusior, bona tamen ſententia, eam videri præferendam planiori et uſitatiori; cum non ſit probabile, librarios, parum doctos homines, recondita illa excogitaſſe. G.

112 *Ut æquum animum geram, in mea magis eſt poteſtate quam Jovis.* Vet. Schol. Nam *nullum numen abeſt ſi ſit prudentia* [Juvenal. 10. extr.]. Stoici docent, fruſtra rogari deos quæ jam noſtræ fecere poteſtatis, beate ſcilicet et tranquille vivere. B. Vid. Seneca Epiſt. 41. pr. G.

EPISTOLA XIX.

AD MÆCENATEM.

Poetæ judicium de ſuis et poetaſtrorum ſuæ ætatis ſcriptis. B. Primum reprehendit ſervum imitatorum pecus, qui, virtutibus optimorum poetarum neglectis, temere et ſtolide vitia imitentur. Se quidem Archilochi Iambos, et Alcæi numeros imitatum eſſe et primum latine vulgaſſe: ſed non item res et verba. Cur vero carmina ſua vulgo legant domi, foris autem reprehendant, cauſam eſſe hanc, quod non multitudinis cum poëtaſtris ſuffragia venetur, nec aliorum carmina audiat, nec ſua recitet publice.

Prisco ſi credis, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus: ut male ſanos
Adſcripſit Liber Satiris Fauniſque poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus:
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. "Forum putealque Libonis
"Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris."
Hoc ſimul edixit, non ceſſavere poëtæ

4 Aſcripſit *etiam edd. pr.* Aſcribit *Aſc.* 1544. *Fabr.* 1555, *&c.*—10 Edixit *vulg.* Edixti *(o Mæcenas) Da. Heinſ. conj.* Edixi *MSS. Lambi. et Torr. et plures Bentl. it. Boſ. quam lectionem probant etiam Da. Heinſ. Talb. Cun.*

1 *Priſco; antiquæ Comœdiæ ſcriptori.* Cruquius. Poteſt ineſſe Dilogia. B. Ridicule dejeratur apud Ariſtoph. Equ. 399. ἰὰ σὶ μὰ μισῶ, γενόμην ἐν Κρατίνου κωθίων. Obſervat ibi Vet. Schol. hoc dici in ebrietatem Cratini per quam immeieret pellibus, in quibus accumberet. Pulchre hoc vidit Marcilius, et inde emendari poſſe oſtendit Acronem ad h. l. G. Illuſtrat locum epigramma Anthолog. quod laudat Bentleius:

Οἶνος τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
Τὸν δὲ πίνων χρηστὸν ὕδωρ ἐν πίνοις·
Ταῦτ' ἴλιγγι, Διόνυσε, καὶ ἵππευε, μὴ ἐνὸς ἀσκῷ
Κρατῖνος, ἀλλὰ πάντας ὀδοὺς πίθυ.
Τοιμάρτυρι τεράπνων δόμος ἔξω, οὐχὶ δὲ κίσσῃ
Μίσωνα, σὺ καὶ σὺ, κικροκωμίνεν.

3 *Ut; poſtquam.* Vet. Schol. B. *Ut* per *tanquam* potius interpretatur Bentleius. Sed hoc videtur magis poeticum. G.

Male ſanos; Democritus excluſit ſuo judicio ſanos Poetas a numero Muſarum, dicens inſanos in numerum Faunorum et Satirorum deorum tranſire, quaſi veriores. Vet. Sch. Quin et omnes dii Manes; excepto uno Tireſia, extra ſe poſiti ſunt. B. De Tireſia ex Odyſſ. κ, 493. ſqq. De Democrito poetas ſanos Helicone excludente noſter A. P. 297. *Fauni, Fatui, Satiri*, ſtulti, veridici iidem: inſaniunt affines poetarum, vates, &c. De Bacchi tutela noſter Epiſt. 2. 2. 77. et totum Argumentum Ranarum Ariſtophanis. G.

4 Octo Lambini MSS. cum Vetere Scholiaſte et Servio legerunt *Aſcripſit*, non *Aſcribit*. Notum eſt Satiros atque Faunos eſſe in clientela Liberi Patris et infernalis Numinis, et primi Muſicæ repertoris et Choreæ. B. Poſt verſum 4. ponit Marcilius eos, qui nunc ſunt 10. et 11. Sine auctore, et ut puto, ſine cauſa idonea. G.

5 *Vina fere*, faceta et ſuavis Ironia.

Mane; quod infame erat. Notum eſt illud; Οὔκ ἐς ἠῶ Διὸς ἁμβροσίας αὐ ὕδωρ πίνει. B.

6 V. G. Iliad. Z, 261. Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μέγα οἶνος αἴξει. G. *Laudibus vini*, h. e. quia vinum laudat. Z.

Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? ſi quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem,
Virtutemne repræſentet moreſque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum ſtudet urbanus, tenditque diſertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile: quod ſi
Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum.
O imitatores, ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus!

13 Teſquore *Mur. Dac. quod nuſquam inventum.*—15 Hyarbitam *edd. vett. Pro* lingua, citna *Sanad. ex MSS.*—19 *et* 20 Bilem Ut mihi ſæpe *MSS. ab Talb. Bentl. Cun.*

7 *Pater*; Latini ſcilicet carminis.

Ad arma dicenda; ad Libros Annalium. Vet. Schol.

8 Mire *proſiluit*, tanquam ipſe pugnaturus.

Forum putealque Libonis; ſupple *Dixit Ennius.* Vet. Schol. Cruq. Quod mirum eſt non advertiſſe Interpretes. *Puteal Libonis; ſedes prætoris fuit, prope Arcum Fabianum.* Vet. Schol. *Sacellum erat ſuperne apertum*; quod oſtendit Cruquius ex Feſto. Hoc eſt ara conditi Fulminis. Vide Gutherium de Jure Manium. B. *Puteal Libonis* recentius longe Ennio. De eo Serm. 2. 6. 35. Ergo Ennii non poteſt eſſe illud edictum. Scilicet *Edixi* legendum, ut Horatius de ſe loquatur non minus quam v. 18. Conf. Epiſt. 1. 5. 19. Decepit Baxterum corrupta lectio Vet. Schol. G.

9 *Mandabo* et *adimam*, Comica Temporum Enallage; nam *ἐν ἅπαξ* dicuntur. Quin et *ficcis et ſeveris* Comice protulit, pro *ſobriis* et *triſtibus.*

10 Mire *edixit*, cum de prætore ante cogitaſſet; nam prætoris erant edicta. *Edixit; viſus eſt omnibus dixiſſe.* Vet. Schol. Mirum eſt eruditiſſimum Bentleium non vidiſſe hæc eſſe Ennii verba, præſertim cum antiqua Scholia illud modo monuiſſent. Fruſtra igitur ille repoſuit *edixi* pro *edixit*, ac ſi ſui ipſius verba narraret Horatius. B. Non recte ad Vet. Schol. provocat vir doctus. Porphyrio edit. 1486, tum Pinc. it. Aſc. 1519 et Fabric. 1555 ita habet, *Statim ut hoc viſum eſt omnibus dixiſſe*, quæ multo ſane commodius ad ipſum Horatium referuntur. Ceterum ſimilis huic ſententia eſt Art. P. 297. Omnium ſæculorum querela eſt, quod imitantur homines externas quaſdam notas, ſæpe vitioſas, rem ipſam non attingunt. G. Revocavi antiquam lectionem *edixit*, ut intelligatur Ennius, quemadmodum ſeries orationis oſtendit. Nam ſalva modeſtia Horatius non ſic de ſe loqui poteſt. At puteal Libonis eſt recentius Ennio. Recte: ſed poeta uſus eſt prolepſi hiſtorica. Z.

11 *Nocturno certare mero*; Mira Enargia aſſiduitatem ſignificat potandi; ſic in Arte Poetica; *Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

12 *Vultu torvo ferus*; *Cato Senator Romanus*; ut *ſeverior apparerit, intonſa barba capilliſque, prodibat in publicum, duroque calceamento et ſæpe nullo, togaque exigua.* Vet. Sch. Cruq. De Catone loquitur Uticenſi. B. Conf. Plutarch. Cat. Min. cap. 1. 6. 44. et 50. Z.

13 *Textore*; nequibat dicere *textura.* Apage *teſquore.* B. Conf. omnino Epiſt. 1. 1. 94. G.

14 *Virtutem*; fortitudinem, vel maſculum animum.

Repræſentare eſt ob oculos ponere. B. Rem quæ abeſt præſentem conſtituere. Lamb. Z.

15 Facete poſuit *Iarbitam* pro *Maurum*: nam et Iarbas æmulus erat Æneæ. *Hic Iarbita Maurus fuit Cordus, qui dum Timagenem imitabatur poſt convivium et inter pocula declamantem, propter inſolentiam faciendi quod conabatur, pene diſruptus eſt.* Vet. Schol. *Cordi* nomen in Cruquiani Interpretis Auctario invenimus. Timagenes Alexandrinus, celeberrimus ejus temporis Rhetor, a Gabinio Pompeianis temporibus Romam adductus eſt. B. *Timag. æmula lingua*, quæ in declamando imitabatur naturam rerum ſenſumque verborum. Z.

16 *Urbanus*; elegans, ornatus.

Tendit, nititur.

Diſertus; eloquens, proprius, copia, diſpoſitu et pronuntiatione eximius. B. Quaſi eloquentia cerneretur tantum in pronuntiatione. Z.

17 *Vitiis imitabile*; *quod adjuncta habet vitia imitatu facilia.* Henricus Stephanus. B. Exemplar, quod imitari tantum poſſunt ſtulti, quatenus vitioſum eſt. G.

18 *Pallerem*; ſcita Enallage pro *Palleret quis.*

Exſangue cuminum; ſic et Perſius (5. 55.) *Pallentis grana cumini.* B. Plin. 20. 14. *Ferunt*

Libera per vacuum posui vestigia princeps;
Non aliena meo pressi pede, qui sibi fidit
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio; numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem:
Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho;
Temperat Alcæus; sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quærit quem versibus oblinat atris;
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen: juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.

22 Fidet—reget *Lamb. ex octo codd.*—32 Latinus *Talb. ex optt. MSS.* Latinis *vulg.*—34 Ingeniis *fere legebatur ante Lambi.*

Porcii Latronis—adsectatores cumini potione similitudinem coloris studiis contracti imitatos. G.

19 *O!* indignantis est.

Servum pecus; et servi et pecudes ad alienum præscriptum vivunt; asinos intelligit.

Ut sæpe pro *quam sæpe*.

20 *Movere*; excitavere.

Tumultus; horribiles inter pocula clamores, et affectati cantus: imo magis ruditus; nam Arcadicum pecus ante dixerat.

21 *Vacuum* dicitur Jurisconsultis a nemine hactenus occupatum. Vult significare se primum sermone Romano Lyrica scripsisse, et per hoc, neminem imitatum fuisse; quam rem designat voce *Libera*, quæ modo Dilogos ponitur: nam *liberum* est et quod alieno arbitrio non servit, et quod non est privati juris.

22 *Pressi pede*; et per hoc occupavi.

23 *Regit examen*; *imitatus Regem apum*. Vet. Schol. Et mire *examen*; significat enim immanem esse numerum scribillantium. Est autem *examen*, quasi *exagmen*; uti superius diximus.

Parios; Notum est Archilochum fuisse domo Parium.

24 *Ostendi Latio*; in Epodis hoc fecit.

Animos, iram.

25 *Non res*, non ejus Argumentum, et materiam; neque enim Lycambæ et Neobulæ maledixi.

Agentia: agitantia, ad insaniam adigentia.

26 Ad mentem Bentleii et Horatii hæc ita videntur interpretanda. Ne putes, me minus meritum laudis, quod genere etiam carminis servato Archilochum imitatus sum: scito, simile quid feciisse et Sappho, quæ suam musam, suum genus carminis, temperat pede Archilochi, i. Sapphicis suis carminibus admiscet quædam Archilochia: scito, idem egisse etiam Alcæum. Itaque non Archilochi musam Sappho et Alcæus, sed suam temperarum pede i. Carmine Archilochi. *Carmen* Lyricum et *Iambos* distinguit etiam Epist. 2. 2. 59. G.

Brevioribus, h. e. ævi brevioris, citius marcentibus.

27 *Modos*, Pedes, et formam Carminis.

28 *Temperat Archilochi*; Sappho atque Alcæus ante me Archilochi Metra, immistis aliis pedibus, leniora reddiderant. B. Pede, ut Car. 4. 6. 35. *Lesbium pedem* dixit, genus Sapphicum. G.

Mascula Dilogos, ob Poeticum ingenium, et amorem puellarum.

29 *Rebus*, materia; *ordine*, dispositu Rhythmicæ artis. Bentleius hoc in loco multa turbando, nihil videtur extricare. B. Quin hoc ipsum monet Bentleius, *ordinem* esse dispositionem versuum ad diversa genera carminis efficienda. G.

30 *Socerum*, Lycamben, h. e. Metra tantum imitatur, quod et ego facio.

31 *Sponsæ*, Neobulæ.

32 *Hunc ego*; Alcæum malo cum Glareano et Badio, [Bentleioque] quam Archilochum cum reliquis: nam Odas suas commendat. B. Nam ante versu 23. dixerat, se imitatum esse Archilochum: nunc ait, se quoque Alcæi numeros primum latine vulgasse. Z.

Scire velis, mea cur ingratus opuſcula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, et tritæ munere veſtis:
Non ego nobilium ſcriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illæ lacrimæ. Spiſſis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi; Rides, ait, et Jovis auribus iſta
Servas: fidis enim manare poëtica mella
Te ſolum, tibi pulcher. Ad hæc ego naribus uti
Formido; et, luctantis acuto ne ſecer ungui,
Diſplicet iſte locus, clamo, et diludia poſco.
Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram;
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

---

39 Adiutor *Sax.*—47 Deludia *Sanad. auctoribus, ut ait, Voſſio et Salmaſio.*

---

33 Extenuando ſe *fidicinem* appellat pro Lyrico. B. Ut Car. 4. 3. 23. Sed de ipſo Apolline Car. 4. 6. 25. G.

Immemorata; a nullo ex Latinis ante me dicta. Vet. Schol.

34 *Ingenuis*, et per hoc, pudicis. Inprimis verecundus eſt Horatius in Odis, et Chriſtianorum Poetis ruborem incutit. B. Nolim hæc præſtare de Epodis certe. G.

35 *Scire velis*; ſupple *forſan*.

Ingratus; velit, nolit, invitus.

36 *Domi*, dum domi ſuæ.

Premat, deprimat, elevet, depretiet.

Iniquus et *improbus* iræ noſtræ temperando, pro *ſceleſtus* dicimus.

37 *Ventoſæ*; mobilis, ut ventus.

38 *Impenſis cœnarum*; nobiles quoſdam obiter pulſat. Clientes a paſtoribus ſuis et cibum et veſtes accipiebant. Hinc reges apud Homerum ποιμένες λαῶν appellantur. B. Perſ. 1. 53. *Calidum ſcis ponere ſumen, Scis comitem horridulum trita donare lacerna. Tritas* donaſſe puto veſtes, quas ipſi geſtaſſent, obtentu honoris, ſuadente avaritia. G.

39 *Nobilium auditor*; non ſoleo adeſſe recitationibus Nobilium, atque illis plaudere.

Ultor; *Vindex*: ita enim legendum apud Cruquianum Interpretem pro *Judex*. Verum *ultorem* ſe dicere videtur, quod et ipſe invicem in publico recitaturus eſſet ſua Poemata. *Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam?* Juven. 1. 1. B. Conf. Serm. 1. 4. 23. 73. Z.

40 *Grammaticas tribus ipſam diſcipulorum multitudinem dicit, pulpita vero ipſos magiſtros.* Vet. Schol. B. Penes Grammaticos fuit, auctoritatem conciliare poetis, ſi illos in ludis prælegerent. Hinc Homeri, Ennii, Virgilii nobilitas. Vid, mox 1. 20. 17. et Quinctil. 1. 8. 5. ſqq. G.

Signate *ambire*; nam qui quærebant honores triginta ſex tribus ambiebant, ut ſuffragia conquirerent. Notos quoſdam Poetas tangit.

41 *Hinc illæ lacrimæ*; *Locus Terentianus* [And. 1. 1. 99.] *tractus in proverbium*. Landinus. Utitur et Cicero. *Illæ* autem Comica admiratione pro *tam magnæ*, profertur. Quam bella eſt iſta Ironia!

Theatra nunc dicit auditorum greges, recitationum loca, Dilogus, et Satirica Hyperbole.

42 *Addere pondus*; pronuntiatione ſcilicet gravi, et affectata.

43 *Rides*; non ſerio loqueris, nos habes deriſui.

Ait, ſic et Græci φησὶ dicunt, de incerta atque indefinita Perſona.

Jovis auribus; proverbium Græcum eſt, Θεῶν ὠσὶ, quo et Virgilius uſus eſt [Ecl. 3. 73.] *Partem aliquam venti divûm referatis ad aures*. Auguſtum autem ſignificat.

44 *Fidis enim*; quodcunque tu contra crepes. B. *Manare*, facere ut manent, ſ. edere. *Poet. mella*, h. e. verſus melle dulciores. Z.

45 *Tibi pulcher*; *judicio tuo contentus*. Vet. Schol.

Naribus uti; Satirice reſpondere. Omiſſis rhonchis et ſannis vultum componit, quia ventum erat ad vivum. Hoc loco criſtas ſuas col-

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Carmina sua vulgo prostitui dolet. B. (Severe nimis conceptum lemma. Monet librum in fine ipso voluminis, quæ fata illum maneant. Jucunda apostrophe, qua sibi blanditur potius, et delatum iri in scholas et in provincias carmine sua pollicetur, quam ut iis metuat. Sub satirica et humili specie dicit hic non minora quam Carm. 3. 30. Pulchre ista vidit et imitatus est Gallorum Horatius Epist. XI., qui etiam docere Sanadonum poterat, non necesse esse, ut in fronte voluminis ponatur tale opusculum. G.) Allegoria admodum jocosa utitur, qua epistolarum volumen, quod ad Sosios bibliopolas mittit, comparat cum filia lasciva, quæ non diutius in ædibus paternis restare vult, sed, invito patre, in publicum prodire ibique prostare cupit. Romæ quidem ait, quamdiu sit recens, amatores esse reperturum, sed tandem aut neglectum plane, aut in exilium Uticam vel Ilerdam missum iri, aut pueris ad litterarum elementa inde discenda esse serviturum.

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves, et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, et communia laudas;
Non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis?
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?

1 Vestumnum *prima edd. etiam Lambi.* Pertumnum *Z.* — 5 Descendere *etiam G.* Discendere *Z.*

lit Horatius. B. Mihi videbatur hic potius submittere cristas, et certamine se subtrahere; nisi quod hoc ipsum superbiæ genus est, non committere se in certamen humile. G.

47 *Displicet iste locus;* metuo enim ne quis audiat. B. Potius, ne populus audiat: non auditores, sed multitudinem, deprecatur. G.

Diludia dicuntur tempora, qua gladiatoribus conceduntur inter dies munerum quibus pugnatur. Vet. Schol. Cruq.

48 *Ludus,* initium est certaminis. Metuit ne ludus iste tandem in seria exeat. Et ridicule genealogum agit, quo risum alio vertat. B. *Trepidum,* in quo trepidant certamen ineuntes. Z.

EPIST. XX.

1 *Vertumnum Janumque;* ad Vertumni ædem et Jani Arcum mensæ (Ar. P. 374 *columnæ.* G.) erant bibliopolarum. Vertumnus, teste Varrone, princeps Hetruriæ deus, Templum habebat in vico Turario, sive Tusco, in Valle Montis Cœlii, ut ostendit Cruquius. (Vertumnus *Deus et præsidium mercium vendendarum, h. e. emendarum et vendendarum). In vico Turario sacellum habuit. Janus quoque similiter vicus est, ab Jano gemino sic appellatus, qui in eo Arcum habet sibi consecratum.* Vet. Schol.

2 *Prostis.* Dilogus posuit: nam prostant et libri et meretricii pueri. Signate igitur subjecit *pumice:* nam hujusmodi pueri erant *pumice leves,* quod ait Juvenalis. B. Pueri natura leves non indigent pumice. Simpliciter, ad cultum voluminum respicit. Tota hæc Dilogia mihi non placet. G.

Sosii illo tempore fratres erant, Bibliopolæ celeberrimi. Vet. Schol. B. V. A. Pq 315. G.

3 *Claves,* includebantur, et sub sigillo erant pueri et virgines, quorum pudicitiæ propinqui verebantur.

4 *Paucis ostendi gemis:* atque hoc impudicorum est. *Communia:* tota publica.

5 *Non ita nutritus;* supple *Quamvis:* nam parentem habuisti verecundum. B. *Fuge,* ex quadam animi indignatione hoc profertur: q. d.

Quid volui? dices; ubi quid te læserit, et scis
In breve te cogi, plenus cum languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romæ, donec te deserat ætas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis; aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus; quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures;
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas:

7 Quid te *ex MSS. Bentl.* Quis *vulg.*—8 Cum plenus *edd. vett.*—10 Deserit *S. Bentl.* Deseret *Med.* 1477. *Cun.*—11 Contractatus *G. S. Z.*—13 Vinctus *ex MSS. Bentl.* Unctus *vulg.*—15 Detrusit *Ven. Glar.*

quia tantopere cupis, nec melioribus consiliis vis parere, fuge, quo ruis cum damno tuo. Z.

Omnes fere libri pro *discedere* legerunt *descendere*, quod mihi cum Cruquio, Lambino et Torrentio (Bentleio etiam) arridet; tanquam diceret in lupanar: et ad viliora descendimus. B. *Descenditur* etiam in forum. G.

6 *Miser*; improvidus, inconsultus.

7 *Scis*, jam intelligis quod ante credere noluisti.

8 *In breve te cogi*; manu complicatus, ut charta inutilis et projectitia. B. Qui volumen seponit, convolvit illud et constringit, et ad parvum modum redigit. G.

Languet amator; Dilogus de lectore et amatore.

9 *Desipit*, occæcatur, et per hoc, perverse judicat. B. Dilogus ipse Horatius. G.

10 *Ætas*, supple *juvenilis*.

11 *Contrectatus*, Dilogus, nam subest turpicula significatio. *Servat Metaphoram, quasi de scorto loquens.* Vet. Schol. Cruq.

12 *Taciturnus*; a nemine lectus.

13 *Fugies Uticam*: in barbaram exulabis Provinciam. B. Ubi tum incipiebant fervere studia hæc. G.

Vinctus Ilerdam; *aut sient de te Opisiographa Epistolarum.* Vet. Schol. Alii male legunt *unctus*. B. Mihi plane non videtur hic de usu contemtibili loqui poetam; sed dicere, tanquam mercem, vinctum et constrictum in sarcinam a bibliopolis, mittendum esse in Hispaniam, quæ et ipsa tum cupide arripiebat literas Romanas. Si abolenda dicere voluisset exemplaria libri, quid opus fuisset ea Ilerdam mittere, poterant Romæ vel tus et piper amicire, vel cum Volusii annalibus ire, quo faturi. Denunciat mala, quæ optat: ut A. P. 345. *Hic meret æra liber Sosiis, hic et mare transit.* G.

14 *Ut ille*; notat aliquam Veterem Fabellam de Rustico et Asino.

15 *In rupes*; ut iret quo tendebat, et per hoc cervicem frangeret.

17 Etiam hæc felicitas et honos libri, tractari in schola. Respice ad Epist. 1. 19. 40. G.

Elementa docentem; Alphabetarium aliquem Magistrum: *Elementa*, quasi quæ sunt *Limina*.

18 *Occupet*; h. e. occupatum teneat.

Extremis in vicis, ad urbis extrema, ubi pauperrimi vivunt. B. In compitis, ubi extrema vicorum congruunt, et major est frequentia. *Balba senectus* etiam de libro potest jocose dicta esse, qui tandem balbutire inter parvos discat. G.

Balba; parasitantes discipuli, atque adeo tuli nam Dilogia subest. T.

19 *Cum tibi sol tepidus*; *Sicuton Librariorum morem locutus est, qui circa quartam vel quintam ho-*

Me primis Urbis belli placuiſſe domique,
Corporis exigui, præcanum, ſolibus aptum,
Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.
Forte meum ſi quis te percontabitur ævum;
Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

ram dictata pueris præbere conſueverunt, quo tempore tractabiliores ſunt. Vet. Schol. h. e. Decimam et undecimam noſtram. B. De pomeridiano tempore intelligo, ubi confectis negotiis etiam ſenes otium ſuum audiendo oblectent. G.

20 *Me libertino; ipſe enarrat vitam ſuam Cynice.* Vet. Schol. B. Irridet irriſores natalium ſuorum, ut Sat. 1. 6. 44. G.

21 *Majores nido pennas;* Proverbiale improperium. B. Laudat fortunas ſuas, qui ultra ſortem natalium progreſſus ſit. G.

22 *Ut;* ita tamen ut.

Addas, apponas.

23 *Belli;* Bruto et Caſſio, ſub quibus Tribunus militabat. B. Serm. I. 6. 48.

Domi; Auguſto, Mæcenati, et Pollioni, ob elegantiſſima ſcripta.

24 *Præcanus, præpropere canus.* Vet. Schol. Cruq. B. *Corporis exigui,* vid. Serm. II. 3. 309. Z.

Solibus aptum; rigidulus erat, ut alias diximus, idcirco amabat inſolari, ſive ad ſolem inungi. *Solitum jacere ſub ſole et chroma facere.* Vet. Schol.

25 *Iraſci celerem,* generoſæ indolis indicium.

28 *Duxit; Lollius erat ſolus Conſul, exſpectato Cæſare Collega, illo recuſante, Q. Æmilius acceſſit tandem.* Torrentius. B. Ad vim verbi *duxit,* ſatis eſt, quod Lollius prior magiſtratum ingreſſus eſt: dicit Dio 54. 6. Porro autem nihil nos cogit hoc ipſo anno ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, vel epilogum potius. Potuit cauſam quamcunque habere Horatius, cur ætatem ſuam ab his COSS. ſignaret. G.

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AUGUSTUM.

Poſt ſplendidum et numeroſum principium quo laudes Auguſti egregie canit, ſubtiliter Auguſtum movet in favorem ſui temporis poetarum. B. Cum Auguſtus, quemadmodum Suetonius in vita Horatii tradit, queſtus eſſet, quod nihil ad ſe et de ſe ſcriberet: ne talem tantumque virum negligere videretur, ſcripſit, opinor, hanc epiſtolam, qua inprimis hoc egit, ut cauſam afferret, cur ad res Auguſti ſcribendas non accederet, præmiſſa hiſtoria quadam critica de poeſi ejuſque pretio apud Romanos. Ordo autem ſententiarum, quem ſequitur, hic eſt: Ne te, Auguſte, occupationibus pro reip. ſalute diſtentum morer, hæc pauca a me accipe. Romulus, Bacchus, Caſtor et Pollux demum poſt mortem inter Deos ſunt relati; verum populus tuus tibi vivo divinos tribuit honores; atque in hoc uno genere recte ſentit, in poetis æſtimandis autem a vero et æquo recedit longe. Nam, ſpretis recentioribus, non niſi antiquiſſimos, velut Ennium, Nævium, Pacuvium, Accium, Afranium, Plautum, Cæcilium, Terentium, laudat et legit. Interdum quidem recte judicat; ſed ferri non poteſt, ſi negat vitia plane illis ineſſe, aut ob ſolam antiquitatem vel ob unum alterumve eleganter dictum poemata ex toto magnifacit ac præfert, atque ita recentiora odit. Græci ſecus fecerunt, quibus novitas placuit ita, ut ſemper novi aliquid molirentur. Apud Romanos, qui olim juri, rei familiari operam dederunt, nunc, mutato ſtudio, pueri et patres, docti et indocti verſus ſcribunt. Hoc ſtudium inſanum tamen habet hæc commoda: poetæ, alieni ab avaritia et fraudandi libidine, paucis ſunt contenti; ſermonem formant puerorum, fingunt mores, exemplis inſtruunt, hymnis celebrant Deos. Priſci agricolæ olim quotannis tempore feſto cantabant Feſcennina carmina; quæ cum nimis eſſent mordacia, poſtea pœna lata ad benedicendum ſunt redacta. Poſtquam tandem

Romani Græcorum litteras cognoverunt, poesis quidem cultiór est facta, et inprimis tragœdias, ad quas Rom. ingenium est aptius, scribere cœperunt, sed minus emendatas. Multo minus res cessit in comœdiis, præsertim cum populus magis spectaculis rebusque quæ oculos feriunt, quam ludis scenicis delectaretur, et adeo poetæ ab hoc genere poseos deterrerentur. Verum ne quis forte putet, me reprehendere quæ ipse facere non audeam: confirmo, me poëtam comicum tragicumque bonum maximi facere. Ut vero et aliorum carminum existant idonei auctores, horum aliquam habeas velim rationem. Sed, fateor, nos poetæ sæpe nobis nocemus, cum carmina tibi importune tradimus, reprehensione unius versus offendimur, nostris carminibus plus tribuimus quam par est, et statim præmia exspectamus. Veruntamen probe videndum est, ut non indigno poetæ res gestæ committantur et munera dantur, quemadmodum Chœrilo Alexander M., a cujus stultitia longe distat prudentia tua de Virgilio Varioque poetis, quos et dilexisti et ornasti. Nam non magis per statuas apparent vultus virorum clarorum, quam mores animique eorum per carmen. Equidem mallem tuas res carmine celebrare ac virtutes, quam Satiras scribere aut Epistolas, si modo pudor meus et ingenii tenuitas rerum tuarum caperet magnitudinem. Verum ut imago male expressa est dedecori, ita carmen malum magis est turpitudini quam honori.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux, 5
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem

---

1 Sustentes *Cun.*—2 Tuearis *in libris aliquot vett. Lambin.* Mœnibus *suspic. Bentl.*—6 Fata *conj. Bentl. et sic S.*—8 Formant *Cun.*

---

1 *Cum tot sustineas; Apparet hunc Librum hortatu Cæsaris scriptum esse, cujus rei etiam Suetonius auctor est.* Vet. Schol. in vita scilicet Horatii.

Sustineas tot negotia; tot munera impleas: cum una persona tot personas geras.

Solus; per partes, ut ait Jurisconsultus Pomponius, ea jam ventum erat, ut necesse esset Reipublicæ per unum consuli. Torrentius. B. Nam præter dignitatem consularem postea etiam receperat potestatem tribunitiam perpetuam, item morum legumque regimen æque perpetuum. Sueton. Octav. 27. et Tacit. Annal. I. 2. Z.

2 *Moribus*: vitæ tuæ puritate. B. Et legum tutela, unde fit, ut illæ in mores transeant. Conf. Car. 4. 5. 22. G.

3 *Legibus*; inter cæteras Lege Julia de Adulteriis, atque altera de Maritandis Ordinibus. B. Cf. Sueton. cap. 34. Z.

5 Mire *Romulum* nominavit primum, cum Augustus alter Romulus a multis haberetur. De qua re vide Suetonium.

6 *Deorum in templa recepti*; in cœlum; et per hoc consecrati.

7 *Colunt*, excolunt.

8 *Componunt; sedant.* Vet. Schol. Cruq.

Agros assignant; h. e. *Colonias deduxerunt.* Vet. Schol. Nota autem Temporum Enallagen.

9 *Ploravere* Metonymia quadam hic videtur nihil aliud significare, quam causam habuere conquerendi. Sueto. Calig. 58. *Julii* et *Augusti decreta ut vetera et obsoleta deflebat*: quam lectionem hic ipse Horatianus locus videtur tueri. G.

Speratum meritis. diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.
Urit enim fulgore ſuo, qui prægravat artes
Infra ſe poſitas: extinctus amabitur idem.
Præſenti tibi maturos largimur honores,
Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, ſapiens et juſtus in uno,
Te noſtris ducibus, de Graiis anteferendo,
Cætera nequaquam ſimili ratione modoque
Æſtimat; et, niſi quæ terris ſemota ſuiſque
Temporibus defuncta videt, faſtidit et odit:
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri ſanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa volumina vatum,

16 Numen *Bentl. Cun. San.*—18 Hoc *Bentl. ex uno cod. refertur* hoc *ad* uno, *h. e.* in hac una re.

Favorem, plauſum.

10 *Contudit*; edomuit: ferocia animalia contundendo fere frangimus. B. Et reſpicit forte ad clavam Herculis, quæ *contundit* et comminuit quocunque incidit. G.

Hydra ſignificationem habet bellorum civilium. B. Hoc non video. Z.

11 *Fatali*; a Fatis ei imperato, *Fatis Junonis iniqua*. Virgilius [Æn. 1. 668]. Dicitur autem *Fatale* Dilogos, etiam de diro et peſtifero, et fatis eleganter hoc: Cogitavit enim de *Fatali monſtro* [Car. 1. 37. 20.] Cleopatra.

12 *Supremo fine*; Euphemiſmus, noluit enim mortem nominare.

13 *Urit*; macerat: *Et bene urit ad fulgorem retulit*. Vet. Schol.

Prægravat; onere ſuo deprimit et celat. B. Proprie *prægravatur* in bilance minus pondus a majori, i. elevatur: unde *elevare* eſt contemnere. G.

Antique *Artes* poſuit pro *Virtutes*. Græcis Ἀρεταί. Callida etiam Dilogia de Obtrectatoribus ſuis queritur. B. Etiam hic Metonymia quadam artifices ſignat ab artibus. G. Recte igitur interpretatur Lambinus: Qui artifices ſe inferiores ſua præſtantia quodammodo onerat et opprimit. Z.

14 Indignanter protulit *idem*. B. V. Car. 3. 24. 31. G.

15 *Præſenti*; ſplendidius hoc quam *viventi*: Et, quo ſentias te laudari. B. De amore populi erga Auguſtum vid. Sueton. Octav. cap. 57. ſeqq. Z.

Maturos; ſero laudamur mortui. B. Aliorum honores *maturitatem* et ὥρην accipiunt demum a morte. G.

Honores; tura. B. Vid. Virg. Æn. 1. 632. G.

16 *Numen* tribuit Auguſto Car. 4. 5. 35. Sed etiam *jurare per nomen* divinum honorem ſignificat apud ſacros quoque. G.

17 *Oriturum*; *Et hoc ſplendidius*; *oritur enim Sol*. Vet. Schol.

18 Multo melius *hic populus* quam Bentleii *hoc populus*, quod ille ex conjectura poſuit. Certe *hic populus* magis morali dicitur charactere. *Sapiens*, ſanus.

21 *Terris ſemota*, ſublata ex oculis. B. *Suis temporibus defuncta*, quæ pervetuſta ſunt, quorum tempora jam præterierunt. Z.

22 *Faſtidit et odit*; Αὔξησις· *plus enim eſt odit quam faſtidit*. Vet. Schol.

23 *Tabulas peccare vetantes*; *Duodecim Legum Tabulas a Decemviris ſcriptas*. Vet. Schol.

25 *Gabiis*: a Tarquinio Superbo. Præpoſitio *cum* revocanda etiam ad Gabiis. V. v. 31. G.

Æquata, æquis conditionibus condita.

Sabinis, a Romulo.

26 *Pontificum Libros*; *Utrum Annales, an Pon-*

Dictitet Albano Muſas in monte locutas.
Si, quia Græcorum ſunt antiquiſſima quæque
Scripta vel optima, Romani penſantur eadem
Scriptores trutina, non eſt quod multa loquamur:
Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.
Venimus ad ſummum fortunæ: pingimus, atque
Pſallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus:
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos vetereſque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat jurgea finis.
¶ Eſt vetus atque probus, centum qui perficit annos.
¶ Quid? qui deperiit minor uno menſe vel anno,
Inter quos referendus erit? vetereſne poëtas,
An quos et præſens et poſtera reſpuet ætas?
¶ Iſte quidem veteres inter ponetur honeſte,
Qui vel menſe brevi vel toto eſt junior anno.

28 Graiorum *G. Bentl. ex codd.*—29 Penſentur *MSS. duo Berſm.*—30 Nihil eſt *MS. Berſm.*—32 Summam *MS. Berſm.*—35 Chartis pretium *Bentl. et MSS.* 5 *Berſm.* Afferat *MS. Berſm.*—37 Vetereſne *G. et MSS.* 4 *Berſm.*—38 Excludit *MSS.* 2 *Berſm.*—41 Vet. proboſque *conj. Bentl.*—42 Reſpuat *Bentl. MSS.* 3 *Berſm. Cun. San.*

tificium Jus ſignificat. Vet. Schol. Imo omnia antiqua ſcripta pro divinis habebantur. Primi enim Scriptores ſe pro Magis apud imperitum vulgus gerebant: tanto erat miraculo novum literarum inventum.

Annoſa volumina vatum: Veteres libros Nævii Vatis et Sibyllæ. Vet. Schol. Imo et Cn. Marcii.

27 *Albano in monte; Quia Egeria Nympha dicebatur loqui cum Numa Pompilio in Albano monte.* Vet. Schol. Erat autem Egeria de numero Camœnarum.

29 *Eadem trutina; Eodem examine quo Græci.* Vet. Schol. Cruq. In trutina examen vertitur.

30 *Non eſt quod;* nam uno verbo rem omnem abſolvam.

31 *Nil intra eſt;* proverbium de rem manifeſtam negante.

Bentleius de ſuo poſuit *olea* in Ablativo, quo *intra* et *extra* eſſent Adverbia. Horatii nota varietas poſtulat ut *intra* ſit præpoſitio, *extra* vero Adverbium. B. Voluit Bentleius, præpoſitionem *in* revocari etiam ad olea, ut v. 25. Conf. Car. 3. 25. 2. G.

32 *Venimus ad ſummum; utrum in imperio, an cæteris in rebus quas enumerat: Non habet, inquit, quod nobis amplius fortuna jam præſtet. Ergo et perfecti Poetæ ſumus; Sed hoc intelligi, quam dici a ſe maluit.* Vet. Schol. B. Putat igitur Schol. Horatium hoc dicere, ut in reliquis rebus, ita etiam in poeſi, Romanos ad ſummum gradum perveniſſe. Sed mihi videtur hic eſſe deductio ad abſurdum: ſi Romana æſtimamus ad formulam illam Græcorum, renunciandum eſt communi ſenſui, negandum aliquid intra in olea, extra in nuce durum eſſe, dicendum ſtatuariam artem, et muſicam, et palæſtram a majoribus jam perfectam: quæ quidem aperte falſa, &c. G.

33 *Unctis;* Dilogus; Ceromate ſcilicet, et pretioſis unguentis: nam iſta voce Græculos percutit.

34 *Dies,* ſupple *multus,* h. e. vetuſtas.

35 *Scire velim;* Ironica interrogandi forma: ſic Juvenalis nonam Satiram orditur. B. *Arroget* comitiale verbum: quoto anno Romani arrogant ſuffragiis ſuis bonitatem? G.

36 *Decidit;* Metaphora ab arborum foliis.

37 *Ideo perfectos quia veteres.* Vet. Sch. Cruq. Bene, quia ſubeſt Ironia.

¶ Utor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello; et demo unum, demo etiam unum;
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad faſtos, et virtutem æſtimat annis,
Miraturque nihil niſi quod Libitina ſacravit.
Ennius, et ſapiens et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promiſſa cadant, et ſomnia Pythagorea.
Nævius in manibus non eſt, et mentibus hæret
Pene recens? adeo ſanctum eſt vetus omne poëma.
Ambigitur quoties uter utro ſit prior; aufert

46 Et item unum *Bentl. Cun. San. MSS. 2 Berſm.*—48 In faſtos *etiam G. Bentl. et MSS. 4 Berſm.* Faſtus *G. a manu pr. it. Heinſ. ad Ovid. Faſt.* 1. 11.

38 *Finis*; ſolutio hujus controverſiæ. B. Definitio ac decretum populi. G.

39 *Probus*, probabilis.

45 *Utor permiſſo*; ſervit propoſito meo tua conceſſio.

Caudæ pilos ut equinæ; tractum ex Hiſtoria de Sertorii milite, qui etſi imbecillis, fortis equi caudam, ſingulos pilos evellendo, facile nudavit; cum alter, vir fortis nequiret imbecillis equi caudam uno niſu extrahere. Hoc oſtendit Lambinus ex Plutarcho.

46 *Unum*, ſupple *annum*.

47 *Cadat*; cauſa cadat, refellatur, ruat.

Eluſus, refutatus. Metaphora a Gladiatorio ludo.

Ratione, ratiocinatione.

Ruentis; continuo impetentis, vel indeſinenter laceſſentis. B. Potius ita: ut qui inſiſtens acervo ſubtrahi ſibi patiatur unum lapidem poſt alterum, facile cadit, illo acervo ſic ruente et collabente: ita qui notione indefinita atque indeterminata [ſic enim hodie loquuntur] *antiqui* vel *novi* nituntur in judicando, eludi et ſubverti poſſunt inſidioſo illo Sorite, et interrogatione, quam ſtatim ponit. G.

Acervi; hic acervus eſt Sorites, qui prædominans eſt, cum falſitatem veritate confirmat: ut ſi quis dicat; Dico me mentiri et mentior; verum igitur dico. *Eſt etiam Sorites cum ultra modum capitalis aſſenſionem audientis brevi adjectione producit, dicendo*, unum et unum, *ut hic Horatius facit*. Vet. Sch. Cruq. B. Parum accurate Scholiaſtes. *Sorites*, fallax argumentatio ab exemplo *Acervi*. Acervum ne faciunt grana tria? non: an quatuor? nondum, &c. et locum habet in omnibus, quæ non certum modum ſed relatione tantum magnum aut parum ſignificant. Ut, diveſne qui ſexcentos habet? doctuſne, qui tot res ſcit? &c. Sic, vetus ne qui centum annos habet? an ſufficiunt 99? an 98? ubi difficile eſt ſubſiſtere et terminum quaſi conſtituere. G.

48 *Redit*, Comice recurrit.

Ad Faſtos; per Conſules annorum colligit numerum. Quid eſt Bentleii *redit in Faſtos*?

Virtutem, artem, ingenium.

49 *Libitina; feretrum*. Vet. Schol. Cruq. Vide Sat. 2. 6. 19.

50 *Sapiens et fortis*, h. e. gravis et animoſus; Sapiens ſententiis, fortis ſpiritu et ſublimitate ſtili.

51 *Leviter*, parum; Comice pro non omnino. *Videtur*, apparet.

52 *Quo promiſſa cadant*, h. e. Quid tandem fiat de magnis promiſſis. *Cadant*, exeant.

Somnia Pythagorea, Ennius in principio Annalium ſuorum ſomnio ſe ſcripſit admonitum, quod ſecundum Pythagoræ dogma, anima Homeri in ſuum corpus veniſſet. Vet. Schol. *In ſomnis mihi viſus Homerus adeſſe poeta*. Ennius. B. Ennius immortalitatem fama et laude carminum ſuorum inter nos conſecutus, parum curat Pythagoricam illam migrationem: mavult Ennii nomine inter nos verſari, quam in animalis corpore habitare. G. Senſus eſt: Ennius, quem noſtri grammatici tantopere laudant, parum videtur curare ſitne vere alter Homerus, ſitne mente Homeri, ut ſe ſomniaſſe fingit, præditus. H. e. alter Homerus non eſt. Z.

53 *Nævius* Dramatum ſcriptor antiquior Ennio, quem in plurimis imitatus eſt. B. Qui non viderunt, locum eſſe interrogative ſumendum, hi plane ſenſum alienum tribuunt ei. Nam, ut Bentleius recte vidit, Horatius ait: Nonne Nævius manibus omnium teritur? &c. Z.

55 Refert hic poeta judicia vulgi ſuæ ætatis de poetis ſcenicis, quæ ipſe non ſatis probat. Non debebant ergo ſimpliciter tanquam Hora-

Pacuvius docti famam ſenis, Accius alti:
Dicitur Afranî toga conveniſſe Menandro;
Plautus ad examplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediſcit, et hos arcto ſtipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad noſtrum tempus, Livî ſcriptoris ab ævo.
Interdum vulgus rectum videt; eſt ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quædam nimis antique, ſi pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur,
Et ſapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem inſector, delendave carmina Livî
Eſſe reor, memini quæ plagoſum mihi parvo
Orbilium dictare; ſed emendata videri

---

56 Accius *fere accuratiores. Sic etiam Steph. in fragm. Manut. orthogr.* Attius *Lamb.*— 63 Peccet *Glarean.*—67 Credit *Lamb. ex codd. bonis.* Credat *Ven. Glar.*—69 Lævi *MS. Bentl. Cun. it. Sax.*

---

tii judicia poni, quod fieri nonnunquam videmus. Conf. A. P. 270. G.

Prior, potior.

56 *Docti ſenis, Euripidis; alti, Sophoclis. Virium actio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt.* Quintilianus, citante Cruquio. *Senis* autem modo poſuit pro *veteris*, ut ſupra de Lucilio.

Bentleius male *Accius* ex incuria. B. Sed et vett. edd. habent. Ergo pro *Actius* recepi. Z.

57 *Bene toga; togatas enim ſcripſit Afranius.* Vet. Schol. Palliatæ Comœdiæ Græcorum, togatæ Romanorum erant; Romæ autem palliatæ dictæ ſunt quæ perſonas habebant Græcas, et togatæ quæ Romanas. B. Afranius Græcas Menandri fabulas commode Latina veſte induit. G.

58 *Properare*, facili lepore diffluere. *Quam non adſtricto percurrat pulpita ſoco* [infra 174]. Erat Epicharmus lepide nugax, et ſalibus præcipuus.

59 *Gravitate*; pondere et dignitate quibus caruit Plautus.

Arte; terſo Stilo et concinna diſpoſitione.

60 *Hos*, ad Emphaſin poſuit ſtolidæ admirationis.

61 *Potens*; Dilogus et magna, et ſibi placens, vel elata et turbida.

62 *Livium dicit Andronicum, qui primus omnium Latinas Fabulas ſcripſit.* Vet. Schol. *Livii Salinatoris libertus erat.* Lambinus ex Euſebio.

63 *Rectum videt*, non cæcutit.

Peccat; videt quod non videt.

66 *Dure*; rigide, ruſtice, CLUMSILY.

67 Oſtendit Bentleius *cedit* legendum eſſe pro *credit*.

Ignave; vapide, inſulſe.

68 *Sapit*; ſani eſt ſincipitis.

Mecum facit; a meis ſtat partibus: mecum pugnat. *Facere* etiam Cornelio Nepoti (18. 8. 2.) eſt pro *pugnare*; et a *factum* eſt noſtrum FIGHT: Quin et Homero, Iliad. Δ, ἔργον pro *pugna* eſt.

Jove æquo; *Jove irato ſit ut errent homines ac delirent.* Vet. Schol. *Æquus* autem ſeu ſedatus dicitur non ira motus. Jovis erat dementare juxta veterem opinionem.

69 *Inſector*; inſenſus invado.

Delendave pro *delendaque* ex melioribus codicibus legerunt Torrentius et Cruquius. *Delenda*, abolenda. B. *Ve*, h. e. *nec*, eſt vera lectio. Z.

Neſcio cur Bentleius pro *Livî* reſcripſit *Lævî*, cum *Lævius* iſte Erotopægnion ſcriptor admodum obſcuri fuerit nominis, et pleriſque ignotus; et cum Livii Andronici jam ante facta ſit mentio, veriſimile eſt hunc non fuiſſe huic diverſum. B. Ait Bentleius, Andronicum il-

Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit si forte decorum, et
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit venditque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et præmia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attæ
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti pene patres; ea cum reprehendere coner
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,

---

73 Et *omisit Bentl.*—75 Venitque *e conj. Bentl.*—79 Acci *G. marg.*—80 Clamant *MSS.* 2 *Bersm.*—83 Dicunt *MSS.* 3 *Bersm.*—85 Imberbi *etiam Bentl. Cun. Vulg.* imberbes.

---

lum Livium nimis antiquum et obsoletum fuisse, quam ut illum prælegeret Orbilius. At fragmenta, quæ exstant sat multa, aliud loquuntur? nempe et illa sunt bonam partem, judice Bentleio, Lævii. G.

70 *Plagosum*; de hoc Domitii Marsi hic versus exstat; *Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.* Quid mirum? Ex milite quinquagenario magister factus est librarius. Vide Suetonium de Claris Grammaticis.

72 *Exactis, translatio ab examine, quæ pars est trutinæ.* Vet. Schol.

73 *Emicuit, ex insperato apparuit.* Vet. Schol. Cruq.

75 *Ducit, producit*, et per hoc commendat. B. Puto ab animalibus ductam Metaphoram, quæ ubi capite transitum fecere, reliquum corpus facile sequitur, quod de felibus est in Germanorum proverbio, et hominum etiam partus confirmat. Sic unus et alter versus bonus censuram ut reliqui etiam effugiant et quasi perrumpant, efficiunt. Bentleius *poema* accipit nominandi casu totum *poema ducit*, decipit emtorem, et *venit*, venditur. Audirem, sed vix tamen, si *emtorem* additum esset. G.

Bentleius de arbitrio suo pro *venditque* posuit *venitque*, quod quid sit ego nequeo divinare, nisi error sit operarum.

76 *Crasse*, crasso filo, non tenui.

78 *Præmia*, coronam.

79 *Recte necne perambulet*, ludit in Attæ nomen: nam *Titus Quintius Atta, Togatarum Scriptor, sic dictus est, teste Festo, quod propter vitium crurum, aut pedum, plantis insistens, potius attingere terram, quam ambulare videbatur.* Cruquius.

Crocum floresque; Et cum scena croco Cilici perfusa recens est; Lucretius (2. 416). Ostendit Stephanus. B. Igitur, quod ait Schol. Cruq. *crocum et flores perambulare* est in scenam recipi et agi. Quid si tamen potius significat in honore ac laudibus esse, ut Juven. 7. 268.? G.

81 *Patres*, Seniores.

82 *Gravis; compositus.* Vet. Schol. Cruq. Erat enim Tragœdiarum Actor.

Doctus, Comicæ actionis peritissimus.

83 *Nisi quod placuit sibi: hoc vitium superbiæ est.* Vet. Schol.

84 *Turpe putant parere; et hoc est vitium pudoris puerilis.* Vet. Schol.

85 *Imberbi*; Ita vetustissimi Cruquii Codices sicuti alias in Arte [Poet.] *Imberbus juvenis.*

Perdenda; relinquenda, dedisscenda.

86 *Saliare Numæ Carmen. Hymnus erat quem fecit cantari a XII. Sacerdotibus Martis die quo ancile de cælo cecidit.* Vet. Schol. Cruq.

87 *Quod mecum ignorat*; h. e. æque atque ego.

Noſtra ſed impugnat, nos noſtraque lividus odit.
Quod ſi tam Graiis novitas inviſa fuiſſet
Quam nobis; quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet
Quod legeret tereretque viritim publicus uſus?
Ut primum poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortuna labier æqua;
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum;
Marmoris aut eboris fabros aut æris amavit;
Suſpendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc eſt gaviſa tragœdis:
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique ſecundi.
Romæ dulce diu fuit et ſolenne recluſa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere per quæ

90 Græcis *edd. vett.*—97 Vultumque animumque *Cun.*—105 Rectis *etiam G. S. Bentl.* Certis *Ven. Glar. Lamb. Talb. Cun.*

Saliorum linguam retulit hoc verſu Lucilius, ut oſtendit Cruquius ex Feſto; *Præſul ut amtruat, inde et volgu' redamtruat olli.* B. Quinctil. 1. 6. 40. *Saliorum carmina, vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta.* G.

89 *Lividus*; venenatus, malignus.

90 Recte Bentleius *Graiis* pro *Græcis*, quod magis ſit Poeticum, ob vetuſtatem.

92 *Viritim*, per viros, de viro ad virum; ut nemo ſit qui non legat, et per hoc terat; et bene *publicus*, quod modo pro *univerſalis* dicitur.

93 *Nugari*; *ludere et otia ſectari.* Vet. Schol. Cruq.

94 *In vitium*; *in delicias.* Vet. Schol.

Æqua, placida. Huc facit Publii Mimi dictum: *Fortuna nimium quem fovet, ſtultum facit.* Cruquius.

96 *Amavit*, *cupide petiit.* Vet. Schol. Cruq.

97 *Mentem* argutias vultus dicit: neque enim vultum mentemque ſpectantium voluit, ut Interpretes ad unum credidere. Scholiaſtæ ſilent. B. Vultum ac lineamenta oris ita expreſſa, ut phyſiognomon aliquis inde judicare de mente et moribus poſſet: vel, quod familiarius, ut quivis ſpectator videret, ſedata an perturbata mente, hilares an triſtes, eſſent. G.

98 *Tibicinibus*, h. e. comœdiis, in quibus tibicines adhibebantur. Cf. Noſter de A. P. 214 ſqq. Z.

100 *Mature*, ſtatim. B. *Mature plenum* Græci ἀψίνεφον vocant, *ſatiatum* ubi primum attigit, vitium juvenum Ariſtoteli, de quo noſter A. P. 165. G.

101 *Quid placet*, &c. Recte Lambinus interpretatur: Nihil perpetuo placet, nihil ſemper diſplicet. Z.

102 *Hoc*, ſupple *vitii*. B. Hæc artium varietas et ſtudiorum inconſtantia orta eſt ex pace et rebus ſecundis. Z.

Bonæ, ſuaves.

103 *Recluſa mane domo*; ad admittendos clientes. Vid. Sat. 1. 1. 10.

104 *Vigilare*, expergiſci.

Clienti; *amico minori.* Vet. Schol. Cruq.

Promere jura; *reſpondere de jure.* Vet. Schol. Cruq.

105 *Cautos*; *ſub chirographo datos.* Vet. Schol. Cruq. Quid opus fuerat Bentleium ponere *Scriptos* pro *Cautos*, tantum cauſa varietatis, præſertim cum *Cautos* ſit in antiquis Scholiis? *Scriptos* de Gloſſemate eſt pro *Cautos*, vel ſaltem *Cautos* pro *Scriptos*.

Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi ſtudio: puerique patreſque ſeveri
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipſe ego, qui nullos me affirmo ſcribere verſus,
Invenior Parthis mendacior; et prius orto
Sole vigil, calamum et chartas et ſcrinia poſco.
Navim agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet niſi qui didicit, dare: quod medicorum eſt,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata paſſim.
Hic error tamen et levis hæc inſania quantas
Virtutes habeat, ſic collige: vatis avarus
Non temere eſt animus; verſus amat, hoc ſtudet unum;
Detrimenta, fugas ſervorum, incendia ridet;
Non fraudem ſocio, puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit ſiliquis et pane ſecundo:
Militiæ quanquam piger et malus, utilis urbi;

107 Voluptas *MS. Berſm.*—109 *Vulg.* pueri.—111 Me *om. S. quod placet.*—114 Navem *edd. vett. et Bentl.*—118 *Hic inſeri vult Boivinus Epiſt.* 2. 87—140. *pulchre refutatus a Bentleio.*—122 Puero non cogitat ullam *Ven. Glar.*

Nomina Debitores ſuos dicebant jam in codicem relatos. *Recta autem nomina de Legibus facta.* Vet. Schol. Nam antiquæ Leges vetabant uſuras. Nonnulli Codices legerunt *certis*, [pro *rectis*] quod non probo. B. *Nomina recta*, h. l. videntur eſſe debita honeſta, pro quibus uſuræ legitimæ exiguntur. Z.

Expendere, et per hoc, collocare.

106 *Majores audire, in jure officium minoris eſt.* Vet. Schol.

107 *Damnoſa libido*; pretioſa voluptas, vel nimius ſumtus.

108 *Mentem*, propoſitum.

109 *Puerique*; ita ex optimis Libris Bentleius.

110 *Cœnant*, epulantur. Intemperantiæ eſt coronari; *ad majorem reprehenſionem* igitur poſuit *ſeveri*, ut ait Vet. Schol.

112 *Parthis mendacior*; Proverbii loco utitur. Quis quærat fidem apud Orientis vernas? B. Forte ea, quæ in Craſſum, ac deinde in Antonium perfide deſignarunt, proverbio occaſionem dedere. Et mendacium eſt illa fuga, e qua ſubito ad pugnandum ſe convertunt. G.

113 *Scrinia, capſas dicit, in quibus ſcripta reponuntur.* Vet. Schol.

114 *Navim agere* ſolute poſuit pro *navigare*, h. e. gubernatorem agere. B. Conf. A. P 379. ſqq. G.

Abrotonum; mire dixit, non helleborum, ſed abrotonum, quod minori periculo etiam indoctus poteſt miſcere et dare. Vet. Sch. B. Vid. Perſ. 5. 100. G.

116 *Promittunt; profitentur.* Vet. Sch. Cruq. B. *Melicorum* et *Melici* ſuſpicabatur Bentleius, et arripuit Sanadonus: ſed non eſt, puto, profeſſionis nomen, ut neque Elegorum ſcriptor, neque poeta heroicus. A peculiari curationis exemplo tranſit ad totum genus. G.

117 *Indocti doctique; hoc cum pronuntiatione inferendum eſt.* Vet. Schol.

118 *Error*, vertigo mentis.

119 *Virtutes; utilitates.* Vet. Schol. Cruq.

Collige; ratiocinare, vel enumera. B. Cf. Serm. II. 1. 51.

120 *Non temere; non facile.* Vet. Schol. B. Rariſſime poeta habendi cupiditate flagrat. Ille non niſi verſus amat, et jacturam rei familiaris parum curat, &c. Z.

122 *Incogitat*, h. e. cogitat in. Comica Elocutio eſt. B. *Puerove*, h. e. nec puero. Z.

123 *Siliquis*, Conche. *Siliquas autem ſpecialiter dicit eas, quæ in herbis naſcuntur in omni legu-*

Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari;
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat;
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem;
Mox etiam pectus præceptis format amicis
Asperitatis et invidiæ corrector et iræ;
Recte facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur et ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, et præsentia numina sentit;
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum.
Carmine Dî superi placantur, carmine Manes.
Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris, et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem

129 Correptor *Bof. S.*—135 Opes docta *MS. Berfm.*—136 Tollit *Cun. MS. Berfm.*—142 Et pueris *edd. vett.*—143 Porca *Cun.*—145 Invecta *citant Polit. Briſſo. Barth. ap. Bentl. et Cun. probat etiam San.*

mine. Vet. Schol. Immaturis leguminum siliquis aquæ incoctis vescebantur tenuiores.

Pane secundo; cibario, sive nigro: atque hæc Satirice protulit.

124 *Malus*; inutilis.

Urbi; Reipublicæ.

127 *Obscœnis*, illiberalibus et agrestibus.

128 *Amicis*; amabilibus, honestis, ἐμφύτοις. B. Utilibus præsertim, ut *inimicus iubet* est noxius Virg. Æn. 1. 123. G.

129 *Asperitatis*, inculcæ imperitiæ.

130 *Refert*; repræsentat, depingit.

Orientia; *venientia*. Vet. Schol.

131 *Exemplis*, exemplaribus quæ sequantur.

Ægrum, mœstum.

132 *Castis cum pueris*; chorum dicit Apollinis et Dianæ in ludis Sæcularibus, de quibus satis supra diximus. B. Non ad solos sæculares hoc retulerim, qui sunt rari admodum; sed ad alios etiam festos dies deorum. Talis est Catulli 35. et nostri Od. 1. 21. G.

134 *Præsentium numinum* exemplum in carmine Sæculari extremo. Sic fine dubio in aliis etiam. G.

137 *Pacem*; *utrum deorum pacem, an finem belli?* Vet. Schol. Dilogus voce utitur.

138 *Manes*; qui irati sunt ubi vagantur. Dici videntur *manes* tanquam *exigui* a Græco μανὸς, unde *immanis* pro *ingenti*. Quin et Britannis nostris et Armenis *man* pro *minuto* est.

139 *Fortes*; liberales, aversi lucro.

140 *Levantes corpus*; interquiescentes.

141 *Dura*, aspera.

142 Et Torrentius et Bentleius recte omisere Conjunctionem *et* in *Cum sociis operum et pueris*. B. *Socios operum* vel ipsos *pueros* licet intelligere, i. servos, vel mercenarios, vel boves adeo oratores, qui *socii hominum*, et *Cereris ministri*. Varroni R. R. 2. 5. 3. *Feriæ bubus et bubulcis*. Cato 132. G.

Fida; casta et moribus antiquis.

143 *Porcus*; *Promiscuo genere dicitur, et mas et*

Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit;
Libertaſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter; donec jam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, et per honeſtas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente laceſſiti; fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi: quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi: vertere modum, formidine fuſtis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agreſti Latio. ſic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiæ pepulere: ſed in longum tamen ævum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis;

149 Cœpit verti *Bentl.*—153 Sancta *Cun. qui etiam* nata *it.* Dicta *in aliis eſſe ait.*—158 Grave virus *conj. Rutgerſ.*

fœmina. Lambinus. Porcam mactabant Terræ, quod roſtro eam læderet. B. Vid. Cato 134. De Silvano id. c. 83. G.

144 *Genium; Naturæ deum;* Vet. Sch. Cruq. Dæmona dicit vitæ comitem. B. Hoc loco duce et Perſ. 2. 3. curatus eſt ille mirabilis *Erogenius* in lege Theodoſii M. 12. Cod. Th. de Paganis, *Nullus—Larem ignem Erogenium Penates nidore veneratus*, pro *Larem igne, mero Genium.* G.

Memorem, qui facit memores, Metonymice: nam quicquid oritur interit. Ideo *Floribus et vino*, quo coronati bibamus, dum licet.

145 *Feſcennina, Jocularia Carmina et probroſa, dicta ab oppido Feſcennino, unde proceſſerunt, et Atellanica nominata ſunt.* Vet. Schol. B. Certiora dant hodie Lexica. G.

Conjecit Bentleius hic legendum eſſe *invicta*, ſed minus probo; neque ſane video, cur iſtiuſmodi conſuetus luſus non poſſit pro invento non minus quam cætera ludicra, haberi.

147 *Recurrentes*, redeuntes, ſupple autem *ſingulos.* B. *Accepta per annos recurr.* h. e. repetita quotannis. Z.

148 *Amabiliter*; ſuaviter, amœne. B. Sine petulantia maledicendi. Z.

149 *Rabiem*; caninum ſcilicet furorem. B. Libidinem maledicendi hominibus nobiliſſimis et honeſtiſſimis. Z.

150 *Doluere*, iraſcebantur. B.

151 *Intactis*, non læſis. Cf. Serm. II. 1. 23. Z.

152 *Lex pœnaque lata*, in Duodecim Tabulis, vide Sat. 2. 1. 82.

153 *Malo*, maligno.

154 *Deſcribi*, depingi.

Vertere, invertere. Puto Proverbiali joco dici *vertere modum*, uti nos, THEY CHANGED THEIR NOTE, h. e. Palinodiam cecinerunt.

Formidine fuſtis; Quia fuſtuarium ſupplicium conſtitutum erat in auctorem carminum infamium. Vet. Schol. *Etiam canes cum fuſtes metuunt morſibus ſe abſtinent*; ut ſcite alter Scholiaſtes. Atque hoc ut ſervet Metaphoram v. 150.

155 *Bene redacti; quia non voluntate correcti, ſed edocti malo.* Vet. Schol.

156 *Cepit*, delinivit. Ludit in ambiguo ſenſu. B. *Ferum*, Romanos indoctos, nondum litteris humanitatis excultos. Z.

157 *Horridus*; hirtus, rudis, incomtus.

158 *Defluxit; deſiit fluere.* Vet. Schol.

Saturnius, i. e. Italicus vetus: Saturnia enim antiquum Italiæ nomen. Convenit mecum Schol. Cruq.

Grave virus: rancidum fœtorem; ruſticitatem atque vetuſtatem ita appellat. En tibi Exempla Saturnii metri, (apud Atil. Fortunat. p. 2679. ſq. Putſch.)

Duello magno dirimendo, regibus ſubigendis:
Fundit, fugat, proſternit maximas legiones.

Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit
Quid Sophocles et Theſpis et Æſchylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, ſi digne vertere poſſet;
Et placuit ſibi, natura ſublimis et acer:
Nam ſpirat tragicum ſatis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inſcite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum; ſed habet Comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. Aſpice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti; lenonis ut inſidioſi:
Quantus ſit Doſſennus edacibus in paraſitis;
Quam non adſtricto percurrat pulpita ſocco.
Geſtit enim nummum in loculos demittere; poſt hoc
Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.
Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru,
Exanimat lentus ſpectator, ſedulus inflat.

---

167 Inſcriptis *vulg. et MSS.* In ſchediis *conj. Cun.* Inſcite *etiam Boſ.*—173 Dorſennus *F. et al.*—175 Poſthac *Ven. Glar.* Poſthæc *MSS.* 3 *Berſm.*—178 Inſtat *S.* Inflat *vulg.*

---

161 *Serus* ſc. victor Græciæ: ſero Romani ſtudium ſuum et ingenii vim contulerunt ad litteras Græcas diſcendas. Z.

162 *Quietus; ſecurus metu Punico.* Vet. Sch.

164 *Rem; poema dicit.* Vet. Sch. Et diſtinguendum puto poſt *rem:* eſt enim altera pars verſus Epexegeſis prioris. B. Hanc diſtinctionem mutavi cum vulgata: nam apertum eſt, ſenſum eſſe, Romanus quoque tentavit, an tragœdias recte vertere ſeu imitari poſſet Græcorum. Z.

165 *Natura*, ingenio.

Acer; calidus, vehemens.

166 *Feliciter audet, quod aggreditur complet.* Vet. Schol.

167 Pro *in ſcriptis*, optimi Codices legerunt *inſcite:* quæ quidem ſcriptura a Vetere Interprete confirmatur: nam *inſcite* reddit *turpem putat*, vel *ſtulte erubeſcit: Inſcite*, illepide eſt et inurbane: Bentleius de ſua conjectura de *inſcite* fecit *inſcitus*. Verum quid opus? B. Quamquam Romanus natura factus eſt ad tragœdias: tamen minus præſtat propterea, quod ſtolide erubeſcit ſcripta ſua emendare. Z.

168 *Ex medio*, de communi. *Quia Comœdia communia ſectatur, atque de medio eſt.* Vet. Schol. i. e. non quærit ſublimia, uti Tragœdia. B. *Arceſſit*, ſcil. comœdia. Z.

Res; oportet enim et materiam eſſe humilem.

170 *Veniæ minus; quod non minus ignoſcitur μιμητικῷ Charactere peccantibus.* Vet. Schol.

171 *Quo pacto;* quam miſere. B. De vitiis Latinæ comœdiæ vid. Quinctil. X. 1. Z.

Tutetur, ſuſtineat. B. Conf. Sat. 1. 10. 12. A. P. 193. G.

172 Uſitato Charientiſmo *attentum* dicit avarum, tanquam curis addictum. Nos dicimus, A CAREFUL FATHER.

173 Hic non eſt Fabius *Doſſennus* Atellanarum ſcriptor, ſed Plautinus aliquis Paraſitus. Quantulum enim vitium in Atellana Fabella de ridicula perſona exceſſu peccare! B. Potius Comicus poeta videtur fuiſſe ea tempeſtate nobilis. G. *Quantus*, quam multus et copioſus. Z.

174 Quam negligenter ſcribat comœdias. Z.

175 *Poſt hoc ſecurus; multi carmina ſcribendo non curant quid de iis fiat, dum lucrum inde acceperint.* Vet. Schol. Notat Plautum avaritiæ, ut qui gratiam plebeculæ venatus fuerit, et ſtultis ſcripſerit. B. At ſermo eſt de Doſſenno. Z.

176 *Cadat*, ruat judicio Sapientum, et explodatur. Cadere et ſtare juris ſunt vocabula, verum a palæſtra puto petita: Comice igitur protulit *recto talo.*

177 Tranſit ab avaro ad glorioſulum.

Sic leve, ſic parvum eſt, animum quod laudis avarum
Subruit ac reficit. Valeat res ludicra, ſi me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti ſtolidique, et depugnare parati,
Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt
Aut urſum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis, ad incertos oculos et gaudia vana.
Quattuor aut plures aulæa premuntur in horas;
Dum fugiunt equitum turmæ peditumque catervæ;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorrita, naves;

180 Subr. ac *Bentl. ex MSS.*—184 Decertare *S.*—186 Plaudit *Lamb. Bof. Sax.* Plaudet *MSS. 2 Berſm.*—188 Inceſtos *conj. Cun.*

Gloria, Proſopopœia, nam deam effinxit de vana gloria.

178 *Exanimat*; animo ſuo privat, ad humum dejicit.

Lentus; *quem dicta non permovent.* Vet. Schol. *Sedulus*, qui ſingulis officioſe attendit. B. *Inflat* etiam pulchre huc facit: urget, reddit attentiorem ac diligentiorem. G.

179 Comice *ſic* pro *tam*, uti aliis in locis.

180 *Subruit*; ſubvertit, proſternit humi.

Bentleius *ac* [pro *aut*,] quod magni non eſt faciendum. Ego tamen illud probaverim, quod ſit commendatum a magno Bentleio.

Reficit; recreat.

Valeat res ludicra; abeat quo velit Comœdia, vel pereat: et *rem ludicram* elevando dicit.

181 *Palma negata macrum*; h. e. *nihil mihi cum ea ſit, ſi propter palmæ folia vivam afflictus.* Vet. Schol.

Opimus dicitur qui abundat pinguedine; et mira Hyperbole *macrum* poſuit et *opimum* pro *triſtem et lætum.*

182 *Audacem*, minime puſillanimum.

Fugat; tergiverſari cogit, ſeu propoſito ſuo cedere.

183 *Virtute et honore*; h. e. ſapientia et dignitate.

184 *Depugnare*, ad manus venire.

185 *Eques*, Enallage Numeri.

186 *Aut urſum, aut pugiles*; *Recte, quia adhuc Amphitheatri uſus non erat, et in eadem cavea etiam ferarum gladiatorumque munera ſpectabantur.* Vet. Schol.

His; talibus, ſupple nugis. B. Vid. Sat. 1. 10. 76. G. Conf. Terent. Prol. in Hecyram. Ipſe Auguſtus hanc plebis cupiditatem aluit et variis ſpectaculis edendis animos multitudinis demulſit, et ipſe cupide ſpectavit. Vid. Sueton. Octav. cap. 43. ſeqq. Z.

187 Verius Bentleius *Equiti* [quam *Equitis*] etſi de ſola ſua conjectura.

188 *Incertos*, fallaces. *Secundum Academicos, qui contendunt oculos noſtros in multis falli, et in pluribus rebus certius eſſe quod auditur.* Vet. Schol. Neſcio cur Bentleius maluit *ingratos oculos* quam *incertos*. B. *Incertos* interpretor primo fluctuantes, dubios, diſtractos, propter varietatem, ut in *cœna dubia* Sat. 2. 2. 77.: tum ignaros, quid videant, docendos demum ab aliis. Conf. mox v. 205. G.

Vana, inania.

189 *Aulæa premuntur*; *per Aulæa Comœdiam ſignificat. Tropus* Μετωνυμία. Vet. Schol. *Aulæa quoque in ſcena in terra ſternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalica Regia Romam uſque perlatus.* Donatus. B. *Aulæa premuntur*, demittuntur, ut aperta ſit ſcena, contra hodie *tolluntur* ab imo ad ſummum eadem de cauſa. Nempe in ſcena theatri traducebantur tunc v. g. *ſexcenti illi muli, cetrarum tria millia, armatura varia peditatus et equitatus*, de quibus Cic. fam. 7. 1. G.

190 *Dum fugiunt*; h. e. *Dum populo bellorum ſimulachrum monſtratur, et ad poſtremum Pompa ducitur triumphalis.* Vet. Schol. Pyrrhichen ſaltatum fuiſſe putavit Interpres Cruquianus, quod in medio relinquimus.

Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; ſeu
Diverſum confuſa genus panthera camelo,
Sive Elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentius ipſis,
Ut ſibi præbentem mimo ſpectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret aſello
Fabellam ſurdo. nam quæ pervincere voces
Evaluere ſonum, referunt quem noſtra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuſcum.
Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur, et artes,
Divitiæque peregrinæ; quibus oblitus actor
Cum ſtetit in ſcena, concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid? ¶ Nil ſane. ¶ Quid placet ergo?
¶ Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes, me, quæ facere ipſe recuſem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi poſſe videtur

198 Nimio ſp. riſu *S.*—200 Et ſurdo *aliquis ap. Cun.*—205 Conſtitit *MS. Berſm.*

191 *Regum fortuna*; Periphraſis pro ipſis Regibus. Triumphus hic erat Gallicus. B. Non peculiarem triumphum ſignat, ſed pompam triumpho ſimilem, ludis, in ſcena theatri, exhibitam. Nihil eſt melius, quam conferre Ciceronis epiſtolam ad Marium 7. 1. G.

192 *Effeda*; *Gallorum vehicula quibus tantum victi Reges vehuntur*; *pilenta quibus captæ Reginæ*; *Petorrita*; *quibus familiæ Regum*; *Naves*, *quibus in navali bello victi*. Vet. Schol.

193 *Captivum portatur ebur*, *captiva Corinthus*; eburnea atque Corinthia vaſa et ſigna. *Corinthum ponit pro vaſis Corinthiis*. Vet. Schol. Apage eburneam Corinthi a Mummio captæ imaginem, quod miror poſt Dacerium placuiſſe viro docto Ludovico Deſprez. *Captiva Corinthus*. *μεγαλοφωνία*. Vet. Schol. Deridet enim puerilem Pompæ ſuperbiam.

195 *Panthera camelo*: panthero-camelum ſeu camelo-pardalin dicit, Itali *Giraffam* vocant. *Figura eſt ut camelus*; *ſed maculis ut panthera*. Varro.

196 *Elephas albus* rarum nunc quoque animal, cujus poſſeſſione in titulis ſuis Siamenſium tyrannus glorietur. G.

Nihil opus fuerat Bentleium mutare *converteret* in *converterit*, in tantillo Temporum diſcrimine. Forſan tamen rectius eſt *converterit*, quod ita legerit Priſcianus. Certe imperiti Librarii ſæpiſſime peccant in Vocalibus. B.

198 *Mimo*, h. e. hiſtrione. Z.

199 *Scriptores*, Poetas.

Narrare aſello fabellam ſurdo; Proverbium Græcum eſt, Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Lambinus. B. *Fab. et ſurdo* tanto minus probare poſſum, quia vehementia ineſt ſi ut *ſurdus* non audiat, et tanquam *aſinus*, ſi audiat, tamen non intelligat. G.

200 *Voces*, Scenicorum ſcilicet.

201 *Referunt*, per echo repercutiunt. B. Quin *theatra* ſ. ſpectacula hominibus inquietis et turbulentis plena, verbo ipſi ſpectatores, reddunt ſonum ita turbulentum, quem vincere ſcenicorum voces non poſſunt. Non de imagine vocis ſ. echo ſermo eſt, ſed de immodeſtorum ſpectatorum tumultu. G.

203 *Ludi*, Comœdiæ.

Artes, Phrygionios dicit et purpureos habitus Scenicorum.

204 *Oblitus*, ad aureas veſtium picturas retulit.

205 *Concurrit dextera lævæ*; *plauſus datur priuſquam aliquid dicatur*. Vet. Schol. Cruq.

207 *Violas imitata*; lanthina veſtis.

Veneno, pharmaco, fuco, pigmento.

208 *Recuſem*, detrectem. B. Non poſſim, ut mox 259. it. A. P. 40. G.

Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet
Ut magus; et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age, et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem; si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala sæpe Poëtæ,
(Ut vineta egomet cædam mea) cum tibi librum
Solicito damus, aut fesso; cum lædimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprendere versum;
Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros, et tenui deducta poëmata filo:
Cum speramus eo rem venturam, ut, simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.
Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales

213 Ut me Argis modo me Thebis modo ponat Athenis. *conj. Rutgerf.*—216 *Pro* redde, impende *Bentl. ex MSS.*—229 *Hic inferi vult Da. Heinsius versus Epist.* 2. 87—140 *recte refutatus a Bentleio.*

209 *Maligne*; invide, parce.

210 *Ille per extentum*; dicit se non magis invidere Latino comico, quam funambulo, qui dum stolidæ plebeculæ gratificari studet, cerviceis suæ periculum adire non veretur. *In Comœdia maxime claudicamus* inquit Quinctilianus 10. 1. 99. Interpretes ad unum falluntur dum serio laudare putant. B. Alii rectius sic locum intelligunt: Poeta comicus et tragicus videtur mihi rem factu difficillimam præstare, qui animum meum variis affectibus commovere potest, veluti metu, ira, lætitia, terrore, atque ita apte res describit, ut iis ipsis locis me esse putem, quibus res gestæ esse finguntur. Z.

211 *Inaniter*; levi vel nulla de causa.

212 *Falsis*; inanibus.

213 *Magus*; præstigiator, qui monstra commendat fidei.

Modo me Thebis; non solum in characteribus peccat, sed et obliviscitur loci ubi Scena sit. B. Plautus certe sæpe obliviscitur se fabulam palliatam dare, et subito Atticis Athenis relictis Romam transfert spectatorem. *Thebæ* scena Tragœdiarum propter familiam Cadmeam et Œdipi, ibidem Amphitruo Plautina agi fingitur, &c. G.

216 *Curam redde brevem*; habe illorum aliquam rationem. B. *Redde*, ut indicet, illum non nunc primum ea de re cogitare. G.

Munus Apolline dignum, Templum dicit Apollinis Palatini cum Bibliotheca. B. Sueton. Octav. cap. 29.

217 *Addere*, admovere. B. *Libris* scil. auctorum Latinorum. Z.

220 *Ut vineta egomet cædam mea*; *Proverbium in eos qui sibi volentes nocent.* Vet. Schol. Cruq. Satirice hæc in se atque in Augustum: nam erat Augustus morosulus natura. B. Sensus est: ut me ipse accusem. Z.

223 *Revolvimus*, et per hoc relegimus.

Irrevocati; ubi nemo jubet ut revolvamus. Tres autem Torrentii Codices legerunt *Inrevocati*, ut supra *inrevocabile*, quod antiquitatem sapit. B. Mihi illa orthographia videtur sapere acumen Grammaticorum sæculi sequioris, post Quinctilianum certe *Revocare* significat jubere ut denuo legatur, pronuntietur, quod jam lectum pronunciatum est. G. Vulg. et meliorem

Ædituos habeat belli ſpectata domique
Virtus, indigno non committenda poëtæ.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomiſma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere ſcriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellen,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia. Quod ſi
Judicium ſubtile videndis artibus illud.
Ad libros et ad hæc Muſarum dona vocares,
Bœotûm in craſſo jurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de ſe judicia, atque
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variuſque poëtæ:
Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,

ſcripturam reſtitui. Cæterum *irrevocati* eſt non juſſi, quaſi alter elegantiam loci minus ſentiat, ſtulte et cum offenſione repetimus loca jam recitata. Z.

224 *Apparere*, cognoſci et honorari poëmata tanto cum ſtudio elaborata et tanta cum arte ſ. ſubtiliter. Z.

227 *Commodus*; comis, ſuavis.

Ultro, non expectata commendatione.

228 *Arceſſas*; *Secundum Priſcianum arceſſo venit ab arcio, quod nunc dicimus adcio: quia antiqui dicebant ar pro ad.* Vet. Scholior. Compilator.

229 *Sed tamen*, nihilominus. *Bene et ſubtiliter tetigit Cæſarem quaſi negligentem Poetarum.* Vet. Schol. ex MS. Stephani.

230 *Ædituos*, *Narratores: Æditui enim templorum ac numinum, quibus inſerviunt, et ſacrorum originem advenis et ignorantibus narrant.* Vet. Sch. Æditui dicti quod ædes tueantur. Ὑπομνήμονας puto dici, magis quam Νεωκόρους.

231 *Virtutem* per Proſopopœiam poſuit pro ipſo Auguſto.

233 *Incultis et male natis*; *neque arte, neque natura compoſitis*; *et deeſt Pro.* Vet. Schol.

234 *Mire retulit acceptos, tanquam diceret legitime vendidit.* Vet. Schol. Nam, acceptos nummos in codicem retulit.

Philippos; *acceperat pro ſingulis verſibus ſingulos Philippeos.* Vet. Schol. Aureos ſcilicet. Et optimi Codices pro *Numiſma* habent *Nomiſma*; quod et Vet. Schol. ſequitur. B.

235 *Sed* minus prudenter fecit Alexander; quia, quemadmodum atramenta manibus contrectata maculant manus, ſic mali poetæ dedecorant gloriam rerum geſtarum. Z.

236 *Atramentum olim erat infamiæ ſymbolum.* Cruquius. B. Nihil puto aliud velle, quam Car. 1. 6. 12. *Laudes deterere culpa ingenii.* G.

240 *Alius Lyſippo*; Helleniſmus, de quo ſupra ad 1. 16. 20.

Duceret, per Catachrĕſin, tanquam de imagine cerea. B. Sed etiam ad ea, quæ malleo elaborantur, pertinet, τὰ ἀλοσφύρητα, de quo genere Plin. 33. 4. ſ. 24. G.

243 *Vocares*, revocares, vel conferres. B. Senſus eſt: Si Alexandri judicium, quod tam acre fuiſſe videtur in cognoſcenda artis pingendi fingendique præſtantia, æſtimares ex eo, quod de poeticæ præſtantia tulit; eum ſtupidum et hebetem fuiſſe, jurares. Z.

244 *Bœotûm in craſſo*; notum eſt Proverbium Βοιωτία ὗς, cujus meminit Pindarus (Ol. 6. 152.) B. Add. Juven. 10. 50. G.

245 *At*, Tuum, Auguſte, judicium de poeſi melius eſt. Z.

246 *Tulerunt*; *acceperunt, quia jam bis ſingulis donaverat Auguſtus decies ſeſtertium.* Vet. Schol. Cruq.

Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec ſermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere geſtas,
Terrarumque ſitus et flumina dicere, et arces
Montibus impoſitas, et barbara regna, tuiſque
Auſpiciis totum confecta duella per orbem,
Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam;
Si, quantum cuperem, poſſem quoque. ſed neque parvum
Carmen majeſtas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.
Sedulitas autem ſtulte, quem diligit, urguet;
Præcipue cum ſe numeris commendat et arte:
Diſcit enim citius, meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium quod me gravat: ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus uſquam,
Nec prave factis decorari verſibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum ſcriptore meo capſa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

268 Operta *etiam G. Z. Cun. MSS. 5 Berſm.*

248 *Expreſſi*, ad vivum efficti.

250 Excuſatio ſuaviſſima, qua pulchrius laudatus eſt Auguſtus, quam totis forte mille tum poetarum carminibus. G.

Sermones Satiras ſuas dicit et Epiſtolas, utpote communi ſermone ſcriptas.

251 *Geſtas*; ſuſceptas incœptas, adeoque peractas.

252 *Arces montibus impoſitas: conditas a Cæſare civitates dixit.* Vet. Schol. Ad muniendos ſcilicet Imperii fines. B. Sueton. Octav. c. 47.

254 Auſpiciis Imperatorum Legati militabant, nunquam ſuis.

255 *Clauſtraque; Jani Gemini Templum ac Portas belli, pacato orbe terrarum, ſolus clauſerat Cæſar Auguſtus.* Vet. Schol.

257 *Si quantum cuperem; et hoc vetus eſſe dictum Ariſtarchi ferunt, qui cum multa reprehenderet in Homero, aiebat; Neque ſe poſſe ſcribere quemadmodum vellit; neque velle quemadmodum poſſet.* Vet. Schol. B. Conf. Serm. II. 1. 12. Sunt qui putent, Horatium noluiſſe laudes Auguſti canere, quoniam olim ſub Bruto contra Auguſtum libertatem reip. defenderit. Verum fortaſſis cauſa fuit otii amor, et fuga laboris. Z.

258 *Recipit*, admittit.

260 *Sedulitas*; obſequendi ſtudium. B. Senſus eſt: Poeta, præſertim cum alias ob artem ſit celebris, moleſtus eſt et gloriæ officit ejus, quem canit, ſi inepte et intempeſtive laudat. Nam ita virtutes obſcurantur vitiis, quæ acute animadvertuntur et deridentur. Z.

Stulte, prave.

Urguet; premit, onerat, odio eſt. B. Ut Ser. 2. 3. 30. *Lethargicus pugil factus medicum.* G.

261 *Arte*, ſupple *Poetica*.

264 *Quod me gravat*: quod mihi oneri, vel odio ſit futurum, vel etiam rubori.

265 *Proponi*; *in publico poni.* Vet. Sch. Cruq.

267 *Pingui*, craſſo filo deducto. B. quod ingenio et arte caret. Z.

Una cum ſcriptore meo; *ideo quia in eodem libro*

EPISTOLA II.

AD JULIUM FLORUM.

Suaviter garrit cum amico, et ostendit se nactum quod avebat poeticæ nuntium remittere, et ad pristinum Philosophiæ studium se recipere. B. Excusat se Julio Floro, qui quæstus erat, quod nec epistolam ullam, nec carmina promissa misisset, hunc in modum: Ut mango, si vitia servi, quem vendit, ingenue indicavit, ad redhibendum damnari nequit; sic nec ego, cum tibi proficiscenti prædixerim, me epistolam non esse missurum, malæ fidei accusari potero. Quod vero carmina miserim nulla, sic habeto: Ut Luculli miles quidam, zona perdita, ad prædam faciendam fortissimus exstitit, sed idem locupletatus periculum adire recusavit; ita et ego, quem olim post prœlium Philippense paterno fundo privatum paupertas, ut versus facerem, impulit, nunc, cum satis sit unde vivam, malo dormire, quam scribere versus, a quibus avocat me non modo ætas ingravescens, sed et morositas quædam hominum, quorum alii alio carminis genere delectantur; tum vita Romæ negotiosa et turbulenta, quoniam ad versus faciendos requiritur secessus, solitudo et otium; denique mala poetarum consuetudo, qui certatim se invicem temere laudant et irascuntur secus facientibus. Ad poema autem legitimum diligentissimus verborum delectus est habendus, opusque est multo labore. Ergo, dicet aliquis, commodius est malum videri poetam, dummodo nobismet ipsis placeamus et beatos nos putemus, ut ille Argivus delirus. At vero omnino præstat abstinere a nugis poëticis, et veræ sapientiæ operam dare, et vitia animi pravasque fugere cupiditates omnes.

Flore, bono claroque fidèlis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, et tecum sic agat; Hic et
Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo; 5
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles;
Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda:

8 *Melius legimus* imitaberis, *ut est in veteribus exemplaribus, Comment. Cruq.* Imitabitur *G. et primæ editt.* Mutabitur *S.*

et scriptoris nomen est, et ejus de quo scribitur. Vet. Schol.

268 *Porrectus; quasi mortuus in feretro.* Vet. Schol. Et melius *aperta* quam *operta*, quod mortui nudato vultu efferebantur. Atque hanc scripturam probaverunt Badius, Lubinus et Stephanus. Bentleius tamen nulla de causa servavit in Edito *operta*. B. *Aperta* mihi etiam hoc nomine magis placet, quod videntur magis negligi, quæ aperta capsa feruntur. G.

269 *In vicum vendentem; in vicum Thurarium.* Vet. Schol.

EPIST. II.

1 *Amice*; -cliens, comes.

Neroni, Tiberio.

3 *Tibure vel Gabiis*; ruris vernam, et per hoc, moribus aliquantum incomtis. B. Seu simplicibus, nec corruptis. Z.

Sic agat; his verbis tecum contractet. Vet. Sch.

Quin etiam canet indoctum, ſed dulce bibenti:
Multa fidem promiſſa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces:
Res urguet me nulla; meo ſum pauper in ære:
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quivis ferret idem: ſemel hic ceſſavit, et, ut fit,
In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te ſi fuga lædit.
Ille ferat pretium, pœnæ ſecurus, opinor.
¶ Prudens emiſti vitioſum; dicta tibi eſt lex:
Inſequeris tamen hunc, et lite moraris iniqua.
¶ Dixi me pigrum proficiſcenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum; ne mea ſævus
Jurgares ad te quod epiſtola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? Quereris ſuper hoc etiam, quod

11 Excludere *Cun.*—16 Lædat *edd. vett.*—17 Feret *Glarean.*—22 Rediret *G. Boſ. Sax. Med.* 1477. *Flor.*

4 *A vertice ad talos* Proverbiali forma dicitur. B. *Candidus*, albus. Z.

5 *Fiet eritque tuus*; garrulitate placere ſtudet, et Juriſconſultos deridet.

Nummorum, ſeſtertiorum.

6 *Miniſteriis*, cœnarum ſcilicet et conviviorum.

8 *Argilla quidvis*, h. e. Efficies de eo quod tu volueris: in quamvis formam flexeris. Proverbialis et Allegorica Elocutio eſt. Sic et Perſius (3. 23.) *Udum et molle lutum es.* B. Horatianum eſt comparandi voces omittere, et ſimpliciter ponere ſimilitudines, inſtar metaphorarum. G.

9 *Bibenti*; ubi aliquantum potus quis fuerit.

10 *Levant*; elevant, minuunt.

12 *Meo ſum pauper; pauper quidem ſum, ſed nulli quidquam debeo.* Vet. Schol. B. Nempe qui ſuo in *ære* pauper eſt, non habet *alienum*, quod illum urgeat. G.

13 *Hoc faceret tibi*; ut ſimpliciter narraret tibi tantillum vitii.

14 *Ferret*, auferret. B. Neque alius mango tibi præſtaret, quod ego: neque ego cuivis, quod tibi: duplex commendatio integritatis. G.

Semel hic ceſſavit; ſimpliciter et leniſſime fatetur fugitivum. Vet. Schol. B. *Ceſſare* hic et Art. P. 357 eſt ἰαλιάειν, delinquere, omittere aliquid officii ſui. G.

15 *In ſcalis*; *Ordo eſt, metuens habenæ pendentis in ſcalis.* Vet. Schol. *Impuberes, teſte Ulpiano, habena vel ferula plectebantur.* Torrentius. B. Non eſt quod fidem hic habeamus ſcholiaſtæ. *In ſcalis* latendi eſſe opportunitates, vel Clodii nos factum docet, qui *fugiens in ſcalarum ſe tenebras abdidit* Cic. pro Mil. c. 15. Extenuat factum pueri mango, qui non plane fugitivus ſit, ſed modo in proximo delituerit, dum deferveſceret ira domini. *Habena*, ut hodie lora ſtapedum, adhibita ad pulſandum. Ulpia. l. 1. § 33. ff. de SC. Silan. *Impuberes—terreri tantum ſolent, et habena vel ferula cædi.* De tormentorum quæſtione ſermo eſt. Verum ipſe Ovid. Epiſt. 9. 81. Herculem ab Omphale ſua *ſcuticæ habenis tremefactum* canit. G.

16 *Des nummos*; age da, ſine videam tuos nummos.

Magis placuit *lædit* quam *lædat*; atque hæc ſcriptura eſt antiquiſſimi Cruquiani Codicis. *Lædit*, offendit.

17 *Ferat*; poſſit auferre, vel accipere.

Pœnæ ſecurus; redhibendi metu, quod non dixerit vitium.

18 *Dicta tibi eſt lex*; ita enim legimus in Bentleii edito Libro pro eo quod in aliis eſt *dicta tibi lex*. Atque hoc quidem fecit contra conſuetum ſibi morem: nam inutilia et trahentia omittere ſolebat. *Eſt* autem hoc loco videtur haud inconcinne interpoſitum.

19 *Hunc*; callide demonſtrat ſe digito, tanquam notæ fidei homuncionem.

Moraris; detines: leni Charientiſmo pro inquietas.

Exſpectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat: poſt hoc vehemens lupus, et ſibi et hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præſidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summe munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honeſtis;
Accipit et bis dena ſuper ſeſtertia nummûm.
Forte ſub hoc tempus caſtellum evertere prætor
Neſcio quod cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentem.
I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia: quid ſtas?
Poſt hæc ille catus, quantumvis ruſticus, Ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.
Romæ nutriri mihi contiget, atque doceri
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ;
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,

32 Facti *Cun.* Factus—ornatus *coll. Sax.*—36 Mentis *Cun.*—44 Vellem *ex MSS. Cun.*

21 *Mancum*; manu debilem et inutilem, paralyticum altera manu.

Sævus; immaniter iratus.

22 *Rediret* magis placet, quam *veniret*. *Venit* epiſtola etiam ejus qui ultro ſcribit: *redit* ejus, qui reſpondet ad ſe miſſis amici literis. Pigrior, cujus non *redit* epiſtola. G.

23 *Quid tum profeci? prædicendo vitium meum.* Vet. Schol.

Mecum facientia; *quæ pugnant a me.* Landinus.

24 *Attentas*; *ſolicitas.* Vet. Schol. Experiris.

Super hoc, ἐπὶ τούτῳ. Cruquius.

26 *Collecta viatica*; prædando ſcilicet Viaticum viæ ſubſidium eſt.

27 *Ad aſſem*, Proverbiali ſermone dicimus, cum omnia amiſimus.

28 *Vehemens lupus*, ſupple *tanquam*, vel *factus*; ſic et Homerus, Λυκὸς ὡς; ut ſit Proverbialis Elocutio.

29 *Acer*; calidus, vehemens.

30 *Præſidium regale*; Mithridatis Præſidium quod Tigranocertæ erat, uti ex Dione oſtendit Cruquius.

Loco dejecit; ſtatione ſua deturbavit. He DISLODGED THEM.

32 *Donis*: *militaria dona, coronæ, torques et phaleræ.* Torrentius. Male nonnulli Codices legerunt *opimis* pro *honeſtis*. B. De hoc more Romanorum virtutem militarem ornandi vid. Broukhuſ. ad Tibull. p. 23. Z.

34 *Prætor*; *ſignificat olim Duces Imperatores dictos, Præfectos Prætores. Valerianus Servilianus Præfectus erat exercitus.* Vet. Schol. Nam ipſe Lucullus Athenis agebat apud Brutum.

36 *Addere mentem*; animos adjicere.

38 *Quid ſtas?* Quid hæres, vel dubitas?

39 *Catus*, lingua Sabina acutus eſt.

Ruſticus, et per hoc imperitus et rudis rerum.

Ibit pro *eat*, ἐν ἅδου: nam Comica eſt Enallage.

40 *Qui zonam perdidit*; *Ex fabula Græca ductum, athletæ qui zonam perdiderat.* Vet. Schol.

42 *Iratus Graiis*, ridicule Iliadem ſignificat. *Figurate ſævitiam Cæſaris Auguſti in adverſas partes videtur oſtendere.* Vet. Schol. B. Quin ſimpliciter argumentum Iliados, et initium Μῆνιν ἄειδε θεὰ, reſpicit. G.

Atque inter ſilvas Academi quærere verum.
Dura ſed emovere loco me tempora grato;
Civiliſque rudem belli tulit æſtus in arma.
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis.
Unde ſimul primum me dimiſere Philippi,
Deciſis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas impulit audax
Ut verſus facerem: ſed, quod non deſit, habentem
Quæ poterunt unquam ſatis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem quam ſcribere verſus?
Singula de nobis anni prædantur euntes;
Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur Iambis;
Ille Bioneis ſermonibus, et ſale nigro.
Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.

46 Amovere *Ven. Glar.*—53 Expugnare *e MS. Cun.* Sicujæ *Lamb. ex conj.*—56 Ludos *Sax.*—62 Nimium diu *Cun.*

43 *Artis*, doctrinæ.

44 *Curvo dignoſcere rectum*; virtutem, quæ in medio duorum vitiorum eſt, ad rationis examen exigere. B. Non abſurde putat Dacerius, Geometriæ elementa hic intelligi, ſine quibus nemo tum apud Academicos philoſophabatur. Sanadonus his jam Romæ Flaccum eſſe imbutum, exiſtimat. G. Aſſentior Sanadono, et intelligo locum de ſtudio philoſophiæ. Z.

45 *Quærere verum; jucunde hoc, quia quærunt verum, ut negent idem inveniri poſſe.* Vet. Schol. Hoc loco profitetur ſe Academicum.

46 Omnes fere MSS. legerunt *emovere* pro *amovere.*

47 *Æſtus*; tempeſtas, procella. *Et Brutus tunc Achaiam et Athenas tenebat, cui cognitus erat a ſtudio Philoſophiæ.* Vet. Schol. Cruq.

50 *Deciſis humilem pennis*; *ſignificat ſe proſcriptum fuiſſe.* Vet. Schol. Quantum debemus Auguſto quod proſcripſerit eum!

51 *Laris*, Metonymice pro domo, in qua *Lar* colitur.

Audax; bonum paupertatis Epitheton: nam *Hominem experiri multa paupertas jubes*, ut ait Publius Mimus.

52 *Quod non deſit*; mire pro quantum non ſinat ut egeam.

53 *Cicutam poſuit pro helleboro.* Vet. Schol. Satirice, ac ſi helleborum venenum crederet. Lambinus ex ingenio ſuo *Sicyie* repoſuit. Quantum eſt habere palatum! B. *Cicuta* ſummo gradu refrigerat. Vid. Plin. 25. 13. Ergo æſtum etiam illum et fervorem, quo Poetæ caleſcunt, domare poteſt. Perſ. 5. 145. *calido ſub pectore maſcula bilis Intumuit, quam non exſtinxerit urna cicutæ. Expugnare* pro *expurgare* commodum huic rei videtur. *Cicuta* non *purgat* ut helleborum, ſed *pugnat* contra calorem. G.

54 *Melius dormire*, ſatis frequenti Proverbio hoc dicimus.

55 *Euntes*: decedentes, cum jam ſol noſter vergit in occaſum.

56 *Ludum*, Muſicam et Choreas.

57 *Tendunt*, nituntur. B. *Extorquere* poemata, ut v. 139. *extorta voluptas*, auferre voluntatem ſcribendi. G.

Quid faciam vis? Cum ceſſet mens, deſint vires.

59 *Carmine*; Lyrico: etiam Epos accinitur Lyræ. Δόσε μοι λύρην Ὁμήρου. Anacreon. B. *Iambos* etiam a *Lyricis* ſeparat Epiſt. 1. 19. 23. ſqq. G.

60 *Bioneis ſermonibus*; ita Satiram appellat

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter;
Quod petis, id ſane eſt inviſum acidumque duobus.
Præter cætera, me Romæne poëmata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas totque labores?
Hic ſponſum vocat, hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; viſendus uterque;
Intervalla vides humane commoda. ¶ Verum
Puræ ſunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.
Feſtinat calidus mulis gerulisque redemtor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris;
Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.
I nunc, et verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis et umbra:
Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos

63 Quod tu *Bentl. ex MS.* Petit alter *Sax.*—65 Romæne *omnes MSS. apud Cruq. G. Z. Med.* 1477. *F. Lamb. Stepb. &c.* Romæ mene *Ald.* Romana *ſolus forte Baxt.*—68 Valle *Sax.* Quirino *malit Heinſ. ad Ovid. Faſt.* 375. *it. Cun.*—70 Rerum *Cruq. ex MSS. conf.* v. 84.—71 Plures *Glar.*

a Bione Boryſthenite Philoſopho, qui neque diis, neque hominibus pepercit. *Sunt autem diſputationes Bionis Philoſophi, quibus ſtultitiam arguit vulgi, cui pene conſentiunt carmina Luciliana.* Vet. Schol. Alter hic erat Lucianus. B. Firmari hæc poſſunt ex Laërt. 4. 52. et quæ ibi Meibom. G.

Sale nigro; lividis jocis. Vet. Schol. Alias utebantur nigro ſale in conviviis. Vide Sat. 2. 4. 74.

63 Pro *tu quod* Bentleius poſuit *quod tu*, fortaſſe aliquando dulciori ſono.

Jubet, optat. Δραματικῶς *Characterе tanquam ad ipſos convivas loquitur.* Vet. Schol.

65 *Præter cætera: omiſſis aliis rebus.* Vet. Schol. Quinetiam.

Neſcio cur in Bentleii edito Libro *Romæne* eſt pro *Romana*, nulla ſub auctoritate. B. Dormitavit vir doctus. Vid. Var. Lect. G.

66 *Curas*, negotia, moleſtias.

67 *Sponſum; ut pro ſe ſpondeam.* Vet. Schol. B. Conf. Sat. 2. 6. 23. G.

Auditum ſcripta; Satirice et παρὰ προσδοκίαν hoc intulit; quomodo et Juvenalis inter cæteras peſtes infert, [3. 9.] *Auguſto recitantes menſe Poetas.*

68 *Officiis*, quæ inter amicos intercedunt: ut exempli gratia quæ ſequuntur.

Cubat, per Euphemiſmum pro ægrotat: alias *decumbit* dicitur.

70 *Humane commoda*; Comica Ironia hæc; humani enim cavere ſolent, ut dum potentes adeunt, juſtum intercedat intervallum, dum ſalutant. Nos diceremus; A PRETTY CIVIL DISTANCE. B. Ironiam ita intelligo: *intervalla* loci et viæ, inter *collem Quirinum* et *extremum Aventinum*, incommoda homini, vix e quo facilia. G.

72 *Calidus*, ſudans, properans.

Geruli ſunt qui portant neceſſaria ad fabricam. Vet. Schol.

Redemtor, ædium condendarum conductor.

73 *Torquet*, trochleis ſuis trahit.

Tignum, trabem. B. Vid. Juven. 3. 255. G.

74 *Funera*; corpora feretris elata cum nigro Libitinariorum grege.

76 *Canoros*, ſublimes. B. Bene modulatos. G.

77 Mire *chorus*; quia in ſilvis Satiri et Nymphæ, Bacchi chorus, ſaltant; cujus in clientela ſunt et Poetæ. B. Conf. Epiſt. 1. 19. 3. it. hic 104. G.

Vis canere, et contracta ſequi veſtigia vatum?
Ingenium, ſibi quod vacuas deſumſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitque
Libris et curis, ſtatua taciturnius exit
Plerumque, et riſu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis, et tempeſtatibus urbis,
Verba lyræ motura ſonum connectere digner?
Frater erat Romæ conſulti rhetor, ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores;
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Quî minus argutos vexat furor iſte poëtas?
Carmina compono, hic elegos; mirabile viſu
Cælatumque novem Muſis opus. Aſpice primum,
Quanto cum faſtu, quanto molimine circum-

80 Contacta *G. S. Med.* 1477. Cunctata *Cun. et Sax.*—81 Sqq. ſibi qui—Ut ſtudiis—taciturnior *Cun. ſolus.* 87—140 *Dan. Heinſius transfert ad* Epiſt. 2. 1. 229. *Boivinus ad* 118. *Utrumque refellit Bentl.*—89 Craſſus *pro* Gracchus *conj. Bentl.* Huic ut M. ille *ſic* XL. *editt. ap. Cun.* Hic—illi *al.*—90 Verſat *Bentl. e conj.*

78 *Umbra*; nemorum ſolitudine.

80 *Contracta*; arcta: nam preſſo et circumſpecto gradu incedunt: *ut ea ſequendo vix contigerit imitator*, inquit Vet. Schol. Pro *contracta* Bentleius poſuit *non tacta*, levi vel nulla de cauſa: maxime hic turbatur ab imperitis Librariis. Antiquus tamen Interpres facit pro me, vel ſaltem ego pro illo. *Verba Togæ ſequeris, junctura callidus acri.* Perſius 5. 14. A page *contacta* et *cantata*. B. Dacerius *contracta*, i. e. pene deleta. Sanadonus *cunctata*, incerta, dubia. Vet. Schol. videtur *contacta* legiſſe. Nihil melius vulgato *contracta*, i. e. anguſta, quæ pauci ſequi poſſunt, ut στὴ πύλη Matth. 7. 13. G.

81 *Ingenium*; ego autem non me gero pro ingenio. Obiter Satiram ſtringit in umbratiles ſtudioſos.

82 *Inſenuit*; *impalluit, immortuus eſt.* Vet. Sch. ita enim legendum pro *immoratus eſt*. B. *Inſenuit* ut *inhumanæ Camenæ ſenium* Epiſt. 1. 18. 47. G.

83 *Curis*, ſtudiis.

Statua taciturnius; Proverbium eſt. Scite Neutrum pro Maſculino.

Exit, redditur, efficitur.

84 *Quatit*, concutit.

86 *Digner*, *condignum arbitrer*. Vet. Schol. Vin' tu ut populus me itidem derideat ut illum, per plateas meditantem?

87 *Frater*, h. e. tanquam juratus frater. Bentleius plurimum deſudat ut *Factus* fiat de *Frater*, verum incaſſum. Hi coitione tantum erant *fratres*. B. Etiam ſi *fratres* ponas ſanguine: tamen poteſt *frater* etiam reduplicative poni, *Frater erat* adeo frater, i. e. ſimilis, *ut*, &c. Vid. Ser. 2. 3. 244. G.

88 *Honores*, eximias laudes.

89 Tiberius et Caius Gracchus, Corneliæ filii, dicendi gloria præcipui; contra Publius Mutius Juriſconſultus erat egregius. Bentleii Editio male *Mucius* pro *Mutius*. B. Quin MUCIUS libri, lapides, nummi, Græci. G.

90 *Argutos*; ſonoros, ſublimes.

Vexat, agitat. Bentleius vitioſe *verſat*, atque ex mera ſua conjectura.

91 *Carmina compono*, vult videri et ſe ipſum tangere. B. Ut per communicationem tanto audacius ſtultitiæ illius ſibi conſcios poſſit perſtringere. G.

92 *Cælatumque*; Ἐνάργεια. Vet. Schol. *Cælatum, pictum, affabre variegatum* [Schol. Cruq. *omni genere poeſeos quaſi ad vivum expreſſum*]. Splendida hæc Metaphora tam ad Carmina quam ad Elegos referenda eſt, etſi ἀσυνδέτως. Bentleius inſcite poſuit *Sacratum* de ſuo, pro *Cælatum*. B. Nempe *mirabile opus* intelligit ædem Palatinam, vel illam Herculis Muſarum: hanc vel *cælatum* opus *muſis* vult intelligi, i. e. ſignis illarum exornatum, vel legi, ut ipſe ex conjectura poſuit, *ſacratum muſis opus*. Poſt lectas longas ipſius et Maſſoni diſputationes placet ſimplicitas hic propoſita et expoſita. G.

93 *Molimine*, grandi et meditato geſtu.

ſpectemus vacuam Romanis vatibus ædem.
Mox etiam, ſi forte vacas, ſequere, et procul audi
Quid ferat, et quare ſibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Diſcedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, niſi Callimachus? ſi plus adpoſcere viſus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine creſcit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum ſcribo, et ſupplex populi ſuffragia capto;
Idem, finitis ſtudiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent ſcribentes, et ſe venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant quidquid ſcripſere, beati.
At qui legitimum cupiet feciſſe poëma,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti;
Audebit quæcunque parum ſplendoris habebunt,

95 Vacat *Ven.*—96 Qui ferat, aut *Zar.*—98 Limina *Med.* 1477. Lumina prona *MSS. 2 Bland. apud Cruqu.*—100 Si plus ſe attollere *MS. Cruq.*—102 Vates *Cun.*—107 Scriptores, ſed *Sax.*

Circumſpectemus: una pars Orationis eſt, diviſa in duos verſus, Lucilii more antiquo. Vet. Schol. B. Schol. Cruq. *Ut negemus, in templo Apollinis ullos poetas Romanos habere aut recitare ſua carmina.* Itaque *vatibus* ablativo caſu accipit. Sed mihi hic certe videtur verum vidiſſe Bentleius, et ita explicandus h. l.: Facit nos ſuperbos ædes Apollinis *vatibus* (Dativo) *vacua* et deſtinata. G.

94 *Vacuam*, liberam, vacantem, et per hoc frequentem. *Vacuus* etiam dicitur qui ſemper *vacat* amicis.

Ædem; Apollinis Palatini et Muſarum.

95 *Si forte vacas*; ad nugas ſcilicet audiendas.

96 *Ferat*; adducat: cum vultu proferat.

97 *Cædimur*; Critico gladio acriter decertamus.

98 *Lento Samnites*; *Tanquam Samnites quorum pugna flataria eſt.* Vet. Schol. B. Forte *lento* etiam, quia interdum arma ludicra, quibus nihil, aut tarde decernitur. G.

Ad lumina prima; *unde et Ennius: Bellum æquis manibus nox intempeſta diremit.* Vet. Schol. Sed hæc Ironice dicta ſunt: nam contrarium intelligitur. B. An *lumina prima* cœnæ potius tempus ſignant? Sic certe de h. l. Lipſius Sat. 1. 6. ubi gladiatores in triclinio pugnantes exhibet. G.

99 Carminibus ſuis *Alcæum* imitatus eſt Horatius.

Puncto, ſuffragio, juxta Legem Tabellariam. Vet. Schol. Cruq. Nam *punctis* numerabant ſuffragia in Tabellis. B. Vid. A. P. 343. G.

100 *Callimachus*; egregius hic Elegorum Scriptor. B. Quinct. 10. 1. 58. *Princeps habetur elegiæ.* Sed videntur quidam prætuliſſe Mimnermum: certe ita intelligit h. l. Vet. Schol. Cruq. *Mimnermum laudat tanquam primum in elegis ſcribendis.* G.

101 *Mimnermus duos libros luculentos ſcripſit.* Vet. Schol.

Optivo, adoptivo. Vet. Schol.

102 *Multa fero*; nam recitantibus adeſſe cogor.

104 *Mente recepta*; *ex inſania Poeticæ profeſſionis ad me rediens.* Vet. Sch. B. Vid. Epiſt. 1. 19. 3. it. A. P. 296. G.

105 *Obturem*, obturare poſſim. *Tractum eſt hoc a ſacerdotibus Martis, qui dum ſacra celebrarent, cera obturabant aures, ne aliquo ſono mens eorum inquietaretur.* Vet. Schol. Cruq. B. Nota

Et ſine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtæ.
Obſcurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum,
Quæ priſcis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc ſitus informis premit et deſerta vetuſtas:
Adſciſcet nova, quæ genitor produxerit uſus.
Vehemens et liquidus puroque ſimillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua:
Luxuriantia compeſcet; nimis aſpera ſano
Levabit cultu; virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit; et torquebitur, ut qui
Nunc ſatirum, nunc agreſtem cyclopa movetur.
¶ Prætulerim ſcriptor delirus inerſque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam ſapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,

122 Depaſcet *conj. Cun.*—125 Imitatur *Z. Med.* 1477.—128 Argos *MSS. Torr. it. Sanad.*

etiam fabula Ulyſſis, aures ſociorum obturantis ad cantum Sirenum. G.

Impune, ſine ullo periculo. B. *Impune* poteſt negare operam aurium recitantibus, qui ipſe recitare non cupit. G.

106 Conf. Ser. 1. 1. 66. *Populus me ſibilat*, &c. G.

111 *Splendoris*, dignitatis.

112 *Pondere*, gravitate.

Honore, honeſta ſtatione, ſive ordine.

Ferentur, videbuntur. B. Mihi videtur Metaphora, a turbida aqua torrentis, quæ *fertur* rapido curſu, *fluit lutulenta* ut Sat. 1. 4. 11. Contrarium hic v. 120. G.

113 *Movere loco; Cenſores quos notabant loco movebant.* Vet. Schol. Cruq.

114 *Intra penetralia Veſtæ*; h. e. *Quamvis ſacroſancta videantur.* Vet. Sch. Cruq. Proverbium de non tangendis. Primo calore inveniendi omnia videntur egregia. B. *Intra penetralia Veſtæ* Palladium eſt, quo nihil carius. G.

115 *Bonus*, æquus. B. Compara A. P. 47. ſqq. G.

118 *Situs informis*; *Lanuginoſus mucor.* Landinus.

Premit, celat.

Deſerta, deſolata, ſola, derelicta.

119 *Adſciſcet*; aliunde aſſumet.

Produxerit, in medium protulerit.

120 *Vehemens*, per Synæreſin profertur.

Liquidus, pellucidus.

122 *Compeſcet*, tanquam vinitor ſua falce. B. Sed *compeſcitur* proprie pecus ne luxuriando et exſultando diſſipetur. Illa falcis et ablationis cogitatio fecit, ut *depaſcet* conjiceret Cuningamus. G.

123 *Levabit*; molliet, colendo temperabit.

Virtute carentia; inertia, quæ ſine nervis ſunt et ſpiritu.

124 *Ludentis*; Saltantis Pantomimi.

Torquebitur, h. e. fiet quod ipſe voluerit: omnes geſtus et motus Pantomimus novit, ſic et ille Dramaticos Characteras.

125 *Satirum*; molliſſimum ſaltationis genus. *Saltantes ſatiros imitabitur Alphesibœus.* Virgilius E. 5. 73. B. Utraque perſona occurrit in Cyclope Euripidis, ubi ex ipſa comparatione diverſorum motuum voluptas. G.

Cyclopa; duriſſimum genus ſaltationis, quod Polyphemum referebat.

Movetur; quoniam ſaltatio infamis res erat, temperabant ſibi a vocabulo, et *moveri* pro ſaltare dicebant. Geſticulando autem ſaltabant Pantomimi. B. *Motus Ionici* ſunt Car. 3. 6. 21. Add. A. P. 232. G.

126 Dixerit aliquis, ſi tanto labore opus eſt, malo delirus haberi, et mihi placere. Reſpondetur a v. 141. G.

Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro;
Cætera qui vitæ ſervaret munia recto
More; bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ;
Poſſet qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curiſque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe; Pol, me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error.
¶ Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum;
Ac non verba ſequi fidibus modulanda Latinis,
Sed veræ numeroſque modoſque ediſcere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacituſque recordor;
Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,

140 *Pro* per vim, pretium *Zar.*

127 *Fallant; lateant, ſic ut mala eſſe neſciam.* Vet. Schol. Cruq. Metabatic῀ς hæc intulit. B. *Denique*, omnino, *ſo gar.* Z.

128 *Ringi*; torquere os, ut canis: hoc faciunt qui cruciati riſum fingunt. *Hic ringi eſt ficto riſu lætitiam ſimulare.* Vet. Schol. Cruq.

Haud ignobilis; Hic Lycas dictus eſt. Vet. Schol. Cruq.

Argis; apud Græcos: nam Abydi fuiſſe oſtendit Ariſtoteles de Mirabilibus. Hoc monuit Cruquius. B. An *Argis* ſignificare poſſit inter Argivos, non dixerim. Ariſtoteles non nominat *Lycam.* Poteſt eadem inſania bis obſervata eſſe: poteſt, ut ſit, interceſſiſſe error. Ceterum ſimilis inſaniæ exemplum Thraſyllus Æl. V. H. 4. 25. G.

131 *Servaret*, obiter.

132 *Sane*; re, non ſimulate, vel etiam valde. *Amabilis*; ſuavis, benignus.

134 *Signo laſo*; effracto ſigno, quo ſignabatur lagenæ cortex, ſive ſuber. Vult ſignificare ſatis fuiſſe liberalem. *Lagena*, vas erat fictile, ſeu minor cadus: noſtris, A JUG. Vide Sat. 2. 8. 81.

136 *Opibus*; ope, auxilio.

Refectus; ad ſanitatem iterum perductus.

137 *Bilem*; ſupple *corruptam*, vel *atram.*

Meraco; non admodum diluto, ob tantam dementiam.

140 Pulcherrimam ſententiam parit lectio Zaroti, qua *pretium mentis* dicitur *error gratiſſimus*: q. d. facile aliquis ſana mente careat, ut tam jucundo errore fruatur. Conſilio emendandi adſcribi vix poteſt in editione tot deformata ſphalmatis: igitur aut ex bono archetypo eſt, aut caſus plane ſimilis illi, cum impacta temere ſpongia. Nealcis equo ſpumam effecit, quam ars pictoris deſperarat. G.

Gratiſſimus error; unde illud Græcum: Ἁμαρτία θράσος. Vet. Schol. ex MS. Stephani, h. e. *Error audaciam parit.* Eſt et aliud ſimile huic Ἁμαθία θράσος, h. e. *Ignorantia audaciam parit*; quæ nollem a Stephano confuſa.

141 *Nimirum*; quantum ex jam dictis licet conjicere. B. Reſumit hic perſonam ſuam poeta. Diſputatum adhuc fuit, melius eſſe irrideri, quam ſcribendi laborem ferre. Subjicit Horatius, Nimirum optimum eſt plane non facere verſus, ſed tempus in morum potius diſciplina conſumere. G.

142 *Tempeſtivum*; pueris, non mihi jam ſeneſcenti.

143 *Sequi*, quærere.

144 *Numeri* verſus ſunt, *modi* lyræ.

Narrares medicis. quod quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius; fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audîeras, cui
Rem Dî donârint, illi decedere pravam
Stultitiam; et cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es; tamen uteris monitoribus îsdem?
At si divitiæ prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est quod quis libra mercatus et ære est,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbî,
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. das nummos; accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum,
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emtor Aricini quondam Veientis et arvi

148 Nulli te farier *Zar.*—152 Donarent *edd. vett.*—154 Rationibus *Lamb. MS. Bos. it. G. et S. a manu prima.*—155 Sapientem *S.*—158 Mercatur et ære, *Ven. Glar.*—161 Daturas *etiam Bentl. ex MSS.* Daturus *etiam Z. edd. vett.*

145 *Recordor*, in animum revoco, revolvo. B.

146 Hæc sententia de siti et cupiditate habendi debetur Aristippo. Vid. Plutarch. de Amore Divit. Z.

147 *Narrares medicis*; metu scilicet hydropis. B. *Quod*, quantum attinet ad hoc. Z.

150 *Levius*, tolerabilius.

151 *Audieras*; a vulgo scilicet, cui semper in ore est, *Sapere divites*, atque *Dementes esse pauperes*.

152 *Donârint*; ita recte Bentleius [pro *donarent*] etsi de suo. B. Juven. 3. 153. *Ridiculos facit paupertas*. G.

Pravam, perversam.

155 *At*, quinimo: insuper.

156 *Nempe rubores*; concedo quod deberes erubescere.

157 *Viveret in terris*; vulgaris forma loquendi est.

158 *Libra et ære, verba sunt Juris, cum per libram expensa pecunia; per æs ipsum pretium demonstratur: unde et libripens hujusmodi testificationi adhiberi solet.* Vet. Schol.

159 *Mancipat*; mancipio dat, vel legitimam possessionem facit.

Usus; usus fructus, non usucapio neque Usurpatio, ut quidam volunt.

160 *Villicus Orbî*; cujus agrum tu conduxisti mercede: nam qui agros conducebant: et villicum et servos una conducebant; sic et qui emebant. B. Non, puto, conduxit vel Orbii, vel cujusquam agrum unquam Horatius: sed sic argutatur: meus est ager, qui me alit, sive eum agrum totum simul emam, sive per intervalla, quoties aliquid opus est. G.

161 Pro *daturus* cum Cruquio et Torrentio reposui *daturas*, et MSS. confirmant.

166 *Refert*, supple *ad tua negotia*.

Numerato nuper; pretio agri per partes numerato; quod tu facis dum pensionem solvis quotannis. B. Potius, dum de fructibus emis, quoties opus est. G.

Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum;
Sed vocat uſque ſuum, qua populus adſita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic quia perpetuus nulli datur uſus, et hæres
Hæredem alterius, velut unda ſupervenit undam;
Quid vici proſunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, ſi metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
Argentum, veſtes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant; eſt qui non curat habere.
Cur alter fratrum ceſſare, et ludere, et ungui
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter,

169 Gelidum *Sanad. male.*—171 Refigit *etiam Bof. et Cun.*—173 Morte *Bentl. ex MSS. et primis editt. Et ſic G. S. Z. Med.* 1477, *&c.*—175 Sed *MS. Sanad.*—177 *Pro* vici, vites *Marc. ex Porphyr.*—182 Curat *etiam G. Z. Bentl. vulg.* curet.

167 *Emtor Aricini;* qui ſcilicet a multis retro ſæculis Aricinum, vel Veientem agrum de populo Romano emerat. B. Illud *quondam* non ad antiquiſſima tempora reſpicit, cum agrum populorum a ſe devictorum privatis vendidit populus: ſed hoc modo vult, Qui longo ante tempore emit agrum, quales ſunt ſuburbani illi Veientes et Aricini, ille proprie non cœnat *dapes inemptas* [quas laudat Ep. 2. 48.] ſed emtas in ſumma illa, quæ pro toto agro ſoluta eſt. G.

170 *Qua populus;* agri limites feſtive deſignat.

172 Non placet Bentleii *refigit*, ex obſcurioris notæ Membranis aliquot. Servius ipſe legit *refugit*, ut vel ipſe notat Bentleius. B. *Refugit*, evitavit, i. e. cavere ſolet ac prohibere. Ter. Andr. 4. 4. 27. Chremes, *Recte ego*, inquit, *fugi has nuptias*, non de ſuis loquens, ſed filiæ, quas prohibebat. G.

173 *Nunc vi;* ſe proſcriptum meminit: eſt autem, *Nunc prece nunc pretio* trita loquendi formula.

Sorte ſuprema, morte. B. Si *morte* ſit vera lectio, *ſuprema* habet hanc vim, ac ſi diceret, nunc morte denique. G.

174 *Cedat;* tranſeat, abeat.

176 Bentleius de ſuo poſuit *alternis*, fruſtra. B. *Alternis* eas vices ſignificat, ut unus tradat alteri, quod ab illo recepturus eſt, ut regnum Thebanum debebant alternis habere Eteocles et Polynices. Hic de ſucceſſione agitur ſimpliciter, et illud *alterius* facit ut tres gradus ſucceſſionis deſignentur. Hoc etiam in undis ita eſt: quæ unda undam truſit, ea non ab hac, ſed a tertia ſuperveniente impellitur. G.

177 *Vici;* Prædia. *Omnium vicos et prata contemno;* Cicero ad Atticum. Nil opus eſt legi *vites*. Eſt autem *vicus* a Græco οἶκος; ſed pluribus et ſervilibus familiis conſtat: hodie *manerium* dicimus.

Horrea; ingentia granaria.

178 *Saltibus, latifundiis porrectis per plurimos montes. Eſt autem Calabria præter cæteros reditus, etiam rei pecuariæ et lanarum mollium ferax, item Lucania.* Vet. Schol.

Orcus, terra eſt, Chaldæis ארקא: puto vocem eſſe Punicam.

179 *Cum parvis*, æque atque parva: et terribiliter hæc dicuntur.

180 *Tyrrhena ſigilla; Tuſci primi in Italia ſigna de marmore poſuerunt.* Vet. Schol. B. Vid. Vitru. 3. 2. G.

Tabellas, ſupple *pictas*.

181 *Gætulo Mauro: ſignificat enim purpuram Girbitanam.* Vet. Schol. B. Conf. ad Car. 2. 16. 35. G.

Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Silveſtrem flammis et ferro mitiget agrum;
Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum-
quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar, et ex modico, quantum res poſcet acervo
Tollam; nec metuam quid de me judicet hæres,
Quod non plura datis invenerit. et tamen idem
Scire volam quantum ſimplex hilariſque nepoti
Diſcrepet, et quantum diſcordet parcus avaro.
Diſtat enim, ſpargas tua prodigus, an neque ſumtum
Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut feſtis quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domu procul abſit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.

199 Domus *edd. pr. et vulg.* Procul *MS. Bentl. Cun. V. No.*

183 *Alter fratrum*; Terentianus ille Micio. B. Neſcio an hos cogitarit. G.

Ceſſare, otiari. Vet. Schol. Cruq.

184 *Herodis palmetis*; juxta Hierichuntem ſitis, unde maximi reditus tam ex palmis, quam ex balſami viridario, atque aliis rebus provenere. B. Vid. Strabo 16. p. 525. G.

Pinguibus, opulentis.

Alter; Demea.

185 *Importunus*; improbus, indefeſſus.

Luçis; ſolis.

186 *Silveſtrem*; ſenticoſum, et per hoc ſterilem.

187 *Genius*; modo Sol, modo ipſa hominis anima, ut in hoc loco.

Aſtrum natale; Metonymicως fatum. *Geminos Horoſcope varo Producis genio.* Perſius 6. 18.

188 *Naturæ Deus*; Ἡ γὰρ φύσις δαιμονία, h. e. Natura noſtra genialis eſt; ut ait Ariſtoteles, Naturæ ipſius conſcius: cum ſit Ἐξήγησις τῆ τρόπω τῆς τῆ παντὸς διοικήσεως; quod eſt, *Repetitio* [malim *explicatio*] *modi quo univerſa rerum natura adminiſtratur*; ut olim Heraclitus ὁ Σκοτεινὸς, cum vellet dicere eam eſſe Imaginem Dei, vel *Divinæ auræ particulam.* Τὸν θεῖον λόγον δι ἀναπνοῆς σπάσαντες νοεροὶ γινόμεθα, Heraclitus, referente Sexto Empirico [M. 7. 129.]. Qui quidem θεῖος λόγος Virgilio dicitur Ænead. 3. 600. *Cæli ſpirabile lumen.*

Mortalis in unumquodque caput; Hoc ſecundum Phyſicos protulit, qui ſingulares animas in originem ſuam redire voluere.

189 *Mutabilis*; varius.

Albus et ater; felix et infelix, et per hoc, liberalis et illiberalis. Secundum hoc homines vel εὐδαίμονες, vel κακοδαίμονες dicuntur: nam albus color cœleſtium eſt, adeoque fauſtus, atque ater contra dirus et funeſtus, utpote lemurum proprius.

190 *Utar*, ſimpliciter, pro utar rebus meis, ſumtum faciam, ut ſæpe veteres, et Sen. controv. 14. *Naviga, milita, peregrinare adoleſcens; utere ſenex.* G.

Res, ſupple, *præſens.* B.

192 *Datis*, a Mæcenate, interpretatur Lambinus. Sed ſimplicius veriuſque eſſe videtur, ſi explicas, quam quæ acceperit, ſ. quam quæ per teſtamentum aut jus hæreditatis ei tradita ſint. Z.

193 *Scire volam*, Comice profertur, pro *diſcernam.* B. *Scire volam*, oſtendam me ſcire, ut Epiſt. 2. 1. 35. *Horres*, i. horrere te fateris. G.

Simplex; liberalis, apertus.

197 *Quinquatrus a quinque diebus, qui dies ad Ferias Minervæ pertinent.* Vet. Sch. Eo tempore Scholarum diludia celebrabantur.

Olim, aliquando.

199 *Pauperies*, h. e. tantum opto uſui.

Lambinus alicubi legerat *domu* pro *domus*; neque dubito quin ea vera ſit lectio. Eſt etiam *domu* apud Cornelium Nepotem, et Plautum. Bentleius de ſua conjectura poſuit *procul, procul abſit* pro *domu procul abſit.* B. Si quid mutare velim, pro *domus* vel *domu* ponam *modo*:

Non agimur tumidis velis aquilone ſecundo;
Non tamen adverſis ætatem ducimus auſtris;
Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis uſque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cætera jam ſimul iſto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides?
Natales grate numeras? ignoſcis amicis?
Lenior et melior fis accedente ſenecta?
Quid te exemta juvat ſpinis de pluribus una?
Vivere ſi recte neſcis, decede peritis.
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti;
Tempus abire tibi eſt; ne potum largius æquo
Rideat et pulſet laſciva decentius ætas.

204 Extremique priorum *Sax.*—206 Fuge, rite caret *MSS. ap. Torr. G. Bos. S. Z. Med.* 1477. *F.*

quod permutari ſæpius obſervat Bur. ad Ovid. Art. 1. 361. *Procul* repeti, nimis hic Tragicum vel Paratragicum potius. Sed nec *domus* nec *domu* damnare auſim. G.

Utrum modo poſuit pro *ſive*. B. Senſus eſt: Utrum nave magna an parva vehar, nil refert, quia tamen ego vehor, &c. Z.

203 *Viribus*, valetudine.

Specie, *virtute*, *loco*, h. e. forma, eruditione, et dignitate.

205 *Non es avarus:* hoc enim tu ais, et nos utique concedimus.

Abi; euge, beatus es. Ἐν ἅπασι profertur. B. Ut Ter. Ad. 4. 2. 25. *Laudo, patriſſas, abi, virum te judico.* G.

208 *Somnia; hæc ad ſuperſtitionem referuntur.* Vet. Schol.

209 *Lemures, umbras vagantes hominum ante diem mortuorum, et ideo metuendas. Lemuria menſe Maio per triduum celebrari ſolebant, ante additum anno menſem Februarium, ob quam rem Maio menſe religio eſt nubere, et item Martio, in quo de nuptiis habito certamine a Minerva Mars victus eſt; obtenta virginitate Minerva Nerine eſt appellata.* Vet. Schol. Cruq. Addito jam Februario novo menſe ſacra Feralia fiebant Diis Manibus XII. Kalend. Martii. *Dum tamen hæc fient viduæ ceſſate puellæ.* Ovid. Faſt. 2. 557. Crediderim eos hoc feciſſe ne pro bonis geniis Lemures nova ſubirent corpora. *Phyſici dicunt eos qui morte violenta concidiſſent non recipi in originem ſuam donec errantes legitimum fati tempus compleviſſent.* Servius ad Æneid. 4. Sic et Tertullianus de Anima.

Portentaque Theſſala; converſiones Magicas. B. De his pleni libri Apuleianarum Metamorphoſeon, propter quas in Theſſaliam ipſe abiit, &c. Sic Epod. 5. 45. G.

210 *Grate numeras*; hilariter agendo, uti liberalem et ſapientem decet, ſingulis natalibus.

212 *Juvat*; verbum medicum eſt, pro *levat*: et Cruquiani Codices habebant *levat*, ex aliquo Scholiaſte, ut puto. Quin et Bentleius prætulit *levat*. B. Senſus eſt: Non uno vitio, ſed omnibus, purus eſſe debes. Z.

213 *Vivere ſi recte neſcis*; h. e. Si nequis ulterius ad animum tuum vivere per ætatem.

Decede peritis; via cede junioribus, h. e. contentus vita excede. B. Si ſapere neſcis, ſ. verſus ſcribere, rebuſque vitæ humanæ jucundis decenter ob ætatem aliaque impedimenta uti non potes amplius; rem concede his qui poterunt. Z.

214 *Luſiſti*, amâſti et ceciniſti. Hæc tanquam de ſe Horatius ſcripſit. B. Nempe a v. 145. ſecum loqui inſtituit. G.

215 *Ne potum largius æquo*; nimis ſaturum convivam.

216 *Rideat et pulſet*; nam pueris ludibrio ſunt temulenti ſenes.

Laſciva Dilogως poſuit: nam *luxurioſa* eſt et *petulans.*—*Vellunt tibi barbam Laſcivi pueri.* Sat. 1. 3. 133.

Q. HORATII
FLACCI
DE ARTE POETICA
LIBER.

AD PISONES.

Hunc librum, qui inſcribitur DE ARTE POETICA, ad L. Piſonem, qui poſtea Urbis Cuſtos fuit, miſit. Nam et ipſe Piſo poeta fuit, et ſtudiorum liberalium antiſtes, in quem librum congeſſit præcepta Neoptolemi [*Parii*] *de Arte Poetica; non quidem omnia, ſed eminentiſſima.* Vet. Schol. B. (Poteſt hic libellus commode haberi pro epiſtola libri ſecundi tertia, qui ſic non major erit libro primo. Nec temporum ratio, aut aliud neceſſarium, quod ſciam, argumentum obſtat. Favet etiam Chariſius, qui p. 182. 3. et 183. 10. ſimpliciter *Epiſtolarum* nomine, quæ hic leguntur, laudat. Mature tamen ut peculiaris libellus laudatur, a Quinctiliano Epiſt. ad Trypho. ubi ſimpliciter *Artem poeticam* vocat, et 8. 3. 60. ex *prima parte libri de arte poetica* ipſum affert principium. Priſcianus quoque et alii Grammatici paſſim *Horatium de arte poetica* citant. An occaſionem ſeparandi voluminis dedit, quod ut *ſomnium Scipionis ex Ciceronis de republica* opere excerptum Macrobius explicavit, ſic mature Grammatici Horatium interpretari cœpere. Certe *Terentii Scauri* (quem Hadriani temporibus aſſignat Gellius 11. 15.) *Commentariorum in artem poeticam Horatii librum* X. laudat Chariſ. p. 182. 5. et 188. 17. In MSS. et priſcis editionibus jam poſt Epodos et Carmen ſæculare ponitur, ut in MS. Gottingenſi, it. in edit. Mediolanenſi 1477, in Veneta 1479, &c. uſque ad H. Stephanum; nunc medio inter Epiſtolas et Sermones loco, ut in editione Zaroti, nunc denique ultimo omnium loco poſt epiſtolas, cujus inſtituti auctor videtur laudatus modo H. Stephanus, qui rationem ejus reddit Diatr. p. 32. Certe non annotavi, qui ante illum ultimo loco poneret Artem, neque qui poſt illum non poneret. Harduino, qui Q. Horatium Flaccum negat auctorem hujus libelli eſſe, reſpondemus locis iis, unde is putat hoc probari. G.) Placet mihi ſententia Wielandii, qui negat, Horatium voluiſſe hic artis poeticæ tradere præcepta, ſed hortatu Pi-

ſonis patris Piſonem puerum, nimis ad verſus faciendos proclivem, a poeſi deterrere, rei difficultate demonſtrata, et vitiis, quæ vulgo ſoleant committi, indicatis.

HUMANO capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne;
Spectatum admiſſi riſum teneatis, amici?
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cujus, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies; ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. ¶ Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
¶ Scimus, et hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim:
Sed non ut placidis coëant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque et magna profeſſis
Purpureus, late qui ſplendeat, unus et alter

2 Qui velit *MS. Berſm. pro* plumas, formas *conj. Bentl.* Pennas *coll. Sax.*—3 Aut *pro* ut *San.*—8 Finguntur *Gott. Med.* 1477. Junguntur *MS. Helmſt.*—9 Reddantur *Zar. MS. Helmſt.*

1 *Humano capiti*; hujuſmodi fere erant ſacræ Ægyptiorum Picturæ, quas ſacras literas, ſeu Hieroglyphica dicebant. *Primum præceptum eſt περὶ τῆς Ἀκολουθίας.* Vet. Schol. hoc eſt, de conſequentia vel convenientia.

2 *Jungere ſi velit*, h. e. ſi ſit junĉturus.

Varias; omnium colorum.

Inducere, proprie ad calamum et penicillum refertur. B. Poteſt pictor *plumas* inducere partibus alioquin humanis, equiniſve. G.

3 *Undique*, ex omni parte; ex quibuſvis ſcilicet animalibus.

Collatis, adeo ut ſingula membrum aliquod de ſuo conferant.

Atrum, h. e. colore fœdum: et Antitheta ſunt *atrum* et *formoſa*. Dea cœleſtis Syrorum, inferiore parte piſcis erat vel ſerpens, quo ſignificabatur marinum et infernum Lunæ imperium. B. Tales Tritones, Nereides, Parthenope, Eurynome, &c. G.

5 *Amici*, domini mei: Amicus major patronus eſt, minor comes, vel cliens, uti ſæpius dictum.

6 *Tabulæ*, ſupple *pictæ*.

7 *Velut ægri ſomnia*, Proverbialis loquendi forma.

Ægri, melancholici.

Vanæ; otioſæ, inutiles et chimæricæ.

8 *Species*; imagines.

Nec pes, nec caput; aliud Proverbium eſt.

9 *Reddatur uni formæ*; h. e. cohærere dicatis, vel ad convenientem ſibi formam reducere valeatis. B. *Reddatur*, reſpondeat, conveniat, ut *Apodoſis*, quæ ad verbum *redditio* eſt, Protaſi: *reddi* alteri dicitur, quod ei debetur, vel quacunque ratione convenit. G.

Pictoribus atque Poëtis; quos tu modo invadis. Subjectio eſt.

11 *Petimuſque damuſque*; *petimus ut Poeta*; *damus ut Critici*. Vet. Schol.

12 *Coëant*; miſceant ſua corpora inter ſe: quomodo Virgilius; *Jungentur jam gryphes equis*. Oſtendit Poeticam licentiam pudenter eſſe ſumendam, et modum ſervandum. Eſtque Metabaſis, ſive Tranſitio ad alterum præceptum, quod eſt De ſervando Themate, ſeu de vitandis inanibus et affectatis Epiſodiis.

13 Baſiliſcum ergo nondum componebant ex gallo gallinaceo et ſerpente. G.

14 *Gravibus*; dignitate plenis.

Plerumque; ſatis frequenter.

Profeſſis; præ ſe ferentibus.

Assuitur pannus; cum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quod vis, simplex duntaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem levia nervi
Deficiunt animique: professus grandia, turget:
Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ.

---

18 Rheni *Sax.*—20 Expers *Z.* Expes *G.*—23 Quidvis *Bentl. et Cun. ex MSS.* Vis quod *MS. Helmst.*—26 Lenia *Bentl. Cun. San. ex MSS.*

---

15 *Purpureus assuitur pannus*; Metaphora a purpureis clavis quæ tunicis Senatorum assuebantur: et *pannos* per contemtum nominat hujusmodi intempestivos excessus.

16 *Cum lucus*; incertum quos notet. Ariciæ erat celeberrimus Dianæ lucus cum ingenti lacu. Πᾶς τόπος σύνδενδρος ἄλσος καλεῖται, ὕδωρ ἔχων καὶ θείοις ἀφιερωμένος. Homeri Interpres, citante Cruquio.

17 *Et properantis aquæ*; fontes designat, qui plurimis rivulis per prata in Aricinum lacum decurrunt. Hoc ostendit Cruquius ex Strabone.

18 *Aut flumen Rhenum*; Poetæ consueverunt Substantiva etiam declinare ad formam Adjectivorum. Sic Ovidius posuit *Caput Augustum*, et *Quirinam Urbem*; et Persius *Heroas sensus*, et *Juvenes jocos*: atque hic noster, *Metaurum flumen*, et *Romulam gentem*.

19 *Sed nunc*; h. e. quantumvis pannus splendeat, et tametsi sit purpureus.

Cupressum scis simulare; tractum est hoc ex antiqua fabella, quam sic relatam habemus a Vetere Interprete. *Hoc Proverbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud bene pingere quam cupressum: ab hoc naufragus quidam petiit ut fatum suum exprimeret; ille interrogavit, num ex cupresso vellet aliquid adjici:* Μή τι καὶ κυπαρίσσου Θέλεις; Hoc Proverbium eruditus vir Henricus Stephanus ex scripto suo Scholiaste eruebat. Notum est naufragos, ad commovendam populi misericordiam, infortunium suum tabella depictum humeris circumgestasse.

20 *Exspes*, ab omni spe destitutus, qui jam desponit animum: neque enim, puto, plausores invenit vel inveniet interpretatio Bern. Martini, Var. Lect. 1. 25. *expedem* hic esse νίσσαν, ore tantum qui exstet, pedibus, et reliquo corpore adeo, aqua occultatis et submersis. G. *Quid hoc*, quid prodest naufrago misero cupressus picta? Z.

21 *Amphora*, vas amplum et quadrilaterum, oblongo collo.

22 *Urceus*, lagena, vas angustum et ventricosum, cui fere forma. *Orca genus est vasis, a quo urceus et urceolus dicitur.* Vet. Schol. Cruq. Nos corrupte Ewer dicimus.

Exit; prodit, quasi ex insperato. B. Cur definit in urceum? h. e. instituitur carmen sublime et tandem fit humile et ineptum. Z.

23 Male Bentleius *quidvis*, et nulla cum auctoritate.

Simplex et unum; continuum et uniforme.

24 *Maxima pars*; ad tertium præceptum properat, quod est De vitandis vitiis in Charactere Stili.

25 *Specie*, supple *falsa*.

Rectum est pravo contrarium, uti pravum et perversum naturæ et rationi.

Laboro; h. e. laborat quis: nam Enallage est Personæ.

26 *Sectantem*, imitari tentantem.

Levia; facilia, mollia et fluentia. Bentleius propria conjectura de *levia* fecit *lenia*: ego nihil mutaverim indicta causa. B. *Lenia* pulchram parit sententiam, et habet multos auctores. Sed quod *devia* conjicit vir doctus, tota via aberrare mihi videbatur. G.

Nervi animique; h. e. robur, et vigor spiritûs. *Sæpe enervatos versus scribit qui dat operam ut scribat delicatos.* Vet. Schol.

27 *Grandia*, sublimia.

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet. hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quam pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus; et verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, et præſens in tempus omittat.

---

32 Unus *Bentl. ex MSS. Cun. San. MS. Helmſt.*—36 Naſo vivere pravo *Lamb. MSS.* 4 *Berſm. MS. Helmſt. et Bentl.*—40 Pudenter *V. D.*—42 Haud ego *G. S. F.*—43 *Pro* nunc, non *V. D.* haud. *MS. Berſm. et Helmſt.*

---

28 *Serpit humi; it per terram, qui non audet magnis ſe imponere rebus;* ut eleganter Vet. Schol. Qui ſcilicet diſerte loqui amat, tenui Stilo contentus.

Procellæ; alti venti, h. e. inflatæ dictionis. *Non tamen alto ſemper feremur: nam et litora interdum ſequenda ſunt.* Quintilian.

29 *Variare;* figurata dictione, ſeu Allegoricis pigmentis, diſtinguere; quod in florido Stilo fieri amat.

Prodigialiter, monſtroſe; quia ſcilicet *ſpecie recti decipitur*, ut acute Franciſcus Luiſinus. B. Contra omnem fidem. Z.

30 Recte *appingit*, cum præmiſerit *variare.*

31 *Culpæ*, reprehenſionis.

Si caret arte; ut caveat Scyllam dum devitat Charybdim.

32 *Æmilium circa ludum;* Quartum præceptum Materiam eſſe deligendam quam poſſimus implere. *Æmilii Lepidi ludus gladiatorius fuit quod nunc Polycleti Balneum eſt.* Vet. Schol.

Exiſtimo *Fabrum imum* dici qui ad capitella columnarum, ferarum προτομὰς, h. e. ungues atque rictus affabre expreſſerat, atque hoc ſolum noverat. Frigidiuſculum videtur Bentleii *faber unus.* Quin iſtiuſmodi ſtatuarius poſſit Poetica circumlocutione dici *faber imus*, quod tantum extrema ferarum noverat exprimere? B. Quidni *ſummus*, qui rictus facit? Quid *faber imus* notat aut in imo vico habitantem, aut ultimum ab arte: *unus* vel pro *aliquis* ponitur, vel ſuperlativum indicat. G.

33 *Exprimet*, poterit exprimere, ſeu ad vivum effingere. Scita Temporum Enallage.

34 *Ponere*, verbum eſt quod ad pictores et ſtatuarios ſpectat: *Pone Tigillinum tæda lucebis in illa.* Juvenalis 1. 155. B. Vid. Od. 4. 8. 7. G.

35 *Curem;* mediter, cogitem.

36 *Pravo*, torto. Bentleius vetuſta quædam Exemplaria ſecutus repoſuit *naſo vivere pravo*, ſatis incondito Rhythmo. Neque me terret, quem dicit, invenuſtus trium ſyllabarum concurſus in VOVIVE.

Vivere; in publico verſari, foras prodire.

37 *Spectandum*, admirandum. B. Quin conſpicuum. Niger color capillorum et oculorum exigua pars formæ; naſus pravus inſigne dedecus. G.

39 *Verſate;* revolvite animis. Metaphora hæc a gerulis deſumta; nam de lignea materia cogitavit.

40 *Potenter; Figuravit ὡς δυνατῶς.* Vet. Sch. h. e. *Secundum quod poteſt*, ut ait alter Sch. B. Seu, viribus, ingenio ſuo convenienter. Z.

41 *Facundia*, ars ſtili; de qua ſcilicet jam dictum eſt: et tranſit ad quintum præceptum, ut doceat Quid ſit Diſpoſitio.

In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis,
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte neceſſe eſt
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget; dabiturque licentia ſumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi
Græco fonte cadant, parce detorta: quid autem
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquiere pauca
Si poſſum, invideor, cum lingua Catonis et Ennî
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum

---

46 *ante* 45 *ponunt omnes præter Bentl.*—49 Rerum, et *Lamb. Glar. et ita* continget *ad apodoſin refertur.*—52 Factaque *Fabric. ex MSS. Bentl. Cun.*—53 Cadent *G. Lamb. Bentl.* Per te *pro* parce *Erf.*—56 Poſſim *MS. Ach. Stat.*

Deſeret, deſtituet, fruſtrabitur.

42 *Virtus et venus, ars et gratia.* Vet. Schol. B. *Virtus* omnis ordinis eſt, *ut jam nunc dicat i. n. d. d.* hoc eſt, ut ſuo quidque loco dicat, ut geſtum eſt. *Venus* et dulcedo ordinis poetici eſt, ut *pleraque differat*, lectorem poematis et ſpectatorem comœdiæ ſtatim in medias res immittat, relicta ab initio ſuo tempore revocet. Partem proximæ annotationis Baxterianæ incluſi, ut nihil pertinentem ad Horatium. G.

43 *Jam nunc dicat, jam nunc differat*, h. e. Lectorem incerta exſpectatione ludat, vel ut vulgo dicimus, tantalizet. *Jam nunc* pro *modo* eſt. [Vix capio quæ dicat hoc loco Bentleius poſt "mille annos." Nodum puto in ſcripto quærit.] *Hoc ſpernat*, h. e. hoc omittat, vel non dicat. Uſitata hæc eſt Μετάλημψις.

Debentia dici, quæ proxime dicenda veniebant: ἃ ἔμελλεν εἰπεῖν.

45 Sextum præceptum eſt, De verbis veteribus et novis. B. Admiſi tranſpoſitionem Bentleianam, remedium magnæ difficultatis blandum, quod ſciunt, qui obſervarunt, librarios, ſi quid in ordine eſſet peccatum, ne librum deformarent litura, minutis notis appoſitis verum ordinem demonſtraſſe; illas porro notulas ob tenuitatem evanuiſſe, ſalvo ipſo contextu orationis pinguioribus literis ſcripto. G.

Tenuis; rarus, infrequens. B. Immo ſubtilis. G.

Serendis, propagandis, ponendis. Vet. Schol. Cruq. B. *Verba ſerere*, ἱέναι, connectere, unde *ſermo* dicitur. Deliberet poeta, quod verbum hoc vel illo loco ponat, ubi aptius ſit unum altero. Univerſim enim de verborum delectu agitur, in quo *tenuem* eſſe jubet Horatius poetam, h. e. ſubtilem et *cautum*. Speciatim deinde de novatis egit. G.

46 *Hoc amet, hoc ſpernat*; h. e. rationem habeat eorum quæ vel dicat, vel prætermittat.

Promiſſi, diu exſpectati et per hoc egregii.

47 *Egregie*; multa cum laude.

Ordo eſt; *Si callida junctura reddiderit notum verbum novum*, ut ſuperiore ſæculo oſtendit Jaſon de Nores Cyprius. *Callida junctura*; i. e. *Elegans et nova Elocutio.* Vet. Schol.

49 *Indiciis*: concinne, quod ſequantur *monſtrare* et *abdita.*

Abdita rerum, Lucretiana Elocutio eſt, pro *res abditas*, h. e. hactenus occultas, et per hoc, novas.

50 *Cinctutis*; contemtim poſuit quaſi nudis. *Cinctutis, exſertis: Exſertique manus veſana Cethegi.* Lucan. (2. 543.) Vet. Schol. ex MS. Mediolanenſi. *Exſertus eſt qui manum et humerum habet nudatum: Ideo cinctuti, quod loco tunicæ cinctum*, h. e. *campeſtre, vel ſubligaculum geſtaret.* Octavius Ferrarius de Re Veſtiaria. *Nunquam tunica uſi ſunt, ideo cinctutos eos dixit, quoniam cinctus eſt genus tunicæ, infra pectus aptatæ.* Vet. Schol. B. Ergo *cinctutos Cethegos* dixit ut Car. 2. 15. 11. *Intonſum Catonem.* Vetuſtatem notat. Cf. Epiſt. 2. 2. 117. Metri cauſa hic confictum *cinctutis*, ait Harduinus; quaſi non potuiſſet *ſuccinctis* dicere. Utitur eo etiam Ovid. Faſt. 5. 10. de Lupercis. G.

51 *Continget*, obtinget, licebit.

Pudenter, cum verecundia, cum cauſa. Vet. Sch.

Nomina protulerit? Licuit, ſemperque licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.
Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos noſtraque; ſive receptus
Terra Neptunus claſſes aquilonibus arcet,
Regis opus; ſteriliſque diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave ſentit aratrum;
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt:

58 Prodiderit *conj. Cun.*—59 Procudere *ex MSS.* Nummum *e conj. Bentl. Cun. San.*—60 Silvis folia privos *Bentl. qui etiam conjic.* nudantur *vel* viduantur. Silvæ ut cum foliis *conj. Cun.* Prono in anno *V. D.*—63 Debemus *MSS. Priſcia. apud Ach. Stat.*—65 Ster. palus aptataque *Marc. ex MSS. et Priſc.* Palus prius *Bentl.* Steriliſve palus dudum actaque remis, *vel* pulſataque remis, *vel* agitataque remis *conj. Cun. V. N.* Steriliſve *vett. edd. Bentl.*

52 *Fidem, auctoritatem.* Vet. Schol.

53 *Cadant*, defluant, deriventur.

Parce detorta; modice de rivo ſuo deducta, et ad Latinam formam levi negotio declinata, ut, e. g. Triclinium, a Τρικλίνιον.

54 *Romanus*; acer libertatis aſſertor.

Ademtum, negatum. B. De re ipſa cf. Epiſt. 2. 2. 119. G.

59 *Producere*, in medium proferre eſt, et populo tradere: Inutile foret *procudere*, quod video multis placere, contra fidem tot Codicum: Procuduntur gladii, cuduntur nummi. Vid. Epiſt. 2. 2. 119. Bentleius, inducto *producere nomen* (quæ Lectio eſt plurimorum Codicum) obtorto loco, inſeruit *procudere nummum*, ſatis dura et inficeta Allegoria. B. Sed hanc Metaphoram eſſe optimis probatam, et *procudere* in MSS. eſſe, probavit Bentleius. Equidem malim ſic ſcripſiſſe, quam duobus deinceps verſibus poſuiſſe, *Nomina protulerit*, et, *Producere nomen*. G.

60 *Ut ſilvæ*; Homericum eſt: Οἷον γὰρ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν [Il. Z. 146.] Mira quadam fiducia inutilique opera magnus Bentleius de ſuo ingenio repoſuit, *Ut ſilvis folia privos mutantur in annos*. B. *Silvæ mutantur* ſplendidius dictum, quam *folia mutantur*. G.

Pronos in annos, h. e. in ſingulos auctumnos. B. Cf. Od. 3. 27. 18. G.

61 Nota *vetus ætas*, pro *vetuſtas*.

63 *Receptus*; *Divus Auguſtus duas res divinas fecit, nam Pontinam Paludem ſiccavit, ut ad mare meatum habere cogeret, ut poſt et arari poſſet, et Portum Lucrinum munivit.* Vet. Schol. *Immiſſo prius in lacum mari: Pontinas autem Paludes ad quadrageſimum milliarium emiſit.* Alter Schol. Hæc autem inſerit ut gratificetur Auguſto [vid. ad v. 65.] *Neptunus* autem Tritonum pater dicitur, quaſi *Nepodunus*, quia caret pedibus: uti et Græce Ποσειδῶν, quaſi Ποσὶ δῶν; quod miror nemini obſervatum. Νέπους; Græcis uſitatum omnium piſcium Epitheton.

64 *Claſſes aquilonibus arcet*; *Hypallage*. Vet. Sch.

65 *Regis opus*: Auguſtus Imperator erat in Republica; et Παραμυθητὴς dicitur. B. Sed hæc ipſa tamen *Regis* appellatio, tantopere deteſtata Auguſto, ſuadet, ne de ipſius operibus hic agi putem, ſed Xerxis circa Athon montem conatibus, cum præſertim inconſtantiam memoret. Ceterum de portu Julio eſt apud Sueto. Aug. 16. G. *Regis opus* cum ſit opus magnificum, regibus maximis dignum; opera Auguſti et Agrippæ commode intelligi poſſunt, præſertim cum Auguſtum ipſum non nominet. Z.

De *ſteriliſque diu palus* Bentleius, jure quodam ſuo, nullo ſub auctore, imo (quod vel ipſe fatetur) abnuentibus etiam omnibus veteribus Grammaticis, tantummodo quod caveret in metro, reſcripſit *ſteriliſve palus prius*. Quis tamen tantæ auctoritati contradicat? B. Tentantur Servius et Priſcianus poſteriorem ſyllabam in *palus* correptam ab Horatio, ut in *Tellus* a Martiano Capella, in *Senectus* a Cornelio Gallo. Et quam facile potuit Horatio, modo voluiſſet, ſolicitudine liberare Grammaticos, quam levi tranſpoſitione, *ſteriliſque palus diu*? hiatum enim nemo bonus poeta refugit. An igitur ita legimus? Non puto, cum reclament Servius et Priſcianus. De re ipſa Plin. 26. 4. *Siccentur bodie Æthiopide* [herba magica] *Pon-*

Nedum ſermonum ſtet honos, et gratia vivax.
Multa renaſcentur quæ jam cecidere; cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt et jus et norma loquendi.
Res geſtæ regumque ducumque, et triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.
Verſibus impariter junctis querimonia primum;
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos:
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, et adhuc ſub judice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armavit iambo:
Hunc ſocci cepere pedem grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, et populares
Vincentem ſtrepitus, et natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus divos, puerоſque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.
Deſcriptas ſervare vices operumque colores,

72 Vis et norma *Ven. Glar. MS. Berſm.*—74 Poſſent ſcribi *MS. Berſm.*—86 Labores *Sax.*

tinæ paludes. Tentatum poſtea a Trajano, a Theodorico. G.

67 *Curſum mutavit; Tiberim Agrippa deriyavit, qua nunc vadit; antea per Velabrum fluebat.* Vet. Schol.

Iniquum; grave.

68 *Doctus*, ut Epiſt. 1. 14. 30. *Docendus.* G.

Mortalia facta peribunt; etiam hæc quæ maxima ſunt? Et ſic exponit Jaſon de Nores. Bentleius etiam de ſuo penu depromſit *cuncta*, delevitque *facta*, quod non eſſet bene Latinum, ut ille ait. B. *Facta mortalia*, quidquid *faciunt* mortales; quibus pulchre opponuntur *verba*: ſub appellatione *cuncta* autem jam continentur. G.

69 *Stet honos*; non defluat decor: durat in Metaphora de arborum foliis.

71 *Uſus enim facit auctoritatem.* Vet. Schol.

73 *Res geſtæ*; Septimum hoc præceptum docet Quibus Metris ſingulæ res tractandæ ſunt.

75 *Querimonia*; lugubris materia; hinc Ἐλεγεῖα ἀπὸ τοῦ ἐ λίγειν. B. *Verſibus*, &c. hexametro et pentametro. Z.

76 *Voti ſententia compos*; materia læta, ut luſus amatorii.

77 *Exiguos*; tenues, querulos.

78 *Grammatici certant*; utrum ſcilicet Polymneſtus Colophonius, Callinous, Terpander, an Theocles Naxius. B. V. Mar. Victori. Art. Grammat. 3. p. 2555. med. G.

79 De Archilocho Epiſt. 1. 19. 28. Da. Heinſii tranſpoſitionibus æquo nos animo carere poſſe arbitrabar. G.

80 Notum eſt ſoccos fuiſſe Comœdorum, et Cothurnos Tragœdorum. Crepida Deorum atque Regum erat Cothurnus, alta et puniceo colore.

81 *Alternis aptum*, h. e. Dialogiſmis ſcenicis. Πλεῖστα γὰρ Ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλόγῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Ariſtoteles in Poetica, ut oſtendit Jaſon de Nores.

82 *Vincentem ſtrepitus*; quod altum ſonet.

Natum, natura factum; ob tumorem ſcilicet et faſtum.

83 *Fidibus*, Carmine Lyrico.

84 *Pugilem victorem*; de Pindaro cogitavit et Anacreonte.

86 Octavo præcepto oſtendit Quem Characterem Stili ſingula requirant. *Deſcriptas vices*; Munera modo definita, ſeu Poematum varia genera. Sic locutus eſt et Quintilianus [1. Pr. 4.] *Quando diviſæ profeſſionum vices eſſent.*

Servare; neque vel evagari, vel aliena intermiſcere.

Colores; varietates, nativa diſcrimina, ſeu characteres.

Cur ego, ſi nequeo ignoroque, Poëta ſalutor?
Cur neſcire, pudens prave, quam diſcere malo?
Verſibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen et vocem comœdia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus et Peleus, cum pauper et exſul, uterque
Projicit ampullas, et ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata; dulcia ſunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus: ſi vis me flere, dolendum eſt

91 Tractari *Sax.*—94 Tibi litigat *conj. V. D.*—99 Pura *MS. ap. Bentl.*—101 Adſint *Z. it. MS. Helmſt.* Adflant *Marcil. ex MS.* Adflent *etiam aliunde firmat Bentl. Sed* adſunt *omnes ubique codices teſte Talboto.*

87 *Si nequeo, per naturam; ſi ignoro, per artem.* Vet. Schol. Cruq.

Poeta ſalutor; hoc ſecundum Græcos qui nomine officii ſalutant, χαίρειν ποιητά. Vet. Schol. B. Apud Non. 2. 334. *Enni, poëta, ſalve!* G.

88 *Prave;* perverſe, intempeſtive.

89 *Tragicis;* altis, ſublimi Stilo.

90 *Privatis,* communibus, tenui Stilo; et falſe Tragœdiam percutit. B. Perſonæ in Tragœdiis ſunt reges et tyranni, in Comœdia privati. Faſtum tyrannorum etiam oratione exprimere ſtudebant poetæ. Itaque non tam Tragœdiam percutere mihi videtur, quam eos, qui aguntur in Tragœdia, ſi modo eſt hic aliquid mordax. G.

91 *Cœna,* in qua Atreus fratri Thyeſtæ pueros, quos ille ex Ærope, Atrei uxore, adulterio ſuſceperat, epulandos appoſuit. G.

92 *Locum teneant;* ordinem ſuum ſervent.

Sortita decenter; poſtquam eum cum decore, ſeu convenienter ſibi delegerint, et invenerint: nam *non omnia poſſumus omnes.* Bentleius adductus auctoritate unius vel alterius Libri pro *decenter* poſuit *decentem,* ſed minus probabiliter, uti ego ſentio. Certe ejuſmodi Adverbia Horatio admodum ſunt familiaria.

93 *Vocem tollit; grandioribus verbis utitur.* Vet. Schol. Cruq.

94 *Iratus;* ſupple, *eum eſt.*

Chremes, Perſona Terentiana. B. *Delitigat,* ut *deſævit* Epiſt. 1. 3. 14.: ut *detonare, debacchari,* &c. G.

95 *Pedeſtri,* plebeio et jacente: nam de plebe ſunt pedites.

96 "Etſi obruant Librarii (inquit Bentleius) tamen ipſe repoſui *Telephus aut Peleus,* "Disjunctive, pro *Telephus et Peleus.*" Quantum tam magno viro debemus! B. *Telephus pauper,* certe ſimulate, in caſtris Achillis ſanari illius haſta cupiens, qua vulneratus erat; ET *Peleus exſul* aliquoties, *uterque projicit,* abjicit, inutiles *ampullas.* G.

97 *Ampullas;* ληκύθους, bombos. Vide Epiſt. 1. 3. 14. *Regio habitu mutato: neque enim debet in humili habitu regaliter loqui.* Vet. Schol.

98 *Si curat; ſi agit ut.* Vet. Schol. Si ſperat.

99 Nonum Præceptum: Admiſcendum eſſe Pathos.

Pulchra; docte compoſita, quod Œconomiam attinet, quod hactenus docuimus. Pro *pulchra* Bentleius poſuit *pura,* quod eſt civili ſtilo compoſita; atque hoc quoque de ſuo protulit, Minerva invita. B. *Pulchra,* quæ placent recto judicio, certe vitium non habent: *dulcia,* quæ afficiunt animum. Ita Formas nobis narrant ἐφεκτικοὶ homines alias *pulchriores,* admirationem ſolam moventes, *dulciores* alias,

Primum ipſi tibi; tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu, male ſi mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo: triſtia mœſtum
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, laſciva; ſeverum, ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, et angit;
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davuſne loquatur, an Heros;
Maturuſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus; et matrona potens, an ſedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.

105 Aut ridebo aut dorm. *Z.*—114 Divuſne *Bentl. ex MSS. poſt Jaſo. de Nores, Talb. Cun, San. ut* v. 227.—116 Et matro. *Sic G. Sax. cum Bentl. Cun. &c. Al.* an.—117 Mercatorve—cultorve *Z.* Mercatorque *MS. Helmſt.*

imperantes amorem. Gallice dicendum eſt, ut etiam belli homines intelligant, *La Beauté eſt pour l'Eſprit, la Douceur eſt pour le Cœur.* G.

Dulcia; Pathetica, affectibus imperantia.

Sunto et agunto; nunc quaſi Legem ponit. Vet. Schol.

101 *Adſunt; præſto ſunt, quia ſient et ipſi.* Vet. Schol. Fabri *adſient* inutile eſt, et Cacozelon ſapit. Demiror verbum *adſient* in iſto verſu potuiſſe placere Bentleio, tanto viro. Certe magis hoc decuiſſet Tanaquillum Fabrum, auctorem hujus commenti. Immutavit etiam *equites peditesque* [v. 113.] in *equitesque patresque* de ſuo ingenio, quo ſenſus fieret improbabilior. Quis neſcit Senatores Romanos non ſolitos fuiſſe immiſcere ſeſe Plebeiis, præſertim vero in Ludis Scenicis et Theatris?

102 *Humani vultus;* cogitavit de Terentiano illo: *Homo ſum, humani nihil a me alienum puto.*

Si vis me flere; Hoc ex Demoſthene ſumtum eſt, a quo cum pauper flagellatus cauſam ſuam defendi vellet, ei confidenter narranti credere noluit, donec fleret ira permotus. Vet. Schol. Cruq.

103 *Lædent;* tangent, et per hoc flectent.

104 *Male mandata;* perſonæ tuæ parum convenientia. *Mandata,* tibi a Scriptore tradita. Jaſon de Nores.

110 *Deducit;* Metaphora a ramis arborum.

113 *Equites peditesque; Equeſter Ordo et Plebeius.* Vet. Schol. Proverbialis Elocutio, HORSE AND FOOT. Decimum eſt hoc præceptum, De formandis Perſonarum Characteribus. B. Add. Baxterum ad v. 102. Poterat Bentleius ſuos *equitesque patresque* firmare etiam ex Mart. 14. 120. ubi ſunt tot literis. Et tamen non perſuadet. Ridiculum auget Flaccus, primo quod *pedites* pro plebe ponit, quaſi de exercitu ſermo eſſet: deinde quia magis ridiculus eſt poeta, quem etiam plebs ridet. G.

114 *Davus, an Heros;* Menandriani ſervi hi erant, e quibus *Davus* confidenter locutus eſt ad herum; contra *Heros* ſubmiſſe et timide, ut vernam decuit. *Tanquam apud Menandrum ſervus inducitur libere loquens: hoc ille indulgenter et conſulto, ut omnia domino ſimpliciter fateatur. Itaque aliquo modo illum excuſat.* Vet. Schol. Nihil mutandum, nec, puto, auſcultandum Scholiis. *Davus* ſervilis perſona, et *Heros* ſibi opponuntur velut e Diametro, ut ſenex et juvenis, &c. Dicas *Davum* et *Heroa* in una fabula non convenire? primo neque hoc dicit Horatius: deinde conveniunt in Amphitruone Jupiter et Soſia, in Tragœdiis Heroës et ſervi, in Ariſtophanis Ranis Bacchus et Xanthias, &c. Ex alia pene infinita varietate placet nihil ita ut indicatum ſupra *Divus.* Cf. v. 83. G.

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge.
Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, et audes
Perſonam formare novam, ſervetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, et ſibi conſtet.
Difficile eſt proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;

120 Homereum *Bentl. Edd. vett. et Bentl. interpungunt demum poſt* Scriptor.—132 Non circa *Glar. MS. Helmſt. Bentl.*

116 *Potens*; imperioſa, ſuperba.

118 *Nam Colchus non niſi ſævus inducendus eſt, Aſſyrius aſtutus: nec inducas Argis natum timidum, aut Thebis facias peritum.* Vet. Schol.

119 *Famam*, Veterum Poetarum Fabulas.

120 *Scriptor reponis*; h. e. ut peritus Scriptor characterizas.

Honoratum; honoris plenum. Vet. Sch. Cruq. Magnificum. Unde vero hoc monſtrum *Homereum*, nemini unquam viſum neque auditum ante Bentleium? Quis non videt voce *honoratum* exprimi Homericum Epitheton perpetuum τιμήεντα, quod apud illum in frequenti eſt uſu? Eſt igitur *honoratus* modo pro magnifico et ſuperbo, facili Figura. B. Sic *honoratus* eſt Homeri carminibus Achilles, ut Alexander illi inviderit.

121 *Impiger*; audax.

Acer; animoſus, calidus. Οὐ γάρ τοι γλυκὺθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, Ἀλλὰ μάλ' ἰμματαώς—Homerus de Achille Iliad. Υ. 467.

123 *Invicta, pervicax.* Vet. Schol. B. Medea patrem prodit et patriam cum aureo vellere amatori peregrino Jaſoni, fratrem Abſyrtum crudeliter diſcerpit, filios ſuos ob iram pellicis interficit, venefica Draconibus vehi audet, &c. G.

Ino et Oreſtes Euripidis erunt Tragœdiæ; Ixion Æſchyli: Io etiam de Prometheo eſt Æſchyli. Jaſon de Nores. B. Ino fugiens furores Athamantis, viri ſui, in mare ſe præcipitat cum Melicerte filio, qui ſic Palæmon maris deus factus, ipſa Leucothea ſ. Matula. G.

124 *Perfidus; quod cum convivæ Jovis eſſet, Junonem de ſtupro auſus eſt appellare.* Vet. Sch. Eioneum etiam ſocerum vivum combuſſit, poſtquam ad cœnam eum invitaſſet. B. *Io* amata Jovi, in bovem mutata, fugiens Junonis iram, in Ægyptum tandem delata, nupta Oſiridi, et Iſis poſt mortem facta. *Oreſtes* interfecta matre Clytæmneſtra in furorem triſtem actus a furiis, &c.

125 *Inexpertum*, a nemine hactenus tentatum; novum ſcilicet Thema. Metabaſis eſt ad undecimum præceptum, De Veterum Imitatione.

128 *Proprie communia dicere*; h. e. res vulgares diſertis verbis enarrare; vel humile Thema cum dignitate tractare. *Difficile eſt communes res propriis explicare verbis.* Vet. Sch. B. *Proprie dicere* eſt ita undique deſcribere ac finire, ut jam non commune quiddam aut generale videatur, ſed individuum, in quo omnia ſunt determinata, ut loquuntur Philoſophi. Picturæ, ut proprie talis ſic poeticæ, major laus ſi rem ſingularem pingat. G.

129 *Rectius*, conſultius.

Deducis; a lanificis ducta Metaphora eſt.

131 *Publica materies*; h. e. Ilias, et reliqua Veterum Carmina.

Privati juris erit; *fiet quaſi tua.* Vet. Schol.

132 *Vilem patulumque*; tritum atque omnibus expoſitum et nudum.

Moraberis; totum tempus tuum conſumes.

Orbem; κύκλον, περίοδον. Ita univerſæ materiæ comprehenſionem appellavere, ducta Me-

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim:
"Fortunam Priami cantabo et nobile bellum."
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
"Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ,
"Qui mores hominum multorum vidit, et urbes."
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin:
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

135 Referre *MS. ap. Ach. Stat. Lambin.*—137 Nob. regnum *Sax.*—139 Parturient *al.*—141 Mœnia *MS. Ach. Stat. Bentl. Cun.* Funera *conj. Bentl.* Pergama *conj. Cun.*—145 Circamque *conj. Bentl.*

taphora a Circo: sic Orbem terrarum dicere consuevimus pro Universitate. Hoc vel doctissimos latuisse admiror. Περιοδονίκην male accepit etiam magnus Gruterus in Inscriptione quadam Græca, cum *undiquevictorem* reddidit, quod in Circo victorem debuerat. *In Gymniis certaminibus Peribodon vicisse dicitur qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit; a circumitu eorum spectaculorum.* Festus. B. *Orbis*, s. Cyclus est systema quoddam fabularum poeticarum, a Theogonia inde ad reditum Ulyssis, de quo Proclus in Chrestom. p. 6. Hinc *Cyclici* poetæ, conditores hujus cycli, et, qui nihil præter hunc cyclum saperent, descriptores. Hæc summa disputationis Schwarzianæ Altorf. G.

133 *Curabis*; institues.

134 *Desilies in arctum*; ut Æsopica illa capella quæ temere in puteum desiluit; h. e. ne nimis duram legem tibi imponas, singula scilicet imitandi: nam multa imitatori sunt prætereunda.

135 Mire *proferre*, tanquam de capra frustra ascensum tentante.

Pudor; pudebit enim relinquere quod semel cœperis.

Operis lex; hæc enim exigit ut ultima conveniant primis, atque ut totum eodem filo exsequaris.

136 Duodecimum præceptum est, De ponendo Principio.

Cyclicus est qui Cyclum Epicum, seu Cursum Poeticum, simpliciter et nulla arte exsequitur ut magis Fabulator sit quam Poeta. Bentleius tenui de causa reposuit *Cyclius*. Odit ille Adjectiva Græca in κος finita. B. Vid. ad v. 132.

137 *Fortunam*, supple *malam*.

138 Cum *hiatu* proferuntur *Cantabo* et *Nobile*.

139 *Parturiunt; Græcum est Proverbium*, "Ωδινεν ὄρος, τίκτεται μῦς. Vet. Schol. ex MS. Stephani.

141 Bentleius fuit qui posuit *mœnia* pro *tempora*. Sed quis ferat *mœnia* hoc loco. B.

143 Non solet exordium facere sublime et magnificum et postea humile contexere carmen, sed ab initio tenui progreditur ad sublimiora. Z.

144 *Cogitat*; animo suo molitur, aggreditur.

145 *Antiphates* Læstrigonum rex, qui statim unum Ulyssis sociorum cœnam sibi paravit.

146 *Nec reditum; Antimachus fuit Cyclicus Poeta: hic aggressus est materiam; quam sic extendit, ut viginti quatuor volumina impleverit, antequam septem Duces usque ad Thebas perduceret.* Vet. Schol. B. Diomedis reditum a Troja et adventum in Italia [vid. Sat. 1. 5. 93.] descripturus *non orditur ab interitu* patrui illius *Meleagri*, post quem pater Diomedis Tydeus fuit inter septem duces, Thebas et Eteoclen in gratiam Polynicis oppugnantes, diu ante bellum Trojanum. G.

147 *Gemino ab ovo*; a partu Ledæ. B. Ledæ

Semper ad eventum festinat; et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego, et populus mecum desideret, audi:
Si plausoris eges aulæa manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat,
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbus juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Converfis studiis, ætas animusque virilis

154 Fautoris *conj. Bentl.* Plosoris *Sax. Cun.*—157 Maturis *Bentl. ex conj. et auctoritate nonnulla. Etiam Baxt. ed. 2. it. Cun.*—161 Imberbis *edd. vett.*

Tyndari uxor e viro et Jove in cycnum verso duo ova peperit, in uno Pollux et Helena, in altero Castor et Clytæmnestra, &c. G.

148 Statim incipit ab ira et rixa Achillis cum Agamemnone, reliqua per occasiones narrat, vel plane omittit. Sic in Odyssea, sic omnes Fabularum epicarum et scenicarum boni auctores. G.

151 *Mentitur*; nam nonnulla adjicit de suo, quo totum cohæreat melius.

153 *Tu, quid ego*; Decimum tertium præceptum, Περὶ τῆς Ἠθοποιΐας, sive De servando Ethos.

Mecum desideret, h. e. æque atque ego exspectet.

154 Quid opus fuit Bentleium ponere *fautoris* pro *plausoris*, cum idem valeant?

Aulæa manentis; donec aulæa leventur. Vet. Schol. Quod fiebat peracta jam fabula. Nam cum ludebant pulpita erant strata aulæis. B. Quin aulæum quod, quam diu scena aperta est, humi, sub pulpitis delitescit, finito actu, post *Plaudite*, in altum trahitur, ut scenam claudat, et spectatorum oculis tegat. Vid. Ovid. Met. 3. 111. *Sic ubi tolluntur festis aulæa theatris. Surgere signa solent*, &c. *Pulpita* sunt ipsum solum, in quo agunt scenici. Vid. v. 215. G.

155 *Cantor*, Histrio: nam cantu quodam agebant.

156 *Notandi*: designandi, exprimendi.

Mores, ἤθη, Ethici Characteres. B. Humanissimæ voluptatis gustum qui capere volet; comparet characteras s. notationes ætatum Aristotelicas Rhet. 2. 12. sq. G.

157 *Mobilibus*; variabilibus.

Rectissime Bentleius *maturis* pro *naturis*, quod erat vitiosissimum. B. Abstulit hic virum alias cautum Bentleiana Siren. Dicit, *naturam* non esse *mobilem*. Sed nonne hic docet Horatius aliam esse naturam pueri, juvenis, viri, senis? Nonne hic *natura cum annis mobilis* est? Suavissima illa rhetoricatio, et testimonia de natura immutabili, de *maturis* virorum ac senum *annis*, nihil valere ad *naturas et annos mobiles* Flacci loco movendos debent. G.

160 *Temere*, leviter, inconsulto.

161 *Imberbus et imberbis, sicut inermus et inermis invenitur.* Vet. Schol. Vide Sosipatri Charisii Institutiones.

Tandem iv Ἤθει protulit; habet enim Empha-

Quærit opes et amicitias, inſervit honori;
Commiſiſſe cavet quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, et inventis miſer abſtinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, ſenſor caſtigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt: ne forte ſeniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis,
Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, et quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam; multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet,

168 Quod permut. *MS. Ach. Stat.*—174 Caſt. cenſorque *Talb. ex MSS. omnib. et Bentl.* —178 Morabitur *MS. Ach. Stat. Sax.*—180 Animum *MS. Ach. Stat.*—185 Ne pueros *MSS.* 3 *Berſm. et Bentl. e codd.*

ſin impatienter exſpectantis: et bene *Imberbus* de rudi et rerum imperito.

Cuſtode; Tutore, ſeu Pædagogo: hoc fiebat ſerius, ocyus, inter Decimum quartum annum decimumque ſeptimum.

162 *Campi*, Martii.

165 *Sublimis cupiduſque*; Elatus et ardenter cupidus. B. Conf. Epiſt. 2. 1. 100. G.

166 *Converſis ſtudiis*; mutata in contrarium voluntate.

167 *Inſervit honori*; ſerviliter Magiſtratus ambit.

168 *Mutare*, infectum efficere.

169 *Circumveniunt*; circumſepiunt, circumſident.

Incommoda; peſtes: nam Charientiſmo utitur.

170 *Miſer*, miſerabilis, et per hoc ſtultus.

171 *Gelide*, lente.

Miniſtrat, regit.

172 *Spe longus*; quia quæ longinqua ſunt ſperat: vix enim adducitur ut ſe credat ſenem. De *longus aviduſque* Bentleius nullo negotio fecit *lentus paviduſque*. B. Nemo tam ſenex, qui ſe non putet annum poſſe vivere. Ἀνεέλπιδες ſunt Ariſtoteli, non quod nihil ſperent, ſed quod male exſpectant. *Avidus futuri* eſt φιλόζωος Ariſtotelis: cupiunt, quod deeſſe ſibi ſentiunt. G.

Iners, et corpore et animo gravis.

Avidus futuri; ſemper enim res novas perquirit.

173 *Difficilis*; *intractabilis*. Vet. Sch. Cruq.

175 *Uſque ad quadrageſimum ſextum venire dicuntur anni*. Vet. Schol. Tranſlatio eſt a ſolis motu.

178 *Adjunctum*; Græcis παρακείμενον, cujuſque rei naturale conſequens eſt, quod ab ea vix, vel ne vix, ſeparari poſſit.

Morabimur, durabimus, permanebimus.

179 *Aut agitur*; Præceptum decimum quartum, de non proferendis in Scenam, ſive de Nuntiis. B.

180 Ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισι ἧσσον ἀπιστέοντα ὀφθαλμῶν. Herodot. l. 8. Z.

182 *Tradit*, narrat.

184 *Præſens*; Antitheton eſt, quod dixerit *Tolles ex oculis*. B. Intelligitur autem *facundia* narrantis ſervuli, ſupervenientis amici: minime placent ſoliloquia, ſ. perſonæ loquentes cum ſo-

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, et ſpectata reponi:
Nec deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat et hæreat apte:
Ille bonis faveatque, et conſilietur amicis;
Et regat iratos, et amet peccare timentes:
Ille dapes laudet menſæ brevis: ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, et apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa, deoſque precetur et oret,

187 Procne *Lamb.*—189 Minor, quinto neu ſit *Glar.*—190 Spectanda *MS. A. Stat.*—193 Auctoris *Glar.*—194 Intercidat *Z.*—196 Amice *Z. Glar. Lamb. MSS.* 4 *Berſm. MS. Helmſt. et Bentl.* Concilietur *Ven. Glar. et MS. Helmſt.*—197 Pacare *etiam MS. Acb. Stat. et al.* Tumentes *e MS. Bentl. Cun.*

læ ſunt in ſcena. Quis enim ſanus hoc agit? quis ſolus loquitur niſi pauca, per ſummum affectus æſtum? G.

185 *Nec pueros; neque enim decet hoc in Scena fieri, alioquin incipit verus Actus fieri non Fabula.* Vet. Schol. *Pueros*, παῖδας, Græco more, uti alias. Hi erant Mermerus et Medus. Bentleius conjecit legendum eſſe *ne*, quod ego minus probaverim. B. Conf. v. 123. De *Atreo* v. 91. G.

188 *Incredulus odi*; h. e. quia non poſſum credere faſtidio, et nauſeo. Incredibilia referenda ſunt, non oſtendenda. *Quæ enim audimus plerumque falſa; quæ autem videmus vera ſunt, ſecundum Stoicos.* Vet. Schol.

189 *Neve minor*; Præceptum decimum quintum, De Numero Actuum, et de Perſonis.

190 *Reponi*: in Scenam reduci, atque iterum ſpectari.

191 *Nodus*; vel ad conciliandam rei incredibili fidem, vel ubi res digna divina cura incidat. Proverbium eſt Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, de his, qui omnia interventu numinis explicant. *Vindex* autem modo dicitur qui quid ſibi ſoli vindicat. B. *Vindex* eſt, qui ſummo in periculo verſantem ſubito liberat et eripit, ut Jupiter in Amphitruone Alcmenæ ſuæ ſuccurrit. *Nodus* implicatio quædam ſuſpicionum, metuum, periculorum, quæ facit ſpectatorem dubium, ſuſpenſum, eventus cupidum. G.

192 *Quarta Perſona; inducitur Quarta Perſona, aut ut annuat, aut ut ei aliquid imperetur.* Vet. Schol. *Quartam Perſonam quando inducimus, aut non omnino loqui debet, aut pauca.* Alter Schol. Κωφὸν πρόσωπον appellat. B. Qui obſervant hoc præceptum, perturbationi ſpectatorum volunt occurrere, et ſervire claritati. Ubi nullus talis metus eſt, impune plures perſonæ loquentes inducentur. G.

193 *Actoris partes*; Præceptum decimum ſextum, quod eſt De Choro. Καὶ τὸν Χορὸν δὲ ἵνα δὴ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν h. e. *Chorus pro ſingulari Actore accipiendus eſt*; ut oſtendit Lambinus ex Ariſtotelis Poetica. *Chorus non mutarum Perſonarum actus defendat, ſed unius ſuſpiciat.* Vet. Sch. B. Turneb. Adv. 19. 9. *Auctoris* legit. Certe tales ſunt interdum chori Ariſtophanis. Sed *Auctoris* recte omnes reliqui. G.

Officiumque virile; h. e. unius viri, vel Perſonæ. Sic et Ovidius Metamorph. 3. 189. *Vultumque virilem Perfudit*, pro *viri*.

194 *Defendat*; tutetur, agendo ſervet. B. Vid. Sat. 1. 10. 12. Epiſt. 2. 1. 171. G.

Intercinat; inter ſcenas canebat Chorus.

196 *Faveat*, plaudat, h. e. laudes honorum dicat.

197 *Regat*; tanquam rationis fræno flectat.

Amet pacare tumentes; ita magnus Bentleius pro *amet peccare timentes*. Bella Hercule emendatio, ſola niſa conjectura propria, et ratione cum nulla. B. Non ſine auctoribus conatus eſt

Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non, ut nunc orichalco vincta, tubæque
Æmula; ſed tenuis ſimplexque foramine pauco
Aſpirare et adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu;
Quo ſane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, caſtuſque verecunduſque coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari genius feſtis impune diebus,
Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.
Indoctus quid enim ſaperet, liberque laborum,
Ruſticus urbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem:
Sic etiam fidibus voces crevere ſeveris,
Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps;

202 Juncta *Lamb. Bentl.*—203 Parvo *MS. Helmſt.*—206 Parcus *conj. Faber.*—208 Urbes *MSS. 4 Berſm. et Helmſt.*

Bentleius. Sed mihi tamen nimis amabiles videntur *peccare timentes*, quam ut eos hinc exſulare velim. G.

200 *Ille tegat*; h. e. tegere doceat.

201 *Fortuna*, ſupple *proſpera*.

202 *Tibia non, ut nunc*; Præceptum decimum ſeptimum, De Muſica.

Orichalco vincta; ad internodia ſcilicet. *Orichalcum ſimillimum bracteæ aureæ eſt.* Vet. Schol. Compoſitum erat ex auro, ære et terra Cadmia: eratque initio vel ipſo auro pretioſius.

Bentleius *juncta* ex quibuſdam Libris, levi et facile errore. Mihi non ſuccurrit aliquas Veterum tibias fuiſſe ferruminatas vel nodoſas.

203 *Foramine pauco; Varro ait in Tertio Diſciplinarum, et ad Marcellum De Lingua Latina, quatuor foraminum fuiſſe tibias apud antiquos: et ſeipſum ait in Templo Marſyæ vidiſſe tibias quatuor foraminum.* Vet. Schol.

204 *Adeſſe Choris*; ſupple *tantum*: nam ad tibiam ſaltabant Chori: *et ſonus ejus vix audiebatur per totam ſcenam.* Vet. Schol.

206 *Sane*, h. e. ſcilicet. B. *Numerabilis* erat in theatris populus olim, quia per ſe *parvus*, et inſuper *frugi*, ut manus movere in agro colendo, quam in plaudendo hiſtrionibus mallet. *Parcus* Fabri non differt a *frugi*. G.

209 Bentleius maluit *Laxior*, levi de cauſa. B. *Latior* eſt extenſam latius urbem complexus. G.

Vinoque diurno; nec partem ſolido demere de die. Od. 1. 1. 20.

210 *Genius*; *natalis deus*. Vet. Schol. Huic enim deo primitias vini libabant. B. *Genius* eſt animus in quantum corpus ſuum amat ejuſque voluptatibus delectatur: hinc *menſa, toruſque genialis*, &c. G.

Impune, non vetante Cenſore.

211 *Numeriſque modiſque*; numeri erant carminis; modi tibiæ. B. *Numeri* ſunt *rhythmi* alternatio et ordo longorum et brevium temporum: *modi* totum *melos* vocis elevatæ aç depreſſæ.

212 *Liberque laborum*; et per hoc ebrius.

213 *Turpis honeſto*; nobili ignobilis: nam divitiæ tollunt ordinum diſcrimina.

214 *Motumque et luxuriem*; nam ſcenam canendo obambulabat ſaltantis geſtu, quo Syrma ſuum populo oſtenderet. B. Marcilius adfert ex Plin. 16. 36. *Cantus luxuriam* de tibiis. G.

215 *Per pulpita*; *per tabulas ſcenæ*. Vet. Sch. B. Vid. ad v. 279. G.

216 *Voces*; *Modi inſolentiores: ante enim lyra ſeptem chordas habuit tantum, poſtea excogitata eſt cithara.* Vet. Schol. Quæ decachordos erat. B. Qui hoc diſcrimen *lyræ* et *citharæ* probare ido-

Utiliumque ſagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satiros nudavit, et aſper
Incolumi gravitate jocum tentavit; eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functuſque ſacris, et potus, et exlex.
Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet Satiros, ita vertere ſeria ludo;
Ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper et oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragœdia verſus,
Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satiris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina ſolum

220 Cantavit *Sax.*

neis auctoribus poſſit, illi ego multum debebo. G.

Severis; ad ſacra tantum comparatis. B. Ode honori deorum et magnorum hominum deſtinata. G.

217 *Eloquium inſolitum;* Prolationem affectatam et inflatam.

Præceps; audax. B. Cum *periculo* conjuncta, ut ſolet dicere Fabius, παραπλησιδυνευμένη. Alta et ſublimia hic etiam parum tuta. G.

218 *Divina;* gnara, prudens: nam ejuſmodi eſſe debuit; modo autem ambigua, incerta et vitæ inutilis efficitur, ob morum ſcilicet contemtum.

220 *Carmine qui tragico*, Præceptum decimum octavum, De Dramate Satirico.

Ob hircum; victori dabatur hircus, qui ob læſam vitem Baccho deinde immolabatur: hircus autem, Græcis τράγος, Tragœdiæ nomen dedit.

221 Bene *Agreſtes:* nam Satiricus Chorus initio ruſticæ erat Tragœdiæ, non itidem urbanæ.

Nudavit; nam nudus erat ruſticorum Chorus, niſi quod hircinis pellibus indueretur, ut fere priſci mortales. Chorum hunc ducebat Silenus, vel Sileni Actor.

Aſper; mordax. *Oſtendit Satiram natam eſſe ex Tragœdiis.* Vet. Schol.

223 *Morandus*, detinendus, alliciendus.

224 *Functuſque ſacris; Non voluptatis cauſa inventi ſunt ludi, ſed Religionis.* Vet. Schol. Quam ob rem renunciabant illis veteres Chriſtiani in Baptiſmate. B. Vid. Tertulliani de ſpectaculis liber. *Exlex* reſpicit ad illa tempora, cum nondum eſſent leges theatrales. G.

225 *Dicaces*, ad dicendum liberos.

226 *Vertere ſeria ludo; Tragœdiæ immiſcere Satiram.* Vet. Schol. Cruq.

227 *Deum* et *Heroa* feſtive nominat Actorem qui modo dei vel herois partes agebat, nunc vero Satiri. B. In Satirica fabula, cujus unicum ſpecimen ſupereſt, Euripidis Cyclops, Bacchus, Silenus, Ulyſſes, tragicæ alioquin perſonæ, prodeunt cum Satiris, utunturque humiliore quidem ſermone quam in tragœdia, non tamen plane plebeio et tabernario. G.

229 *In obſcuras tabernas*, h. e. in Tabernariæ Fabulæ viliſſimum Stilum.

232 *Moveri juſſa;* ſaltare rogata.

234 *Inornata*, pura, non figurata; *Dominantia*, præſenti uſu invaleſcentia. Ita olim interpretatus eſt Madius, auctore Jaſone de Nores, nam *communia et vulgaria* reddidit; qualibus ſcilicet Comœdia utitur. Reliqui Interpretes nugaciſſimum Veteris Scholiaſtæ Interpolatorem ſecuti ſunt. B. *Dominantia* ex Græco expreſſum eſt. κύρια i. propria quibus contraria ſunt ἄκυρα

Verbaque, Piſones, Satirorum ſcriptor amabo;
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Ut nihil interſit Davuſne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An cuſtos famuluſque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen ſequar, ut ſibi quivis
Speret idem; ſudet multum, fruſtraque laboret
Auſus idem: tantum ſeries juncturaque pollet;
Tantum de medio ſumtis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis ac pene forenſes,
Aut nimium teneris juvenentur verſibus unquam;
Aut immunda crepent ignominioſaque dicta:
Offenduntur enim quibus eſt equus, et pater, et res;
Nec, ſi quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

235 Satirarum *MS. Helmſt.*—237 An audax *Ven. Glar. MS. Helmſt.*

ρα. Sic *domicilium* habere dicitur verbum in ea re, de qua proprie, *κυρίως*, adhibetur, Cic. Fam. 16. 17. G.

Bene adjecit *ſolum*; quod ex parte maxima Satirici communibus et dominantibus verbis uterentur: bene etiam *nomina verbaque*; quæ Ariſtotelica diviſio eſt vocabulorum.

235 *Scriptor*, ſupple *cum fuero*.

236 *Colori*, Characteri.

237 *Davus*, Terentianus ſervus.

238 *Pythias*; *Ancilla in Comœdia Lucilii*. Vet. Schol. Cruq.

Emuncto Simone; deriſo: ſoli enim infantes emunguntur. B. *Madidi infantia naſi* Juven. 10. 199. ſenis attributum; apud Græcos *κόρυζα*, altera illa ſenum infantia, qua eludi poſſunt facilius. G.

239 *Cuſtos*; Tutor erat Bacchi Silenus, et Satirici Chori Coryphæus et Præcentor. Eſt igitur Satira majoris dignitatis quam Comœdia. Silenus in chorea Recitator erat, ſeu Poeta; Satiri autem Hypocritæ, qui geſticulatione exprimebant, quæ ille referebat. Dicitur autem Silenus Herodoto *Silenus Marſyas*; quem et Nyſæ regnaſſe ex Fabulis prodit Diodorus. Sed Marſya flumen erat: numina vero fluminum e Satirorum et Nympharum genere fuerant. Eſt igitur a Σωλὴν Silenus; ut a Σίφων Σίφυλλα, vel Σίβυλλα. Notum eſt etiam ſenes Satiros dictos fuiſſe *Silenos*, ob ſummam ſcilicet Poeticæ Muſicæque peritiam. Quin et Latinis *Silanus* canalis eſt, ſeu fiſtula. Belgis SILLE; unde et noſtrum SILLABUB, quod rectius ab agreſtibus SILLEBUCK, profertur, quod quidem vas eſt ventricoſum, tubulo ſeu canali inſerto.

240 *Sequar*; exſequar.

242 *Auſus*, ſupple, *cum fuerit*. B. Cic. Orat. c. 23. *Orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur exiſtimanti ſed nihil eſt experienti minus*. G.

Series juncturaque; ordo et collocatio verborum.

243 *De medio*; *de publica et vulgata materia*. Vet. Schol. Cruq. Comicam intelligit.

Honoris; decoris.

244 *Deducti*, a Præſultore, ſeu Sileno.

245 *Triviis*: Romæ ſcilicet.

Forenſes; nam in Foro puriſſimis verbis utebantur. *Verba Togæ ſequeris juncturaque callidus acri*. Perſius.

246 *Teneris*; delicatis, urbanis. B. *Juvenari* ex Græco formatum, *νεανεύεσθαι*, non autem, ut plane *ἀμύνεσθαι* fingit Harduinus, metri cauſa fictum. Aut nunquam deguſtarat ille vir poeticen, aut ſciens in hoc genere calumniatus eſt. G.

247 *Immunda*, vilia, humilia; *crepent*, deblaterent; *ignominioſa*; inhoneſta. Magnus eſt etiam communium verborum delectus.

248 *Quibus eſt equus*, Ordo Equeſtris; *quibus eſt pater*, Patricii; *quibus eſt res*, Ditiores, quibus honeſtior cenſus eſt.

Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur Iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accreſcere juſſit
Nomen Iambeis, cum ſenos redderet ictus,
Primus ad extremum ſimilis ſibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter: hic et in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Ennî
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex;
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.
Idcircone vager, ſcribamque licenter? Ut omnes

260 Miſſus *Marc. Bentl. Dac. et al. apud Cun.*—263 Num *Z.*—265 Ut omnes *MS. Ach. Stat. Bentl. Cun.* An omnes *edd. vett.*

249 *Fricti*, toſti. B. Vid. Sat. 1. 6. 115. 2. 3. 182. G.

251 *Syllaba longa brevi*; Præceptum decimum nonum, De pedibus Iambicis.

Subjecta; poſtpoſita.

252 *Trimetris*; *ex ſex Iambis tres Diiambi facti ſunt.* Vet. Schol. Nam per Dipodias numerantur hi verſus.

253 *Ictus*, numeros, vel pulſus pedum.

254 *Pridem*; ex quo ſcilicet noſtri homines Dramata compoſuere. B. Veteres Tragici et Comici Romanorum, ut hic Accius, Enniuſque vix ultimam cujuſque verſus regionem Iambo illi primitivo reliquere. Sed *non ita pridem* æquales et paullo majores Horatio hoc ſervarunt, ut in regione impari quidem ſpondeum, et æquales ſpondeo vel Iambo pedes, reciperent, pares autem ſ. maſculinas regiones ſolo Iambo implerent: qua ratione ſe ad Græcorum exactam diligentiam conformarunt, quorum Senarii ſ. Trimetri aut meros, aut certe in omni regione pari, habent Iambos. G.

256 *Stabiles*; firmos, immobiles, non currentes.

257 *Commodus et patiens*; ſuavis et æquanimus; qui ſcilicet jure ſuo ultro cederet.

258 *Socialiter*; ſociorum ritu, qui bona quæ habent inter ſe dividunt. *Iambicus Trimeter Tragicus recipit pedes, dextros ſpondeum, videlicet, primum, tertium et quintum; ſiniſtros Iambos, videlicet, ſecundum, quartum et ſextum.* Vet. Schol. in Epod. I.

259 *Nobilibus*, Ironice protulit.

260 *Magno cum pondere*; tardorum ſcilicet Spondeorum. Bentleius ex Libris, *cum magno pondere*: Sed altera Lectio æque bona eſt. Certe ejuſmodi variationes pendebant de memoria Exſcriptorum. B. *Cum magno* hic magis placet quod facit verſum vaſtiorem et graviorem. G.

262 *Premit*; onerat, de Iambo autem hoc dicit per Proſopopœiam. Fruſtra Theodorus Marcilius mutavit *miſſos* in *miſſus* contra Codicum fidem, ut *verſus* eſſet Nominativus. B. Si retinemus *miſſos*, nominativus proximarum enunciationum commode huc trahitur. *Hic* Iambus *—apparet—et Ennî—verſus—premit.* Nempe tollo interpunctionem poſt *Ennî*. Si vero *miſſus* placeat, erit plane extrinſecus aſſumendus accuſativus, *auctorem ſuum*, vel tale quid. G.

263 *Non quivis videt*, Tu dicas: nam Subjectio eſt.

264 *Indigna*; nimis magna, pudenda.

265 Duæ ſunt objectiones v. 263. et 264. Reſpondetur univerſim, *Idcircone vager—licenter?* tum ad priorem, *ut*, i. e. etiamſi ita inter ſcribendum inducam animum, ut *putem omnes vifuros peccata mea*; ad alteram de venia, Etiamſi *tutus* fuero, et ibi quoque *cautus*, ubi ſpes veniæ eſt; tamen ad ſummum *vitavi culpam*, &c. Ut *intra legem* cœnat, qui minus impendit, quam lex permittit: ita *intra ſpem veniæ cautus eſt*, qui non omnia ſibi indulget, quæ ſperare poteſt ſibi condonatum iri. G.

Vager, nullo ſervato tramite.

Viſuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At veſtri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati; ſi modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, et plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus et modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa
Laude; ſed in vitium libertas excidit, et vim

266 Et extra *Lamb.*—271 Utroſque *Cun.*—272 Non *Ach. Stat.*—276 Vectaſſe *ponit, et* per Hellada *conj. Cun.*—277 Quæ *etiam Diomed. et Donat.*

Licenter; ut impetus tulerit.

Melius *ut* (h. e. ſi) magis quam *an*, ut bene monuit Bentleius.

266 *Tutus;* ſupple, *quod fuerim tutus.*

Intra ſpem veniæ, cui non eſt de venia deſperandum, ut qui nihil gravius cæteris admiſerit.

267 *Cautus*, ſupple *ſcribam.*

Denique; ſi vel illud præſtitero: quia res magna non eſt, nec Poetam oſtendit.

269 *Nocturna verſate;* ἐναργῶς aſſiduitatem exprimit. B. Cf. infra verſ. 323. ſqq.

270 Omnes Lambini et Cruquii Codices pro *noſtri* legerunt *veſtri*, quam ſcripturam et Victorius probavit. B. Et omnino *veſtri* magis modeſtiæ Horatii convenit, qui ſe libertini filium probe meminiſſe ſolet, et proavos Romæ non habere. Quod autem dicit Harduinus, hunc locum repugnare his, quæ primitivus ille Horatius, dicat de Plauto Epiſt. 2. 1. 58. et 170.: in eo illum falſum eſſe, facile docet collatio. G.

Numeros et ſales; Metra et jocos.

271 *Patienter;* negligenter.

274 *Digitis;* levatione et poſitione digitorum, quas Græci Ἄρσιν et Θέσιν nominant; ſic enim diſtinguebant Tempora et Tonos, dum Metra metiebantur.

275 *Ignotum Tragicæ;* Præceptum vigeſimum: ſæpius corrigenda eſſe quæ ſcripſeris.

276 *Poemata* modo dicit Choros ruſticos, ſive Satiros, Figurate.

277 Bentleius *Qui*, h. e. *Actores qui*, Ignorâſſe videtur vir magnus plauſtrum fuiſſe Theſpidi pro Scena. Quin poſſint etiam recitata Theſpidis Carmina dici Poemata, etſi illa nunquam fuerint ſcripta. B. Plauſtra Theſpis non adhibuit, ut ab una urbe in alteram veheret actores, ut tibicines illi vino ſepulti apud Liv. 9. 30. plauſtris tranſlati ſunt: ſed paravit ſibi in quavis urbe ſcenam extemporalem de plauſtris aliquot conductis. His *vexit poëmata*, i. e. in his docuit Tragœdias, figura jucunda: quidni enim *vehi* dicantur, quæ aguntur in plauſtris? Non erat Hamaxobios ſuo cum grege Theſpis: ſed ut alii boni viri, v. g. ut Ariſtippus per deſerta Libyæ, iter faciebat pedibus. Illud *Qui* ergo non juvat ſententiam, ſed corrumpit. G.

Peruncti fæcibus; *Actores fæce vini faciem perungebant, vaſis fæce tenus epotatis.* Vet. Sch. Cruq. *Agricola et minio ſuffuſus, Bacche, rubenti. Primus inexperta duxit ab arte choros.* Tibullus. B. Locus eſt 2. 1. 155. ubi hoc in honorem Bacchi factum oſtendit Brouckhuſius. Omnis ars ſcenica in tutela Bacchi, ut vel Ranæ Ariſtophanis docent. G.

278 *Perſonæ pallæque honeſtæ; Perſonæ* pictus erat vultus; ſeu potius caput; *pallam* autem

Dignam lege regi: lex eſt accepta, choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poëtæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, et celebrare domeſtica facta;
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clariſve potentius armis,
Quam lingua, Latium, ſi non offenderet unum-
quemque Poëtarum limæ labor et mora. Vos, O
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite quod non
Multa dies et multa litura coërcuit, atque
Præfectum decies non caſtigavit ad unguem.
Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, et excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium nomenque poëtæ,

ſyrma dicit Tragicum. Eſt etiam *honeſtæ* Antitheton ejus quod ante poſuerat, *peruncti fœcibus ora*.

279 *Modicis tignis*; h. e. paucis tabulis. B. *Modicis tignis* Dativus eſt. His tignis mediocriter magnis, partem arrectis, partim tranſverſis, *inſtravit pulpita*, tabulas, quæ pro ſolo eſſent actoribus. Vid. v. 215. G.

282 *Excidit, lapſa eſt.* Vet. Schol. Cruq.

283 *Regi*, frænari.

Lex eſt accepta; et per hoc non amplius ſui luris erat: accipiunt enim Leges qui alieno arbitrio reguntur.

Choruſque; *Grex Actorum et Comœdorum Liberi Patris.* Vet. Schol. Cruq. Nam Nova Comœdia *amiſit Choros*, ut ait Alter Schol. Hæc Comœdia orta eſt, creſcente Macedonum Imperio, extinctaque libertate Græciæ. Nam non liberorum hominum neque liberas oportuit eſſe linguas. B. Cum Latini Comici Plautus et Terentius, Menandrum, Diphilum, Philemona, et alios novæ comœdiæ ſcriptores imitarentur, choros non habent illorum fabulæ, vid. Diomed. 3. p. 486. Ariſtophanis Fabulæ nimium Græcis rationibus et moribus implexæ erant, quam ut iis uti vellent Romani. G.

286 *Veſtigia*; exemplaria.

287 *Auſi*; etiam hi qui auſi ſunt: neque enim ſolum Palliatæ Comœdiæ Auctores meruere laudem.

288 *Prætextatam quidam dicunt Tragœdiam, Comœdiam autem Togatam.* Vet. Schol. Quod in Prætextatis agerentur Perſonæ Nobiles, in Togatis autem Romana plebs. *Prætextatas et Togatas ſcripſerunt Ælius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Meliſſus, Afranius, Pomponius.* Vet. Schol. Cruq. B. Vid. omnino Diomed. 3. p. 486. ſqq. G.

Docuere; ita et Græci locuti ſunt, ἐδίδαξαν.

292 *Quia Calpus filius eſt Numæ Pompilii, a quo Calpurnii Piſones traxerunt nomen.* Vet. Sch.

293 *Coercuit*; ut falx vitem, quam premit ne luxurietur.

294 Pro *Perfectum* duo Lambini totidemque Cruquii Scripti Codices legerunt *Præfectum*, quod et Mureto et Lubino placuit. *Tractum a marmorariis qui juncturas marmorum unguibus pertentant.* Vet. Schol. B. Opportune laudavit Bentleius Sidon. 9. 7. *Tota verborum ſtructura liquida prorſus et ductilis; veluti cum cryſtallinas cruſtas aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.* G. Conf. Winkelm. Anmerkungen über die Geſch. der Kunſt. p. 79. Z.

295 Præceptum vigeſimum primum, De legendis Philoſophorum Scriptis. *Ingenium; Ait enim Democritus Poeticam Natura magis quam Arte conſtare, et eos ſolos Poetas eſſe veros qui inſaniant, in qua perſuaſione Plato eſt.* Vet. Schol. B. Compara Epiſt. 1. 19. 10. it. 2. 2. 104. G.

Miſera Dilogos poſuit, quod videlicet ſe torqueat, et quod dignam putet miſeratione.

299 *Pretium*; honorem, opinionem.

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego lævus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti est; ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes; quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte, sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

302 Purgo *Lamb.*—311 Sequuntur *coll. Sax.*—312 Quod—quod *coll. Sax.*—318 Vivas *etiam G. et Mediol.* 1477. *it. Bentl. et MSS.* 4 *Bersm. et Helmst.*

300 *Si tribus Anticyris*; cum non sint nisi duæ.

301 *Tonsori Licino*; *Qui dicitur factus Senator a Cæsare quod odisset Pompeium; de quo hoc scriptum est Epitaphium: Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo; Pompeius parvo: quis putet esse deos?* Vet. Schol. Cruq. Nondum oblitus est veterum partium Horatius.

302 *Purgor bilem*; supple corruptam, hoc est, Melancholiam. Nil opus est reponere, vel *purgo*, vel *bile*.

Horam, tempestatem.

304 *Nil* Adverbii loco ponitur pro *non*. *Nil tanti est*: nam susque deque fero; non curor: Comica Elocutio est. B. Nil tanti est, etiam laus poetæ non tanti est, ut illam sanitate mentis impensa velim emere. V. ad Epist. 2. 2. 140. Ergo, quia poeta hac lege fieri nolo, fungar, &c. Videtur hæc scripsisse, certe nihil impedit scripsisse, ante Odas. G.

306 *Nil scribens ipse*; Ironica extenuatio.

307 *Opes*; *materiæ ad carmina scribenda*. Vet. Schol. Cruq.

308 *Affectate dixit virtus pro arte, quæ ἀρετὴ dicitur*. Vet. Schol.

Error; *vitium, artis ignoratio*. Vet. Sch. Cruq. Et mire *ferat* de incerto impetu, vel potius insania.

309 *Sapere*; i. e. *Scire quid scribas*. Vet. Sch.

310 *Socraticæ chartæ*; tractum est ex Lucilio; cujus verba sunt apud Nonium: *Nec sic ubi Græci, ubi nunc Socratici charti, quicquid quæritis petimus*. B. Locus est 3. 40. Hinc *Socratici charti* etiam hic reponi volebat Da. Heinsius. Sed nemo, quod sciam, paruit. G.

311 *Verbaque provisam*; *Et Pollio idem dixit: Male Hercule eveniat verbis, nisi verba rem sequantur. Menander cum Fabulam disposuisset, etiamsi nondum versibus adornâsset, dicebat se tamen jam complêsse*. Vet. Schol.

312 *Qui didicit patriæ*; *qui legis libros De Officiis*, i. e. Περὶ Καθήκοντος. Vet. Schol.

314 *Conscripti*; Senatoris.

317 *Exemplar vitæ*; Philosophiam intelligit Moralem: et sic olim explicavit Jason de Nores, nec dissentit Luisinus.

318 *Imitatorem, Comicum*; *quia Comœdia est imago vitæ*. Vet. Schol. Cruq.

Verar, vivas. Vet. Schol. Bentleius pro *veras* posuit *vivas* nulla de causa: Scholiastæ hoc Interpretamentum est, non vero variata Lectio.

Interdum ſpecioſa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, ſine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliuſque moratur,
Quam verſus inopes rerum, nugæque canoræ.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. ¶ Dicat
Filius Albini, Si de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? ¶ Poteras dixiſſe, Triens. ¶ Eu!
Rem poteris ſervare tuam. Redit uncia, quid fit?
¶ Semis. ¶ An, hæc animos ærugo et cura peculî
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, et levi ſervanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ,
Aut ſimul et jucunda et idonea dicere vitæ.
Quicquid præcipies, eſto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.

319 Jocis *Ach. Stat. et præfert Marc. idem eſt in Ven. Glar. et MSS.* 2 *Berſm.*—328 Supereſt *S.* Superet *Bentl. Cun.* Poterat *Z. et Bentl.*—329 Poterit *Cun.*—330 *Pro* An, Ad *Talb. ex MSS.* Et *Cun.* Ad hæc *Ven. Glar. MSS.* 4 *Berſm. et Helmſt.* At, hæc *Lamb.*—331 Speremus *Cun.*—337 Manat de pectore pleno *MSS.* 3 *Berſm.*

319 *Specioſa locis*, Characteribus decora: locus enim ordo eſt quem quiſque in vita ſervat: in Scena dicuntur Partes. B. Etiam ſententias et locos communes licet intelligere, ut de amore, ſenectute, divitiis, quibus tanquam luminibus quibuſdam *ſpecioſa* eſt *fabula*. *Jocis* quomodo *ſpecioſa* eſſe eadem poſſit, non intelligebam. G.

Morata, ſervans Ethos.

320 *Veneris*, Leporis.

Sine pondere; nulla rerum vel verborum gravitate.

321 *Moratur*, detinet.

322 *Inopes rerum; nulla ſententia, ſola arte boni.* Vet. Schol. Cruq.

Canoræ, ſonoræ.

323 *Ore rotundo*; pleno, ut nihil vel deſit, vel ſuperſit.

324 *Præter laudem; tanquam Protogenes illi qui lutum finxit decem annis; vel Apelles qui totidem pinxit annis.* Vet. Schol.

325 *Romani pueri*; ſcholam ſcilicet petentes. B. Græci τὸ καλὸν petunt, Romani computant, quid referat. Eſt enim, ut ait Ariſtot. Rhet. 2. 12. ὁ μὲν λογισμὸς τοῦ συμφέροντος, ἡ δὲ ἀρετὴ τὸ καλοῦ. Qui amat puellam, non computat dotem. G.

326 *Dicat filius*: Ethopœia eſt. Peſſime Bentleius immutavit *Dicat* in *Dicas*; neque enim novit Enallagen Perſonæ in tali Dialogiſmo urbanam eſſe atque elegantem, et Comica prolatione pronuntiatam. B. *Dicat* plane ut Car. 1. 27. 10. G.

327 *Albini*; prædivitis cujuſdam fœneratoris.

328 *Superat*; ſupereſt.

Poteras; feſtiva Perſonarum Enallage. Perdurat in Enallage.

Eu! bene: verba ſunt magiſtelli.

330 *Semis*, inquit diſcipulus.

Pro *Ad hæc* legendum cum Bentleio *An hæc*, auctoritate trium optimorum Codicum. B. *Imbuere* ad *aliquid* recte dici, ſatis docet illud Cic. pro Mil. c. 4. *Lex*, ad quam—*imbuti ſumus*. G.

Ærugo; Lividum atque edax venenum: ita appellat cogitationem pecuniæ.

332 *Cedro*; *libri qui aut cedro illinuntur, aut*

Ficta voluptatis cauſa, ſint proxima veris.
Nec, quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi;
Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis;
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes:
Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Soſiis; hic et mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen quibus ignoviſſe velimus:
Nam neque chorda ſonum reddit quem vult manus et mens,
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum;
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo eſt?
Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,

339 Ne *etiam G. Z. Flor. it. MSS. 3 Berſm.*—340 Exciat *Cun.*—342 Ramnes *Bentl.*—350 Quæcunque *MS. Acb. Stat.* Quocunque *MSS. 3 Berſm.* Cuicunque *conj. Bonſin.*

arca cupreſſina incluſi ſunt, a tineis non vexantur. Vet. Schol. Cedrum autem dicit cedrinum oleum. B. *Levis cupreſſus* arca e tabulis cupreſſi bene politis ea, quam non bene puto *dolabram*, melius forte *planam* vel *planulam* dici. G.

333 *Aut prodeſſe volunt;* Præceptum vigeſimum ſecundum, De Fine Poeticæ, docere ſcilicet et delectare.

334 *Idonea;* utilia, accommoda.

335 Exſequitur, quod modo propoſuerat. *Prodeſſe volunt poetæ præcipiendo*, de hoc v. 335. 337.: *delectare*, de hoc a v. inde 338. G.

337 Cum pectus præcepto plenum eſt, cum ſemel intelleximus, quid præcipiatur, reliqua *manant* et velut defluunt, ut quidquid pleno vaſi velis adjicere, reſpuitur et defluit. G.

339 Illud ego prætuli Bentleiano *Ne*, quod Ἐξήγησις ſit prioris verſus.

340 *Lamiæ; hæ ad terrendos infantes ſolent nominari.* Vet. Schol. *Lamia monſtrum eſt ſuperius habens ſpeciem mulieris, inferne vero deſinit in pedes aſininos.* Vet. Schol. Cruq.

341 *Centuriæ ſeniorum;* bene tanquam Centuriata Comitia agerentur.

Agitant, abigunt, exſibilant.

Expertia frugis: nugatoria, quæ ſcilicet juniores delectant.

342 *Celſi;* elati, faſtidioſi, ſublimes. *Prætereunt*, negligunt; *auſtera*, gravia, qualia delectant ſenes.

Rhamnes; feſtive Virgiliano nomine abutitur. *Simul enſe ſuperbum Rhamnetem aggreditur.* Virgil. Æneid. 9. 325. B. Sed equites in univerſum, *juvenes, ſublimeſque* ideo, intelligit, quorum centuriam a Romulo *Ramnenſes dictos*, ait Liv. 1. 13. G.

343 *Omne tulit punctum*, h. e. Et ſeniorum et juniorum ſuffragia. *Omnium meruit favorem, juxta Legem Tabellariam, quæ caverat non voce, ſed puncto debere ferri ſuffragia.* Vet. Schol. B. Vid. Epiſt. 2. 2. 99. G.

345 *Soſiis*, bibliopolas ſuos nominat. Vide Ep. 1. 20. 2.

Hic et mare tranſit: nam et Græci hunc lecturi ſunt, qui raro Latinos libros quærunt. B. Africani certe coloni. Vid. Epiſt. 1. 20. 13. G.

347 *Sunt delicta tamen:* Præceptum vigeſimum tertium. Ob modica delicta non eſſe erubeſcendum.

Velimus; velle debemus.

348 *Mens;* propoſitum.

349 Non ſimpliciter, quaſi contra naturam ſuam gravior chorda acutum ſonum poſſit reddere, ſed hoc ait, ſæpe chordam aut nimis aut parum tenſam facere, ut alius ſonus reddatur, quam poſtulabat ratio carminis. G.

Quamvis eſt monitus, venia caret; et citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terque bonum, cum riſu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas eſt obrepere ſomnum.
Ut pictura, poëſis: erit quæ, ſi propius ſtes,
Te capiat magis, et quædam, ſi longius abſtes:
Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen:
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te ſapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: conſultus juris et actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt: mediocribus eſſe poëtis

355 Sit *MS. Acb. Stat. pro* et, ut *Bentl. ex MSS. Cun.*—358 Terve *Bentl.*—362 Capiat, *ſic Lamb. Bentl. MSS. 4 Berſm. et Helmſt. al.* capiet.—371 Caſſel. *al.*

353 *Humana natura*; h. e. ingenium humanum, quod labi pronum eſt: nam Humanum eſt errare: neque omnia poſſumus vel cavendo prævidere.

Quid ergo eſt? Appoſui *eſt* ex MSS. Lambini et Cruquii et veteribus Scholiaſtis. Et ſupple, *quod velis.*

354 *Scriptor librarius; Bibliopola.* Vet. Schol.

355 *Quamvis eſt, pro eo quod eſt, Quamvis ſit, propter* Καπίμφατον; *ut Maro, Quamvis eſt ruſtica Muſam.* Vet. Schol. Ac ſi ſonaret *Quam piſit, ἢν μύλλει.*

356 Vix opus eſt hodie denuo monere de errore eorum, qui hunc verſum Parœmiam fecere in eos, qui variare nihil poſſint, ſed idem ſemper repetant, cum de repetito eodem errore ſermo ſit. Simile ſtudium parœmiæ fecit, ut dicerent, *quandoque*, h. e. interdum *bonus dormitat Homerus.* G.

357 *Ceſſat*; ignavus eſt. B. Vid. Epiſt. 2. 2. 14. G.

De *Chœrilo* dictum eſt in Epiſtola ad Auguſtum (2. 1. 233.) *Hujus omnino ſeptem verſus laudabantur.* Vet. Schol.

359 *Quandoque*; quandocunque. B. Solœciſmi poſtulat hoc *quandoque* Harduinus; recte, ſi pro *interdum* poneretur; ſed pro *quandocunque* optimi quique. G.

360 *Operi longo*; ita emendavit Bentleius [pro *opere in longo*] ſub pluribus, atque optimis auctoribus in quibus vel ipſe Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Pammachium.

Fas eſt; h. e. non eſt adeo grave crimen.

361 *Ut pictura*; Præceptum vigeſimum quartum: Nil valere Poema quod non eſt optimum. B. Ut pictura, ſic poëſis quædam magis placet ſpectata e proximo, alia e longinquo. *Abſtes* verbum fictitium ait Harduinus: Bentleius illud reponi etiam vult Epiſt. 1. 18. 58. G. *Pictura* eſt tabula picta, et *poëſis carmen.* Z.

363 *Obſcurum*; ſupple, *locum.*

364 *Argutum, ſubtile.* Vet. Schol. Cruq.

366 *O major juvenum*: *L. Piſo.* Vet. Schol. An hunc credidit latere ſua vitia?

367 *Ad rectum*, h. e. ad verum, quod ad normam rationis exigitur.

368 *Tolle*, tibi habe, et repone.

369 *Recte*, cum ratione.

Conſultus juris et actor; *Patronus cauſas agebat; at Juriſconſultus domi tantum de jure reſpondebat.* Franciſcus Luiſinus.

370 *Virtute*; laude, præſtantia.

Non homines, non Dî, non conceſſere columnæ.
Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum inventumque poëma juvandis,
Si paulum a ſummo deceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis,
Indoctuſque pilæ diſcive trochive quieſcit;
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ:
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere! ¶ Quid ni?
Liber et ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
¶ Tu nihil invita dices facieſve Minerva;
Id tibi judicium eſt, ea mens: ſi quid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat judicis aures,
Et patris, et noſtras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus poſitis. Delere licebit,
Quod non edideris; neſcit vox miſſa reverti.

373 Non Dî, non homines *Lamb.*—375 Ut cr. *Sax.*—378 Paullum ſummo deceſſit *Bentl.* —387 Matii *MS. Ach. Stat.* Mæcl. *Bentl. Cun.* Mecî *Lamb.*

371 *Scævola clariſſimus Legumlator quotieſcunque de jure Prædiatorio conſulebatur, ad Furium et ad Caſſellium conſultores rejiciebat.* Val. Maximus (8. 12. 1.) referente Jaſone de Nores.

373 Ridicule et παρὰ προσδοκίαν intulit *Columnæ.* In Columnis autem *Poetæ ponebant πινάκια, indicantes quo die recitaturi eſſent.* Vet. Sch. Cruq. B. *Columnæ* ſunt, ad quas libri venales pendent, certe illorum tituli. Vid. Serm. 1. 4. 71. Neque tamen abſurdum eſt hic intelligere Porticus, vel atria columnata, in quibus recitabant. Potuit forte utrumque genus obverſatum eſſe, cum iſta ſcriberet, Flacco. G.

375 *Craſſum*, pingue, non tenui odore.

Corſicum et Sardum mel peſſimi ſaporis eſt. Vet. Schol. Propter taxos ibi abundantes.

Semen candidi papaveris toſtum cum melle in ſecunda menſa apponebatur. Jaſon de Nores ex Plinio. B. Locus eſt 19. 8. ſ. 53. Conf. Epiſt. 2. 1. 114. it. Perſ. 5. 102. *Navem ſi poſcat ſibi peronatus arator*, &c. G.

376 *Duci*; produci.

377 Cf. Cic. de Orat. 1. c. 61. G.

378 Pro *diſceſſit* repoſui *deceſſit* ex quatuor optimis libris, et Vet. Schol.

379 *Ludere*, certare in Campo Martio.

380 *Trochi*; i. e. *rotæ quam currendo pueri ſcutica vel virga regunt.* Vet. Schol. Vide Od. 24. Lib. III. ut etiam de Diſco Od. 8. Lib. I.

383 *Ingenuus*; plus eſt ingenuum eſſe quam liberum: poteſt enim vel peregrinus eſſe liber. *Cenſus*, ἀπογεγραμμένος. Vet. Schol.

384 *Vitioque remotus ab omni*; Nunquam a cenſore notatus.

385 Præceptum vigeſimum quintum, De adhibendo idoneo Judice. *Invita Minerva*; *ingenio repugnante.* Vet. Schol. Cruq. Proverbialis Elocutio eſt. Nil valent artifices, niſi Minerva adjuvante, artium dea.

386 *Judicium*, voluntas; *mens*, conſilium. B. Excuſat adhortationem: ita judicas ipſe, ita decreviſti facere. G.

387 *Spurius Metius Tarpa iis temporibus ſummus Criticus fuit, doctus et ſeverus auditor Carminum æſtimatorque.* Vet. Schol. Cruq. Bentleius ex quibuſdam Libris repoſuit *Mæci.* Verum cum ab antiquo Interprete *Spurius Metius Tarpa* dicatur, nihil morabor Scriptores iſtos librarios et rudes et mercenarios. B. Vid. ad Serm. 1. 10. 38. G.

388 *Nonumque prematur*; h. e. ſupprimatur. *Cinna Librum ſcripſit qui inſcribitur Smyrna, quem non edidit niſi nono anno.* Vet. Schol.

390 Ut verba ore prolata, tanquam alata

Silveſtres homines ſacer interpreſque deorum
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones:
Dictus et Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet. fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæuſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit; dictæ per carmina ſortes;
Et vitæ monſtrata via eſt; et gratia regum
Pieriis tentata modis; luduſque repertus,
Et longorum operum finis; ne forte pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite vena;

393 In hoc *MS. Acb. Stat.* Rapidos *Z. Med.* 1477. *Flor.*—394 Urbis *S.*—402 Dircæus *primæ editt.*

(πτερόεντα, Homerico epitheto) fruſtra revocantur. Ceterum ſecutus ſum diſtinctionem Bentleianam. Alii interpungunt poſt *annum*, incidunt poſt *poſitis*. G.

391 *Sacer interpreſque;* Sacerdos erat Orpheus et Θεόλογος. Barbari melius demulcentur Muſica, quam Philoſophia. B.

392 *Victu fœdo*, v. c. uſu glandium et pomorum ſilveſtrium. Cf. ſupra Serm. l. 3. 100. et Lucret. V. 937. Z.

394 Quidam Codices pro *arcis* legerunt *Urbis*; ſed interpretamentum eſt.

395 *Prece blanda; oratione et alloquio ſuavi.* Vet. Schol. Cruq.

396 *Sapientia;* Philoſophia Heroici ſæculi omnino erat Politica.

399 *Ligno; unde adhuc Athenis Legum Tabulæ Axones vocantur.* Vet. Schol. B. Diſſenſio ſcriptorum de materia et forma tabularum Solonis facit, ut divinationi locus ſit. Ex Plutarchi narratione Solo, p. 92. B. Mihi ſit veroſimile, fuiſſe corpora plurium laterum, vel cylindrica adeo, ope axiom (ἀξόνων) verſatilia, ut undique legi poſſent: hinc appellatio. G.

402 *Tyrtæus;* Poeta Athenienſis, Lacedæmoniorumque dux ex Apollinis Oraculo in bello quod contra Meſſenios gerebant. Hic primus moderationes tubæ reperiſſe fertur: non longe aberat ab ætate Homeri. B. Nobile hoc illius Diſtichon, Τιθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον, pulchrum cadere in prima acie pugnantem pro patria virum bonum. G.

403 *Sortes;* Apollinis Delphici: hinc Carmen Heroicum et Delphicum et Pythium appellatum eſt: imo et huic oraculo originem ſuam debuit, auctore Plinio 7. 56.

404 *Vitæ monſtrata via eſt;* uti aureo Carmine Pythagoræ, et ſimilibus.

405 *Tentata;* canendo eorum Encomia, ut Theocritus Ptolemæi.

Ludus, Scenica Dramata.

406 *Longa opera*, ruſtica intelligo, quæ *longa* videntur *debentibus* (vid. Epiſt. 1. 1. 21.) poſt quæ Septembri menſe celebrati Ludi Romani, et in his ſcenici. G.

407 Elevando modo *Cantorem* poſuit. B. Sed hic Cantor Apollo ad magnam dignitatem pervenit, nummiſque celebratus eſt, ſub Nerone. G.

409 *Quæſitum eſt;* a philoſophis, ut ſupra meminimus ad v. 295.

Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, et conjurat amice.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer; ſudavit et alſit;
Abſtinuit Venere et vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magiſtrum.
Nec ſatis eſt dixiſſe, "Ego mira poëmata pango:
"Occupet extremum ſcabies; mihi turpe relinqui eſt,
"Et, quod non didici, ſane neſcire fateri."
Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire poëta
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Si vero eſt, unctum qui recte ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor ſi ſciet inter-
noſcere mendacem verumque beatus amicum.
Tu ſeu donâris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim, *Pulchre! bene! recte!*
Palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis

410 Proſit *edd. vett.*—414 Ven. et Baccho *MS. Ash. Stat.*—416 Non *S.*—426 Velis *MS. Ash. Stat.*

Sine divite vena; ſine nobili indole. B. Metaphora a metallis auri et argenti. G.

410 Legendum *poſſit* [pro *proſit*] auctoritate optimorum Librorum; atque hoc oſtendit Bentleius.

411 *Conjurat amice*; *amicabiliter conſentit.* Vet. Schol.

413 *Multa tulit*; *Athletæ qui ad Curule Certamen inſtruebantur, non edebant carnes elixas, ſed aſſas igni tantum. Ante Pythagoram ficis utebantur Athletæ, ſed ille panes* Ἀξύμους *et aſſas carnes eos comedere docuit, quæ* Κωλίφια *vocabantur: abſtinebant a Venere, et ne forte per ſomnium noctu ludificarentur, laminas plumbeas renibus appendebant.* Vet. Schol. Cruq.

Alſit; *Gymnici more.* Vet. Schol. Cruq.

414 *Qui Pythia cantat*; *His quoque ludis erant et Pythaulæ qui Pythia cantaverunt.* Hyginus, citante Turnebo. Quod munus videtur fuiſſe ſumme difficile. Αὐλεῖν δὲ Πυθικοῖς αὐλοῖς πίνδος σημαίνει. Artemidorus.

416 Recte Bentleius *Nec* pro *Nunc*; neque ſcitur, quem pulſat.

Ego mira Poemata pango; verba cujuſdam inſulſi Poetaſtri.

417 *Occupet extremum ſcabies*; Proverbium de puerili luſu tractum: POX TAKE THE HINDMOST. Atque hæc de ſuo adjecit Horatius.

Mihi turpe relinqui eſt; h. e. Priorem pati nequeo; nam illud me indignum puto.

418 *Sane*, ingenue.

420 *Ire*, venire.

422 *Unctum Satirice poſuit pro pulmentarium bene coctum.* Vet. Schol. B. Mihi potius videbatur *unctus* intelligi, qui e balneo lotus et unctus ad cœnam it. Conf. Epiſt. 1. 17. 12. *Ponere* ſic fuerit collocare, accumbere jubere convivam. ut Ov. Art. 1. 231. et ibi Burm. G.

Recte; omnibus ſuis numeris.

423 *Spondere*; *intervenire et fidem dicere, vadem fieri.* Vet. Schol.

Levi; Levis fidei; cujus fides nihil habet ponderis apud creditores.

Atris, triſtibus, diris. Viſum eſt Bentleio reponere *artis*, (h. e. *arctis*) pro *atris*; quod minus Poeticum videtur.

Ex oculis rorem; ſaliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; ſic
Deriſor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urguere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus: ſi carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares, Corrige ſodes
Hoc, aiebat, et hoc: melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtra, delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam inſumebat inanem;
Quin ſine rivali teque et tua ſolus amares.
Vir bonus et prudens verſus reprehendet inertes,

431 Plorare *Sax.*—434 Cucullis *Z.*—435 Laborant *Bentl. e MSS. it. Lamb. MSS. 4 Berſm. et Helmſt. et melius eſt quam* laborent *Baxteri. Ergo recepi. Z.*—437 Fallent *MSS. Ach. Stat. S.*—441 Formatos *viri docti apud Cun. et ipſe cum Sanad. Ac videntur favere Scholiaſtæ et alii ſemiveteres.*—443 Nil u. verbi, a. operæ inſum. inanis. *Cun. ſolus.* Inſumebat *ſic Lamb. et Bentl. it. MS. Helmſt. recte. al.* Sumebat *Z.*

424 *Implicitum, irretitum.* Vet. Schol.

425 *Beatus*, qui ſibi videtur ob fortunas, et Poeticum ingenium.

429 *Amicis*, Ironice protulit. B. Aut vere amicis, aut certe ſimulantibus amorem. G.

431 *Ut qui conducti:* Lucilium imitatus eſt, cujus hæc ſunt verba apud Nonium: *Mercede quæ Conductæ flent alieno in funere Præficæ Multo et capillos ſcindunt et clamant magis.*

433 *Deriſor:* ſcurra, fictus amicus. B. ὕφων. Cf. Epiſt. 1. 18. 11. G.

434 *Culullis;* Vide Od. 1. 31. 11. B. De re ipſa Od. 1. 18. extr. G.

437 *Animi ſub vulpe*, h. e. intra vulpem. *Vulpes in Æſopi Fabula oſtendebat ſe corvo ſimplicem.* Vet. Schol. Cruq.

438 *Hic erat Quintilius Varus Poeta Cremonenſis Amicus Virgilii*, Vet. Sch. In quem Od. 24. Lib. I. conſcripta eſt.

441 Quis ferat Bentleii *ter natos* poſitum pro *tornatos* nullo cum lepore, vel colorata Figura? Satis nequeo etiam admirari virum doctiſſimum non vidiſſe *tornum* plane fuiſſe Propertio [2. 25. 43.] pro monetaria forma, Figurato tamen ſenſu. *Incudi;* Monetæ: nam a re monetaria ducta Metaphora eſt, ſecus ac putant Eruditi. Forma etiam qua cuduntur nummi *tornus* dicitur Propertio in iſto verſu. *Anguſto torno verſus includere. Tornatos*, Effigiatos. *Nec qui Communi feriat carmen triviale moneta.* Juvenal. 7. 55. B. *Tornum* in re monetaria adhibitum, non puto probari poſſe. *Malleum* nobis ingerunt nummi ipſi, et *feriendi* atque *percutiendi* verba. Cæterum *Tornare* ad poetæ opus accommodari pulchre, non negat ipſe Bentleius. Metallicum opus tornari, res vulgata hodie, et quidni apud antiquos, qui totas columnas lapideas tornaverint, teſte Plin. 36. 13. Et quidni *torno* imperite adhibito, non minus quam *lima* et *cælo*, corrumpi poſſit opus, fornaci atque *incudi* propterea reddendum? *Male natos* probat ipſe Hor. Epiſt. 2. 1. 233. Sed an *ter naſcuntur* animalia? an *male nata incudi redduntur?* an certe poteſt hoc probare, qui *tornatos* non vult redire ſub *incudem*, ne miſceantur metaphoræ? Denique nonne *male tornata* dici poſſunt, quæ dum tornare vult artifex, nimis extenuat, vel alias corrumpit? Quare primo nihil mutem contra omnes libros: ſi quis autem me cogat, malim *formatos*, quam *ter natos*. *Tornatos* verſus Galliciſmum prodere, ait Harduinus, ſui hic etiam ſimilis. G.

442 *Vertere; mutare.* Vet. Schol.

443 *Nullum ultra verbum*, ſupple *faciebat.*

Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Ariſtarchus; non dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel exceptumque ſiniſtre.
Ut mala quem ſcabies aut morbus regius urguet,
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent fugiuntque poëtam,
Qui ſapiunt; agitant pueri, incautique ſequuntur.
Hic, dum ſublimis verſus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives! non ſit qui tollere curet;

450 Non *Bentl. ex MSS.* Nec *al.*—451 Ducunt *S.*—458 Sic veluti *MSS. 2 Berſm.*

444 *Sine rivali;* Proverbiali ſchemate ponitur, et ſatis Satirice. B. Sic Cic. ad Q. Fr. 3 8. G.

445 *Vir bonus et prudens;* h. e. Et benevolus et doctus.

Inertes; ſine ſpiritu et nervis.

446 *Duros;* rigidos, illepidos.

Incomtis; rudibus, inornatis.

447 *Ambitioſa;* nimis ornata, et luxuriantia: *Elatos ornatus amputabit.* Vet. Schol. Cruq.

448 *Dare lucem; apertiora facere.* Vet. Schol.

449 *Ambigue dictum; Amphibologias.* Vet. Schol.

Mutanda; quæ ſcilicet guſtui ſuo minus placent, etſi lateat cauſa.

450 *Fiet Ariſtarchus,* et per hoc nihil parcet amico. B. Solebat Ariſtarchus ὀβελίζειν, expungi jubere verſus Homeri, quos non probaret. Vid. Cic. Fam. 9. 10. G.

452 *Deriſum;* derideri dicitur qui ab Irone vel ſcurra laudatur. V. v. 433.

Exceptum ſiniſtre; perverſe tractatum, ridicule habitum, dum credit turpiter aſſentanti.

453 *Mala ſcabies; Lepra incurabilis.* Vet. Sch. Cruq. Mala autem uſitato Charientiſmo dicuntur dira quæque et horrenda.

Morbus Regius; Vulgus Ictericos fugit, ne ex aſpectu Auruginem colligat. Mulſo curatur hic morbus, unde et Regius vulgo appellatus eſt, quo hic potus maxime eſſet divitum et delicate viventium, ut olim oſtendit Jaſon de Nores, ex Varrone. B. Plin. 22. 24. ſ. 53. *Varro Regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulſo curetur.* G.

Urguet; affligit, deprimit.

454 *Fanaticus error; Fanaticum errorem pati dicuntur qui a Faunis percutiuntur, id eſt, qui lymphatico ſpiritu agitantur.* Vet. Schol. Faunos autem et reliquos manes, excepto uno Tireſia, fatuos eſſe ſupra [ad Epiſt. 1. 19. 4.] oſtendimus. Epilepſiam, ſeu Comitialem morbum intellige, quem morbum etiam Herculi Incuboni, ſive Ephialtæ tribuit ſtolida veterum credulitas.

Iracunda Diana; quæ et Luna et Hecate et Proſerpina dicitur; Nocturna et irritabilis dea. Putabatur hæc fuiſſe Mania mater larium et vexare infantes, atque adultos etiam ſingulis Interluniis, deducta de ſuo curru, in furorem vertere præcipue ſi ſacra ejus negligerentur.

455 *Tetigiſſe* pro *tangere.* Vet. Schol.

456 *Qui ſapiunt;* h. e. qui non et ipſi inſaniunt.

Agitant, per plateas inſequuntur.

Incauti, nulla habita ratione, vel nulla verecundia deterriti. B. Pueri non metuunt contagionem, et ſectantur furioſos, tanquam materiem riſus. Cic. in Verr. 4. c. 66. *Homo ridicule inſanus—ut cum pueri ſectentur.* G.

457 Cum MSS. Cruquii et Vetere Interprete pro *ſublimes* repoſui *ſublimis.* Eſt autem *ſublimis* hoc loco, quem Græci μετέωρον appellant; h. e. qui ſidera tantum ſpectat, inferiora deſpicit. Hoc ſatis declarant ſequentia.

Si curet quis opem ferre, et demittere funem,
Quî ſcis an prudens huc ſe dejecerit, atque
Servari nolit? dicam, Siculique poëtæ
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit. ſit jus liceatque perire poëtis:
Invitum qui ſervat, idem facit occidenti:
Nec ſemel hoc fecit; nec, ſi retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis apparet cur verſus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus: certe furit, ac velut urſus

461 Curret *Z.* Siquis curet *Ven. Glar.*—462 Quid *MS. Acb. Stat.* Sciat *Cun.* Projec. *quidam MSS. et Bentl.*—468 Retentus *MS. Helmſt.*—469 Formoſæ *MSS. Acb. Stat.*—470 *Pro* cur, cum *Flor.* Verſus cur dictitet *Cun. ſol.* Dictitet *MS. Helmſt.*

Antiqui et ructo et ructor dixerunt: hic genere patiendi extulit ructatur. Vet. Schol.

Errat; ſui admiratione inebriatur.

458 *Merulis;* ſatis vili aucupio.

459 *Longum clamet;* expreſſit Homericum, μακρὸν ἄυσειν. Lambinus.

460 *Curet;* animum appellat.

462 *Qui ſcis;* Ethopœia eſt: nam ex perſona adſtantis alicujus vicini hæc protulit. B. Quin, ut recte ipſe mutavit diſtinctionem Baxterus, ipſius velut adſtantis Horatii hæc verba ſunt. G.

Longe convenientius eſt hoc loco verbum *dejecerit* quam Bentleii *projecerit:* nam Empedocles deorſum ſe jecit in Ætnæ montis craterem. An ſe *projecerit* incertum eſſe neceſſe eſt.

465 *Ardentem frigidus;* pulchro Antitheto uſus eſt; atque eum ex ſua Philoſophia arguit: *Empedocles enim dicebat ingenia frigido circa præcordia ſanguine impediri.* Vet. Schol. Quod Dogma et Maro noſter expreſſit in Georgicis (2. 484.), cujus hæc ſunt verba: *Sin has ne poſſim naturæ accedere partes Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.* B. Diverſas de Empedoclis morte ſententias, et hanc ipſam fabulam, i. narrationem, refert Diog. Laërt. 8. 69. ubi vid. Menag. G.

466 Similis hic eſt aſperitas, ut in illo edicto Spartanorum Æli. V. H. 2. 15. Κλαζομενίοις ἐξέστω ἀσχημονῖν, *Liceat Clazomeniis indecenter ſe gerere.* G.

467 *Idem facit occidenti;* Græca Phraſi extulit τὸ αὐτὸ ποιεῖ τῷ ἀποκτείναντι. B. Nam vim facit ei, qui impedit, quo minus quis, mori cupiens, ſe interficiat: atque vim facit etiam ei, qui vitæ cupidum occidit. Z.

468 *Hoc fecit;* ut ſe demitteret in Craterem.

469 *Fiet Homo; animal rationale, ut eſt in Definitione hominis.* Jaſon de Nores.

Famoſæ; ſe occidere etiam olim erat infame. Καὶ τὶς ἀτιμία πρόσεισι, τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι. Ariſtoteles ad Nicomachum, referente Franciſco Luiſino, viro docto. Ἡμεῖς γὰρ ἄνθρωποι ἐν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς τίμιοι, uti olim moriens Socrates, auctore magno Platone. Quare Homicidæ ſui inſepulti abjiciebantur, teſte Seneca in Controverſus. Vide eruditiſſimum Gutherium de Jure Manium. B. Mihi videbatur mediæ ſignificationis hic eſſe *famoſæ.* Quærit inſanus hic, ſermones eſſe de morte ſua. G.

470 *Cur verſus factitet; an quia ſcelus aliquod perpetraverit propter quod puniri debeat.* Vet. Sch. Cruq.

471 *Minxerit;* graviſſimum ſcelus hoc, illudere parentum cineribus. B. Perſ. 1. 113. *Pingo duos angues,* indicium loci conſecrati, *pueri, ſacer eſt locus, extra Meiite.* Vid. Caſaub. G.

Triſte; cum magna reverentia tractandum et horrendum, Dilogως.

Bidental; Reliquias fulminis quas Pontifices cum Sacrificio ſepeliebant. Vet. Schol. Nam cæſis duabus bidentibus procurabant ejuſmodi prodigia, atque ipſum locum in quem ceciderat fulmen ſacrabant, qui exinde Bidental appellabatur. Erat hoc ſepulcrum Numinis: ſiquidem caſus Fulminis pro morte alicujus Dæmonis habebatur: et Meteora omnia veteribus pro Diis erant et Jovis Angelis; quod paſſim apud Poetas legere eſt. B. Non pervulgata ſunt, quæ hic Baxterus, non vulgariter antiquitatis peritus de

Objectos caveæ valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

morte Dæmonum fulguribus nunciata habet. An hausit ex iis, quæ de *Britannicis* quibusdam *Dæmonum ac Heroum insulis* narrat Plutarch. de orac. def. p. 419. E? Cf. p. 416. D. G.

472 *Incestus*; impius, impurus.

Certe furit; quæcunque fuerit causa, constat effectus.

474 *Fugat*; odio suo, et prolixæ recitationis metu.

Acerbus; atrox, immisericors.

475 *Arripuit*; de fuga prehenderit et ad se retraxerit.

476 *Plena cruoris*; donec pæne disruptus fuerit legendo. B. Non opus est similitudinem eo usque extendere. Satis est, si maneat imago hirudinis adhærescentis, &c. Sæpe hic peccatur, in sacris præsertim; ubi singulas partes dum applicare volunt homines, non evitant nugas. Cf. ad Epist. 1. 2. 34. 1. 10. 5. 1. 16. 22. G.

FINIS.

INDEX NOMINUM.

E. *significat Librum Epodon*, C. S. *Carmen Seculare*, Ep. *Epiſtolas*, S. *Sermones*, Ar. *Epiſtolam de Arte Poetica: Numerus ſimpliciter ſcriptus, Odas.*

A

Academi ſilvæ, *de gymnaſio Athenarum celeberrimo*, Ep. II. 2. 45.

Accius ſ. Actius ſ. Attius, *poeta tragicus Latinus*, Ep. II. 1. 56.: *reprehenditur a Lucilio*, S. 1. 10. 53.: *ejus trimetri*, Ar. 258.

Achæmenes, *ab hoc originem duxerunt reges Perſarum*, dives, II. 12. 21.: *hinc* Achæmenius, *Perſicus, ut* coſtum, III. 1. 44.: nardus, E. 13. 12.

Acheron, *peninſula Acheruſia in Ponto ad Heracleam*, I. 3. 36.: *de loco inferorum*, III. 3. 16.

Achilles, *ejus ingenium vid.* Ar. 120. ſeqq. Phthius, *a patria Phthia Theſſaliæ oppido*, IV. 6. 4.: *inter filias Lycomedis educatus*, I. 8. 14.: animoſus, S. I. 7. 12.: cedere neſcius, I. 6. 6.: clarum abſtulit cita mors, II. 16. 29.: eum Telephus movit, E. 17. 8.: ab eo ſecundus heros Ajax, S. II. 3. 193.

Achivi, *ſic Græci dicti ſunt temporibus Trojanis*, III. 3. 27.

Acriſius, *Danaes pater et cuſtos*, III. 16. 5.

Acroceraunia, *montes Epiri, infames ob naufragia*, I. 3. 20.

Actia pugna, *inter Auguſtum et Antonium*, Ep. I. 18. 61.

Adria, *mare Adriaticum inter Italiam et Græciam*, I. 3. 15.: II. 11. 2.: Ep. I. 18. 63.: improbus, *h. e. procelloſus*, III. 9. 22.

Æacus, *Jovis filius ex Ægina, judex apud inferos*, II. 13. 22.: Æaci genus, *h. e. Peleus, Telamon, Achilles, Pyrrhus, &c.* III. 19. 3.

Ægæum mare, *h. Archipelagus, inter Græciam et Aſiam minorem*, II. 16. 2.: Ep. I. 11. 16.

Ægeria, *Dea et amica Numæ regis*, S. I. 2. 126.

Ælius Lamia, *vir ſplendidus et doctiſſimus, rebus Cantabrico bello geſtis clarus, antiquitate generis nobilis*, I. 26. 1. ſqq. III. 17. 1.

Æmilius ludus *fuit Æmilii Lepidi ludus gladiatorius Romæ*, Ar. 32.

Æmonia, *dicta olim ab Æmone, a cujus filio Theſſalo poſtea Theſſalia eſt nominata*, I. 37. 20.

Æneas pius, IV. 7. 15.: res Æneæ, IV. 6. 23.

Æolium carmen, *h. e. Leſbium, quia Leſbii utebantur dialecto Æolica*, III. 30. 13.: IV. 3. 12.

Æſchylus, *tragicus ſat notus*, emendator tragœdiæ, Ar. 279.: imitati ſunt Latini, Ep. II. 1. 163.

Æſopus, *tragœdiarum actor nobilis, Ciceronis familiaris*, Ep. II. 1. 82.: ejus filius prodigus, S. II. 3. 239.

Æſula, *oppidum Latii inter Præneſte et Tibur*, III. 29. 6.

Æthiops, III. 6. 14.

Ætolia, *pars Græciæ inter Acarnaniam, Locrin et Corinthum*, Ep. I. 18. 46.

Afer murex, *i. e. Tyrius*, II. 16. 35.: Afri ſerpentes, *peſſimi*, S. II. 8. 95. Africanum bellum, *i. e. Punicum*, E. 9. 25.

Afranius, *poeta Romanus ſcripſit comœdias togatas, imitator C. Titii equitis Romani, oratoris haud contemnendi*, Ep. II. 1. 57.

Africa, ferax frumenti, S. II. 3. 87.: fertilis, III. 16. 31.: *de agro Carthaginenſi*, IV. 8. 18.

Agave, *mater Penthei, quem mulieres bacchantes, in quibus et mater erat, dilaniarunt*, S. II. 3. 303.

Agieus, *Gr.* Ἀγιεύς, *dictus Apollo παρὰ τὰς ἀγυιὰς, a vicis et viis urbanis, quibus præerat*, IV. 6. 28.

M. Vipſanius Agrippa, *Auguſti gener et amicus, vir virtute, prudentia, vigilia, rebus geſtis et meritis de rep. et Auguſto clariſſimus*, ob munificentiam gratus plebi, S. II. 3. 185.: multis operibus et ædificiis ornavit urbem, Ep. I. 6. 26.: multos agros habuit in Sicilia, Ep. I. 12. 1.: res geſtæ laudantur, I. 6. 1. ſeqq.

Ajax Telamonius, amore Tecmeſſæ captivæ captus, II. 4. 6.: furens, *quia in judicio cum Ulyſſe de armis Achillis inferior diſceſſerat*, S. II. 3. 187.: ab Achille heros ſecundus, *ibid.* 193.

Ajax Oïlei filius, *Locrus* celeritate clarus, I. 15. 19.: *ob ſtuprum Caſſandræ in templo Minervæ illatum periit naufragio in reditu ad petras Græas* ob iram Minervæ, E. 10. 14.

Alba, *oppidum Latii ſitum erat inter montem Albanum et nemus Albanum, in quo erat magnus lacus*, IV. 1. 19.: Albanus mons *Romæ*, Ep. II. 1. 27.: Albanum vinum, IV. 11. 2.: S. II. 8. 16.: Albana uva, S. II. 4. 72.: Albani agri, Ep. I. 7. 10.

Celſus Albinovanus, *comes et ſcriba Tiberii Neronis*, Ep. I. 8. 2.
Albinus, *nomen divitis fœneratoris apud Romanos*, Ar. 327.
Albius Tibullus, *poeta elegiarum notiſſimus*, I. 33. 1.: Ep. I. 4.
Albius, *quidam amator ſignorum et vaſorum*, S. I. 4. 28.
Albii filius male vixit, S. I. 4. 109.: *Sunt qui Albium Tibullum putent, ſed res eſt incerta.*
Albucius uxorem veneno ſuſtulit, S. II. 1. 48.: ſævus in ſervos nimis fuit, S. II. 2. 67.
Albunea *nympha et Sibylla*, I. 7. 12.
Alcæus, *poeta lyricus, vir fortis, ſcripſit dialecto Æolica de Amoribus*, Ep. II. 2. 99.
Alcides, *Alcæi nepos, Hercules*, I. 12. 25.
Alcinous, *rex Phæacum*, Ep. I. 2. 28.
Alcon, *nomen ſervi*, S. II. 8. 15.
Alexander M. erga malum poëtam valde liberalis, Ep. II. 1. 232.
Alexandrea, *urbs Ægypti primaria*, IV. 14. 35.
Alfenus, vafer, qui antea ſutor fuerat: *cæterum quis fuerit, ignoratur*, S. I. 3. 130.
Alfius, v. Alphius.
Algidus *mons Latii*, gelidus, I. 21. 6.: nivalis, III. 23. 9.
Alifæ, *oppidum Samnii*, S. II. 8. 39.
Allobroges, *Galliæ Narbonenſis populi, quorum caput Geneva*, infideles, E. 16. 6.
Alphius, fœnerator, *qui, ut Columella de R. Ruſt. ait, dixit, vel optima nomina non appellando fieri mala*, E. 2. 67.
A. Corn. Alpinus, *turgidus poeta tragicus, Horatii temporibus*, S. I. 10. 36.
Alyattes, *rex Lydiæ, pater Cræſi*, III. 16. 41.
Amazonia ſecuris, IV. 4. 20.
Amphiarus, augur, *unus ex ſeptem contra Thebas, eum Eriphyle uxor Adraſti ſoror latentem monili aureo corrupta prodidit*, III. 16. 11.
Amphion, *frater Zethi, Jovis ex Antiopa filius, lyra a Mercurio accepta*, movit lapides canendo, III. 11. 2.: Thebanæ arcis conditor, Ar. 394.: Ep. I. 18. 41.
Amyntas, *amaſius*, E. 12. 18.
Anacreon Teius, *ex Teio, urbe Ioniæ, poeta lyricus*, E. 14. 10.: IV. 9. 9.
Anchiſes, *Æneæ pater*, IV. 15. 31.
Ancus Martius, *Rex Rom.* IV. 7. 15.: Ep. I. 6. 27.
Andromedæ pater, *i. e. Cepheus, de ſidere*, III. 29. 17.
Anio præceps, I. 7. 13. *amnis Latii, hod. Teverone, prope Tibur de ſcopulo ruens efficit cataractam.*
Annibal durus, II. 12. 2.: dirus, III. 6. 36.: parentibus abominatus, E. 16. 8.
Antenor, *Trojanus ſenex prudentiſſimus*, Ep. I. 2. 9.
Anticyra, *inſula in Locride, læva parte ſinum Corinthiacum intrantibus*, ferax ellebori, S. II. 3. 83. 166.: Ar. 300.
Antilochus, *Neſtoris filius ab Hectore occiſus*, II. 9. 14.
Antiochus ingens, *b. e. Magnus*, III. 6. 36. *Rex Syriæ, ab Annibale commotus in Romanos, ſed a Scipione victus.*
Antiphates, *Rex Læſtrygonum, a quo Ulyſſes cum ſuis diſcerptus fuiſſet, niſi funibus ancorarum præciſis celeriter e portu ſolviſſet.* Ar. 145.
Antium, *urbs Latii ad mare, celebris olim re navali, templo Fortunæ et Sortibus*, I. 35. 1.
Antonius, triumvir, S. I. 5. 33.
Antonius Muſa, *Medicus celebris, qui Auguſtum doloribus articulorum ſanavit*, Ep. I. 15. 3.
Jul. Antonius, *vir magni ingenii, qui Horatium ad res Auguſti carmine Pindarico celebrandas hortatus erat*, IV. 2. 1.
Anxur, *ſeu Tarracina, Latii oppidum in monte ad paludes Pomptinas*, S. I. 5. 26.
Anytus, *Sophiſta, accuſator Socratis*, S. II. 4. 3.
Apelles, *patria Cous, pictor eximius:* ab eo pingi voluit Alexander, Ep. II. 1. 239.
Apollo, *Jovis et Latonæ filius*, laudes ejus, I. 31. 1.: IV. 6. 1. ſeqq. incola Pythius, I. 16. 6.: augur, I. 2. 32.: Cynthius intonſus, I. 21. 2.: cantor, Ar. 407.: Phœbus metuendus certa ſagitta, I. 12. 24.: *de ſtatua ejus in foro Rom.* S. I. 9. 78.: Palatinus *de bibliotheca in templo Apollinis in Palatio ab Auguſto exſtructo*, Ep. I. 3. 17. *Conf. Sueton. Aug. c.* 29. Apollo Delius et Patareus, III. 4. 64.
Appenninus, *mons Italiam, velut dorſum, pæne totam percurrens*, E. 16. 29.
Appia via, *ſive* Appii via, *Roma Capuam, et Capua Brunduſium ferens, ab Appio Cæco Cenſore magnifice ſtrata*, E. 4. 14.: Ep. I. 6. 26.: Ep. I. 18. 20.: erat commoda ob multa diverſoria, S. I. 5. 6.
Appius Claudius Pulcher cenſuram ſeveriſſimam egit, S. I. 6. 21.
Apulia, regio Italiæ inferioris a *Trentone flumine ad Brunduſium et Tarentum*, S. I. 5. 77.: S. II. 1. 38.: ſiticuloſa, E. 3. 16.: Appulus impiger, III. 16. 26.: pernix, E. 2. 42.: lupi, I. 33. 7.
Aquinates, *incolæ Aquini oppidi Latii:* tingebant purpuram ſpuriam, Ep. I. 10. 27.
Arabes divites, Ep. I. 6. 6.: Arabum theſauri, III. 24. 2.: divitiæ *pro magnis*, Ep. I. 7. 36.
Arbuſcula, mima, S. I. 10. 77. *Hanc in ludis, quos Pompeius dedit, placuiſſe valde ſcribit Cicero ad Attic.* IV. 15.
Archias, *tricliniorum brevium opifex*, Ep. I. 5. 1.
Archilochus, *poeta lyricus Parius*, carminis iambici inventor, Ar. 79.: *magnificavit eum Horatius*, S. II. 3. 12. *imitator ejuſdem Horatius*, Ep. I. 19. 25.
Archytas *Tarentinus Pythagoricus, Platonis tempore vixit*, geometra, I. 28. 2.
Arellius, *colonus dives in vicinia villæ Horatianæ*, S. II. 6. 78.
Argos, aptum equis, I. 7. 9. *urbs Peloponneſi antiquiſſima.* Argi *pl. occurrit*, Ep. II. 2. 128.
Argonautæ, *heroes Græci, qui, duce Jaſone, Argo navi vecti ſunt in Colchidem aurei velleris petendi gratia*, E. 3. 9. *Hinc* Argous remex, E. 16. 57.
Aricia, *oppidum poſt montem Albanum in via Ap-*

pia, S. I. 5. 1. *Hinc* Aricinus ager, Ep. II. 2. 167.
Ariminenſis, *quæ eſt Arimino, Umbriæ oppido trans Apenninum ad mare*, E. 5. 42.
Ariſtarchus, *ille Homeri cenſor*, Ar. 450.
Ariſtippus, *Socraticus, Cyrenaicæ philoſophiæ auctor*, aurum projicere jubet ſervos, S. II. 3. 100.: ejus colloquium cum Diogene, Ep. I. 17. 14.: ejus præcepta interdum ſequitur Horatius, Ep. I. 1. 18.
Fuſcus Ariſtius, *grammaticus, poeta et orator, vir probus et facetus, vitæ urbanæ amator, amiciſſimus Horatii*, I. 22. 1.: S. I. 9. 61.: S. I. 10. 83.: Ep. I. 10. 1.
Ariſtophanes, *Comicus poeta facetiſſimus*, S. I. 4. 1.
Armenia, *regio Aſiæ, mari Caſpio vicina. Hinc* oræ Armeniæ, II. 9. 4. Armenio Tigrani reſtituit Nero regnum, Ep. I. 12. 27.
Q. Arrius, *prodigus quidam*, S. II. 3. 86. 243.
Aſia *major. Hinc* Aſiæ pingues campi colleſque, Ep. I. 3. 5.
Aſia, *provincia Romana*, S. I. 7. 19.
Aſinius Pollio, *vid.* Pollio.
Aſſaraci tellus, *ager Trojanus*, E. 13. 19. *Aſſaraci filius Capys, Anchiſæ pater.*
Aſſyria *pr. pars Aſiæ majoris ultra Tigrin. Hinc* Aſſyrius, Ar. 118. *Sed interdum pro* Syria *ponitur. Hinc* Aſſyria nardus, II. 11. 16.: littus Aſſyrium, III. 4. 32.
Aſterie, *Latonæ ſoror, ex qua Hercules Tyrius. Sed*, III. 7. 1. *eſt nomen puellæ.*
Atabulus, *ventus Apuliam infeſtans*, S. I. 5. 78.
Athenæ, Palladis urbs, I. 7. 5.: bonæ, *ob artes et litteras, quæ ibi colebantur et docebantur*, Ep. II. 2. 43.: vacuæ, *otioſæ, ubi philoſophiæ ſtudent remoti a negotiis*, ibid. 81.
Atlanteus finis, *h. e. finis terrarum, quem conſtituit Atlas mons Africæ*, I. 34. 11.
Atreus, *frater Thyeſtæ, liberos ex uxore Thyeſtæ genitos fratri epulandos appoſuit ipſe. Hinc*, coxit humana exta, Ar. 186.
Attidæ ſuperbi, *Atrei filii Agamemnon et Menelaus*, I. 10. 13. Atrides *de Agamemnone*, S. II. 3. 187.
T. Quinctius Atta, *togatarum fabularum poeta Latinus*, Ep. II. 1. 79.
Attalus, *Pergamenorum rex, qui populum Rom. regni hæredem ſcripſit*, II. 18. 5. *Inde* Attalicæ conditiones, I. 1. 12.
Attica virgo, *quæ cum Cereris ſacris lente procedebat*, S. II. 8. 13.
Aufidius Luſcus, *duumvir municipalis, qui deridetur*, S. I. 5. 34.
Aufidus, *h. Ofanto, Apuliæ amnis*, violens, III. 30. 10.: tauriformis, IV. 14. 25.
Auguſti Cæſaris laudes, IV. 5. 1.: IV. 14. 1.: IV. 15. 1.: Ep. I. 16. 29.: Ep. II. 1. ſqq. I. 12.: I. 2.: Cæſar egregius, I. 6. 11.: tropæa, II. 9. 19.: vicit Caſſium et Brutum ad Philippos, Ep. II. 2. 48.: vicit Cleopatram, I. 37. 16.: redit ex Hiſpania victor, III. 14. 3.: ortus ab Ænea, horrendus Parthis, S. II. 3. 62.: laudat Horatii ſatiras, S. II. 1. 84.: ei mittit ſua ſcripta Horatius, Ep. I. 13.
Avidienus Canis, *ſordidæ avaritiæ homo*, S. II. 2. 55.
Aulis, *portus Bœotiæ ad Euripum, unde Græcorum claſſis Trojam profectura ſolvit*, S. II. 3. 199.
Aulon, *mons Calabriæ*, II. 6. 18.
Aulus, *filius Servii Oppidii*, S. II. 3. 171.

B

Babylonii numeri, *ars Aſtrologorum*, I. 11. 2.
Bacchius, *gladiator celebris*, S. I. 7. 20.
Bacchus, Semelæ Thebanæ puer, I. 19. 2.: vehitur tigribus, III. 3. 14.: verecundus, I. 27. 3.: ſomno gaudens et umbra, Ep. II. 2. 78.: hymnus in eum eſt, II. 19. 1.: III. 25. 1.
Bactra, *urbs prin. Bactrianæ, ſeu potius, regni Parthici*, III. 29. 27.
Baiæ, *thermæ in Campania inter Miſenum et Puteolos prope mare, locus amœniſſimus, ob cujus amœnitatem non minus quam ob calidarum aquarum uſum frequentia hominum erat*, II. 18. 20.: liquidæ, *h. e. aquoſæ*, III. 4. 24.: amœnæ, Ep. I. 1. 83.: Ep. I. 15. 2. 12.
Baianus murex, *qui capitur apud Baias*, S. II. 4. 32.
Servilius Balatro, *umbra Mæcenatis in convivio Naſidieni*, S. II. 8. 21.
Balbinus, *homo ineptus*, S. I. 3. 40.
Banduſia, *Sabinenſis agri regio, in qua Horatii villa fuit.* Fons Banduſius laudatur, III. 13.
Bantia, *Apuliæ oppidum, ſaltibus et paſcuis nobile. Hinc* ſaltus Bantini, III. 4. 15.
Barbaria *de Phrygia*, Ep. I. 2. 7.
Barine, *amica Horatii*, II. 8. 2.
Barium, *Apuliæ oppidum ad mare*, piſcoſum, S. I. 5. 97.
Barrus, inops, *homo viliſſimæ libidinis*, S. I. 4. 110.: fœdo morbo laboravit, S. I. 6. 30.: maledicus, S. I. 7. 8.
Baſſus, *immanis potator*, I. 36. 14.
Bathyllus Samius, amaſius Anacreontis, E. 14. 9.
Bellerophon, *ab Antea ſeu Stenobœa uxore Prœti, Argivorum regis, ad adulterium pellectus fruſtra. Quare mulier irata Bellerophontem ſtupri tentati accuſavit apud maritum; qui, cum credulus eſſet, in Lyciam ad Jobatem cum litteris perniciosis miſit Bellerophontem*, III. 7. 15.: III. 12. 8.: IV. 11. 28.
Beneventum, *oppidum Samnii antiquiſſimum, colonia Romana*, S. I. 5. 71.
Berecyntus, *Phrygiæ mons, cultu Matris Deorum et Bacchi nobilis. Hinc* Berecyntium cornu, I. 18. 13.: Berecyntia tibia, III. 19. 18.: IV. 1. 22.
Beſtius, *Romanus quidam avarus*, Ep. I. 15. 37.
Furius Bibaculus, *poeta Latinus, qui ob verſum ineptum ridetur*, S. II. 5. 41.
M. Calpurnius Bibulus, *Conſul cum Jul. Cæſare A. U.* 695. III. 28. 8.
Bibulus, *amicus Horatii*, S. I. 10. 86.

Bionei ſermones, *i. e. ſatiræ acerrimæ, a Bione Boryſthenite philoſopho dicti*, Ep. II. 2. 60.
Birrus, *latro*, S. I. 4. 69.
Biſtonides mulieres, *i. e. Thracicæ bacchantes.* **Biſtones** *enim eſt gens Thraciæ*, II. 19. 20.
Bithus, *gladiator celebris*, S. I. 7. 20.
Bithynia, *regio Aſiæ ad Pontum Euxinum*, Ep. I. 6. 33.
Bœotii, *gens Græciæ, ob craſſum cælum pingues corpore, ſed ingenio hebetes*, Ep. II. 1. 244.
Bolanus, *ſolebat quemvis libere reprehendere*, S. I. 9. 11.
Boſporus *Thracius, fretum juxta Byzantium, anguſtum et nautis periculoſum*, II. 13. 14.: gemens, *i. e. ſtrepens ob anguſtias*, II. 20. 14.: inſaniens, III. 4. 30.
Brenni, *gens Rhætiæ*, IV. 14. 11.
Briſeis, *ſerva et captiva Achillis*, II. 4. 3.
Britanni, *gens antiquiſſima Angliæ et Scotiæ*, I. 21. 15.: hoſpitibus feri, III. 4. 33.: remoti, IV. 14. 48.: intacti, E. 7. 7.
Brundiſium, *oppidum antiquiſſimum Apuliæ, portu nobile, unde commodus trajectus erat in Græciam*, S. I. 5. 104.: Ep. I. 17. 52.
M. **Brutus**, *Cæſaris interfector, Proprætor Aſiæ provinciæ*, S. I. 7. 18.: ſolem Aſiæ vocat Græculus quidam, S. I. 7. 24.
Bullatius, *homo moroſior, quem Horatius ſtudet a peregrinatione avocare*, Ep. I. 11.
Bupalus, *vid. not. ad*, E. 6. 14.
Butra, *conviva Horatii*, Ep. I. 5. 26.
Byzantium, *urbs Thraciæ celeberrima*, S. II. 4. 66.

C

Cadmus, *Agenoris regis Phœnicum filius, Europæ frater, conditor Thebarum in Bœotia. Poſtea, a Zetho et Amphione regno expulſus, mutatus eſt in anguem*, Ar. 187.
Cadmus, *notus carnifex Romæ*, S. I. 6. 39.
Cæcilius, *Inſuber Gallus, poeta comicus*, Ep. II. 1. 59.: nova verba finxit, Ar. 54.
Cæcubum vinum, *generoſum, natum in agro Cæcubo Latii, juxta Fundos ad viam Appiam*, I. 37. 5.: I. 20. 9.: II. 14. 25.: III. 28. 3.: E. 9. 1. 36.: S. II. 8. 15.
Jul. **Cæſaris** horti, S. I. 9. 18.: ejus natales, Ep. I. 5. 9.
Calabria, *ſeu* Meſſapia, *regio Italiæ inferioris*; æſtuoſa, I. 31. 5.: Calabri ſaltus, Ep. II. 2. 177.: Calabræ apes, III. 16. 33.: Calaber hoſpes, Ep. I. 7. 14.
Calais, *adoleſcens quidam*, III. 9. 14.
Calenum vinum, *generoſum, ab Caleno agro in Campania*, I. 20. 9.: I. 31. 9.
Callimachus, *princeps elegiæ poeta*, Ep. II. 2. 100.
Calliope regina, *Muſa*, III. 4. 2.
C. Licinius Calvus *ſcripſit carmina amatoria*, S. I. 10. 19. *Cf. Gellius*, XIX. 9.
M. Furius **Camillus**, *qui Romam a Gallis captam reſtituit*, laudatur ob paupertatem, I. 12. 42.: *Cf.* Ep. I. 1. 64.
Campania, *regio Italiæ inter Latium, Samnium, Picentinos et mare inferum, fertiliſſima et amæniſſima. Hinc* Campana ſupellex, S. I. 6. 118.
Campus Martius, *ibi otioſi homines ſolebant ambulare et fabulari*, Ep. I. 7. 59.
Canidia, *venefica mulier*, E. 3. 8.: E. 5.: E. 17. 1.: S. I. 8. 24.: S. II. 1. 48.: S. II. 8. 95.
Cantabri, *gens Hiſpaniæ bellicoſiſſima*, II. 11. 1.: III. 8. 22.: *domita tandem eſt virtute Agrippæ*, Ep. I. 12. 26.: Cantaber indoctus ferre juga Rom. II. 6. 2.: non ante domabilis, IV. 14. 41.: Cantabricum bellum, Ep. I. 18. 55.
Canuſium, *oppidum Apuliæ*, S. I. 5. 91.: Canuſinus bilinguis, S. I. 10. 30.
Fonteius **Capito**, *amicus M. Antonii triumviri*, ad unguem factus homo, S. I. 5. 32.
Capitolium, *arx Romæ*, I. 37. 6.: fulgens, III. 3. 42.
Cappadocum rex, non niſi mancipiis locuples, Ep. I. 6. 39.
Caprius, *cauſidicus*, S. I. 4. 66.
Capua, *olim caput Campaniæ*, E. 16. 5.: S. I. 5. 47.: Ep. I. 11. 11.
Carinæ, *locus urbis Romæ, ubi Cicero, Pompeius et Philippus habebant ædes*, Ep. I. 7. 48.
Carpathium mare, *ab inſula Carpatho dictum inter Rhodum et Cretam*, I. 35. 8.: IV. 5. 10.
Carthago, *urbs Africæ notiſſima*, magna, III. 5. 39.: impia, IV. 8. 17.: invida, E. 7. 5.
Caſcellius Aulus, *juriſconſultus nobilis*, Ar. 371. *Cf. Rupert. ad Pompon. Enchirid.* III. 11.
Caſpium mare, *quia Caſpii populi accolunt, dicitur et Hyrcanium*, vexatur inæqualibus procellis, II. 9. 2.
Caſſius Etruſcus, *diverſus a Caſſio Parmenſi, poeta minus probabilis, multorum carminum ſcriptor*, S. I. 10. 62.
Caſſius Parmenſis, *Cæſaris interfector*, Ep. I. 4. 3.: *apud Actium victo Antonio, cujus partes ſecutus erat, Athenas confugit, ubi juſſu Auguſti a Varo duce copiarum, qui cum L. Vario tragico perperam confunditur, interfectus eſt. vid. Valer. Max.* I. 7. 7.: *Vell. Paterc.* II. 88.
Caſſius Severus, *Orator maledicus et acerbus*, E. 6.
Caſſius Nomentanus, *homo prodigus*, S. I. 1. 102.: S. I. 8. 11.: S. II. 3. 175. 224.
Caſtalia, *fons Parnaſſi, Apollini Muſiſque ſacer*, III. 4. 61.
Caſtor, *Jovis ex Leda filius, Pollucis frater*, I. 12. 25.: gaudet equis, S. II. 1. 26.
Caſtor, *gladiator celebris*, Ep. I. 18. 19.
Catienus, *biſtrio quidam*, S. II. 3. 61.
Catilus, *conditor Tiburis*, I. 18. 2.
Catius, *videtur fuiſſe de ſecta Epicuri philoſophus*: narrat præcepta rei coquinariæ, S. II. 4.
Catia, *adultera*, S. I. 2. 95.
M. **Cato** *Cenſorius*, intonſus, II. 15. 11.: priſcus, III. 21. 11.: fermonem patrium novis locupletavit verbis, Ar. 56. *cf.* S. I. 2. 32.
M. **Cato** *Uticenſis: de ejus* cultu et habitu eſt, Ep. I. 19. 13.: ejus animus atrox et invictus, II. 1. 24.: nobile letum, I. 12. 36.

Catullus, *notus carminum amatoriorum auctor*, S. I. 10. 19.
Caucaſus, *Aſiæ mons, Tauri pars*, inhoſpitalis, I. 22. 7.: E. I. 12.
Caudium, *oppidum Samnii inter Capuam et Beneventum in via Appia*, S. I. 5. 51.
Cea nænia, *carmen lugubre Simonideum. Nam Simonides Ceam inſulam habuit patriam*, II. 1. 38.
Cecropius cothurnus, *i. e. Atticus, a Cecrope Athenarum rege*, II. 1. 12.
Celſus, *poeta plagiarius*, Ep. I. 3. 15.
C. Marcius Cenſorinus, *amicus Horatii*, IV. 8.
Centaurus, *de Chirone*, E. 13. 16
Cerberus *deſcribitur*, III. 11. 17. ſeqq. trilinguis, II. 19. 29.
Cereris ſacrum, III. 2. 26.
Cerinthus, *puer formoſus*, S. I. 2. 81.
Cervius, *calumniator*, *v. n.* S. II. 1. 47.
M. Cethegus, *fuiſſe videtur is, qui belli Punici II. tempore vixit*, Ep. II. 2. 117.: cinctutus, Ar. 50.
Charon, ſatelles Orci, II. 18. 34.
Charybdis, *vorago inter Italiam et Siciliam*, I. 27. 19.: Ar. 145.
Chimæra, *monſtrum capite leonis, capræ corpore caudaque draconis, ignem faucibus evomens, Lyciam devaſtabat, a Bellerophonte ope Pegaſi occiſum:* triformis, I. 27. 24.: tremenda flamma, IV. 2. 16.: Chimæræ igneæ ſpiritus, II. 17. 13.
Chios, *inſula maris Ægæi*, Ep. I. 11. 1. *Hinc* vinum Chium, *quod inter tranſmarina habebatur generoſiſſimum*, III. 19. 5.: E. 9. 34.: S. I. 10. 24.: S. II. 3. 115.: S. II. 8. 15.
Chloë, puella, I. 23. 1.: III. 19. 27.: III. 7. 10.: III. 26. 12.: Threſſa, III. 9. 9.
Chloris, amica, III. 15. 1.: II. 5. 18.
Chœrilus, *poeta malus Græcus, qui tamen ab Alexandro eſt liberaliter donatus*, Ep. II. 1. 233.: Ar. 357.
Chremes, *ſenex dives apud Terentium*, E. I. 33.: Ar. 94.
Chryſippus, *Solenſis Cilix, Stoicus acutiſſimus*, S. II. 3. 44.: Ep. I. 2. 4.: pater, S. I. 3. 127.
Cibyra, *urbs Phrygiæ. Hinc* negotia Cibyratica, Ep. I. 6. 33.
Cicuta, *fanerator*, S. II. 3. 69. 175.
Cinara, *amica Horatii cara*, IV. 1. 4.: IV. 13. 21.: Ep. I. 7. 28.: Ep. I. 14. 33.
Circe, *filia Solis et Perſes Nereïdos*, vitrea, I. 17. 20.: ejus pocula, Ep. I. 2. 23.
Circæum *promontorium et oppidum*, S. II. 4. 33.
Circus *maximus Romæ*, S. II. 3. 183.
Clazomenæ, *urbs maritima Ioniæ clara*, S. I. 7. 5.
Cleopatra, *Ægypti regina*, victa, a ſerpentibus periit, I. 37. 7.
Clio, Muſa, *ſublimis argumenti carminibus præeſt*, I. 12. 2.
Cluſinæ aquæ, Ep. I. 15. 9. Cluſium *urbs vetus Hetruriæ.*
Cnidus, *urbs Cariæ*, I. 30. 1.
Cos, *inſula maris Ægæi. Hinc* Coæ veſtes, *i. e. teniſſimæ*, S. I. 2. 101.: purpuræ, *i. e. veſtes Coæ purpura tinctæ*, IV. 13. 13.: Coum vinum album, S. II. 4. 29.
Cocceius Nerva, *juriſconſultiſſimus, v. not.* S. I. 5. 28.: ejus villa, *ibid.* 50.
Cocytus errans, *fluvius inferorum*, II. 14. 18.
Codrus, *ultimus Athenienſium rex*, III. 19. 2.
Cœlus, *latro quidam*, S. I. 4. 69.
Colchis, *regio Aſiæ ad littus orientale Ponti Euxini. Hinc* Colchus, *ejus incola*, II. 20. 17.: Ar. 118.: Colchica venena, II. 13. 8.: E. 17. 35.
Colchis, *Medea*, impudica, E. 16. 58.
Colophon, *urbs Ioniæ*, Ep. I. 11. 3.
Concani, *populus Cantabriæ in Hiſpania Tarraconenſi*, III. 4. 34.
Copia, *Dea ubertatis*, Ep. I. 12. 29.
Coranus, *ſcriba ex quinqueviro factus deludit captatorem*, S. II. 5. 57.
Corinthus, *urbs Achaiæ ad Iſthmum, a Mummio deleta et a Jul. Cæſare inſtaurata: alluitur a duobus maribus, Ionio et Ægæo: unde dicitur* bimaris, I. 7. 2.: captiva, Ep. II. 1. 193.: Corinthum adire difficile erat, Ep. I. 17. 36.
M. Val. Meſſala Corvinus, *vir clariſſimus, gravis, philoſophus, orator et hiſtoricus, Tibulli et Horatii amiciſſimus*, III. 21. 7.: S. I. 6. 42.: S. I. 10. 29.
Corybantes, *ſeu* Curetes, *ſacerdotes Cybeles, ſaltabant ſaltationem armatam cum tumultu, cymbalis, tympanis et clamore*, I. 16. 8.
Corycium crocum, *de Coryco monte Ciliciæ dictum*, S. II. 4. 68.
Cotiſon, *rex Dacorum ſive Getarum*, III. 8. 18.
Cragus, *mons Lyciæ*, I. 21. 8.
Crantor, *Academicus philoſophus, ſcripſit Conſolationem, ſeu librum de luctu*, Ep. I. 2. 4.
Craterus, *medicus*, S. II. 3. 161.: *laudatur etiam Cic. ad Attic.* XII. 13. 14.
Cratinus, *Athenienſis, poeta comicus, veteris Comœdiæ auctor*, vini potor inſignis, Ep. I. 19. 1.: S. I. 4. 1.
Creon, *rex Corinthi, cujus filiam Glaucam ſeu Creuſam, Jaſoni nuptam, Medea cum tota regia combuſſit*, E. 5. 64.
Creta, *inſula maris mediterranei*, nobilis centum urbibus, E. 9. 29.: centum potens oppidis, III. 27. 34.
Criſpinus lippus, *homo ineptus et garrulus, poeta mediocris, qui Sectam Stoicam verſibus ſcripſit*, S. I. 1. 120.: S. I. 3. 139.: S. I. 4. 14.: S. II. 7. 45.
Cumæ, *oppidum Campaniæ pervetuſtum, hodie deſertum, nobile ob aquas ſalubres*, Ep. I. 15. 11.
Cupido ferus, acuens cote ſagittas, II. 8. 15.
Cupiennius Libo, *Auguſti familiaris, et matronarum ſectator*, S. I. 2. 36.
Curius, *vir clariſſimus, cui ad focum ſedenti magnum auri pondus cum Samnites attuliſſent, ab eo repudiatos eſſe, ſcribit Cicero in Catone Majore: non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit, ſed eis, qui haberent aurum, imperare*, I. 12. 41.: Ep. I. 1. 64.
Curtillus fecit muriam ex echinis illutis, S. II. 8. 52.

Cyclades, *insulæ maris Ægæi*, I. 14. 20.: III. 28. 14.
Cyclicus poeta, *v. n.* Ar. 136.
Cyclops, *Polyphemus, quem Ulysses excæcavit*, Ar. 145. Cyclopum opera utitur Vulcanus in cudendis fulminibus, I. 4. 7.
Cydonius, *h. e. Creticus, a Cydone urbe Cretæ*, IV. 9. 17.
Cynthia, *Diana, a monte Deli Cynthо*, III. 28. 12.
Cyprus, *insula maris mediterranei cultu Veneris nobilis*, I. 3. 1.: I. 30. 2. *Hinc* Cypriæ merces, III. 29. 60.: Cypria trabs, I. 1. 13.
Cyrus, *Major, conditor regni Persici*, II. 2. 17.
Cyrus, *rivalis quidam, amatus Lycoridi*, I. 17. 25.: I. 33. 6.
Cytherea, *epith. Veneris, a Cythera insula sinus Laconici, in qua nutrita esse fertur*, I. 4. 5.: III. 12. 4.

D

Daci, *populi trans Istrum incolentes, qui fines Romanos sæpe devastabant*, S. II. 6. 53.: I. 35. 9.: II. 20. 18.: III. 6. 14.
Dædalus, *qui cum filio ex Creta avolavit*, I. 3. 34.
Dalmatia, *Europæ regio, Mœsiæ et Illyrico confinis. Unde* Dalmaticus triumphus, II. 1. 16. *quem Pollio Procos, subactis Parthinis, gente Illyridos, egit, A. U.* 715.
Dama, *nomen servi*, S. I. 6. 38.: S. II. 5. 18. 101.: S. II. 7. 54.
Damalis, *mulier vinosa, amica Numidæ*, I. 36. 13.
Damasippus, *aliquamdiu signorum, vasorum bortorumque mercaturam fecerat, sed tandem se ad philosophiam Stoicam applicuit. Hic loquens inducitur*, S. II. 3. *De eo scribit quoque Cicero ad Div.* VII. 23. *et Att.* XII. 29. 33.
Danaë, *quam Acrisius Argivorum rex, oraculo monitus, vitam sibi a nepote ademtum iri, incluſit turri munitissima. Sed Jupiter in aureum imbrem conversus per impluvium ad Danaen delatus est: ex quo congressu natus est Perseus.* III. 16. 1.
Danaus, *Beli filius, Argivorum rex, L. filias totidem filiis Ægypti fratris nuptum dat, sed ita, ut suum quæque maritum prima nocte interficeret. Omnes præter Hypermnestram, quæ Lynceo suo pepercit, patri sunt obsecutæ*, II. 14. 18.: III. 11. 23.
Danubius profundus, IV. 15. 21.
Dardana gens, *i. e. Trojana*, I. 15. 10.
Daunias, *seu* Daunia, *Apuliæ pars*, militaris, I. 22. 14. Dauniæ cædes, *i. e. Italiæ*, II. 1. 34.
Daunus, *priscus rex Dauniæ, Diomedis socer*, III. 30. 11.: IV. 14. 26.
Davus, *nomen servi apud Menandrum et Terentium*, S. II. 5. 91.: Ar. 114.
Decius, homo novus, S. I. 6. 20.
Deiphobus, *Priami filius fortissimus*, acer, IV. 9. 22.
Delos, *insula maris Ægæi, propter Latonæ partum et religionem celebris*, natalis Apollinis, I. 21. 10.: Delius Apollo, III. 4. 64.: Delia folia, *i. e. laurea corona Apollini Delio sacra*, IV. 3. 6.
Delphi, *urbs Phocidis, oraculo Apollinis celebris*, I. 7. 3.: sortilegi, Ar. 219. *Hinc* Delphica laurus, III. 30. 15.
Demetrius, *servus Philippi*, Ep. I. 7. 52.
Democritus, *philosophus Physicus, Abderitanus*, studio discendi patrimonium suum neglexit, Ep. I. 12. 12.: stultitiam hominum risit, Ep. II. 1. 194.: negavit, sine furore quemquam poëtam magnum esse posse, Ar. 297.
Diana, *Apollinis soror*, evocatur a veneficis, E. 5. 51.: E. 17. 3.: silvarum potens, C. S. 1. triformis, III. 22. 1.: furorem injicit, Ar. 454.
Digentia, *rivus in Sabinis, qui villam Horatii rediebat amœnam*, Ep. I. 18. 104.
Diogenes Cynicus, Ep. I. 17. 18.
Diomedes, *Tydei filius, post Trojam captam, venit in Italiam, ubi condidit in Apulia* Argos, *sive* Argos Hippium *s.* Argyripen, S. I. 5. 92.: Ar. 146.: pugnavit cum Glauco Lycio, S. I. 7. 16.
Dionæum antrum, *Veneri sacrum, a Dione matre Veneris*, II. 1. 39.
Dionysius, *nomen servi*, S. I. 6. 38.
Dirce, *fons Bœotiæ prope Thebas. Hinc* Dircæus cycnus, *i. e. Pindarus Thebanus*, IV. 2. 25.
Dolichos, *sive* Docilis, *gladiator celebris*, Ep. I. 18. 19.
Dossennus, *videtur fuisse poëta comicus*, Ep. II. 1. 173.
Drusus, *privignus Augusti, populo gratissimus*, IV. 4. 1. seqq. vicit Alpinos, IV. 14. 10.

E

Edoni, *gens Thraciæ ad Hebrum fluvium*, II. 7. 27.
Elea, *s.* Helia, *s.* Velia, *urbs maritima ad Halesum amnem in Lucania*, Ep. I. 15. 1.
Elea palma, *i. e. victoria in ludis Olympicis ad Elidem Peloponnesi urbem*, IV. 2. 17.
Electra, *soror Orestis*, S. II. 3. 140.
Empedocles, *Agrigentinus, poëta et philosophus physicus egregius, Pythagoræ discipulus: statuit concordiam discordem elementorum, animorum migrationem in animalia et plantas*, Ep. I. 12. 20.: de ejus morte, *vid.* Ar. 465.
Enceladus, *Titani et Terræ filius, Ætnæ subjectus*, III. 4. 56.
Enipeus, *adolescens Romanus equitandi et natandi peritissimus*, III. 7. 23.
Q. Ennius, *rudius e Calabria poëta, suo tempore præstans, Scipionique Africano dilectus*, primus satyras scripsit, S. I. 10. 66.: patrium sermonem ditavit novis verbis, Ar. 56.: potus ad versus faciendos profiliit, Ep. I. 19. 7.: alter Homerus, Ep. II. 1. 50.: reprehenditur a Lucilio, S. I. 10. 54.: de versibus, Ar. 259.
Eous, *orientalis*, partes Eoæ, I. 35. 31.: Eoi fluctus, E. 2. 51.
Ephesus, *urbs Ioniæ maritima, Dianæ templo celebrata*, I. 7. 2.
Epidaurus, *urbs Argolidis, templo Æsculapii celebris. Hinc* Epidaurius serpens, S. I. 3. 27.

Epicharmus *Siculus, poëta comicus veteris comœdiæ; vixit temporibus Hieronis tyranni*, Ep. II. 1. 58.
Epicuri de grege porcus, Ep. I. 4. 16.
Erycina Venus, *a monte Erycino Siciliæ, ubi templum habuit religiosissimum*, I. 2. 33.
Erymanthus, *Arcadiæ mons*, I. 21. 7.
Esquiliæ, *mons Esquilinus Romæ, antea ibi sepeliebantur corpora servorum et pauperum. Hinc* atræ *dicuntur*, S. II. 6. 32. *et* Esquilinæ alites, E. 5. 100. *Verum postea Mæcenas hortos fecit et ædes magnificas exstruxit*, S. I. 8. 14.
Evander, *cælator et plastes statuarum*, S. I. 3. 91.
Evius, *h. e. Bacchus*, II. 11. 17.
Eumenidum, *i. e. Furiarum*, angues intorti capillis, II. 13. 35.
Eupolis, *veteris comœdiæ poëta, quem magnificat Horatius*, S. I. 4. 1.: S. II. 3. 12.
Europa, *Agenoris regis Phœnicum filia, rapta a Jove*, III. 27. 25.
Euterpe, *Musa*, I. 1. 33.
T. Volumnius Eutrapelus, *Antonii amicus, homo facetus*, Ep. I. 18. 31. *Cf. Cic. ad Div.* VII. 32. 33.

F

Fabius, *homo loquax, quis fuerit incertum est*, S. I. 1. 14.: S. I. 2. 134.
Fabia tribus, Ep. I. 6. 52.
C. Fabricius, *vir fortissimus et justissimus, qui cum Pyrrho rege bellum gessit*, I. 12. 40.
Fabricius pons *Romæ, qui a Fabricio Cos. est factus*, S. II. 3. 36.
Falernum vinum, *nomen habet ab agro Falerno, qui in Campania sub monte Massico patet; fuit vinum austerum, sed generosum*, S. I. 10. 24.: S. II. 3. 115.: S. II. 4. 19. 24. 55.: S. II. 8. 16.: S. II. 2. 15.: Ep. I. 14. 34.: Ep. I. 18. 91.
Fannius Quadratus, *Horatii obtrectator, conviva Hermogenis Tigellii*, S. I. 4. 21.: S. I. 10. 80.
Faunus, *h. e. Pan*, I. 4. 11.: velox, I. 17. 2.: servavit Horatium, II. 17. 28.: hymnus in eum, III. 18.
Ferentum, *seu* Forentum, *hodie* Forenza, *oppidum Apuliæ*, III. 4. 16.
Feronia, *Jovis Anxuris uxor, quæ fanum habebat prope Tarracinam*, S. I. 5. 24.
Fescennina carmina, *v.* Ep. II. 1. 145.
Fidenæ, *olim urbs magna non procul Roma, sed Horatii temporibus fere deserta*, Ep. I. 11. 8.
Flavius, *ludimagister Venusinus*, S. I. 6. 72.
Jul. Florus, *amicus Horatii et Munatii inimicus, comes Tiberii, laudatur ob ingenium, poësin, eloquentiam et juris civilis scientiam*, Ep. I. 3.: Ep. II. 2.
Folia, *venefica*, E. 5. 42.
Formiæ, *municipium Latii in Aruncis, prope Cajetam, ubi olim regnavit Lamus rex Læstrygonum*, III. 17. 6. Formiani colles, I. 20. 11.
Fortuna Antias, I. 35. 1.
Forum Appii, *oppidum ad viam Appiam; inde per Pomtinas paludes ad Feroniæ fanum navigabatur*, S. I. 5. 3.
Fufidius, *fœnerator quidam avarus*, S. I. 2. 12.
Fufius, *histrio*, S. II. 3. 60.
Fulvius, *gladiator celebris*, S. II. 7. 96.
Fundi, *municipium parvum in via Appia inter Tarracinam et Formias*, S. I. 5. 34.
C. Fundanius, *scriptor comœdiarum probabilis, Ciceronis amicus, socer Varronis*, S. I. 10. 42.
Furnus, *historicus, vir doctissimus, amicus Horatii*, candidus, S. I. 10. 86.
Aristius Fuscus, *vid.* Aristius.

G

Gabii, *oppidulum Latii inter Romam et Prænestæ fere medium*, Ep. II. 2. 3.: Ep. I. 11. 7.: Ep. I. 15. 9.: fœdus ictum cum his a Tarquinio Superbo, Ep. II. 1. 25.
Gades, *hodie* Cadiz, *insula cum oppido ejusdem nominis, in Hispania Bætica, ad ostium Bætis fluvii*, II. 2. 11.
Gætulia, *pars Libyæ interioris: hinc pro tota Africa ponitur interdum. Inde* Gætulus leo, *pro* immani, I. 23. 10.: Gætula leæna, III. 20. 2.: Gætulus murex, Ep. II. 2. 181.: Syrtes, II. 20. 15.
Galatea, *matrona quædam*, III. 27. 1.
Serv. Galba, *Ictus*, S. I. 2. 46.
Galesus, *Calabriæ fluvius, proximus Tarento*, II. 6. 10.
Gallia, *regio Europæ notissima*, non pavens funera, IV. 14. 49.
Galli, 1. *incolæ Galliæ Europæ*, S. II. 1. 14.: Gallica pascua, III. 16. 35.: 2. Gallogræci, E. 9. 18.: 3. sacerdotes Cybeles, S. I. 2. 121.
Gallina, *gladiator quidam*, S. II. 6. 44.
Gallonius, *Præco, homo luxuriosissimus*, S. II. 2. 47.
Ganymedes, *Trois filius forma eximia, raptus a Jove*, IV. 4. 4.
Garganus, *mons Apuliæ Dauniæ arboribus obsitus*, Ep. II. 1. 202.: querceta Gargani, II. 9. 7.
Gargilius, *homo luxuriosus et ostentator ridiculus*, Ep. I. 6. 58.
Geloni, *gens Scythiæ*, II. 9. 23.: ultimi, II. 20. 19.: pharetrati, III. 4. 35.
Genauni, *populi Rhætiæ*, IV. 14. 10.
Genius, *sua cujusque natura*, Ep. II. 2. 187.: Ep. I. 7. 94.: floribus et vino expiatur, Ep. II. 1. 144.
Germania, *regio Europæ sat nota*, horrida, IV. 5. 26.. fera, E. 16. 7.
Geryon, *Chrysaoris et Callirhoës filius, monstrum tribus capitibus seu tribus corporibus, ab Hercule superatum*, ter amplus, II. 14. 8.
Getæ, *populi Thraciæ Dacis vicinæ ad Istrum et Pontum Euxinum*, III. 24. 11.: IV. 15. 22.
Glaucus Lycius, *qui cum Diomede arma sua aurea permutavit*, S. I. 7. 17.
Glycera, *amica Tibulli*, I. 33. 2.: *amica Horatii*, I. 30. 3.: I. 19. 5.: III. 19. 28.
Glyco, *athleta robustissimus*, Ep. I. 1. 30.
Gnatia, *h. e.* Egnatia, *oppidum Apuliæ inter Barium et Brundusium*, S. I. 5. 97.
Gnidos, *s.* Cnidos, *urbs Cariæ*, I. 30. 1.: III. 28. 13.

Gnoſſa, *urbs Cretæ. Inde* Gnoſſium ſpiculum, *i. e. Cretenſe*, I. 15. 17.
C. Gorgonius, *fortaſſis eſt is, quem Cicero de Clar. Orat. c.* 48. *equitem Rom. dicit, et rabularum indoctiſſimum et maxime inurbanum*, hircum olet, S. I. 2. 27.: S. I. 4. 92.
C. Gracchus, *orator ſummus*, Ep. II. 2. 89.
Græciæ varia ſtudia, Ep. II. 1. 93.: Græci laudantur, Ar. 323.: non ſatyras ſcripſerunt, S. I. 10. 66.: Græcorum ſcripta antiquiſſima ſunt optima, Ep. II. 1. 28.: Graiæ Camœnæ, II. 16. 38.: Graia manus, E. 10. 12.
Pompeius Groſphus, *amicus Horatii, habuit in Sicilia multa prædia*, II. 16.: Ep. I. 12. 22.: II. 7.
Gyges, *ex Gigantibus, qui Jovem oppugnarunt*, centimanus, II. 17. 14.: III. 4. 69.
Gyges Gnidius, *pulcher puer*, II. 5. 20.: III. 7. 5.

H

Hæmus, *mons Thraciæ*, gelidus, I. 12. 6.
Hagna, *amica*, S. I. 3. 40.
Haſdrubal, *Annibalis frater*, devictus, IV. 4. 38.
Hebrus, *hodie* Mariz, *Thraciæ fluvius*, III. 25. 10.: Ep. I. 3. 3.: Ep. I. 16. 13.
Hebrus, *adoleſcens formoſus*, III. 12. 5.
Hecate, *Diana apud inferos*, S. I. 8. 33.
Hector Priamides, S. I. 7. 12.: ferox, IV. 9. 21.: homicida, E. 17. 12.
Helena, *ſ.* Helene, *Jovis ex Leda filia, Menelai regis Spartanorum conjux, rapta a Paride: unde bellum Trojanum ortum eſt*, S. I. 3. 107.: ejus fratres Caſtor et Pollux, I. 3. 2.: Helena Lacæna, IV. 9. 16.: hoſpita, I. 15. 2.: adultera, III. 3. 25.: infamis, E. 17. 42.
Helicon, *mons Bœotiæ Muſis ſacer*, Ep. II. 1. 218.: umbroſæ oræ, I. 12. 5.
Heliodorus, *rhetor Græcus perdoctus in comitatu Mæcenatis*, S. I. 5. 2.
Hercules, *Jovis ex Alcmena filius*, efficax, E. 3. 17.: vagus, III. 3. 9.: delibutus Neſſi cruore, E. 17. 31.: Herculeus labor, I. 3. 36.: Herculi dedicat arma gladiator, Ep. I. 1. 5.
M. Hermogenes Tigellius, *Sardus, libertinus, cantor celebris*, nepotem et bellum tibicinem *vocat Cic. ad Div.* VII. 24. S. I. 2. 3.: S. I. 3. 4. 129.: S. I. 9. 25. *Sed* Tigellius, *qui memoratur*, S. I. 10. 80. 90.: S. I. 4. 72. *videtur Wielandio diverſus eſſe, et fortaſſis ejus nepos.*
Herodes, *rex Syriæ*, Ep. II. 2. 184.
Heſperia, *Italia*, II. 1. 32.: III. 6. 8.: IV. 5. 38. *Hiſpania*, I. 36. 4.
Hippolyta Magneſſa, *Acaſti Magneſiæ regis conjux, Peleum fruſtra ad ſtuprum ſollicitavit. Quare maritus, cui perſuaſerat iſtum vim ſibi inferre conatum eſſe, deduxit Peleum in montis Pelii ſolitudines, et inermem reliquit. At ope Deorum liberatus eſt, ne a feris laceraretur*, III. 7. 18.
Hippolytus, *Theſei filius ex Antiopa Amazone, a Phædra noverca de ſtupro appellatus. Hinc Phædræ criminatione et Theſei credulitate caſtus adoleſcens periit*, IV. 7. 26.
Q. Hirpinus, *amicus Horatii, ad quem ſcr. Oden*, II. 11. *et epiſtolam*, I. 16.
Homerus fortitudinem excitavit, Ar. 401.: res geſtas hexametris tradidit, Ar. 74.: laudat vinum, Ep. I. 19. 6.: non ſine obtrectatoribus eſt, S. I. 10. 52.: bonus dormitat, Ar. 359.
Horatius, *Venuſinus*, libertino patre, coactore, paupere et macri agelli poſſeſſore, S. I. 6. 45. 71. 86.: quem eximie laudat, *ibid.* 71.: cum pater optimus Romam deduxit ad artes diſcendas, *ib.* 76.: tribunus militum ſub Bruto fuit, *ib.* 47.: ſuam rationem vivendi deſcribit, *ib.* 92. ſeqq. corpore exiguo fuit, locis apricis gaudens, iraſci celer, at mox placabilis, Lepido et Lollio Coſſ. *h. e. anno U.* 733. implevit vitæ annos XLIV. Ep. I. 20. 24. ſqq. laudat Virgilium, Varium, Plotium, S. I. 5. 40.: convictor Mæcenatis, cui commendatus eſt a Virgilio et Vario, S. I. 6. 46. 55.: cur non amplius ſcribat carmina, quæ olim ob paupertatem proſcriptus poſt cladem Philippenſem ſcripſerit, Ep. II. 2. 46. ſeqq. Romæ litteras Græcas didicit, Athenis philoſophiam Academicam, *ibid* 41.: amator vitæ ruſticæ, Ep. I. 10.: mavult ruri degere quam Romæ, quamquam invitatus a Mæcenate, Ep. I. 7.: deſcribit villam ſuam in Sabinis, Ep. I. 16.: S. II. 6. 1. ſeqq. ſcribit, ſe reprehendi ob ſegnitiem in ſcribendo, Mæcenatis imitationem in ædificando, iracundiam, amorem puellarum puerorumque, S. II. 3. 1. 307. ſqq. vult res geſtas Auguſti ab alio ſcribi, Ep. I. 3. 7.
Hyades, *ſtellæ in fronte Tauri pluvioſæ*, I. 3. 14.
Hydaſpes, *Indiæ fluvius*, fabuloſus, I. 22. 8.
Hydaſpes, *ſervus Indus*, fuſcus, S. II. 8. 14.
Hydra, *coluber ab Hercule occiſus*, Ep. II. 1. 10.: IV. 4. 61.
Hylæus, *Centaurus, qui ebrius Hippodamiam primus violare conatus eſt*, II. 12. 6.
Hymettus, *mons Atticæ melle et marmore nobilis*, II. 6. 14.: Hymettia mella, S. II. 2. 15.: Hymettiæ trabes, *i. e. marmoreæ*, II. 18. 3.
Hyperborei campi, *ultra Rhipæos montes, Boreæ proximi*, II. 20. 16.
Hypermneſtra, *vid. in* Danaus.
Hypſæa, *macha, vitio oculorum quæ laborabat*, S. I. 2. 91.

I

Janus, *Deus bifrons*, pater, Ep. I. 16. 59. *de templo Jani*, Janus Quirinus clauſus *ſub Auguſto*, IV. 15. 9.: Ep. II. 1. 255. *ad Jani Arcum erant columnæ ſeu pilæ bibliopolarum*, Ep. I. 20. 1. *de vico Jani Romæ: ut*, ad medium Janum ſedentes, *i. e. fœneratores*, S. II. 3. 18.: Ep. I. 1. 54.
Iapetus, *Promethei pater*, I. 3. 27.
Iarbita Cordus, *vid. not.* Ep. I. 19. 15.
Jaſon, *Dux Argonautarum, Medeæ conjux*, E. 3. 12.

Iberia, *Hiſpania, ab Ibero fluvio dicta*, fera, *i. e. bellicoſa*, IV. 5. 28.: dura, *ib.* IV. 14. 50.: venenorum ferax, E. 5. 21. *Hinc* Iber, *Hiſpanus*, II. 20. 20.: Iberæ loricæ, I. 29. 15.
Iberus, *Hiſpaniæ fluvius*, S. II. 8. 46.
Ibycus, *pauper quidam*, III. 15. 1.
Icarus Dædaleus, *i. e. Dædali filius*, II. 20. 13. *Inde* Icarium mare, *h. e. pars Ægæi maris ad Icariam inſulam Samo proximam*, I. 1. 15.: III. 7. 21.
Iccius, *Horatii amicus, e philoſopho repente, ſpe lucri magni oſtenſu, fit miles: poſtea procurator M. Agrippæ in Sicilia*, I. 29. *et* Ep. I. 12.
Ida, *mons Phrygiæ*, III. 20. 16.
Idomeneus, *Dux Cretenſium*, IV. 9. 20.
Ilerda, *urbs Hiſpaniæ, metropolis Ilergetum, nobilis victoria Cæſaris de Pompeianis*, Ep. I. 20. 13.
Ilia, *ſive* Rhea Sylvia, *Romuli mater*, quæ poſtea nupſiſſe *dicitur Tiberi amni*, I. 2. 17.: III. 9. 8.: S. I. 2. 126.
Iliona, *filia Priami et Hecubæ, ſic tragœdia Pacuvii inſcripta eſt*, S. II. 3. 61.
Ilios obſeſſa, E. 14. 14. *Hinc* Iliæ matres, *i. e. Trojanæ*, E. 17. 11. *et* carmen Iliacum, Ar. 129.
Ilithyia, *Lucina, quæ juvat parturientes*, C. S. 14.
Inachus, *primus Argivorum rex*, II. 3. 21.: III. 19. 1.
India, *extrema Orientis regio*, dives, III. 24. 2. Indi, divites unionibus et gemmis, Ep. I. 6. 6. *ſe ſubjiciunt Auguſto*, I. 12. 56. Indicum ebur et aurum, I. 31. 6.
Ino, *Cadmi et Hermiones filia, Athamantis regis Thebanorum uxor, quæ cum Melicerta filio ſe in mari præcipitem dedit, et in Deam marinam mutata eſt*, flebilis, Ar. 123.
Io, *Inachi filia, a Jove amatore in juvencam converſa, poſtea a Junone exagitata in Ægyptum fugit; ubi, priſtina forma recepta, Oſiridi regi nupſit, et Iſis appellata eſt*, vaga, Ar. 124.
Jocus, *Veneris comes*, I. 2. 34.
Iolcos, *oppidum Theſſaliæ*, venenorum ferax, E. 5. 21.
Ionia, *regio Aſiæ minoris maritima. Inde* Ionicus attagen, E. 2. 54.: Ionice motus, *de ſaltatione molli et laſciva*, III. 6. 21.
Ionius ſinus, *Adriaticus, inter Italiam et Græciam*, E. 10. 19.
Iſter, *fluvius, ponitur pro Pannonia, Dacia et Rhætia*, IV. 14. 46.
Iſthmius, labor, *certamen in ludis Iſthmicis, qui in Neptuni honorem in Iſthmo Corinthio celebrabantur*, IV. 3. 3.
Ithaca, *inſula Ulyſſis*, S. II. 5. 4.: Ep. I. 7. 41. *Hinc* Ithacenſis Ulyſſis remigium, *i. e.* remiges *ſ.* ſocii, Ep. I. 6. 63.
Juba, *Hiempſalis filius Mauritaniæ regis*, Jubæ tellus, *i. e. Mauritania*, I. 22. 15.
Judæorum ſabbata, *v. not.* S. I. 9. 70.
Jugurtha, *Numidiæ rex, a Mario devictus*, II. 1. 28.: Jugurthinum bellum, E. 9. 23.
Juno, *ſoror et uxor Jovis*, amica Afris, II. 1. 25.
Jupiter, gentis humanæ pater et cuſtos, ortus Saturno, I. 12. 49.: clarus Giganteo triumpho, III. 1. 6.: ruens tremendo tumultu *i. e. tonans*, I. 16. 12.: ponit iracunda fulmina, I. 3. 40.: malus, *i. e. cælum inſalubre*, I. 22. 19. *de Auguſto*, Ep. I. 19. 43.
Ixion, *Jovis contubernalis factus, Junonis amplexus petiit. Quare a Jove apud Inferos rotæ illigatus eſt*, III. 11. 21.: Ar. 124.

L

M. Antiſtius Labeo, *auctore Scholiaſte, fuit Ictus celeberrimus, ſed Wielandius negat, in illum virum cadere eam ſtultitiam, de qua eſt*, S. I. 3. 82.
Laberius Decimus, *Eques Rom. a C. Cæſare juſſus in theatrum prodire, mimus, poëta clarus et mordax, de quo v. Macrob. Saturn.* II. 7.: ejus genus dicendi notatur, S. I. 10. 6.
Lacæna, *Laconica mulier*, II. 11. 23.
Lacedæmon, *urbs nobiliſſima Peloponneſi*, patiens, I. 7. 10.
Laconica purpura, II. 18. 7.
C. Lælius *ſapiens dictus, amicus Lucilii poëtæ*, S. II. 1. 65.
Læſtrigonia amphora, *i. e. Formiana, ad declarandum vinum Formianum: quia olim Læſtrigones incoluerunt agrum Formianum*, III. 16. 34.
Lævinus P. Valerius, *repulſam tulit a populo ob morum turpitudinem*, S. I. 6. 12.
Lalage, *amica Horatii*, II. 5. 16.: I. 22. 10.
L. Ælius Lamia, *amicus Horatii, frater Q. Ælii Lamiæ, filius L. Ælii Lamiæ viri Prætorii*, I. 36. 7.: III. 17. 1.: Ep. I. 14. 6.
Lamia, *monſtrum ad infantes terrendos excogitatum*, Ar. 340.
Lanivium, *ſeu* Lanuvium, *oppidum Latii ad viam Appiam*, III. 27. 3.
Laomedon, *rex Trojanus, Neptunum et Apollinem, qui juſſu Jovis muros Trojanos exſtruxerant, promiſſa mercede fraudavit*, III. 3. 22.
Lapithæ, *populi Theſſaliæ, qui in nuptiis Pirithoi vino incenſos Centauros trucidarunt*, I. 18. 8.: II. 12. 5.
Lariſſa, *urbs Theſſaliæ*, opima, I. 7. 11.
Latinæ feriæ, Ep. I. 7. 76. *per illas ſolebant Romani ruſticari, et a negotiis ſe recreare.*
Latium, *regio Italiæ ſat nota*, ferox, I. 35. 10.: agreſte, Ep. II. 1. 157.
Latona, *Apollinis et Dianæ mater*, ſupremo dilecta Jovi, I. 21. 3.
Laverna, *Dea furum*, pulchra, Ep. I. 16. 60.
Laurens aper, *a Laurento Latii oppido dictus*, S. II. 4. 42.
Lebedus, *urbs Ioniæ maritima, olim celeberrima, ſed inde a temporibus Lyſimachi, qui evertit et incolas Epheſum deduxit, deſerta*, Ep. I. 11. 6.
Leda, *Tyndari uxor, et mater Caſtoris, Pollucis, Helenæ et Clytemneſtræ ex Jove:* Ledæ pueri, I. 12. 25.
Q. Æmilius Lepidus, *qui cum M. Lollio fuit Conſul A. U.* 733. Ep. I. 20. 28.
Lepos, *nomen ſaltatoris*, S. II. 6. 72.
Leſbos, *inſula maris Ægæi, patria Sapphus et Alcæi*, nota, Ep. I. 11. 1. *Inde* Leſboum bar-

biton, I. 1. 34. *et* Leſbium plectrum, I. 26. 11. *i. e. Sapphus et Alcæi.* Leſbius civis, *i. e. Alcæus*, I. 32. 5.: Leſbium *vinum* innocens, I. 17. 21. Leſbia vina *laudantur quoque*, E. 9. 34.
Leuconoë, *amica Horatii*, I. 11. 2.
Liber pater, *Bacchus* poſt mortem inter Deos receptus, Ep. II. 1. 5.: prœliis audax, I. 12. 22.: jocoſus, IV. 15. 26.
Libitina, *Dea funerum apud Rom. fuiſſe videtur Venus*, III. 30. 7.: S. II. 6. 19.: Ep. II. 1. 49.
Libonis puteal, *vid. not.* S. II. 6. 35.: Ep. I. 19. 8.
Liburni, *populus Illyriæ, qui utebantur navigiis leviſſimis et velociſſimis, qualibus uſus eſt Auguſtus in pugna Actiaca*, I. 37. 30.: E. I. 1.
Libya, *regio Africæ maritima inter Cyrenæicam et Africam provinciam. Sed pro* Africa *ipſa ponitur*, II. 2. 10. *Und.* Libycæ areæ, I. 1. 10.: lapilli, *i. e. marmor Numidicum, ex quo teſſellata pavimenta*, Ep. I. 10. 19.
Licinius Varro Muræna, *Proculeii et Terentiæ frater, homo inconſtans et ambitioſus, conjurationis in Auguſtum particeps, publica auctoritate ſupplicio eſt affectus, vid. Dio* IV. 3.: *Sueton. Aug.* 19. 66.: *Tib.* 8.; *Vell. Paterc.* II. 91.: *ad hunc eſt*, II. 10.
Licinus, *tonſor*, Ar. 301.
Ligurinus, *puer formoſus*, IV. 1. 33.: IV. 10. 1.
Liparæus, *ortus ex Lipara una ex inſulis Æoliis prope Siciliam*, III. 12. 5.
Liris, taciturnus amnis, I. 31. 7. *amnis, quod Latium ſejungit a Campaniæ ora. De placido fluxu ejus Silius*, IV. 350. *ſic: Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto Diſſimulat curſum, ac nullo mutabilis imbri Perſtringit tacitas geminati gurgite ripas. Cf.* III. 17. 8.
Livius Andronicus, *Livii Salinatoris libertus, comicus Latinus*, Ep. II. 1. 62. 69.
M. Lollius Palicanus, *Proprætor Galatiæ ab Auguſto factus, poſtea c. Q. Lepido Conſul fuit. Cum moderator juventæ C. Cæſaris ab Auguſto factus minus fidem datam præſtitiſſet; paulo poſtquam ejus perfida et plena ſubdoli et verſuti animi conſilia detecta eſſent, mortuus eſt, non ſine ſuſpicione ſumti veneni. Ad hunc eſt*, IV. 9.: *et laudatur*, Ep. I. 20. 28.
Maximus Lollius, *filius aut nepos M. Lollii præcedentis. Ad hunc eſt ſcripta epiſtola*, I. 2. *et* 18.: *in poſteriore verſu* 63. *ejuſdem frater commemoratur. Sunt, qui contendant, Scævam, ad quem eſt epiſtola* 17. *libri primi, et Lollium, ad quem eſt epiſtola ſequens, eſſe eundem. Ex epiſtolis quidem nihil, quod ad hanc ſententiam refellendam valeat, intelligi poteſt: ſed tantum diverſitas nominis obſtare videtur.*
Longarenus, *mœchus quidam*, S. I. 2. 67.
Lucania, *regio Italiæ inferioris*, S. II. 1. 38. *Inde* Lucani ſaltus, Ep. II. 2. 178.: aper Lucanus, *tanquam optimus*, S. II. 8. 6.
Luceria, *oppidum Apuliæ infra Teanum, ad fluvium Cerbalum; colonia Rom.* III. 15. 14.
C. Lucilius *Sueſſanus Aurunc anus, eques Rom. magnus avunculus Pompeii M. ſub Scipione Africano, Numantino bello eques militavit et Neapoli annos* 46. *natus obiit. Scripſit Satyrarum libros XXX. Epodas, Hymnos et Comœdiam:* vitam Scipionis privatam *ſcripſit*, S. II. 1. 17.: vitam ſuam inferuit ſcriptis, *ib.* 33.: primus ſatyras ſcr. *ib.* 63.: Scipionis et Lælii amicitia uſus eſt, *ib.* 72.: cenſus et ingenium laudatur, *ib.* 75.: magna libertate uſus eſt in perſtringendis hominum vitiis, S. I. 4. 5.: facetus, S. I. 10. 4.: *ſed* verſus ſunt minus expoliti, S. I. 4. 9.: S. I. 10. 58.: genus dicendi eſt vagum, S. I. 10. 9.
Lucina parturientibus adeſt, E. 5. 6.
Lucretilis, *mons in Sabinis prope Horatii villam*, I. 17. 1.
Lucrinus *lacus in Campania ſub ipſis Baiis*, S. II. 4. 32.: II. 15. 3.: Lucrina conchylia, E. 2. 49.
L. Lucullus, *qui contra Mithridatem bellum geſſit: cujus de laudibus, vid. Cic. Acad. IV. initio*; ditiſſimus, Ep. I. 6. 40.: de ejus milite quodam, *vid.* Ep. II. 2. 26.
P. Rutilius Lupus, *qui Conſul A. U.* 663. *fuit*, læſus eſt in Satyris a Lucilio, S. II. 1. 68. *Cf. Cic. Nat. D.* I. 23.
Lyæus, *Bacchus*, jocoſus, III. 21. 16.: dulcis, E. 9. 38.
Lycambes, *quem Archilochus contumelioſis verſibus ad ſuſpendium adegit, cum iſte filiam Neobulen jam Archilocho deſponſatam, mutata ſententia, nuptum dare recuſaſſet*, E. 6. 13.: Ep. I. 19. 25. 30.
Lyce, *amica*, III. 10. 1.: IV. 13. 1.
Lycæus, *mons Arcadiæ Pani et Fauno ſacer*, I. 17. 2.
Lycia, *regio Aſiæ minoris ad mare mediterraneum*, III. 4. 62. *Ejus incolæ* Lycii, I. 8. 16.
Lycidas, *puer mollis et impudicus*, I. 4. 19.
Lycimnia, *amica*, II. 12. 13.
Lyciſcus, *amaſius puer*, E. 11. 36.
Lycoris, *amica*, I. 33. 5.
Lycurgus Thrax, *Dryantis Edonorum regis filius, Baccho inimiciſſimus. Hinc ab eo in furorem actus filium occidit et ſibi ipſe falce crura amputavit*, II. 19. 16.
Lycus, *Alcæi puer amaſius*, I. 32. 11.
Lycus, ſenex, *qui uxorem juvenem anxius cuſtodiebat*, III. 19. 23.
Lyde, *amica*, II. 11. 22.: III. 11. 7.: III. 28. 1.
Lydia, *amica*, I. 8. 1.: I. 13. 1.: I. 25. 8.: III. 9. 1.
Lydæ tibiæ, *quibus canitur ad modum Lydium*, IV. 15. 30.
Lynceus, *oculorum acie excelluit*, Ep. I. 1. 28.
Lyſippus, *Sicyonius, ſtatuarius nobiliſſimus, Alexandro M. unice probatus*, Ep. II. 1. 240.

M

Macedo, *Philippus rex Macedonum, Alexandri M. pater, qui, ut Cicero Att.* I. 16. *ſcribit, omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus auro onuſtus poſſet aſcendere*, III. 16. 14.
Macellum, *locus Romæ obſoniis vendendis accommodatus*, S. II. 3. 229.

C. Cilnius Mæcenas, *eques, genus ducebat a regibus Etruſcis*, I. 1. 1.: III. 29. 1.: S. I. 6. 2. *Cf. Propert.* III. 7. 1. *vir ingenioſus, in oratione minus terſus quam mundus et delicatus in rebus externis: nam Mæcenatis verba, inquit Seneca, Epiſt.* 114. *non tam inſignita ſunt quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor. Solutis tunicis ſemper in urbe inceſſit. In rebus agendis erat promtus et providus, verum, quantum fieri poterat, otio et mollitiei ſe tradebat. Quare honores publicos nunquam petiit, equeſtri dignitate et auguſto clavo contentus. Conſuetudine virorum doctorum, inprimis poetarum, hominum facetorum, etiam ſcurrarum delectabatur. Amicitias non facile admiſit, ſed admiſſas conſtantiſſime retinuit. Taciturnitas ejus, comitas, liberalitaſque laudatur. Ab Auguſto ob merita amatus eſt et bonis multis proſcriptorum ditatus. In Eſquiliis hortos inſtruxit, et turrim, h. e. palatium, exſtruxit, unde proſpectus erat in Romam, mare et vicina oppida. Primus Romæ ſaltationes mimicas inſtituit, et omnino ad mores hominum emolliendos multa contulit, quo facilius, priſtinæ libertatis immemores, novum ſervitutis jugum ſub Auguſto ferrent. Ad eum Noſter ſcripſit*, I. 1.: I. 20.: II. 12.: II. 17.: II. 20.: III. 8.: III. 16.: III. 29.: E. 1.: E. 3.: E. 9.: E. 14.: S. I. 1.: S. I. 6.: Ep. I. 1.: Ep. I. 7.: Ep. I. 19. *laudatur a Noſtro ut* beatus, E. 9. 4.: candidus, E. 14. 5.: paucorum hominum et mentis ſanæ, S. I. 9. 44.: diligens in diligendis amicis, S. I. 6. 50.: pauca reſpondens, *ib.* 60.: recipit Horatium ſpectatum et commendatum inter amicos, *ib.* 62. Hortatur Noſtrum ad res geſtas Auguſti ſcribendas, II. 12. 11. et ad carmina, Ep. I. 1. 3.: reprehendit ob neglectum cultum veſtitumque, *ib.* 94.: Mæcenati Noſter vult probari ſua ſcripta, I. 1. 35.: S. I. 10. 81.: Mæcenas tenebat ſigillum Auguſti, S. II. 6. 38.: iter faciebat Brunduſium ad controverſias Auguſti et Antonii componendas, S. I. 5. 27. 31.: convivio excipitur a Naſidieno quodam, S. II. 8. 22. *Cæterum conf. de Mæcenate Vell. Paterc.* II. 88.: *Sueton. Aug.* 66. 86.: *Senec. Epiſt.* 19. 114. &c.

Mænius, *paraſitus et nepos*, S. I. 3. 21.: Ep. I. 15. 26.

Mæonius, *Homerus a patria Smyrna, Mæoniæ, i. e. Lydiæ urbe*, I. 6. 2.: IV. 9. 5.

Mævius, *poëta maledicus*, E. 10. 1.

Maia, *Atlantis filia, ex qua Jupiter Mercurium ſuſcepit*, I. 2. 43.

Malobathrum Syrium, *v. not.* II. 7. 8.

Malthinus, *homo mollis, diſcinctus, i. e. tunica ſoluta, incedebat*, S. I. 2. 25.

Mamurrarum urbs, *i. e.* Formiæ, S. I. 5. 37.: *quia Mamurrarum familia inde orta erat.*

Mandela, *pagus in Sabinis, ad Digentiam rivum, non procul a villa Horatii*, Ep. I. 18. 105.

L. Manlius Torquatus, *qui cum L. Aurel. Cotta Conſul fuit A. U.* 689. *quo anno Horatius natus eſt*, III. 21. 1.: E. 13. 8.

Manlius Torquatus, *fortaſſis filius Manlii Torquati Conſulis, orator* egregius, invitatur ad cœnam, Ep. I. 5.: *ad eundem eſt*, IV. 7.

M. Claud. Marcellus, *qui Syracuſas bello Punico altero expugnavit*, I. 12. 46.

Mareoticum vinum, *naſcebatur juxta paludem Mareotidem in* Ægypto, I. 37. 14.

Marica, *Nympha, uxor Fauni, mater Latini, quæ a Minturnenſibus colebatur religioſe. Hinc* littora Maricæ *eſt ager Minturnenſis*, III. 17. 7.

Marius, *quidam puellæ amator et homicida*, S. II. 3. 277.

Mars, *Junonis filius, Bellonæ frater, Deus bellorum*, tunica tectus adamantina, I. 6. 13.

Marſæus, *amator Originis mimæ*, S. I. 2. 55.

Marſi, *populi Apuliæ*, Marſus aper, I. 1. 28.: duellum, i. e. bellum Marſicum, *ſive* ſociale et Italicum, III. 14. 18.: E. 16. 3. *quiæ Marſi iſtius belli fuere præcipui auctores et apud eos bellum ortum eſt.* Marſus *pro* Italis, III. 5. 9.: Marſa cohors, II. 20. 18.: nænia Marſa, *i. e. Sabina*, E. 17. 29.

Marſyas, *ſtatua Marſyæ in foro Romano*, S. I. 6. 120.

Maſſagetæ, *gens Scythiæ Parthis vicina et amica*, I. 35. 40.

Maſſicum vinum, *de monte Maſſico Campaniæ*, I. 1. 19.: S. II. 4. 51.: II. 7. 21.: III. 21. 5.

Matinus, *promontorium Calabriæ; unde* littus Matinum, *i. e.* ora *Calabriæ occidentalis*, I. 28. 3. Mons Calabriæ *vicinus Venuſiæ patriæ Horatii*, IV. 2. 27.: E. 16. 28.

Mauritania, *pars Africæ maritima. Unde* Mauri, I. 2. 39.: Maurorum jacula et arcus et ſagittæ venenatæ, I. 22. 2.: Mauri angues, III. 10. 18.: Maura unda, *i. e. mare Africanum*, II. 6. 3.

Medea, *Æëtæ Colchorum regis filia, Jaſonis uxor, ſed poſtea repudiata filios trucidavit*, Ar. 185.: ferox, Ar. 123.: barbara, E. 5. 62.: E. 3. 10.

Medi, *populi Aſiæ majoris, ultra Tigridem, fere pro* Parthis *ponuntur.* Medi triumphati, III. 3. 43.: horribiles, I. 29. 4.: pharetra decori, II. 16. 6.: *equitatu valent*, I. 2. 51.: *inter ſe diſſident*, III. 8. 19.: mirantur Auguſtum, IV. 14. 42. Medus acinacis, I. 27. 5.

Medum flumen, *i. e. Euphrates, aut* Araxes, II. 9. 21.

Meleager, *Oenei Ætolorum regis ex Althæa filius, occidit aprum ingentem; culpa ſororis et matris periit*, Ar. 146.

Melpomene, *Muſa præeſt cantibus lugubribus*, I. 24. 3.

Memphis, *urbs Ægypti antiquiſſima et populoſa*, III. 26. 10.

Menander, *Athenienſis, diſcipulus Theophraſti, novæ comœdiæ auctor, quem Terentius eſt imitatus*, S. II. 3. 11.: Ep. II. 1. 57.

Menas, *v. n.* E. 4. 1.

Menenius, *inſignis ſtultitiæ homo*, S. II. 3. 287.

Mercurius, *Jovis et Maiæ filius*, compellit virga horrida ad nigrum gregem manes, I. 24. 16. *ejus laudes, vid.* I. 10. 3. 11.

Mercuriales viri, *poëtæ*, II. 17. 29.
Meriones, *Idomenei auriga et amicus, fortiſſimus*, I. 6. 15.
M. Valer. Corvinus Meſſala, *ingenio ſummo præditus, judicio et eloquentia, fortis ac conſtans, poſt Bruti interitum, quem ſecutus erat, Auguſti gratia uſus eſt, a quo in Syriam cum imperio A. U. 724. miſſus eſt. laudatur eximie a Cicerone ad Brut. 15. et a Noſtro*, S. I. 10. 85.: *cf. Broukh. ad Tib.* I. 3.
Meſſala Scævola, *Ictus celebris*, Ar. 371.
Meſſius Cicirrus Oſcus, *corpore procero, ſcurra*, S. I. 5. 52.
Metaurum flumen, IV. 4. 38. *Eſt* Metaurus, *hodie* Metro, *fluvius Umbriæ, clade Aſdrubalis nobilis.*
Metella, *uxor filii Æſopi*, S. II. 3. 239.
Q. Cæcilius Metellus *Macedonicus, qui de Pſeudophilippo triumphavit, avus Servilii Iſaurici et proavus P. Scipionis*, a Lucilio in Satyris eſt taxatus, S. II. 1. 67.
Q. Cæcilius Metellus *Celer, qui cum L. Afranio A. U.* 694. *Conſul fuit*, II. 1. 1.
Methymnæa uva, S. II. 8. 50. *i. e.* vinum Leſbium. *Nam* Methymna *eſt urbs Leſbi inſulæ.*
Miletus, *urbs Ioniæ, ubi lanæ egregie tingebantur*, Ep. I. 17. 30.
Milonius, *ſaltando inſaniens*, S. II. 1. 24.
Milvius, *ſeu* Mulvius, *paraſitus et ſcurra Horatii*, S. II. 7. 36.
Mimas, *gigas*, validus, III. 4. 53.
Mimnermus, *poëta, qui elegis excelluit, eroticus*, Ep. I. 6. 65.: Ep. II. 2. 101.
Minerva, *ex Jovis cerebro orta Dea, præeſt artibus, bellis*, caſta, III. 3. 23.: operoſa, III. 12. 5.
Minos, *rex et legiſlator Cretenſium, a Jove ipſo leges didicit*, I. 28. 9.: *ob juſtitiam* judex inferorum, IV. 7. 21.
Minturnæ, *oppidum in Auruncis in confinio Campaniæ et Latii ad Liris oſtia*, Ep. I. 5. 5.
Minucii via *a porta Minucia Romæ Brunduſium ferebat, ut Appia, ſed alio tractu, nempe per Sabinos, ſtrata a L. Minucio*, Ep. I. 18. 20.
Miſenum, *promontorium, portus et oppidum Campaniæ*, S. II. 4. 33.
Mitylene, *ſive* Mytilenæ, *urbs Leſbi*, pulchra, *i. e. amæna ob ſitum et ædificia*, Ep. I. 11. 17.
Moloſſi, *populus Epiri. Inde* Moloſſi canes, S. II. 6. 114.: E. 6. 5.
Monæſes, *rex Parthorum. Sunt qui Surenam legatum regis Parthorum intelligant*, III. 6. 9.
Moſchus, *Pergamenus Rhetor, v. n.* Ep. I. 5. 9.
P. Mucius, *Juris peritorum eloquentiſſimus, ut verbis utar Ciceronis, et eloquentium juris peritiſſimus, Ciceronis in jure civili præceptor*, Ep. II. 2. 89.
L. Munatius Planeus, *ad quem eſt*, I. 7. *fortaſſis eſt is, ad quem Cicero epiſtolas ſcripſit; homo inconſtans, qui primum libertatem reip. defendebat, ſed poſtea adjunxit ſe cum Antonio et Lepido; tandem ab Antonio ad Octavianum tranſiit. Cf.* III. 14. 28.
Munatius, *de quo eſt*, Ep. I. 3. 31. *quis fuerit incertum.*
L. Licinius Varro Murena, *frater Terentiæ Mæcenatis uxoris*, S. I. 5. 38.
Mutus, *homo obſcurus*, Ep. I. 6. 22.
Mycenæ, *urbs Argolidos in Peloponneſo*, dites, I. 7. 9.
Mygdones, *populi Phrygiæ. Inde* Mygdonius *pro* Phrygio, II. 12. 22.: III. 16. 41.
Myrtale, *libertina amica Horatii*, I. 33. 14.
Myrtoum mare, *pars maris Ægæi inprimis procelloſa et naufragiis infeſta, inter Eubœam, Aticam et Peloponneſum*, I. 1. 14.
Myſi, *populus Aſiæ minoris*, E. 17. 10.
Myſtes, *puer amaſius*, II. 9. 10.

N

Nacca, *ſive* Natta, *nomen ſordidi avari*, S. I. 6. 124.
Cn. Nævius, *Ennii æqualis, bello Punico I. ſtipendia fecit, ob dicacitatem in vincula conjectus, poſtea Roma expulſus Uticæ mortuus eſt. Ser. carmen de bello Punico primo, tragœdias et comœdias, et ſatyram*, Ep. II. 1. 53.
Nævius, *quidam erga ſervos nimis indulgens*, S. II. 2. 68.
Nævius, *ſeu* Mænius, nepos, S. I. 1. 101.
Naïades, *Nymphæ*, III. 25. 14.
Naſica, *captator hæreditatis deluſus*, S. II. 5. 57.
Naſidienus Rufus *ridetur ob convivium, quo Mæcenatem excepit*, S. II. 8.
Neæra, *fidicina, amica*, III. 14. 21.: E. 15. 1.
Neapolis, *oppidum Campaniæ*, otioſa, E. 5. 43.
Neobule; *puella*, III. 12. 1.
Neptunus, *Deus maris*, cuſtos Tarenti, I. 28. 29.: Neptuni dies feſtus, III. 28. 1.
Neptunius Dux, *i. e. Sextus Pompeius*, E. 9. 7.
Nereus, *Ponti filius, Thetidos pater, Deus marinus, cecinit fata Trojana*, I. 15. 5.
Nereius nepos, *Achilles*, E. 17. 8.
Nerius, *fœnerator*, S. II. 3. 69.
Tib. Claudius Nero, *Druſi frater, Auguſti ſucceſſor et privignus ex Livia Druſilla et Scribonio*, miſſus cum imperio in Syriam, Ep. I. 3. 2.: bonus clarusque, Ep. II. 2. 1.: ei commendatur Septimius, Ep. I. 9.
Neſſus *centaurus, interfectus ab Hercule, cujus cruore Hercules ipſe periit*, E. 17. 32.
Neſtor Pylius, *rex Pyli, civitatis Peloponneſi, prudentia, ætate et eloquentia venerabilis*, I. 15. 22.: Ep. I. 2. 11.
Nilus, *fluvius Ægypti*, tumidus, III. 3. 48.: qui celat fontium origines, IV. 14. 46.
Niobe, *Tantali filia, Amphionis uxor, forma et multitudine liberorum elata contemſit Latonam: unde Apollo et Diana ſunt ulti*, IV. 6. 1.
Niphates, *Armeniæ mons*, rigidus, II. 9. 20.
Nireus, *Græcus forma excellens ap. Homerum*, III. 20. 15.: E. 15. 22.
Nomentanus, *paraſitus Naſidieni*, S. II. 8. 23.
Noricum, *pars Illyrici, ferro nobile. Unde* Noricus enſis, I. 16. 9.
Novius, *videtur eſſe nomen fictum hominis divitis ap. Romanos*, S. I. 6. 40. 121.
Numa Pompilius, *rex Romanorum ſecundus*, Ep. I. 6. 27.: ejus regnum quietum, I. 12. 34.

Numantia, *urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis nobilis, quæ per plures annos Romanis fortiſſime reſtitit; tandem autem a Scipione Æmiliano expugnata et deleta eſt*, fera, II. 12. 1.
Numicius, *homo in vitæ genere et inſtituto inconſtans*, Ep. I. 6.
Numidæ, *populi Africæ*, extremi Numidarum agri, *i. e. Numidiæ loca deſerta*, III. 11. 47.
Numonius Vala, *fortaſſis eſt is, qui Vari legatus caſus eſt a Germanis, vid. Vell. Paterc. II.* 119. *Ad hunc eſt*, Ep. I. 15.

O

Oceanus ruber, *mare Arabicum et Indicum ſeu orientale*, I. 35. 32.: belluoſus, *de mari Britan.* IV. 14. 47.
Octavius, *amicus doctus Horatii, qui diverſus a Cæſare Octavio eſſe videtur*, S. I. 10. 82.
Ofellus, ruſticus, *fortaſſis Sabinus et vicinus Horatii*, S. II. 2. 2.
Olympus, *mons inter Theſſaliam et Macedoniam*, III. 4. 52.
Olympia, *urbs Elidis in Peloponneſo; celebris ludis Olympicis. Unde* pulvis Olympicus, I. 1. 3.
Opimius, *avarus quidam*, S. II. 3. 142.
Serv. Oppidius *Canuſinus*; de cujus teſtamento, *vid.* S. II. 3. 168.
Opuntia Megilla, *puella quædam*, I. 27. 10.
Orbilius Pupillus *Beneventanus, acerbæ naturæ non ſolum in antiſophiſtas et diſcipulos, ſed et in principes viros: Romæ inde ab anno ætatis quinquageſimo Grammaticam docuit. vid. Sueton. de Illuſtr. Grammat. et Noſter*, Ep. II. 1. 71.
Orbius, *videtur multa prædia coëmiſſe*, Ep. II. 2. 160.
Orcus, *Pluto*, nil miſerans, II. 3. 24.: rapax, II. 18. 30.: non exorabilis auro, Ep. II. 2. 178.
Oreſtes, *Agamemnonis et Clytemneſtræ f. amicus Pyladis, Ægyſthum et matrem occidit, qui patrem occiderant, poſtea furiis eſt agitatus*, triſtis, Ar. 124.: matricida, S. II. 3. 133.
Oricum, *oppidum Epiri cum portu, colonia Colchorum, non procul Dyrrhachio*, III. 7. 5.
Origo, *mima*, S. I. 2. 55.
Orion, *venator inſignis*, II. 13. 39.: tentator Dianæ, III. 4. 71.: *poſt mortem in ſidus mutatus*, III. 27. 17.
Ornytus Thurinus, *homo videtur eſſe dives, qui Thurio, i. e. oppido opulento Lucaniæ, Romam commigraverit*, III. 9. 14.
Orpheus, *Apollinis et Calliopes f. maritus Euridices, quam fruſtra ab inferis reducere conatus eſt; excelluit lyra, quam vel a Mercurio vel ab ipſo Apolline accepit:* Threïcius, I. 24. 13.: docuit agreſtes homines, Ar. 392.: vocales, I. 12. 7.. *ubi omnino agitur de vi muſicæ Orphicæ.*
Oſiris, *Ægyptiorum Deus, Iſidis maritus*, Ep. I. 17. 60.
L. Roſcius Otho, *tribunus pl. fautor ordinis equeſtris, legem tulit, ne quis in quatuordecim gradibus orcheſtræ in qua ſenatores ſedebant, proximis ſederet, niſi qui eques et equeſtri cenſu eſſet*, E. 4. 16.

P

Pacorus, *Orodis regis Parthorum filius, Phraatis frater natu major, vir fortiſſimus, ſed poſtea a Ventidio A. U.* 715. *victus periit*, III. 6. 9.
Pactolus, *amnis Lydiæ, arenas trahens aureas*, E. 15. 20.
M. Pacuvius, *pœta tragicus, Ennii ex ſorore nepos, Lælii amicus et hoſpes*, Ep. II. 1. 56. *Quintil. X.* 1. *laudat in ejus tragœdiis gravitatem ſententiarum, verborum pondus, et auctoritatem perſonarum.*
Padus, *fluvius Italiæ ſuperioris*, E. 16. 28.
Palinurus, *Æneæ gubernator*, III. 4. 28. *dicitur de promontorio Palinuro Lucaniæ non procul Velia.*
Pallas, *Minerva*, Palladis intactæ arces, *i. e. Athenæ*, I. 7. 5.: ægis, III. 4. 57.: parat galeam, ægida, currus et rabiem, I. 15. 11.
Panætius, *Rhodius, Stoicus celebris, Scipionis Africani majoris præceptor, ſcripſit multa, v. c. de Officiis, de dolore patiendo, providentia, magiſtratibus. Hinc* libri Panætii, I. 29. 14.
Panthoides, *Panthoi filius Euphorbus, quem ſe tempore belli Trojani fuiſſe dixit Pythagoras*, I. 28. 10.
Pantilius, *adverſarius et obtrectator Horatii*, S. I. 10. 78.
Pantolabus, *ſcurra, v. n.* S. I. 8. 11.
Paphus, *urbs Cypri, cultu Veneris nobilis*, I. 30. 1.: III. 28. 14.
Paris, *ſ.* Alexander, *Priami f. et Helenæ raptor*, paſtor perfidus, I. 15. 1.: Paridis amor, Ep. I. 2. 6. buſtum, III. 3. 40.
Parium marmor ſplendens, I. 19. 6. *ab inſula Paro dictum.*
Parrhaſius, *Epheſius, pictor nobiliſſimus*, IV. 8. 6.
Parthi, *proprie populi Perſiæ ultra Euphratem: deinde omnino pro* Perſis *ponuntur*, feroces, III. 2, 3.: animoſi verſis equis, I. 19. 11. Latio imminentes, I. 12. 53.: ſagittæ et celeris fuga, II. 13. 18.: reddunt Auguſto ſigna, Ep. I. 18. 56.: iis ademta ſigna, IV. 15. 7.: timent Romam, Ep. II. 1. 256.: Parthis mendacior, Ep. II. 1. 112.
Paulus, *haud dubie*, Fabius Maximus, IV. 1. 10.
Paulus Æmilius *Cos. qui ad Cannas cecidit*, animæ magnæ prodigus, I. 12. 38. *Videtur idem intelligi*, S. I. 6. 41.
Pauſias, *Sicyonius, pictor nobilis, de cujus picturis, vid. Plin. H. N. XXXV.* 11. S. II. 7. 95.
Pectius, *ſeu* Pettius, *contubernalis Horatii*, E. 11. 1.
Pedana regio, *ager prope Pedum, oppidum Latii inter Præneſte, Tibur et Tuſculum*, Ep. I. 4. 2.
Julius Pediatius, *eques Rom. qui, patrimonio conſumto, cinædus eſt factus. Hinc iſte homo mollis a Noſtro* Pediatia *pro* Pediatius *vocatur*, S. I. 8. 39.
Pedius Publicola, *fortaſſis eſt filius Q. Pedii ejus, qui a Cæſare cohæres Octaviano ſcriptus legem*

Pediam contra Cæſaris percuſſores ſcripſit, S. I. 10. 28.

Pegaſus, *equus, quo a Minerva accepto uſus eſt Bellerophon in Chimæra occidenda*, I. 27. 24.

Peleus, *Æaci f. Achillis pater, cæſo Phoco fugit Phthiam ad Eurytionem ſocerum, quo occiſo fugit ad Acaſtum; cujus uxor Hippolyta, ſive Aſtydamia cum eum fruſtra ad ſtuprum ſollicitaſſet, et poſtea apud maritum ſtupri falſo crimine accuſaſſet: ille ab Acaſto in venatione in Pelio monte inermis relictus, a Chirone ſervatus eſt*, III. 7. 17.: Ar. 96.

Peligni, *populus Italiæ, Marcis, Marrucinis et Ferentanis conſinis*, III. 19. 8.: anus Pelignæ, *ob magicas artes male audiebant*, E. 17. 60.

Pelius *mons Theſſaliæ*, III. 4. 52.

Pelops, *filius Tantali Elei, et pater Atrei, Thyeſtis, Chryſippi*, II. 13. 37.: ſæva Pelopis domus, *i. e. ob cædes: nam Chryſippus ab Atreo et Thyeſte fratribus, Thyeſtis liberi ab Atreo, Atreus ab Ægiſtho, Agamemnon ab Ægiſtho et Clytemneſtra ſunt occiſi, quos interfecit Oreſtes: et ipſe Pelops occidit Oenomaum generum et Stymphalum Arcadiæ regem*, I. 6. 8.

Penelope, *uxor Ulyſſis caſta et in amore conſtans*, I. 17. 20.: S. II. 5. 76.: difficilis procis, III. 10. 11.

Pentheus, *Echionis ex Agave f. Cadmi ſucceſſor in regno Thebano, Bacchum in vincula conjicit. Sed Deus, terræ motu domus cum corruiſſet, elabitur: et ipſe poſtea a matre ipſa dilaniatur*, II. 19. 14.: Ep. I. 16. 73.

Perillius, *fœnerator*, S. II. 3. 75.

Perſæ, *populi Aſiæ majoris*, graves, I. 2. 22.: infidi, IV. 15. 23. Perſici apparatus, I. 38. 1.

Perſius *Clazomenius, ibrida, dives*, S. I. 7. 2.

Petillius Capitolinus, *furti reus*, S. I. 4. 94.: S. I. 10. 26.

Petrinus vicus *in agro Sinueſſano*, Ep. I. 5. 5.

Phæaces, *populi Corcyræ molliſſimi, quorum mollitiem Homerus in Odyſſea celebravit.* Pinguis Phæax, Ep. I. 15. 24.

Phaëton, *Solis fil. cum currum patris ſtulte rexiſſet et cœlum terramque incendiſſet; Jovis fulmine ictus in Eridanum amnem decidit.* ambuſtus, IV. 11. 25.

Phalantus, *duxit coloniam Lacedæmoniorum Tarentum*, II. 6. 12.

Phidyle, *haud dubie villica in fundo Horatii Sabino*, III. 23. 1.

Philippi, *urbs Macedoniæ, ad quam Caſſius et Brutus ſunt victi, quorum in exercitu Horatius cohortem duxit*, II. 7. 9.: III. 4. 26.: Ep. II. 2. 49.

Philippus, *aureus nummus, a Philippo rege Macedonum Alexandri patre dictus*, Ep. II. 1. 234.

L. Marcius Philippus, *Conſularis, optimus ſuæ ætatis orator*, habebat domum in Carinis, homo facetus, Ep. I. 7. 46. *ſeqq.*

Philodemus, *poëta Epicureus*, S. I. 2. 121. *ejuſdem mentionem facit Cicero Fin. II.* 35. *et in Piſon.* 28.

Phocæi, *Incolæ Phocææ, urbis Ioniæ, quorum colonia condidit Maſſiliam in Gallia Narbonenſi*, E. 16. 17.

Pholoë, *puella celebris illius ætatis, amica cujuſdam Cyri*, aſpera, I. 33. 7.: *amica cujuſdam amici*, fugax, II. 5. 17.: III. 15. 7.

Phraates, *Rex Parthorum crudelis et ſceleratus a ſuis regno expulſus, ſed, victo Teridate, denuo rerum potitur; mox iterum expulſus a Scythis reſtituitur*, II. 2. 17.: *ſe ſubjecit Auguſto*, Ep. I. 12. 27.

Phrygia, *regio Aſiæ minoris ad Helleſpontum et mare Ægæum*, pingis, II. 12. 22.: lapis Phrygius, *marmor Phrygium, ſ. Synnadicum, maculis purpureis diſtinctum*, III. 1. 41.: Phrygiæ ſorores, *i. e. Trojanæ*, II. 9. 16.

Phryne, *libertina, amica*, E. 14. 16.

Phyllis, *puella*, II. 4. 14.

Phyllides, *fidicina*, IV. 11. 1.

Picena poma, *tanquam præſtantiſſima, ex agro Piceno Italiæ, qui eſt Umbriæ conſinis*, S II. 3. 272.: S. II. 4. 70.

Pieria, *mons Macedoniæ, Muſis ſacer. Unde* antrum Pierium, III. 4. 40.

Pimplea, *ſive* Pimpleïs *Muſa, a Pimplea monte, fonte et pago Thraciæ Muſis ſacro dicta*, I. 26. 9.

Pindarus, *Thebanus, poëta lyricorum carminum nobiliſſimus*, Dircæus cygnus, IV. 2. 25.: ſenſus ſublimes laudantur, *ibid.* Pindarici fontis hauſtus, Ep. I. 3. 10.

Pindus, *juga montium inter Macedoniam, Theſſaliam et Epirum*, I. 12. 6.

Pirithous, *Ixionis fil. qui cum Theſeo amico conatus Proſerpinam ab inferis abducere a Plutone in vincula conjectus eſt*, III. 4. 80.: IV. 7. 28.

Pitholeon Rhodius *ſcr. epigrammata, ubi verba Græca commixta erant cum Latinis*, S. I. 10. 22.

Piſones, *pater et filii, ad quos eſt* Ar. P. *Pater videtur fuiſſe L. Calpurnius Piſo, qui cum M. Livio A. U.* 739. *Conſul fuit; poſtea Prætor Pamphiliæ, et A. U.* 743. *ab Auguſto in Thraciam contra Vologeſem miſſus. Sub Tiberio fuit præfectus Urbi, de quo Vell. Paterc. II.* 98. *Hujus hortatu ſcr. Horatius illam epiſtolam, ut filium a carminibus ſcribendis deterreret.*

Placideianus, *gladiator celebris*, S. II. 7. 97.

Plato, *Philoſophus Socraticus nobiliſſimus*, doctus, S. II. 4. 3. legitur ab Horatio, S. II. 3. 11.

M. Accius Plautus, *Sarſinas ex Umbria*, nova verba finxit, Ar. 54.: comparatur cum Epicharmo, Ep. II. 1. 58.: reprehenditur, *ib.* 170.: Plautinos numeros et ſales laudarunt nonnulli perperam, Ar. 270.

Plotius Numida, *qui cum Auguſto bello Cantabrico interfuit: ejus reditum celebrat Horatius*, I. 36.

Plotius, *poëta epicus, amicus Virgilii et Horatii*, anima candidiſſima, S. I. 5. 40.: *ei vult probari ſua ſcripta Horatius*, S. I. 10. 81.

Pluto, *Rex Inferorum, Proſerpinæ maritus*, illacrimabilis, II. 14. 7.: Plutonia domus exilis, I. 4. 17. *Vid. Orcus.*

Pœnus uterque, *et in Africa et in Hiſpania*, II. 2. 11.

Polemo, *Academiæ veteris philoſophus, Xenocratis auditor, ex homine prodigo philoſophus graviſſimus et frugaliſſimus factus*, S. II. 3. 254.

C. *Asinius* Pollio, *ingenio, doctrina, belli et pacis artibus clarissimus, Virgilio, Horatio et Augusto amicus; summus orator, tragœdiarum et bellorum civilium scriptor nobilis*, II. 1.: S. I. 10. 42. 85. *cf. Ern. Clav. Cic. voc. Asinius.*

Pollux, *frater Castoris, Jovis ex Leda f.* III. 3. 9.

Polyhymnia, *Musa*, I. 1. 33.

Pompeius, *vid.* Grosphus.

Pompilius sanguis, *v. n.* Ar. 292.

Pomponius, *adolescens minus frugalis*, S. I. 4. 52.

Pontificum libri, *v. n.* Ep. II. 1. 26.

Porcius, *Nasidieni parasitus*, S. II. 8. 23.

Porphyrion, *Gigas validissimus et maxime metuendus, a Jove et Hercule interfectus*, III. 4. 54.

Porsena, *Dux Etruscorum*, minax, E. 16. 4.

Postumus, *amicus quidam Horatii, ad quem est*, II. 14.

Prænestе, *municipium Latii non procul Roma, ob situm montanum frigidius; hinc Romani æstatem ibi agere solebant*, III. 4. 23.: S. I. 7. 28.: Ep. I. 2. 2.

Priamus, *Laomedontis f. Rex Trojæ, qua capta a Pyrrho Achillis filio occisus est*, dives, I. 10. 14.: Priami vetus regnum, I. 15. 8.: domus perjura, III. 3. 26.: fortuna, Ar. 137. *cf.* S. II. 3. 195.

Priapus, *Deus hortorum turpissimus et custos. Hujus statua erat in hortis Mæcenatianis in Esquilinis*, S. I. 8. 2.

Priscus, *homo inconstantissimus*, S. II. 7. 9.

C. Proculeius, *Eques R. vir clarus et prudens, Augusto carus et familiaris; pius erga fratres Cæpionem et Murænam, v. n.* II. 2. 5.

Procyon, *sidus*, III. 29. 18.

Prœtus, *Argivorum Rex, qui falsa criminatione uxoris Sthenobœæ adversus Bellerophontem castum et innocentem est commotus*, III. 7. 13.

Progne, *Pandionis f. Philomelæ soror; filio occiso, a Tereo marito cursu petita mutata est in hirundinem*, Ar. 187.

Prometheus, *Iapeti ex Asia Nympha fil. ope Minervæ sublatus in cœlum ex Sole ignem detulit ad homines: homines finxit e limo: unde Jovis jussu a Vulcano affixus est Caucaso*, I. 3. 27.: I. 16. 13.: II. 13. 37.: II. 18. 35.: E. 17. 67.

Proserpina, *Jovis e Cerere filia, a Plutone rapta et in matrimonium ducta*, sæva, I. 28. 20.: furva, II. 13. 21.: imperiosa, S. II. 5. 110.: ejus regna, E. 17. 2.

Proteus, *Deus marinus, phocarum Neptuni pastor, in varias formas solebat sese mutare*, I. 2. 7.: de debitore fugace et tergiversatore, S. II. 3. 71.: de homine inconstante, Ep. I. 1. 90.

Punica bella, Ep. II. 1. 162.

Pupius, *tragicus, v. n.* Ep. I. 1. 67.

Puteal Libonis *fuit ara in porticu Julia ad Fabianum arcum ante atrium Minervæ. Hoc puteal, ad quod fœneratores consistere et tractare fœnora solebant, Scribonius Libo ponendum curavit, quia in eo loco olim sacellum fuit, quod ignorabatur*, S. II. 6. 35.: Ep. I. 19. 8. *Conf. Salmas. ad Solin. p.* 802. *sqq.*

Pylades, *Strophii Phocensis filius, Astydamiæ frater, et amicus Orestis*, S. II. 3. 139.

Pyrrha, *Epimethei et Pandoræ filia, Deucalionis uxor*, I. 2. 6.

Pyrrha, *amica Horatii inconstans*, I. 5.

Pyrrhia, *ancilla*, Ep. I. 13. 14.

Pyrrhus, *Æacides, Rex Epiri, Tarentinorum socius, tandem a Curio et Fabricio victus*, III. 6. 35.

Pyrrhus, *puer*, III. 20.

Pythagoras, *Samius philosophus, Demarati locupletis et negotiatoris filius, Pherecydis discipulus*, S. II. 4. 3.: renatus, E. 15. 21.: ejus faba cognata, S. II. 6. 63.

Pythia, *scil. certamina*, Ar. 414.

Pythias, *nomen ancillæ ap. Lucilium*, Ar. 238.

Q

Quinctilius Varus, *Cremonensis, Virgilii et Horatii amicus:* hujus mortem deflet Noster, I. 24.: *criticus severus carminum*, Ar. 438.

Quintus Dellius, *varius et mobilis in bellis civilibus postea gratia Augusti floruit, amicus Horatii*, II. 3.

Quirinus, *Romulus post mortem sic dictus*, I. 2. 46.: III. 3. 15.: S. I. 10. 32.: E. 16. 13.

Quiris, *populus Romanus*, Ep. I. 6. 7.: *de exauctorato milite*, II. 7. 3.

Quirites mobiles, I. 1. 7.: bellicosi, III. 3. 57.

R

M. Attilius Regulus, *bello Punico primo captus a Pœnis de commutandis captivis Romam missus rem dissuadet, et adeo rediit ad supplicium*, I. 12. 37.: III. 5. 13.

Remus, *Romuli frater*, immerens, E. 7. 19.

Rhætia, *populi Germaniæ confines Vindelicis*, IV. 14. 15.: IV. 4. 17.

Rhamnes, *equites Romani*, celsi, Ar. 342.

Rhenus, *fluvius Germaniæ*, S. I. 10. 37.: Rhenum flumen, Ar. 18.

Rhodanus, *fluvius Galliæ*, II. 20. 20.

Rhode, *nomen puellæ*, III. 19. 27.

Rhodope, *hodie* Dervent, *mons Thraciæ, sacris Bacchicis celebris*, III. 25. 12.

Rhodus, *urbs insulæ cognominis*, I. 7. 1.: Ep. I. 11. 17.

Rhœtus, *Gigas*, II. 19. 23.: III. 4. 55.

Roma, *urbs Latii nobilissima*, domina, IV. 14. 44.: magna, S. I. 5. 1.: regia, Ep. I. 7. 44.

Romulus, *conditor Romæ*, I. 12. 33.: Deus factus post mortem, Ep. II. 1. 5.

Roscia lex, *theatralis*, Ep. I. 1. 62. *vid. L. Roscius Otho.*

Q. Roscius, *histrio eximius, amores et deliciæ Ciceronis.* Ep. II. 1. 82.

Rubi, *oppidum Apuliæ*, S. I. 5. 94.

Rufillus pastillos olet, S. I. 2. 27.: S. I. 4. 92

P. Rupilius Rex, *Prænestinus, comes Bruti*, S. I. 7. 1.

Octavius Ruso, *fœnerator et historicus*, S. I. 3. 86.

Rutuba, *gladiator suæ ætatis celeberrimus*, S. II. 7. 96.

S

Sabæa, *pars Arabiæ felicis, ob tura nobiliſſima, ad ſinum Arabicum et Perſicum*, I. 29. 3.

Sabini, *populus Latii* cum his fœdus fecit Romulus, Ep. II. 1. 25. Sabini unici, *de villa Horatii*, II. 18. 14.: Sabinus ager, *de eadem villa*, S. II. 7. 118.: Sabina vallis, III. 1. 47. Sabinum vinum, *quod erat vilius*, I. 20. 1.: cœlum, *quod laudatur*, Ep. I. 7. 77.: ſilva, I. 22. 9. Sabelli ligones, *quibus ager Sabinus colitur*, III. 6. 38.: Sabella, *mulier fatidica Sabina*, S. I. 9. 29.

Sabinus, *amicus Horatii, de quo perurbane jocatur*, Ep. I. 5. 27.

Sacra via, *vid.* Via.

Sagana, *mulieris veneficæ nomen*, E. 5. 25.: S. I. 8. 25.: *ubi vid. not.*

Salernum, *oppidum maritimum agri Picentini in magna Græcia*, Ep. I. 15. 1.

Salii, *ſacerdotes duodecim Martis, a Numa inſtituti, ut Ancilia cuſtodirent, et Martis die feſto ſaltarent ſaltationem armatam*, I. 36. 12.: IV. 1. 28. *Hinc*

Saliare carmen, *ad quod ſaltabant Salii*, Ep. II. 1. 86.: Saliares dapes, *Saliorum epulæ, quæ erant opiparæ magnificæ*, I. 37. 2.

Criſpus Salluſtius, *videtur eſſe hiſtorici nepos e ſorore et ab eo adoptatus, gratia Auguſti florens et Mæcenatem æmulatus, equeſtri ordine contentus alia gloriæ inſignia non aſſumſit; diverſus a veterum inſtituto per cultum et munditias; copia et effluentia luxu propior. vid. Tacit. Annal. III.* 30. *Ad hunc videtur eſſe carmen*, II. 2. *cf.* S. I. 2. 48.

Samnites, *gladiatores, qui proluſione pugnæ ineunte convivio ſolebant oblectare convivas*, Ep. II. 2. 98.

Samos, *inſula Aſiatica in mari Ægæo cum urbe ejuſdem nominis, concinna, i. e. amœna*, Ep. I. 11. 2.

Sappho, *poëtria, Mitylene urbe Leſbi oriunda, ubi dialectus Æolica erat in uſu. Unde ei* lyra Æolia *tribuitur*, II. 13. 24. *et ipſa dicitur* puella Æolia, IV. 9. 12.: maſcula, imitata eſt Archilochi metrum, Ep. I. 19. 28.

Sardinia, *inſula in mari Liguſtico*, ferax ſegetes, I. 31. 4. *Inde* Sardum mel, *quod minus ſuave erat*, Ar. 375.

Sardis, *urbs præcipua Lydiæ, Cræſi regia*, Ep. I. 11. 2.

Sarmentus, *Auguſti deliciæ, libertinus, ſcriba*, in comitatu *Mæcenatis*, S. I. 5. 52.

Satureium, *oppidum parvum prope Tarentum, equorum præſtantia nobile. Unde* Satureianus caballus, S. I. 6. 59.

Saturnus *Cæli filius, Jovis pater*, vetus, II. 12. 9.

Saturnalia, *dies feſti, qui inde a XIV. Kal. Jan. agebantur*, S. II. 7. 4.

Saturnius, *temporibus Saturni uſitatus*, Ep. II. 1. 158.

Satyri, *Dii ſilvarum*, agreſtes, Ar. 221.: dicaces, *ib.* 226.: protervi, *ib.* 233.

Scæva, Ep. I. 17. *videtur eſſe filius Caſſii Scævæ, cujus fortitudo laudatur Jul. Cæſ. de B. Civ. III.* 53.

Scæva, *matricida*, S. II. 1. 53.

Scamander, *fluvius Troiadis*, E. 13. 20.

Scauri, *in his clariſſimi ſunt M. Æmilius Scaurus, princeps Senatus et ejus filius M. Scaurus ædilitatis magnificentia clarus*, I. 12. 37.

P. Scipio *Africanus minor*, amicus Lucilii, S. II. 1. 72.

Scopas, *ſtatuarius et ſculptor eximius*, IV. 8. 6. *cf. Plin. H. N. XXXVI.* 5.

Scylla, *Phorci filia, mutata in ſaxum Charybdi oppoſitum in freto Siculo*, Ar. 145.

Scythæ, *populi Sarmatiæ*, profugi, I. 35. 9.: IV. 14. 42.: campeſtres, III. 24. 9.: gelidi, IV. 5. 25.: Adria diviſi objecto, II. 11. 1.: cedunt ex finibus Rom. III. 8. 23.

Sectanus, *mœchus*, S. I. 4. 112.

Septembres horæ, *h. e. tempeſtas qualis eſt in Septembri, minus ſalubris*, Ep. I. 16. 16.

Septicius, *Horatii conviva*, Ep. I. 5. 26.

T. Septimius, *eques Rom. amicus Horatii, qui eum Tiberio in Orientem proficiſcenti commendat. Carus fuit Auguſto, qui eum* Noſtrum *vocat apud Suet. Vit. Horat. Ad hunc eſt Carmen*, II. 6.: *cf.* Ep. I. 9. 1.

Seres, *populus Indicus*, I. 12. 56.: III. 29. 27.: IV. 15. 23. *Inde* Sericæ ſagittæ, I. 29. 9.: Serici pulvilli, E. 8. 15.

Servius, S. I. 10. 86. *videtur eſſe* Servius Claudius, *eques Rom. Grammaticus doctus, qui facile diceret, qui verſus Plauti eſſet qui non. cf. Ern. Clav. Cic.*

Sextilis, *menſis, qui poſtea Auguſtus eſt dictus*, Ep. I. 7. 2.

L. Sextius, *ad quem eſt carmen*, I. 4. *videtur eſſe is, quem Bruti ſtudioſiſſimum Auguſtus, A. U.* 731. *Conſulem in locum ſuum ſuffecit.*

Sicambri, *gens Germaniæ trans Rhenum inter Lupiam et Sigam*, IV. 2. 36.: cæde gaudentes, IV. 14. 51.

Sicilia, *inſula prope Italiam fertiliſſima. Inde* mare Siculum, II. 12. 2.: Siculæ vaccæ, II. 16. 33.: dapes, *i. e. exquiſitiſſimæ et maxime opiparæ*, III. 1. 18.: *tyranni*, Ep. I. 2. 58.

Sidon, *urbs antiquiſſima et nobiliſſima Phœnices maritima. Unde* Sidonii nautæ, E. 16. 59.: Sidonium oſtrum, *optima purpura, eadem dicitur purpura Tyria*, Ep. I. 10. 26.

Silenus, *cuſtos et fam. Bacchi*, Ar. 239.

Silvanus, *Deus agreſtis*, horridus, III. 29. 23.: lacte piatur, Ep. II. 1. 143.: tutor finium, E. 2. 22.

Simo, *ſenex comicus ap. Lucil.* Ar. 238.

Simois, *amnis Troadis*, E. 13. 21.

Sirenes, *monſtra marina*, quæ cantu *navigantes alliciebant ad perniciem*, Ep. I. 2. 23.: Siren *pro* deſidia, S. II. 3. 14.

Siſenna, *nomen hominis maledici*, S. I. 7. 8.

Siſyphus, *Æoli f. conditor et rex Corinthi, apud inferos ſaxum in ſummum montis verticem provolvere conatur, ob Æginam Æſopi filiam, quam a Jove raptam eſſe patri indicarat*, Æolides, II.

14. 20.: optat collocare saxum in monte supremo, E. 17. 68.
Sisyphus, *nanus Antonii*, S. I. 3. 47.
Sisyphus, *amator quidam vasorum Corinthiorum*, S. II. 3. 21.
Sithonii, *gens Thraciæ ad Pontum Euxinum*, I. 18. 9. Sithonia nix, *i. e. Thracica*, III. 26. 10.
Smyrna, *urbs Ioniæ maritima*, Ep. I. 11. 3.
Socrates, *Philosophus Athenienſis nobiliſſimus. Unde* Socratici ſermones, III. 21. 9.: chartæ, *libri Socraticorum*, Ar. 310.: domus, *Socratis ſecta*, I. 29. 14.
Sophocles, *Athenienſis, Tragicorum princeps*, Ep. II. 1. 163.
Soracte, *mons in Faliſcorum finibus*, I. 9. 2.
Soſii fratres, *bibliopolæ celebres*, Ep. I. 20. 2.: Ar. 345.
Spartacus, *gladiator, qui A. U.* 679. *e ludo Lentuli Capuæ fugiens, fugitivorum dux factus, bellum ſervile commovit longe graviſſimum*, vagans, III. 14. 19.: acer, E. 16. 5.
Staberius, *divitiis multum tribuens*; ejus teſtamentum, S. II. 3. 84.
Stertinius, *Philoſophaſter Stoicus, ducentos viginti libros Stoicorum ſcripſiſſe fertur*, S. II. 3. 33.: octavus ſapientium *jactatur*, *ib.* 296.: acumen ejus delirat, Ep. I. 12. 20.
Steſichorus, *Himeræ in Sicilia natus, poëta lyricus, Phalaridi tyranno carus*; Steſichori graves Camœnæ, IV. 9. 8.
Sthenelus, *Capanei f. fortiſſimus, auriga Diomedis*, I. 15. 24.: IV. 9. 20.
Styx, *palus apud inferos*, I. 34. 10. *Unde* Stygia unda, II. 20. 8.
Subura, *locus Romæ ſub muro terreo Carinarum. Unde* canes ſuburanæ, E. 5. 58.
Sulcius, *cauſidicus*, acer, S. I. 4. 65.
L. Corn. Sulla, *dictator*, S. I. 2. 64.
Sulpicia horrea, IV. 12. 18.
Surrentum, *Campaniæ oppidum ad ſinum Puteolanum*, Ep. I. 17. 52.: *unde* vinum Surrentinum, S. II. 4. 55.
Sybaris, *juvenis amatus Lydiæ*, I. 8. 2.
Syrtes, *vada arenoſa et mutabilia in mari ad littus Africæ*, æſtuoſæ, I. 22. 5.: barbaræ, II. 6. 3.: Gætulæ, II. 20. 15.: exercitatæ, E. 9. 31.
Syri, *populus Aſiæ majoris. Unde* Syra merx, I. 31. 12.
Syrus, *nomen ſervi*, S. I. 6. 38.
Syrus, *gladiator*, S. II. 6. 44.

T

Tænarum, *promontorium Laconicæ: ponitur de* porta ad inferos, *imo pro* loco inferorum ipſo: *ut* Tænari ſedes horrida, I. 34. 10.
Tanais, *hodie* Don, *fluvius Europam et Aſiam dividens, ad quem habitabant Scythæ*, IV. 15. 24.: Scythicus amnis, III. 4. 36.: extremus, III. 10. 1.: diſcors, *de accolis populo Rom. inimicis*, III. 29. 28.
Tanais, *ſpado quidam*, S. I. 1. 105.
Tantalus, *Pelopis pater, Rex Lydiæ, ad epulum Deorum admiſſus, inſolentior factus eſt et illo honore abuſus, apud inferos perpetua fami ſitique cruciatur*, conviva Deorum, I. 28. 7.: ſuperbus, II. 18. 37.: egens benignæ dapis, E. 17. 66.: a labris fugientia captat flumina ſitiens, S. I. 1. 68.
Tarentum, *urbs Calabriæ maritima, antiquiſſimæ et celeberrima, quam colonia Lacedæmonum, duce Phalanto, occupavit*, II. 6. 11.: *inde* Lacedæmonium *dicitur*, III. 5. 56.: *ad finem Italiæ ſitum*, S. I. 6. 105.: *laudatur tanquam amœnum*, Ep. I. 16. 11.: molle, S. II. 4. 34.: imbelle, S. I. 7. 45.: *lana ibi tingebatur colore violaceo*, Ep. II. 1. 207.
Sp. Mœtius Tarpa, *judex et cenſor fabularum in ludis ſcenicis agendarum*, S. I. 10. 38.: Ar. 387.
Tarquinius Superbus, *ultimus Rom. Rex*, S. I. 6. 13.: Tarquinii faſces ſuperbi, *i. e. imperium ſplendidum a Tarquinio tranſlatum in Conſules*, I. 12. 35.
T. Statilius Taurus, *Conſul iterum A. U.* 728. *una cum Auguſto*, Ep. I. 5. 4.
Teanum Sidicinum, *hodie* Teano, *non procul a Calibus oppidum Campaniæ, diverſum a Teano Apulo*, Ep. I. 1. 86.
Tecmeſſa, *Teuthrantis Phrygiorum regis filia, ab Ajace capta, qui ex illa ſuſcepit Euryſacem filium*, II. 4. 6.
Telegonus, *Ulyſſis e Circe fil. conditor Tuſculi*, III. 29. 8.
Telemachus, *Ulyſſis ex Penelope f.* Ep. I. 7. 40.
Telephus, *Herculis ex Auge f. juſſu avi in ſilvis expoſitus a cerva nutritus eſt; tum exul ad parentes quærendos venit ad Teuthrantem; a quo adoptatus eſt, et ei poſtea in regno Myſiæ ſucceſſit. In pugna ab Achille vulneratus, non aliter ſanari potuit niſi eadem haſta, qua vulneratus erat*, E. 17. 8.: pauper et exul, Ar. 96.
Telephus, *juvenis Græcus dives, qui Romæ vivebat, poëta doctus*, I. 13. 1.: III. 19. 1.: IV. 11. 21.
Tempe *Theſſalica, convallis nemoroſa ad Peneum inter Oſſam et Olympum*, I. 7. 4.: I. 21. 9.: Zephyris agitata, III. 1. 24. *Hujus loci amœnitatem egregie deſcripſit Ælianus, V. H. III.* 1.
P. Terentius *Afer, comicus celeberrimus*, Ep. II. 1. 59.
Teucer, *Telamonis f. Ajacis frater, conditor Salaminis in Cypro*, I. 7. 21.: S. II. 3. 204.
Thaliarchus, *nomen videtur eſſe fictum amici cujuſdam*, I. 9. 8.
Thebæ, *urbs Bœotiæ, Bacchi patria: nam Semele mater fuit Thebana*, Baccho inſignes, I. 7. 32: Echioniæ, *quia Echion adjutor Cadmi fuit in condendis Thebis*, IV. 4. 64. *Cf.* S. II. 5. 84.: Ep. II. 1. 213.
Theon, *unde* dente Theonino circumrodi, *v. not.* Ep. I. 18. 82.
Theſpis, *poëta tragicus*, quem Latini ſunt imitati, Ep. II. 1. 163.: egit in plauſtris tragœdias, Ar. 275.
Theſſalia, *regio Græciæ, ob herbas venenatas celebris. Unde* Theſſala venena, I. 27. 21.: portenta, *i. e. magica*, Ep. II. 2. 209.: vox incantatrix, E. 5. 45.

Thraca, *ſeu* Thrace *pro* Thracia, *gr.* Θρᾴκη, *regio inter Hæmum montem, mare Ægæum, Propontidem et Pontum Euxinum, aſpera, montoſa, frigida*, Thrace nive candida, III. 25. 11.: Thrace furioſa bello, II. 16. 5.: frigida, Ep. I. 16. 13.: Ep. I. 3. 3. *Unde* Thraces pugnant in conviviis, I. 27. 2. *et* Threïcia amyſtis, I. 36. 14.

Threx, *ſeu* Thrax, *gladiator qui parmula Thracica et gladiolo depugnat*, S. II. 6. 44.: Ep. I. 18. 36.

Thyades, *ſeu* Thyiades, *Bacchæ a* Θύειν *furere.* pervicaces, *i. e. furentes, indomitæ*, II. 19. 9.: III. 15. 10.

Thyeſtes, *Pelopis f. ex Atrei fratris uxore liberos genuit, quos poſtea ei epulandos appoſuit Atreus. Hoc interfecto ab Ægiſtho, potitus rerum Thyeſtes, mox ab Atrei filiis Agamemnone et Menelao in exilium pulſus periit*, I. 16. 17.: Thyeſtæ cœna, Ar. 91.: Thyeſtæ preces, E. 5. 86.

Thyni, *Bithynis finitimi, e Thracia oriundi incoluerunt Bithyniam late ſumtam, i. e. regionem Aſiæ minoris in ora Pontica. Unde* Thyna merx, III. 7. 3.

Thyoneus, *Bacchus, a matre Semele, quæ et Thyone eſt dicta*, I. 17. 23.

Tiberis, *fluvius Latii*, flavus, I. 2. 13.: I. 8. 8.: Tiberim tranare, S. II. 1. 8. *Unde* Tiberinis in undis humeros lavare, III. 12. 7.: Tiberinum flumen, Ep. I. 11. 4.: Tiberius lupus, S. II. 2. 31.

Tiberius, *filius Servii Oppidii*, S. II. 3. 173.

Tibur, *oppidum Latii ad Anienem amnem, quod Tiburnus, ſeu Tiburtus, qui divinis honoribus colebatur Tiburi, cum Cora et Catillo fratribus, coloniæ Argivorum dux condidit*, Ep. II. 2. 3.: I. 7. 13.: Argeo poſitum colono, II. 6. 5.: placet Horatio, *ib. qui videtur villulam ibi habuiſſe, quæ pertinuerit ad villam in Sabinis*, Ep. I. 8. 12.: fertile, IV. 3. 10.: uvidum, IV. 2. 30.: ſupinum, III. 4. 23.: vacuum, Ep. I. 7. 45.: mite ſolum Tiburis, I. 18. 2.: *nobile erat pomariis*, I. 7. 14. *Inde* Tiburtia poma, quæ cedunt Picenis ſucco, S. II. 4. 70. Tiburs via, S. I. 6. 108.

Tigellius, *vid.* Hermogenes.

Tigris, *fluvius Aſiæ in Armenia ortus influit in ſinum Perſicum; ob celeritatem Tigris eſt dictus a Medis, qui ſic ſagittam appellant*; rapidus, IV. 14. 46.

Timagenes, *fuit, ut Suidas narrat, rhetor Alexandrinus, a Gabinio captivus Romam abductus, et a Fauſto Sullæ filio redemtus Romæ rhetoricam docuit uſque ad Auguſti tempora. Tandem vero ob nimiam maledicendi libidinem cum interdictum docendi munere ei eſſet; in agro quodam Tuſculano reliquam ætatem egit, et vomere conans a cœna interiit*, Ep. I. 19. 15.

Tireſias, *vates Thebanus ap. Homerum clarus, ſed oculis raptus, Ulyſſi ap. inferos vaticinatus eſt reditum*, S. II. 5.

Tiridates, *ſeu* Teridates, *Rex Armeniorum*, I. 26 5.

Tiſiphone, *una ex Furiis*, S. I. 8. 34.

Titanes, *Gigantes, Terræ filii, qui adv. Deos pugnarunt. Unde* impii, III. 4. 43.

Tithonus, *Laomedontis Regis Trojæ filius, ob formam amatus ab Aurora, et ejus curru raptus in cœlum*, I. 28. 8. II. 16. 30.

Tityos, *Terræ filius, qui, Latonæ vim inferre conatus, ab Apolline ſagittis confoſſus, ap. inferos hanc pœnam luit, ut a vulture ejus jecur continuo renaſcens* exedatur: a Plutone triſti compeſcitur unda, II. 14. 8.: incontinens, III. 4. 77.: raptor, IV. 6. 2.: vultu riſit invito, III. 11. 21.

L. Manlius Torquatus, *vir prudens et eloquens, qui A. U.* 689. *cum Cotta fuit Conſul, quo anno Horatius natus eſt*, III. 21. 1.: IV. 7. 1.: E. 13. 8.

Trauſius, *pauper et prodigus*, S. II. 2. 99.

Trebonius, *in adulterio deprehenſus eſt*, S. I. 4. 114.

C. Trebatius Teſta, *eques Rom. homo facetus, Ictus doctiſſimus, Ciceroni amiciſſimus, qui multas epiſtolas facetas ad eum ſcripſit*, S. II. 1.

Triquetra, *ſeu* Trinacria *dicitur Sicilia ob ſpeciem triangulam*, S. II. 6. 55.

Trivicum, *oppidum Hirpinorum Apuliæ*, S. I. 5. 79.

Troja, *urbs Troadis in Aſia minore*, avita, *i. e. ab avis ſ. majoribus Rom. habitata*, III. 3. 60. *Unde* Troïcus pulvis, I. 6. 14.

Troïlus, *impubes filius Priami ab Achille occiſus*, II. 9. 15.

Tullius, *ſive* Tillius, *homo nobis obſcurus*, S. I. 6. 24. 107.

Serv. Tullius, *Rex Rom.* S. I. 6. 9.

Tullus Hoſtilius, *Rex Rom.* IV. 7. 15.

Tullus *Conſul, quis fuerit, incertum eſt: vulgo intelligunt* L. Volcatium Tullum, *qui A. U.* 688. *Conſulatum geſſit*, III. 8. 12.

Turbo, *gladiator*, S. II. 3. 310.

Turius, *Prætor, v. not.* S. II. 1. 49.

Tuſculum, *Latii oppidum, in loco edito ſitum. Unde* ſupernum, E. I. 29.

Tuſcus vicus *fuit Romæ, v. n.* S. II. 3. 228.

Tuſcum mare *idem quod* Etruſcum, Ep. II. 1. 202.: Tuſcus amnis, *i. e. Tiberis*, S. II. 2. 33.

Tydides, *Tydei filius Diomedes fortiſſimus, Rex Ætoliæ*, Superis par, I. 6. 16.

Tyndaridæ, *Tyndari liberi vel tantum* Caſtor *et* Pollux, IV. 8. 31.: *vel præter illos etiam* Helena *et* Clytemneſtra, S. I. 1. 100.

Tyndarides, *amica*, I. 16.: I. 17.

Typhoëus, *Gigas centiceps, cui a Jove Sicilia injecta eſt*, III. 4. 53.

Tyrrhenus, *i. e.* Etruſcus, *quia Etruria etiam dicta eſt Tyrrhena. Unde* Tyrrhenum mare, I. 11. 6.: tigilla, Ep. II. 2. 180. *pro* Italo, III. 10. 12.

Tyrus, *urbs Phœnices prima et mercatura et purpuræ præſtantia nobiliſſima. Unde* Tyriæ merces, III. 29. 60.: Tyrii murices, E. 12. 21.: colores, *i. e. purpura*, Ep. I. 6. 18.: veſtes, *i. e. purpureæ*, S. II. 4. 84.

Tyrtæus, *Poëta Athenienſis*, mares animos in Martia bella verſibus excitavit, Ar. 402.

U

Ulubræ, *oppidulum Latii in agro Pomtino, juxta paludes*, Ep. I. 11. 30.
Ulyſſes, *Rex Ithacenſis, qui in contentione de armis Achillis ſuperavit Ajacem: unde hic furioſus eſt factus*, inclytus, S. II. 3. 197.: domitor Trojæ, multorum providus urbes et mores hominum inſpexit, &c. Ep. I. 2. 19.: laborioſus, E. 17. 16.. duplex, I. 6. 7.: Laërtiades, exitium gentis Trojanæ, I. 15. 21.: rogat Tireſiam, quomodo diteſcere poſſit, S. II. 5.
Umbria, *regio Italiæ ad mare ſuperum, Etruriæ ex adverſo ſita: Unde* Umber aper, *qui præſtat*, S. II. 4. 40.
Umbrenus, *nomen militis veterani*, S. II. 2. 133.
Uſtica, *mons in Sabinis*, cubans, I. 17. 11.
Utica, *urbs Africæ, nobilis morte Catonis, qui inde Uticenſis eſt dictus*, Ep. I. 20. 13.

V

Vacuna, *Dea, quæ a Sabinis colebatur*, Ep. I. 10. 49.
T. Valgius *Ruſus, nobilis poeta epicus, quo Tibullus IV.* I. 180. *negat* æterno propiorem alterum Homero fuiſſe. cf. *Broukh. ad h. l. vid. Horat.* II. 9. *et* S. I. 10. 82.
Varia, *ſ.* Baria, *oppidulum olim ad dextram ripam Anienis*, Ep. I. 14. 3.
L. Varius, *poëta epicus, qui res geſtas Auguſti carmine celebravit, amicus Horatii et Virgilii, qui eum Eclog. IX.* 35. *laudat*, I. 6. 8.: S. I. 9. 23.: S. I. 5. 40.: S. I. 10. 44. 81.: Ar. 55.: *ab Auguſto liberaliter eſt habitus*, Ep. II. 1. 247.
Varius *quidam cum Mæcenate convivio Naſidieni interfuit*, S. II. 8. 21.
P. Terentius Varro *Atacinus, Narbonenſis*, minus laudatur ob ſatyras, S. I. 10. 46.
Vaticanus mons *Romæ*, I. 20. 7.
Veia, *venefica quædam*, E. 5. 29.
Veianius, *gladiator*, Ep. I. 1. 4.
Veii, *urbs Etruriæ. Unde* ager Veiens, Ep. II. 2. 167.: *et* vinum Veientanum, *quod erat viliſſimum*, S. II. 3. 143.
Velabrum, *locus Romæ, ubi habitabant unguentarii et alii vilioris conditionis homines*, S. II. 3. 229.
Velina tribus *populi Rom.* Ep. I. 6. 52.
Venafrum, *Campaniæ oppidum oleis nobile. Unde* Venafranum oleum, *quod eſt optimum*, II. 6. 16.: Venafrana oliva, S. II. 4. 69.: S. II. 8. 45.: agri Venafrani, III. 5. 55.
Venus evocatur in domum amicæ, I. 30. 1.: ridens, I. 2. 33.: decens, I. 18. 6.: oratur ne diutius vexet, IV. 1. 1. *de amore puellarum*, Ep. I. 18. 21.
Vertumnus, *Deus Etruriæ, præſes rerum vertendarum, i. e. emendarum vendendarumque. Hujus fanum fuit Romæ in vico Turario*, S. II. 7. 14.: Ep. I. 20. 1.
Veſtæ ædes, *v. n.* S. I. 9. 35.: Veſta æterna, III. 5. 11.
Via ſacra, *via Romæ, quæ a fœdere nomen habet, quod in ea inter Romulum et Tatium ictum eſt. Hæc maxime frequentabatur*, S. I. 9. 1.
Vibidius, *ſcurra, umbra Mæcenatis in convivio Naſidieni*, S. II. 8. 22.
Villius, *adulter Fauſtæ*, S. I. 2. 64.
Vindelici, *populi Germ. qui loca inter Danubium, Ænum et lacum Brigantinum incolebant*, IV. 4. 18.: IV. 14. 8.
C. Vinius *Fronto Aſella, quem carmina ſua Auguſto tradere juſſit Horatius*, Ep. I. 13.
P. Virgilius *Maro, Mantuanus, auctor Bucolicorum, Georgicorum et Æneidos, ſummus Variî Horatiique amicus, atque Mæcenati et Auguſto longe cariſſimus:* laborabat cruditate, S. I. 5. 48.: candidiſſima anima, *ib.* 40.: Athenas proficiſcentem bonis votis omnibuſque proſequitur Horatius, I. 3.: molle et facetum *tribuitur ejus Bucolicis*, S. I. 10. 45.: conſolatur eum ob mortem Quinctilii, I. 24.: liberalitas Auguſti in Virgilium, Ep. II. 1. 247.: *Carmen* IV. 12. *videtur ad eundem Virgilium ſcriptum eſſe.*
Vibius Viſcus, *eques Rom. amicus Horatii, habens duo filios ſenatorii ordinis doctos, criticos et poëtas*, S. I. 9. 22.: S. I. 10. 83.
Viſcus Thurinus, *intereſt cum Mæcenate Naſidieni convivio*, S. II. 8. 20.
Viſellius, *cujus ſocer bernioſus fuiſſe dicitur*, S. I. 1. 105.
Volanerius, *aleator*, S. II. 7. 15.
Voranus, *homo furax, v. n.* S. I. 8. 39.
Vulcanus, *Veneris maritus*, I. 4. 8.
Vulteius Mena, *præco*, Ep. I. 7. 55.

X

Xanthias Phoceus, *Græcus haud dubie et nobili genere ortus. Ad hunc eſt*, II. 4.
Xanthus, *fluvius Lyciæ*, IV. 6. 26.

Z

Zethus, *frater Amphionis*, Ep. I. 18. 42.

31 DE 63